Dub. 3. Ad eadem verba: *In principio creauit Deus.* Legit Maluenda: *In principio creauit Elochim cœlos, & terram.* Cur creatio tribuitur Deo, non creanti, sed iudicanti?

Deus amandus, & timendus.

Respondet. Quod non sine misterio creatio tribuitur Deo, non quatenus creans est, sed quatenus Iudex est: vt homines ita Creatoris bonitatem diligerent, vt Iudicis seueritatem perhorrescerent. Caietanus: *Quare autem Moyses in hoc exordio appellauerit Deum Elohim dicem in promptu causa est: vt vnus, atque idem Deus credatur Creator mundi, & Iudex vniuersorum. Altera vt creatio cœlorum, & terræ, & eorum quæ in eis sunt, intelligatur actio Dei Iudicis secundum iustitiam distributiuam.*

Dub. 4. Ad eadem verba: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Cur Moyses à cœlo, & terra contextum exorsus est?

Doctores, & Prædicatores non alta, & sublimia, sed quæ ad salutem sunt, homines doceant.

Respondet. Quod aliqui cœlum, & terram, Solem, & Lunam, fontes, & flumina, tunc temporis pro dijs colebant, & obseruabant: vt autem hunc ab hominibus errorem remoueret, & non sublimia, & alta, sed quæ ad salutem erant homines doceret, à cœlo, & terra historiam suam exorsus est, dicens: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, quasi dicat: Cœlum, & terra, Sol, & Luna fontes, & flumina, quibus venerationis cultum exhibetis, non sunt dij, sed creaturæ conditæ à Deo. Bonus enim Doctor, & Prædicator, audientibus, quæ opus habent ad salutem, prædicet. D.

Cæsarius Dialogo 1. *Conueniens temporibus, & hominibus vtile principium statui sui statuit, quando id temporis ex Ægypto Iudæi exierant, & insinuatos auribus illorum errores habebant. Nam alij quidem impiorum cœlum, alij verò terram deificauerunt. Alij autem Soli, & Lunæ venerationis cultum exhibuerunt. Alij autem fontes, & flumina Deos esse asserunt, propter quos Moyses relictis vltra mundanis, ab eis quæ captui nostro sunt exposita, narationem orditur.*

Be honestat opus, & beneficium qui in operando, & benefaciẽdo moras tra hit,

Dub. 5. Ad eadem verba: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Diuus Ambrosius legit: *In principio fecit Deus.* Cur Moyses addidit creauit, seu fecit? Sat erat dicere in principio cœli, & terræ?

Resp. Quod Moyses volebat Creatoris opera commendare ex breuitate temporis, quo ea sine mora, & cunctatione perfecit, & absoluit. Ideò addidit creauit, seu fecit, scilicet breui, & exiguo momento. Multum enim dehonestat opus, seu beneficium, temporis mora, longioriſque spatij consumptio. Diuus Ambrosius: *Pulchre addidit, fecit ne mora in faciendo existimaretur, sed vt vel sic intelligerent homines, quam incomparabilis Operator esset, qui tantum opus breui, exiguoque momento suæ voluntatis absolueret, & operationis effectus sensum temporis præueniret. Nemo operantem vidit, sed agnouit operatum vbi igitur mora: cum legas ipse dixit, & facta sunt? Nec artis igitur vsum, nec virtutis expendit, qui momento suæ voluntatis maiestatem tantæ operationis impleuit, vt esse ea faceret tam velociter, vt neque voluntas operationi præcurreret, neque operatio voluntati.*

Libenter hominis legem amplectun - tur, cum Legislatorem dignissimum esse agnoscunt,

Dub. 6. Ad eadem verba: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Cur Moyses non prius legem Dei eiusque præcepta annuntiauit in Exodo, quam Dei Creatoris creationem pronuntiaret in Geneſi? Legis annuntiatio nonne dignior esse videtur creationis cognitione, cum hæc non ad salutem, illa autem necessaria sit? Vtique. Nam per creationem Deum cognoscimus esse beneficum, liberalissimum, & natura optimum, per præceptorum, & legum dationem nobis in re morum proficuum, & de nostra salute maximè solicitum. Quare ergo Moyses Deum prius mundi conditi Authorem significauit, quàm Legislatorem.

Respondetur. Quod licet legis annuntiatio dignior esse videatur creationis cognitione, cum hæc non ad salutem, illa autem necessaria sit, vt dictum est: tamen Moyses Deum prius mundi conditorem ostendit, quàm Legislatorem. Quia nouit legem libentius homines conditos amplecti, cum Legislatorem dignissimum esse datur eis noscere. Seuerianus in Cathena Græca: *Primum quidem Deum voluit ostendere totius naturæ conditorem & Dominum, vt suis legem ferret: si enim illis de Artifice mundi non constitisset, fide minus dignum Legislatorem esse enuntiasset.*

Prælatus prius ractat, quam iubeat,

Dub. 7. Ad illa verba: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Cur Deus prius creauit cœlum, & terram, quàm diceret: *Fiat lux, fiat firmamentum?*

Respondetur. Quod prius dicitur Deum creasse cœlum, & terram, quam diceret: *Fiat lux, fiat firmamentum,* quia Deus prius quam iubeat facit, vt doceat exemplo prius facere, quàm iubere. Mendoza 1. Reg. 3. num. 21. annotat. 8. circa litt. sect. 2. num. 16. *Dicturus Fiat lux, fiat firmamentum, prius creauit cœlum, & terram vt opera præceptis, exempla documentis præirent.*

Dona accepta à Deo non sunt abscondenda, sed in proximorum commodum danda;

Dub. 8. Ad eadem verba: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Cur Deus creauit cœlum, & terram? Cur bona quæ in nos effudit apud se non retinuit?

Respondetur. Ideò Deum creasse cœlum, & terram, vt homines instituat, dona eius quæ in proximorum vsum, & commodum venire possunt, non abscondere. Oleaster: *Admonet nos hac priori sententia largissimus ille orbis terrarum Pater, non esse steriles, neque apud nos retinere, quæ proximis nostris vsui esse possunt. Quando ipse tam munifice in nos, quæ apud illum delitescebant, effudit. Nihil enim illi magis displicere potest, quàm si quis dona eius abscondat. Cui rei exemplo esse potest illud, quod apud Lucam 19. capite legis: quam acriter seruum illum arguerit; qui pecuniam suam in sudario seruans, tradere numularis nelexit, quam ipse cum vsuris exigendam fuerat comminatus.*

Ingratus, & inutilis ex numero crea turarũ Deum laudantium expungendi sunt,

Dub. 9. Ad eadem verba: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Cur Moyses supremi elementi nempè, ignis non meminit, & de terra quæ est infimum elementum agit?

Respond. Quod ignis ingratitudinis simbolum est, multa beneficia deuo-

rat

rat, nihil redonat: ne minimam quidem gratiam pro maxima rependit. Ideò Moyſes cum de mundi fabrica ageret, nobiliſsimum elementum ſilentio inuoluit, & abiectiſsimum ſcilicet terram, quæ grata eſt, primo loco euulgauit. Ingratus dignus eſt, qui ex numero creaturarum Deum iugiter laudantium expungatur. Rupertus lib. 1. in Geneſ. cap. 8. *Ignis ſterilis eſt, & infœcundus, nihil in ſe, vel ex ſe gignit. Propterea de hoc elemento non iniuria ſiletur.*

Doctor Magiſter, Prædicator capacitati auditorũ ſe accomodet.

Dub. 10. Ad eadem verba: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Cur Moyſes non agit de creaturis ſpiritualibus à Deo conditis?

Reſpondetur: Quod Moyſes Doctoris, & Magiſtri perſonam agebat, qui capacitati auditorum debet ſe accommodare. Ideò Moyſes de ſpirituali creatura, ſcilicet Angelo, ſermonem non inſtituit, quia populus rudis qualis tunc temporis erat, ſpiritualia non intelligeret. Diuus Thomas de potentia, quæſt. 3. art. 18. ad 4. *Sicut Baſilius dicit in primo Exameron Moyſes Legiſlator, in principio Geneſis, exordium viſibilis creaturæ incipit exponere, prætermiſſa creatura ſpirituali, quæ ante fuerat condita. De qua mentionem non fecit, quia rudi populo loquebatur, qui ad ſpiritualia capienda idoneus non erat.* Vide fol. 61. dub. 123.

Peccatori occaſio peccati tollenda eſt.

2. Reſpondetur: Quod Populus Gentilis, cui loquebatur Moyſes, pronus erat ad idolatriam; idolatraret autem ſi plures ſubſtantias ſpirituales præter vnum Deum ponerentur, maximè quia ſubſtantiæ ſpirituales pro dijs habebantur à Gentilibus. Ideò vt Moyſes obſepiret viam omnem, qua periculum idolatrandi imminere videbatur, de Angelis mentionem non fecit. Peccatori enim occaſio peccati tollenda eſt. D. Thom. vbi ſupra: *Secundum Diuum Auguſtinum; creaturam ſpiritualem per cœlum intelligit, ſicut per terram creaturam corporalem, cum dicit: In principio creauit Deus cœlum, & terram. Quare autem ſub metaphora cœli, & non expreſsè creationem Angelorum tradidit, poteſt eadem ratio aſſignari, quæ & ſupra, ſcilicet ex populi ruditate, & iterum ad vitandam idolatriam, inquam proni erant. Ad quam daretur eis occaſio, ſi plures ſubſtantiæ ſpirituales ponerentur præter vnum Deum, quæ eſſent cœlo nobiliores, & præcipuè cum huiuſmodi ſubſtantiæ à Gentilibus dij dicerentur.*

Inquires, cur Angeli ſimultanea creatione cum cœlo producti ſunt, cum Angeli locum non expoſtulent?

Reſpondetur: Quod Deus in orbis opificio voluit oſtentare ſuam liberalitatem, cum non precibus Angelorum inclinatus, rerum machinam produxit. Inde non præmiſit Angelorum exiſtentiam, ante cœli creationem, ne Angelicis precibus reliqua creaſſe putaretur, ſed non ſupplicatione inuitatus non exiſtentibus dat exiſtere, vt maius ſuæ beneficientiæ monſtraret encomium. Magnum procuidubio beneficium eſt, cum nulla ſupplicatione præmiſſa, confertur. D. Baſilius orat. 12. *Angelorum turbæ ſuo eſſe priuatæ: ſolus enim Deus erat, Deus ipſius eſſe fons, vitæ theſaurus, ortus non indigens, bonitate ſcatens. Hic ea quæ non ſunt vocat, non rogatus, non ſupplicatione inuitatus non exiſtentibus dat exiſtere.*

Magnum eſt beneficium, cum nulla ſupplicatione præmiſſa confertur.

Dub. 11. Ad eadem verba: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Origens, & alij legunt: *In verbo creauit Deus.* Cur Deus vno verbo omnia in cœlo, & in terra condidit?

Reſpondetur: Quod Deus amore, quem erga genus humanum habuit, omnia ſiue quæ in cœlis, ſiue in terris ſunt, condidit, & creauit, vt docet Diuus Chriſoſtomus Homil. 1. in Geneſ. & Diuus Ambroſius lib. 1. Examer. Diuus Baſilius Seleucus orat. 1. Ideò in verbo omnia creauit, quia verus amor pauca verba, opera verò multa habet. Ita Silueira 5. tom. ſuper Euangel. cap. 15. num. 78 *Recte dicitur in Verbo creauit. Cum amore condidiſſet, in Verbo creauit; nam amor vnum tantum habet Verbum; opera verò tot, & tanta, quanta ſunt omnia, quæ in toto orbe apparent, & videntur.*

Verus amor pauca verba, opera verò multa habet.

Dub. 12. Ad illa verba, verſ. 2. *Terra autem erat inanis, & vacua.* Cur Deus primo creauit terram incompoſitam, deinde exornauit eam floribus, herbis, plantis proferentibus ſemen iuxta genus ſuum?

Reſpondetur: Quod Deus ex Creatoris munere motus fuit ad perficiendum ea quæ fecit. Ideò terram quam creauit incompoſitam, ornauit floribus, condecorauit plantis, vt ex vno beneficio ad largiendũ aliud procederet, D. Ambroſ. lib. 1. Examer. cap. 7. *Primò fecit Deus, poſtea venuſtauit, eundem credamus ornaſſe, qui fecit, & feciſſe qui ornauit, vt primo faceret, poſtea componeret, ne alterum alteri deeſſe*

Benefactor ex vno beneficio ad largiendum aliud mouetur.

deesse crederetur. Vide fol. 18. dub. 93. & fol. 78. dub. 18.

Dub. 13. Ad illa verba, vers. 2. *Terra autem erat inanis, & vacua.* Alij legunt: *Incomposita.* Cur cœlum non dictum fuit inane, & vacuum, sicut terra dicta fuit inanis, & vacua? Nonne cœlum inornatum erat, quemadmodum terrarum ambitus? Vtique quia cœlum non fuit cum suo decore, neque lucidissimis Astrorum scintillis micabat, neque Solis, & Lunæ splendore fulgebat. Cur igitur cœli suppressa deformitate, in compto fuisse vultu terra dicitur?

Virtus aliquorum bonorum pulchrã, & splendidam facit Ecclesiã, aut Rempublicam: licet multi mali inhabitent eam. Omnium tamen iniquitas Rẽ publicã reddit deformẽ.

Respondetur: Quod in cœlo inter malorum Angelorum consortia, inter seditiones, & tumultus Diuinitatem quasi affectantium, plurimi boni Angeli robustæ, & solidæ virtutis reperti sunt: at in terris non est inuenta virtus iniquitate omnibus conspurcatis. Idcò terræ commemorata deformitate, incompositione, & ignominia, de cœlo nihil impulchrum dictum est. Virtus enim aliquorum bonorum pulchram, & splendidam reddit Rempublicam, licet multi mali inhabitent eam. Arnoldus Carnotensis de operibus sex dierum: *Idcòque cœlum non est dictum inane, & vacuum, etiam cum pars reproba cecidisset, quia non in quorundam lapsu tota Angelica collectio est infecta, nec peccatum quorundam nisi in consentaneos præuaricatores redundat, quia non nascitur Spiritus de Spiritu, sicut caro de carne, nec omnino illa natura descendit ex tradure. Terra autem cuius habitator homo est, inanis dicta est, & vacua, quia licet in innocentia conditus sit homo; carnis tamen vigor nondum erat ad integrum solidus*

Deo præsente hilaritas est, absente verò tristitia fuit.

2. Respondetur: Quod licet cœlum tunc incompositum esset, nondum Sole, Luna, Astrisque productis, tamen non appellatum fuit inane, & vacuum, seu informe incompositum; & obscurum, sicut terra, quia cœlum iuxta veriorem sententiam, de quo Moyses testabatur in principio creatum, erat Empyreum, de qua re Maluenda, quod Deum continebat, in quoque Angeli Dei intuitiua lætabantur visione. Idcò Moyses abstinuit, vt cœlum inornatum, incompositum, & tenebrosum appellaret. Terra autem quæ Dei præsentia vacua erat informis, inornata, incomposita, tenebrosa, & mæsta dicta est. Quia nihil hilare, aut lætum esse valet absente Deo. Rabban. *Ipsum est cœlum superius, quod ab omni huius volubilis statu secretum, Diuinæ Gloriæ præsentia manet semper quietum: non ergo superius illud cœlum, quod mortalium est omnium inaccessibile conspectibus, inane creatum est, & vacuum, vt terra, quæ in prima sua creatione nihil virentium germinum, nihil viuentium produxit animantium, quia nimirum suis incolis mox Beatum, hoc est, Beatissimis Angelorum ordinibus impletum est.*

Non superbiat homo, cum terra sit progenitus.

Dub. 14. Ad eadem verba: *Terra autem erat inanis, & vacua.* Aquilæ translatio est: *Vacuitas, & nihil.* Theoditionis: *Inane, & nihilum.* Cur Dominus tam peritus Artifex, terram produxit inanem, & vacuam, ita vt dicatur, nihil seu nihilum?

Respondetur: Quod homines nihil ita superbire facit, atque generis claritudo; licet enim diuitijs careant, dignitate, forma, alijsque dotibus, si tamen anorum linea gloriosa est, hanc vnam obrationem intumescunt mortales, & superbiunt. Idcò hominis elationem comprimere volens Deus, terram creauit inanem, & vacuam, ac plane vilem, & quasi nihil, ne de suo origine, seu generis nobilitate superbiret homo. Non est enim quod vnquam efferatur homo, cum terra sit progenitus. Diuus Chrisostomus Homil. 2. in Genesim: *Ad hoc, & alia ratione informem terram creauit: quoniam ipsa est nutrix, & mater nostra; & ex ea facti sumus, ac educamur, ipsaque nostra patria est.*

Deus vult agnosci Auctor beneficiorũ.

2. Respondetur: Quod per terram homines innumeris beneficijs fruuntur, & forsan homines terræ non soli Deo ea referent, vt ergo tanta beneficia soli Deo tribuantur, meritò Sacra Scriptura terram rudam, incultam, inuisibilem, inanem in sui productione prædicat, vt non terræ, sed Deo, à quo beneficia dimanant, adscribant homines. Deus enim vult agnosci Author beneficiorum. Diuus Chrisostomus: *Vt ne beneficia terræ, talluris naturæ imputes, sed ei tribuas, qui illam ex nihilo vt esset creauit: propter hoc ait: Terra autem erat inanis, & inculta.* Vide fol. 11. dub. 53.

Bona temporalium non terræ, sed Deo referenda.

3. Res-

Benefacere insigne Diuinitatis est.

3. Respondetur: Quod ita Diuinitatis est beneficia conferre, vt ex eis satis Diuina natura cognoscatur: vnde cum terra tot beneficia in homines distribuat (nutrit enim viuos, & mortuos non deserit) in quorum largitione Diuinitatis apparet nota: ideò terra rudis inanis, & vacua dicebatur, ne ipsa Deus existimaretur à quo tot proueniunt beneficia. Benefacere enim nota, & insigne diuinitatis est. D. Chrisostomus: *Ideò vt ne homines abusus necessitatem plusquam dignum est eam venerentur, ostendit primum rudem, & absque formam.*

Opus insolitum, & diuinum quod ex malis boni procreentur.

Dvb. 15. Ad eadem verba: *In principio creauit Deus cœlum, & terram: Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Cur tenebræ ante lucis productionem commemorantur? Nonne oportebat magis lucem ante prosilire, quam tenebræ essent? Vtique. Tum quia luci succedunt tenebræ: tum quia si dignitas est maiorem esse natu, præstantiori id creaturæ debebatur, luci, non tenebris: cur ergo tenebrarum prius quam lucis fit mentio?

Respondetur: Quod per tenebras mali præsignarentur, per lucem boni intelliguntur: volens igitur Deus mirabile quiddam nos docere, insolitum, ac diuinum plane opus, scilicet quod ex malis boni nonnunquam progenerantur; ideo in rerum Genesi, prius tenebrarum quàm lucis ponitur productio: opus enim mirabile, quod ex malis boni procreentur. Iunilius Africanus in Genesim: *Quod autem inconueniens, si mundanæ materiæ fuerunt tenebrosa primordia, vt accedente luce melius quod factum est, redderetur? Tanquam proficientis hominis, quod postea futurum erat, hoc modo significaretur affectio exponente Apostolo, ac dicente, quoniam Deus, qui dixit tenebris splendescere lumen, qui illuxit in cordibus nostris.*

Gratia Spiritus Sancti peccator ex informi formosissimus, ex inutili vtilis, ex vacuo virtutibus plenus redditur.

Dub. 16. Ad illa verba vers. 2. *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Dei ferebatur super aquas.* Cur post commemorationem terræ inanis, & vacuæ, & tenebrarum, Moyses loquitur de Spiritu Sancto?

Respondetur: Quod per terram inanem, & vacuam significantur peccatores, qui inutiles sunt, & virtutibus vacui; similiter per tenebras, vt dicit Apostolus ad Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ*; sed Spiritus Sancti gratia inanem, & inutilem peccatorum, & vacuum, vtilem reddit, & virtutibus implet. Ideò postquam Moyses egit de terra inani, & vacua, & tenebris, quæ erant super faciem abyssi, loquitur de Spiritu Sancto, vt moneat quod gratia Spiritus Sancti peccator ex informi formosissimus, ex inutili vtilis, & ex vacuo virtutibus plenus redditur. Ita Oleaster: *Sunt peccatores suis inuoluti peccatis, vani, inepti ad finem, ad quem creati sunt, vt nihil in eis appareat, quod gloriæ apium esse videatur. Sunt etiam vacui omnium virtutum, & bonorum, quorum sunt capaces. Sunt item tenebrosi, vt potius æstimes eos tenebrarum, quàm lucis filios esse. Sunt inquam terra, informis, & quæ nullis vsibus apta esse videatur. Terra inquam, qualis a principio fuit, vana, vacua, & tenebrosa, aquisque peccatorum aperta. Sed Spiritus Dei, qui vbi voluerit, terram peccatis exictat, & ex informi, formosissimam reddit, ex vana vtilem, & ex vacua, virtutibus implet.*

Inquires: Cur Spiritus Sanctus prius manifestatur quàm Pater, & Filius? Nonne Pater, & Verbum, & Spiritus Sanctus coæterni sibi sunt, & coæquales? cur ergo Spiritus Sanctus super aquas apparet, non autem Verbum, aut Pater?

Amoris flammam difficilis est obtegere.

Respondetur: Quod Spiritus Sanctus ex sua proprietate, vt amor procedit a Patre, & Filio. Quia ergo Spiritus Sanctus est Amor ad eum spectabat prima inter personas apparitio, vt flamma illa inaccessilis, qua Pater, & Filius mutuo se diligunt amore amoris iura seruaret se manifestando creaturis: vnde Spiritus Sanctus, qui vt amor procedit Patris, & Filij, quasi pati non sustinens tantum ardorem abscondi, vix adfuerunt creaturæ cum primus apparuit in mundi exordio. Amor enim si est occultari nescit. D. Gregorius in capit. 14. Diui Ioannis: *Ipse namque Spiritus Sanctus Amor est. Vnde & Ioannes dicit: Deus charitas est.*

Spiritus Sancti vis, & facilitas in operando quod cumque velit.

Dub. 17. Ad eadem verba, vers. 2. *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Quas aquas dicet aliquis, cum eatenus nihil amplius quàm cœlum, & terram creata fuisse dicerentur? Diuus Augustinus lib. imperfecto de Genesi ad litteram, cap. 4. sentit, aquarum nomine terram ipsam, seu materiam primam, ex qua omnes formæ corporeæ à Deo eductæ sunt, significari. His suppositis. Cur terra aquæ nomine declaratur.

Respondetur: Quod aquæ nomine terra ostenditur, vt Spiritus Sancti potentia, & facilitas in agendo ostendatur. Vt enim aquam vel minimus digitus in quācumque partem velit facillime secat, ac ducit; ita Diuinus Spiritus quodcumque vellet opus ex illa subiecta materia mobiliebatur. Spiritus enim Sanctus faciliter operatur quæcumque vult. D. Augustinus: *Aqua nobilior est quàm terra: & ideo propter operandi facilitatem, subiecta materies artifici, aqua magis vocanda erat quàm terra.*

Mundetur prius, qui mundaturus est alios.

Dub. 18. Ad eadem verba: *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Cur Spiritus Sanctus non super terram, aut super aerem, sed super aquas ferebatur? Cur super vndas, & non super alia elementa?

Respondetur: Quod non terra, nec aer, sed aqua sanctificatura erat homines in baptismate, vnde sanctificatione indigebat. Ideò non super terram, nec super aerem, sed super aquam Diuinus ferebatur spiritus aquam sanctificans, quasi sanctificare nequiret aqua, quin prius sanctificaretur; mundandus est enim prius, qui mundaturus est alios. Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 4. *Ab eo quod superferebatur ea quod ferebat, sanctitatem mutuabatur. Ita de Sancto sanctificata natura aquarum, & ipsa sanctificare concepit. Aquis superest spiritus sanctificans eas & ita sanctificate, vim sanctificandi combibunt.*

Spiritus Sanctus vmbra uirginee pudoris allicitur.

2. R. Ex aquis pisces sine mamis, & fœminæ congressu abundè pullulant. Meritò ergo super aquas spiritus Domini ferebatur, sub quibus viuentia concubitum ignorantes quasi virginitatem colunt. Spiritus enim Sanctus vmbra virginei pudoris allicitur. D. Ambros. lib. 5. Exameron, cap. 3. de piscibus loquens: *Nesciunt igitur alienigena pisces, aut dulterina contagia.*

Spiritus Sanctus requiem quærit in homine.

Dub. 19. Ad eadem verba: *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Lippomanus legit: *Spiritus Dei volabat super aquas.* Et Procopius: *Spiritus Dei mouebat se super faciem aquarum.* Cur Spiritus Sanctus mouebat se super aquas, cum propria ei sit immutabilitas? Moueri enim dicit acquisitionem noui loci Diuinæ immensitati repugnantem, quare ergo dicitur, quod mouebatur super aquas?

Respondetur: Quod homo nondum erat conditus in quem requiesceret, & Diuinus Spiritus, ita diligit eum, vt quandiu homo non esset inquietus ostenderetur, moueretur super aquas, volaret super eas. Inquietus videtur Diuinus Spiritus quoad vsque requiem habeat in homine. Rupertus: *Spiritus Domini ferebatur super aquas, quia inquietus erat quousque vidit hominem creatum, super quem requiescere posset.*

Æqualitas Prælatorum in fauoribus, initium sit, & mensura suarum actionum,

Dub. 20. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 3 *Dixitque Deus: Fiat lux, & facta est lux.* Cur Deus distincte incipiens sua opera à luce incœpit? Cum quolibet animal in perfectione lucem excedat, siquidem lux vita, sensuque caret. Cur ergo Deus exordium primæ diei à nobiliori specie non desumit?

Respondetur: Quod inter cætera, quæ creata sunt, lux cum omnibus maiorem æqualitatem seruet; nam quodlibet animal magis est sibi, suæque speciei quàm aliis; aqua maximè est conueniens piscibus, terra animalibus, aer volucribus, Sol quoque, Luna, & Planeta maiorem influentiam habent in quitesdam, quàm in aliis; lux verò vniformiter per omnes spargitur, in omnesque irradiat. Idcò Deus à luce in suis operibus particularibus sumit exordium, vt doceat Prælatos, quod æqualitas in fauoribus, sit initium, & mensura suarum actionum. Dracontius Poeta lib. 1. de opere sex dierum *Quæ totum præcessit opus, quod continet orbis. Quæ cunctis præuenit iter, lucemque coruscam.*

Opera nostra ab intentione ad rectum finem ordinantur, & illustrantur,

2. Respondetur: Quod lux intentionis est symbolum; sicut enim à luce cuncta manifestantur secundum suum esse, quod habent, & vnaquæque ad operationem illi proportionatam dirigitur; sic ab intentione omnium virtutum actiones declarantur in suoque esse illustrantur, ad rectumque finem, & modum ordinantur; ideò voluit Deus vniuersa opera sua à luce inchoari, vt doceret actiones nostras bona intentione initiari, perfici, & illustrari. D. Paschasius Abbas lib. 4. in Matth. *Sicut oculis istis carnalibus omnia corporis membra ordinate ad operationem diriguntur: ita intentione, & luce fidei cuncta virtutum genera, vt lucidum corpus perficiuntur, & illustrantur. Vult ergo Christus, & bona fieri, & ex bonæ mentis proposito illa oriri.*

Quo quisdignitate naturæ nobilior, eo debet esse ad obediendum promptior,

Dub. 21. Ad eadem verba: *Fiat lux, & facta est lux.* Cur inter *fiat*, & *facta est*, nihil interiacet, sed dictum, & factum est. At cum de firmamento agitur, legimus dixisse Deum: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas, ab aquis, & fecit Deus firmamentum, diuisitque quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum, & factum est ita*, vers 6. & 7. vbi inter *fiat*, & *factum est*, multa, intercidunt, vt quadam narrandi tarditate, difficultatem parendi

di quodammodo explicaret, ac ſi non ſtatim ab illo imperio vocali *fiat* ſequeretur obſequium, *factum eſt*, niſi interueniret media quædam operatio diuina. *Fecit Deus*, qua ſuum tandem imperium exequeretur. Cur igitur lux ad vnam tantùm Dei vocem in medium prodit, firmamentum verò, neſcio quam vlterius vim requirit, vt ſuo tandem loco ſtatuatur?

Reſpondetur: Quod lucis nomine nobiliſsimi Angelorum ſpiritus intelliguntur, vt notat Hugo Cardinalis, Firmamenti verò creatura rudior, & craſſior ſignificatur; Angeli quia nobiliſsimi ſunt natura, promptiſsimi ſunt ad obediendum, creaturæ rudiores quia minus nobiles ſunt, tardiores ſunt ad obedientiam. Ideò diuerſo modo explicauit Moyſe lucis, & firmamenti creationem. De luce dixit: *Fiat lux, & facta eſt lux*, vbi inter *fiat*, & *facta eſt* nihil mediat, ſed ſtatim ſequitur obedientia. De firmamento ſic: *Fiat firmamentum*, & poſt multa ſequitur, & *factum eſt ita*, vbi inter *fiat*, & *factum eſt* multa intercedunt, & mora eſt, vt rudioris, & minus nobilis creaturæ ſera exprimatur obedientia. Quo quis naturæ dignitate nobilior eſt, eo debet eſſe ad obediendum pronptior. D. Auguſtinus lib 2 de Geneſis ad litteram, cap. 8 *Notandum eſt, quod prima die, cum facta eſt lux dictum eſt tantùm fiat lux in verbo, & facta eſt lux in opere: ſtatimque adhæſit creatæ luci lux creata, vt vicinior, & omni creatura capacior: in ſecunda autem die quædam mora eſt, & verborum multiplicatio, vt intelligamus iſtas naturas ad deficiendum pronas eſſe ad obediendum minus aptas.*

Subditus faciliter obedit Prælato, ſi conſpiciat obſeruatum prius id quod faciendum præcepit.

Dub. 22. Ad eadem verba: *In principio creauit Deus cœlum, & terram. Fiat lux, & facta eſt lux.* In quibus verbis apparet; Deum imperaſſe dicendo, & executum fuiſſe creando. Itaque hoc quod fuit dicere, *fiat lux*, fuit dicere Dei imperando, illud autem *creauit cœlos* cum luce videlicet, fuit exequi, & operi dare, quod imperauit dicendo, vt obſeruat *Caietanus*. Cur prius narrat Moyſes executionem dicendo *creauit*, & poſtea imperium dicendo *fiat*? Nonne antea eſt imperare, & dicere, quod aliqua res fiat, & poſtea executioni eam dare qua fiat?

Reſpondetur: Quod facillimo negotio quis obedit eius imperio, qui imperat, ſi eiuſdem quod imperat, & iubet, videt executionem priorem; ideò licet prius ſit imperare, & dicere, quàm exequi, tamen Moyſes prius narrat executionem dicendo *creauit*, & poſtea imperium dicendo *fiat*, vt doceret, quod ſubditus faciliter obediet Prælatos, ſi conſpiciat obſeruatum prius id quod faciendum præcipit. Caietanus: *Meminit autem prius exequtionis quam imperij vt facilius manuduceremur ex tam excellenti executione ad credendum imperium.*

Doctores, Magiſtri, & Prædicatores aſsimilent ſibi per iuſtitiam, & virtutem peccatores.

Dub. 23. Ad eadem verba: *Fiat lux, & facta eſt lux.* Cur Deus voluit quod tenebræ aliquantulum dominarentur ante lucem?

Reſpondetur: Quod per tenebras peccatores, per lucem Doctores, Magiſtri & Prædicatores intelliguntur, qui ſibi debent aſsimilari per virtutem, tenebras, id eſt, peccatores. Ideò Deus in principio vmbras dominari voluit, vt cum ſibi mox quodammodo aſsimilaſſet, iubens de tenebris lucem ſplendeſcere, vt loquitur Apoſtolus 2. Corinth. 4. verſ. 6. intelligerent miniſtri illius, quibus credidit animarum conuerſionem, vt ſibi virtute, & iuſtitia pares facerent peccatores. Debent enim Prædicatores aſsimilari ſibi in virtute peccatores. Drogo Hoſtienſis ſub finem tractatus de Sacramento Dominicæ Paſsionis: *Dicis enim in Euangelio, quia Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Quid niſi nouum cœlum, & nouam terram? De abyſsis enim terram formis, & de terra cœlos. Peccator abyſsus eſt: ſed cum de tenebris facis lumen ſplendeſcere, vt abijciant opera tenebrarum, & induantur arma lucis nouam terram, & nouum cœlum creaſſe cognoſceris.*

Examinandæ ſunt quę Deo offerimus, an aliquo vitio laborent.

Dub. 24. Ad illa verba, verſ. 4. *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona.* Cur Deus tanta cura examinauit lucem, quæ examine non indigebat?

Reſpondetur: Ideò Deum examinaſſe, & expendiſſe lucem, quam creauerat, quia eam traditurus erat nobis; quo nos docuit, diſcutere, & expendere, quæ Deo offerimus an aliquem habeant defectum, vel aliquo vitio laborent: examinanda enim ſunt, quæ Deo offerimus, ne imperfectione vitientur. Oleaſter: *Indignum prorſus eſſe videtur, quod tanta maieſtas, ſic ſolicitetur, ſic expendat, ſic examinet, quod noſtris vſibus operatur. Expende cœlum, terram aduerte, lucem conſidera, aſtra cerne, herbas, & fœnum quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur: vide ſi quid illis deſit, ſi quis defectus in eis contingat, nihil non omnibus numeris abſolutum, nihil deficiens, ita vt opus materiam ſuperet. Quibus voluit nos docere, vt quoniam ipſe quæ nobis munera erat traditurus, tanta ſolicitudine expendit, nos etiam, quæ eo iubente, aut volente,*

fa-

facimus talia fabricemus, vt nullus in eis defectus inueniatur.

Ante electionem omnia eius, qui eligitur, examinanda

2. Respondetur: Quod illa lux erat instar materiæ, ex qua postea fabricanda erant Sol, Luna, Stellæ, vt præsiderent diei, & nocti. Discussit ergo Deus lucem, & examinauit, antequam ex illa Sol, Luna, Stellæ formarentur, vt instituerent homines, quod ante electionem alicuius ad dignitatem, omnia eius quem eligunt, exp endant, & examinent. Siueira tom. 3. in Euang. cap. 1. quæst. 3. num. 26. *Aduerte lucem illam fuisse corpus lucidum, quod in circuli, ac columnæ speciem conformatam orbi præfulserit, quod fuerit instar materiæ, ex qua post modum fabricatis ingneis globosis, Sol Luna, & Stellæ factæ fuerunt. Vnde illa lux dicitur à D. Thoma Sol informis. Cum ergo ex illa luminosa materia creanda essent Sydera, Sol, Luna, & Planetæ in gubernationem, ac præsidentiam diei, & noctis, antequam in tantum rerum apicem efformentur, prius ipsa materia vocatur in rigurosum considerationis examen, ob nostrum documentum. Vt antequam aliquem ad summum gradum subleuemus, omnia illius exacte rimemur, ac magna consideratione discutiamus. Pro quo etiam pondera, quid Sol, & Luna, non primo die, nec secundo, sed tertio post illud corpus luminosum creati sunt: tantum tempus nostræ eruditioni, ac exemplo præbet Dominus.*

Inquires, cur Hugone de S. Victore: *Si cætera opera sua in luce vidit, si essent bona, in qua luce vidit lucem si esset bona? Nihil enim sine luce videri potest: sed nec tenebræ sine luce videntur, quanto magis lux non videtur sine luce? Hæc ipsa lux qua, & nos videre oportet omnem lucem, si bona est.* In quibus verbis docet Hugo, quod pulchritudo, & nitor lucis creatæ videndus est in luce increata. Sed cur ad supernam lucem increatam creatæ lucis remittendum est testimonium? Lux hæc corporalis solo sui aspectu natiuam pulchritudinem ostendit, ad quid ergo diuinæ laudis testimonium postulatur?

Homines in iudicādo falsum proferunt iudiciū, Deus verò verum.

Respondetur: Quod si homines de nitore lucis iudicarent, & ferrent iudicium, circa lucem aberrarent, cum sint obnoxii falsitati in iudicando: ne ergo falsum proferant testimoniū de eius pulchritudine, à luce increata, quæ verax est approbatur: solus enim Deus in iudicando verax; homo verò in iudicio falsus: Doctor quidam modernus: *Quia lux etsi pulchra, etsi omnibus spectabilis existat: si tamen de eius pulchritudine, & nitore humanum iudicium proferendum sit, facile circa lucem aberraret. Posset enim splendor lucis pati discrimen si humanæ sententiæ subiaceret. Vt igitur firma, & constans lucis creatæ forma, lucidissima irrefragabili testimonio comprobetur, non ad humanum iudicium falsitati obnoxium, sed ad Diuinum testimonium summæ veracitatis asylum recurrendum est.*

Dub. 25. Ad eadem verba, vers. 3. *Vidit Deus lucem quod esset bona.* Ad quid dicitur, quod Deus vidit lucem esse bonam, cum optime sciret bonam esse lucem?

Opera laudata incitamentum sunt ad alia operanda.

Respondetur: Quod licet Deus benè sciret lucis elegantiam, & bonitatem, tam dicitur, quod Deus vidit eam esse bonam, vt ipsis verbis dictis, & eloquijs de luce modulatis, inuitaretur Deus ad noua opera edenda: opera enim laudata incitamentum sunt ad alia operanda. Ennodius in Panygirico: *Fabricator mundi ad potiora munera modulatis inuitatur eloquijs.*

Carpenda non sunt, quæ laudantur ab auctoritate virū præcellentiū.

2. Respondetur: Quod hominum ingenium est detractores esse eorum operum, quæ ab alijs fiunt: idcò Dominus productam lucem approbat, & laudat, vt tanti Creatoris auctoritate laudata, lacem carpere, & perstringere vngue censorio homines non audeant, carpenda non sunt, quæ laudantur à probato viro. D. Chrisostomus Homil. 6. in Genesim: *Vt omem amputaret occasionem eorum, qui accusare audent, quæ ab illo facta sunt.*

Cuiuslibet viri obscura laus sine scientiarum encomio.

Dub. 26. Ad eadem verba: *Vidit Deus lucem quod esset bona.* Cur Deus cœli, & terræ creationem non approbauit opus manuum suarum?

Respondetur: Quod quemmadmodum luce intelligimus significare omne doctrinæ genus, sic æquum est denotari arbitramur cœlo homines præstantioribus insignitos donis. Sicut igitur cœlum, quoad lumine caruit, tam rudè visum est, atque impolitum, vt sui quasi indignum approbatione Deus computauerit; ita quanquam præditos dotibus homines siue nobilitate, seu diuitijs, seu robore insignitos, mancos tamen apparere, & semiornatos, absque scientiarum encomio, proinde, & obscuram illorum laudem, obscura laus est viri, cuius non laudatur scientia. Anastasius Sinaita lib. 1. Anagogicarum considerationem in Exameron: *Si omnia quæ fecit Deus sunt valdè bona quommodo non dicit Scriptura illas tenebras, quæ erant ante lucem esse bonas? Sed neque aquas illas bonas, neque abyssum, quæ obscurabatur, bonam dicit: Dicens ergo Scriptor, & vidit Deus lucem, quod esset bona, ostendit omnia illa, quæ*

quæ venerunt ante lucem, & terram obſcurarunt, non eſſe bona.

Ætate maiores non ſunt laudandi, nō habentes ornatum virtutis, vel ſcientiæ.

2. Reſpondetur: Quod licet ante lucem producti ſint cœli, & terra formata ſit, antiquitateque præcedant lucem; quia tamen non prodierant Sol, & Luna, & Aſtra cœlum adornantia, inhonorus quoque eſſet terræ vultus abſque floribus, gramine, plantis, arboribus, homine, animantibus, omnique ornatu cœlum, & terram carerent, non laudantur ob antiquitatem, & quod ante cætera viſibilia prognata ſunt. Quia ætate maiores, & antiqui homines ob ſenectutis titulum non ſunt laudandi, ſi non habent ornatum, & cultum aliquem virtutis, vel ſcientiæ. Diuus Ambroſius lib 4. in Examer. caſ. 1. *Ergo cum vides Solem, attende terram, quæ ante fundata eſt, attende herbam fœni, quæ præſtat ordinis privilegio, attende ligna, quæ plaudunt, quod priora luminibus cœli eſſe cœperut: Nunquid merita fœni maiora, quàm Solis? Aut nunquid prior ligni prærogatiua? Abſit vt inſenſibilia tanti muneris præferamus miniſtro.*

Cur lux bona reputatur non autem homo.

Dub. 27. Ad eadem verba: *Vidit Deus lucem, quod eſſet bona.* Cur lux bona dicitur, hominis verò dignitas, & excellentia tacetur? Cur lux bona reputatur, non autem homo, ob quem lux ipſa procreata, cui famulatura erat, aut ſi vterque bonus, quare non collaudatur pariter homo?

Opus laude non indiget, cum de præſentia Authoris conſtat.

Reſpondetur: Quod cum Creator faceret lucem, licet ipſius verbo proſiliret, viſus tamen eſt dictionis ſono alijs imperaſſe, vt producerent, *Fiat*, inquit, *lux.* Quid eſt fiat, niſi vt alius, non autem ipſe agat? Quamobrem dubitatio eſſe poſsit de Authore lucis, locutionis forma externa ſolum conſiderata; an Deus ſcilicet, an inferior alius progenerauerit: non ſic in homine: expreſsè namque verbum introducitur cum Trinitatis alijs perſonis colloquens, & aiens: *Faciamus hominem*, ita q; Deū ipſum ſuis effinxiſſe manibus hominem dubio vacat. Quia igitur de hominis tam inſigni Plaſmatore conſtat, opus ipſum commendari ſuperfluum eſt. At lux encomio indigebat, quia de eius Authore ſuſpicio aliqua eſſe poterat. Opus enim laude non indiget: cum de præſentia Authoris conſtat. Theodoret. Cathena Græca in Pentatheucum: *In rebus quas fecit eximperio Deus, vtitur hac velut comprobatione, & vidit quod eſſet bonum, ideirco in Adam, quem ſuis velut manibus conformauit, nihil opus fuit his verbis, quæ factum confirmarant.*

Superbiam ginit laudatio.

2. Reſpondetur: Quod cæteræ creaturæ laudantur à Deo, non homo, ne ſi laudaretur à Deo ſuperbiret: laudatus enim homo ſuperbit. Mendoza 1. Reg. 3. num. 9. expoſitione litterali, num. 20. *Cæteræ creaturæ, vt ex Diuino Opificio nouæ recenteſque prodibant, ſtatim a Deo laudabantur, vt patet ex Geneſi 1 a num. 4. vbi de ſingulis dicitur vidit Deus quod eſſet bona, ſolus homo ex ſui Artificis manibus abijt illaudatus. Cur ita? Solus ne homo imperfectus euaſit? In ſolo ne homine ſui Artificis induſtria elanguit, quæ in cæteris rebus deſudauit? Abſit. Illa mihi videtur ad rem præſentem, quod cæteræ creaturæ, cum eſſent ſanctitatis expertes, non poſſent ex Diuina laudatione ſuperbire: at verò homo ſingulari imbutus ſanctimonia, ſi inſuper à Deo laudaretur, exponeretur periculo incredibili intumeſcendi.*

Cur in primo orbis die exercetur iudicium inter bonos, & malos Angelos.

Dub. 28. Ad illa verba, verſ. 4. *Et diuiſit lucem à tenebris.* Rupertus lib. 1. caſ. 10. Per lucem Angelos, per diuiſionem lucis à tenebris, diuiſionem factam inter Angelos bonos ad patriam, & malos ad gehennam interpretatur. His ſuppoſitis. Cur ſtatim in primo orbis die acerrimum iudicium inter bonos, & malos Angelos exercetur?

Homines cū incipiunt viuere incipiant, & timere Diuinum iudicū.

Reſpondetur: Quod in primo conditi orbis die Deus exercuit iudicium inter bonos, & malos Angelos, vt homines primum in lucem editi, ſtatim illud Angelicum iudicium iam factum contemplantes, de ſuo humano iudicio tandem faciendo expaueſcant. Homines enim cum primum incipiunt viuere, timeant Diuinum iudicium. Rupertus lib. 9. de operibus Spiritus Sancti: *Reſpiciamus ad illum diem, & conſideremus admirandam operum Dei diſpoſitionem, qui quaſi ædituum terribilem, poſuit timorem ad coſtudiendum introitum, & exitum ſcripturæ, ſiue operum ſuorum: vt quiſquis ad cognoſcendum Deum ingreditur, & in introitu inueniat, cur valdè timeat, & in exitu audiat, cur multo maxime contremiſcat.*

Cur Deus diuiſit lucem à tenebris.

Dub. 29. Ad eadem verba: *Diuiſit lucem à tenebris.* Cur Deus diuiſit lucem a tenebris? Nonne Sol per ſeipſum tenebras diſsipat, & lux eas abire facit? Ad quid ergo huiuſmodi diſcretio?

Reſpondetur: Quod per lucem boni, ac iuſti deſignantur; per tenebras verò

Boni periclitantur in societate malorum.

ro peccatores, & iniqui, & quamuis virtus sit fulgens, & irradians, vt splendor Solis, tamen si cum tenebris sit immiscua, exposita est, vt suam ob nubilationem, & ecclipsim patiatur. Boni enim periclitantur cum impijs. D. Leo ser. 4. de Quadrag. *Inimici Crucis Christi nulla consensione iungamur, ne impiorum consortio Sanctitas Filiorum polluatur. Lux separatur à tenebris, & fugiant filios diaboli filij Veritatis.* Vide fol. 11. dub. 53. in fine.

Confusio rerum displicet Deo, placent vero ei res in ordine collocatæ

2. Respondetur: Ideo Deum diuisisse lucem à tenebris, quia maxime ei displicet permixtio, & confusio rerum; sicut valde placet ei ordo, rerumque dispositio in suo ordine cum constituuntur, & collocantur: confusio rerum Deo displicet, ordo vero placet. Oleast. *Nihil meo iudicio est, quod ita oculos Diuinæ Maiestatis offendat, quam confundere ea quæ ipse voluit esse discreta. Hinc Vt reor, prohibuit agrum diuerso semine seminari, animalia diuersarum specierum coire, vestem diuersis licijs textam gestare, ne aliquis auderet confundere, quæ ipse tanta solicitudine curauerit discriminare. Arguit & Beatus Apostolus valde confusionem in Corinthijs, quod variis linguis loquentes sine ordine loquerentur. Hac de causa lucem à tenebris, aquas ab aquis, & à terra aquas segregauit Dominus.*

Inter malos splendescere admiratione dignum.

Inquires, cur Deus prius laudauit lucem quam à tenebris eam diuideret? Cur velut ad mixta tenebris tanto laudatur præconio?

Respond. Quod lux inter tenebras suæ pulchritudinis emittebat radios, micabat etiam à tenebris iam discreta, sed hoc parum erat: quod autem fuit admiratione valde dignum est, quod inter tenebras rutilaret, & ab earum non obscuraretur consortio: Ideo ergo lux dicitur diuino testimonio cõprobari, ante quam à tenebris diuideretur: quia inter nigrantes tenebrarum vmbras splendescere, celebritate, & admiratione erat per quam dignum. Marginalis Caietani: *Cum pulchra soleamus ad mirari sic Moyses Phrasi Hebraica adducit Deum lucis suæ decorem, ac venustatem demirantem, inde innuens eam optimam esse, vt quam ipse Deus miretur, & diuisit lucem à tenebris.*

Cur prius de vespere quã mane fit mẽtio?

Dub. 30. Ad illa verba, vers. 5. *Factum est vespere, & mane dies vnus.* Cur prius de vespere quàm de mane fit mentio? Rectus computandi modus debet esse conformis rei naturæ, ergo prius mane erat exprimendum, proindeque dicendum videbatur, factum est vespere, & mane dies vnus, quare ergo vice versa diei partes referuntur, & prius vespertinum tempus, quàm matutinum ponitur?

Iustus intendit perfectioni in via virtutis, ac si modo inchoasset.

Respondetur: Quod per vesperam denotatur perfectio, & consumatio operis, per mane inchoatio: Ideo vespere ponitur prius deinde mane: quia quamuis quisque sit in vltima virtutis perfectione, tamen sic se debet habere, ac si tunc inchoasset, & incepisset, vt amplius proficiat. D. Leo sermone de Ieiunio. *Quantumlibet quisque iustificatus sit, habet tamen dum in hac vita est, quo probatior, & perfectior esse possit.*

Inter laudabilia opera hominũ, primum locum tenent, quæ in fine vitæ gessit.

2. Respondetur: Quod per mane principium vitæ hominis, per vesperam terminus intelligitur: Bene ergo prius posuit vespertinum tempus quàm matutinum, vesperam quàm mane, vt doceret, quod inter laudabilia opera hominis, illa præeminentiam, & primum locum obtinent, quæ in fine vitæ gessit. Hamerus: *Vt Moyses primas diei partes reddat, finem prius commemorat, terminus enim vitæ primas habet.*

Iustis primò eueniunt aduersa, deinde prospera.

3. Respondetur: Quod per mane fœlicitas, per vespere aduersa, & incommoda fortuna denotatur: congruenter ergo prius ponitur vespera, quàm mane, in figuram diei Sanctorum, quæ ab obscuritate incipit, vt desinat in lucem internæ claritatis, & ab aduersis, vt veniant ad prospera. Iustis enim primo aduenient aduersa, deinde prospera. Ioachimus Abbas lib. 5. concordiæ Noui, & Veteris Testamenti, cap. 3. *Videamus breuiter quommodo viri iusti prius habuerunt vesperam secundum Deum, & postea mane, quommodo de tenebris venerunt ad lucem? Abraham eduxit Dominus de terra sua, & peregrinatus est multo tempore in terra aliena, eratque in timore, & tremore; similiter Isaac: ad vltimum autem benedixit Virisque Deus, & dedit illis substantiam multam, & prosperitatem & pacem.*

Cur in primo creationis die dicitur, quod factum est vespere, & mane dies vnus, & non primus.

Dub. 31. Ad illa verba, vers. 5. *Factum est vespere, & mane dies vnus.* Cur in primo creationis die dicitur, quod vespere, & mane factum est dies vnus? Cur non dicitur factum est dies primus, cum nullus præter hunc præextiterit dies?

Vult Deus vnitatem suã agnosci.

Respondetur: Quod nihil prius huic sensibili mundo indicari oportuit, quàm Creatoris vnitatem. Ideò opus fuit, vt ab ipso primo die, qui vnus dicebatur, ipsius Auctoris vnitas, quàm pri-

primum oſtenderetur: vult enim Deus vnitatem ſuam agnoſci. Philo de mundi opificio: *Diem nominauit non primum, ſed vnum: propter ſingularitatem intelligibilis mundi habentis naturam vnitatis.*

Prælatus ſine ſubditis non poteſt reperiri.

2. Reſpondetur. Quod vſque tunc non aderat ſecunda dies: prior enim à poſteriori nomen accipit, defuit dies poſterior, vnde nec prior adeſſe potuit. Nam ſi primam diem non ſubſequeretur ſecunda, vnius diei, non primæ gauderet nomine. Aduentus ſecundæ primæ dedit excellentiam, hoc eſt dicere, ſecunda dies eſt, veluti inferior primæ, & prima, vtpotè inter reliquas primas ferens, velut ſuperior reputatur. Merito ergo dies illa in qua Deus rebus dedit exordium, caret primatus honore, quia ei defuit reſpectu cuius prior exiſteret. Origenes: *Non dixit dies prima, ſed dixit dies vna. Quia tempus nondum erat, antequam eſſet mundus. Tempus autem eſſe incipit ex conſequentibus diebus, ſecunda namque dies, & tertia dies, & quarta, & reliquæ omnes tempus incipiunt deſignare.*

Ad dignitatem excellentiſsimi viri pertinet, quod cum alijs non conferatur.

3. Reſpond. Quod dies in quo Deus rebus dedit exordium, non eſt vocandus primus, quamuis verè primus ſit, ſed vnus, ne cum cæteris conferatur, nam dies illa præſtantior cæteris eſt: vt ergo hanc excellentiam innuat textus, hunc diem vnum appellauit, quaſi à cæteris illum ſeparans: ſi namque primus diceretur cum ſecundo, tertio, & aliis erat computandus, & conferendus, quod valde eius excellentiam diminuebat. Ad dignitatem enim excellentiſsimi viri pertinet, quod cum alijs non conferatur. Diuus Ambroſius lib. 2. Examer. cap. 1. *Excipiendus à cæteris tanquam dies vnus: non conferendus cum cæteris tanquam dies primus eſt; vnde fundamenta rerum omnium poſita, & cauſæ eſſe cœperunt quibus mundi huius atque vniuerſæ viſibilis creaturæ fulta ſubſtantia eſt.*

Dub. 32. Ad illa verba, verſ. 6. *Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum.* Cur Deus poſuit firmamentum in medio aquarum? Quo pacto in medio aquarum permaneret firmamentum, cum fluidæ ſint, & mobiles?

Eccleſia, iuſtus, ſecurus, & firmus in aduerſis.

Reſpondetur. Quod firmamentum iuſtos, aquæ vero aduerſa ſignificant: poſuit ergo Deus firmamentum in medio aquarum, vt doceret, quod iuſtorum virtus, ſeu Eccleſia, firma, & ſecura eſt in medio aquarum, perſecutionum, ſcilicet, & tentationum. Anaſtaſius Sinaita principio lib. 2. in Exameron: *Vnde etiam firmata fuit in medio aquarum, inconcuſa in medijs fluctibus ventis, procellis, & innumerabilibus tempeſtatibus paſſionum, & hæreſum: ſic etiam eos, qui eam ædificarunt miſit tanquam oues in medio luporum, virorum, inquam, qui cæde, & ſanguine delectantur, dicens in medio aquarum fiat firmamentum.*

Dub. 33. Ad eadem verba: *Fiat firmamentum.* Quid per firmamentum intelligitur?

Reſpondetur. Quod nomine firmamenti Sacra Scriptura intelligitur propter multas rationes, quas notauit Hugo Cardinalis: *Firmamentum Sacra Scriptura, quæ firma eſt. Vnde Prouerb. 12. verſ. 19. Labium veritatis firmum erit in perpetuum. Deuteronom. 33. verſ. 24. Tingat in oleo pedem ſuum: ferrum, & æs calceamentum eius, id eſt, tingat affectum ſuum in gratia ſpirituali, & ſic prædicatio eius fortis fiet, & durabilis. Item Scriptura Sacra confirmat bonos in bono. Pſalm. 32. verſ. 6. Verbo Domini cœli firmati ſunt. Item eſt intranſgreſſibilis, quia in ea nemo debet eſſe nimis ſubtilis Inquiſitor. Prouerb. 22. verſ. 28. Non tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui. Et cap. 25. in fine. Sicut qui mel comedit multum, & non eſt ei bonum: ſic perſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria.*

Sacra Scriptura habet firmitatem, & durabilitatem, confirmat bonos in bono.

In Sacra Scriptura nullus ſit ſubtilis Inquiſitor.

2. Reſp. Quod ex natura inconſtanti, & fluida qualis eſt aqua, Deus condidit firmamentum permanens, & ſtabile, ac ſi ex ea originem non traxiſſet: cum enim omnia ſermone, & verbo Dei creata ſint, verbumque eius ſit origo naturæ, potuit verbum Dei ex natura inconſtanti conſtans firmamentum ſolidare. Vnde congrue firmamentum, quod ex aqua quæ fluida, & inconſtans eſt, quodque ex aqua tanquam ex Matre conditum eſt à Deo ſtabile, ſignificat iuſtum, qui licet naturæ ſit fluidę, mobilis, & labilis, tamen ita firmus, & ſtabilis eſt, quod in peccatum lethale non defluit, ac ſi alterius eſſet naturæ. D. Ambroſ. lib. 2. Examer. cap. 2. *Sinaturam elementorum conſideres, quomodo inter aquas ſolidatum eſt firmamentum? Illæ profluunt, illud conſtringitur, illæ currunt, hoc manet. Quomodo iubet, quod ſcit ſecundum elementorum rationem eſſe contrarium? Sed cum ſermo eius ortus naturæ ſit, iure vſurpat dare legem naturæ, qui originem dedit.*

Iuſtus ita ſtabilis, quod in peccatũ mortale non decidit, ac ſi alterius eſſet naturæ.

Dub.

Dub. 34. Ad illa verba, vers. 6. *Et diuidat aquas ab aquis.* Quid aquarum diuisio, in qua aliæ superiorem, aliæ inferiorem locum sortiuntur, delineat?

Prælati loco, & præminẽtia diuisi à subditis.

Respondetur. Quod suprema potestas per aquas superiores significata, locum excelsiorem tanquam proprium stema, quo à reliqua turba discernatur, nanciscì debet. Ideò cum aquæ simul congregatæ erant, populum sine Rege profigurabant, aliis in profundo manentibus, petentibus altiora aliis, interuallum quo Rex, vel Princeps à plebe reliqua distat innuebat, Prælati præeminentia diuisi debent esse à subditis. Stephanus Cantuariens. in Allegorijs Gotfridi apud Tilmannum: *Ecclesia est firmamentum, quasi in bono confirmata, quæ habet aquas superiores, id est, Prælatos, & inferiores, id est, subditos, hoc est diuisit aquas ab aquis.*

Religiosis interdici debet conuersatio cum sæcularibus, & visitatio eorũ.

2. Respondetur. Quod aquæ superiores Religiosi sunt; inferiores verò sæculares intelligi oportet. Aquæ quia supra cœlos sunt, ita sunt clausæ, & contectæ medio interuallo, & firmamento, vt superiores cum inferioribus non commisceantur, nec aspici valeant, in documentum hoc, quod sæcularium conuersatio, quæ mundana est neque in profectum spiritualem ordinatã, interdici debet Religioso, & ne Laicorum visitare domos absque conuenientibus titulis concedi Regularibus. Hanc allegoriam iuuat didicisse ab Anastasio Sinaita lib. 1. Examer. *Scimus tamen aquas vniuersas terras operuisse vsque in tertium diem: ait igitur, quod quidem rursus nobis non leuem parit difficultatem: nempè quod alia contecta sint superna (arcente interuallo, velut operculo (ne & inferna intueri possint superna: neque rursus superna aspiciant inferna.*

In æterna beatitudine patebunt mysteria hic nobis abscondita.

3. Respondetur, ex Hugone Cardinali: *Aquæ super firmamento, sunt mysteria nobis abscondita: aquæ sub firmamento sunt operæ Domini in præsenti facta, vel eorum notitia. Nunc enim quasi paruuli potamur aquis inferioribus: sed in futuro potabimur aquis superioribus quasi optimo vino. Psalm. 35. vers. 9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Inter aquas diuidit Dominus quia docet nos in præsenti contentos esse facie simplicis doctrinæ. Ecclesiastic. 3. Altiora te ne quæsieris, quasi dicat: aquas superiores noli bibere, id est, cœlestia secreta nimis inquirere: sed quæ præcepit tibi Dominus, quasi dicat, inferioribus aquis sis contentus.*

Doctor docet doctrina cuius homines sunt capaces.

Qui delectationibus carnalibus oblectatur, non transibit ad delectationes æternas.

4. Respondetur. Quod aquæ superiores cœlestes delectationes, per aquas inferiores, oblectamenta carnalia significantur. Pulchrè autem diuisæ sunt aquæ superiores ab inferioribus, quia qui in hoc mundo delectationibus carnalibus oblectatur, ad cœlestes non transibit. Hugo Cardin. *Firmamentum Christus. Aquæ superiores cœlestes delectationes, inferiores, terrenæ, & carnales quæ dicuntur mariã, iuxta illud. Ecclesiastes 1. vers. 7. Omnia flumina à mari exeunt, & in mare reuertuntur. Has diuidit firmamentum quia Christus per amaritudinem Passionis, magnum chaos interposuit, vt nullus valeat ab his ad illas transire.*

Dub. 35. Ad illa verba, vers. 7. *Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita.* Cur non dictum est, *Factum est firmamentum*, sed dicitur, *Fecit Deus firmamentum.*

Obedientia adeo nobilis est quod parpari quasi obtemperat.

Respondetur. Quod sub vno Deo, sub vnius naturæ, actionis ad extra, & perfectionis paritate, ad nostram tamen eruditionem sic verba nectuntur, ac si alia persona esset quæ imperat, alia quæ obediat: Illa enim verba, *& fecit Deus* (obedientiam quæ reuera non est) adumbrant hominibus ex serie ipsa verborum: sic Pater præludit præceptum, dum ait: *Fiat firmamentum.* Filius obedientiæ typum, dum dicitur, *& fecit Deus firmamentum.* Tanti enim obedientia nostra habetur apud Deum, vt Verbum Dei ante humanitatem assumptam, esto re ipsa non præstet, verborum tamen ambitu quodam, quasi obedientiam præ seferat. Diuus Basilius apud Lyppomanum: *Post hoc enim imperium Dei fiat firmamentum, non dictum est simplici modo, & factum est firmamentum, sed fecit Deus firmamentum; & rursus: & diuisit aquas, quæ erant super firmamentum, ab his quæ erant sub firmamento. Fiat firmamentum. Hæc vox profecto causæ Principis est. Fecit Deus firmamentum. Hæc effectivis est sanè, creatricisque potentiæ Filij testis.*

Principes contegentes Maiestatis splendorem plas placent, & pulchrius iradiant.

Dub. 36. Ad illa verba, vers. 8. *Vocauitque Deus firmamentum cœlum.* Cur Deus firmamentum vocauit cœlum?

Respondetur. Quod firmamento pulcherrime ad stuporem splendenti tegumentum, & velum sub cœli nomi-

ne

ne impoſitum eſt, vt cœleſtium ſyderũ, quæ Principes, ac terrenas dignitates ſignificant contactus ſplẽdor pulchrius irradiaret. Principes enim velantes ma ie tatis ſplendorem plus irradiant. Caſſiodor. lib. 6. Epiſt. 11. *Sicut cœlum ſtellis redditur clarum, ſic relucent Vrbes lumine dignitatum, non quia fiat homo alter honoribus, ſed quia modeſtior effi-citur.* Sane quaſi à modeſtia, & velamẽto ſyderum ſe ſe celantiũ, & contegentium, lucere, & prælucere alijs Principes diſcant.

Homo ex peccatore iuſtus, ex malo bonus, aut in melius commutatus, non priori, & ignominioſo nomine, ſed illuſtriori appellandus.

2. Reſp. Quod vbi nos habemus: *Vocauit Deus firmamentum cœlum.* Legit Oleaſter ex Hebræo: *Vocauit Deus extenſionem.* Nam antea cœlum erat aqua, cœlum enim ex aquis fuit productum, vt idem notat Auctor, & eum aquæ eſſent fluidæ, & molles, non poterat ex eis fieri cœlum niſi firmarentur, & extenderentur ad modum laminæ vnde ſic firmata, & extenſa aqua, & in melio rem ſtatum reuocata, vocatur cœlum, vt doceret nos Dominus, quod res melior reddita, & effecta, priori nomine non eſt appellanda. Oleaſter: *Res in melius commutatæ indignæ ſunt quæ prioribus nominibus appellentur Hac de cauſa Abraham in Abram mutatus eſt, Iacob in Iſrael quo docemur, vt ſi quem ex peccatore iuſtum ex malo bonum, aut in melius commutatum viderimus, nominis prioris ignominioſi obliuiſcamur, ſic Dominus lucem vocauit diem.*

Cur firmamẽtum duplici nomine vocatur?

Dub. 37. Ad eadem verba: *Vocauitq; Deus firmamentum cœlũ.* Cur vnicum recenter à ſe factis creaturis nomen Deus indens, vni firmamento duplex reddidit? Nonne prius illud firmamenti nomen ſatis erat? Num poſterius hoc firmius, pulchrius vè fuit?

Opera noſtra Deo placeant ſub humanis oculis abcondantur.

Reſp. Quod cum cœlum à celando dicatur, hoc ſingillatim regmine, ac velamento firmamentum tot Stellis, ac luminibus micans indigebat, quippè virtutum, ac bonorum operum ſydera, non aliter Deo lucent, ipſiuſque oculis gratæ, pulchræque cenſentur, niſi ſe ab humanis obtutibus celauerint, & abſconderint. Stephan. Cantuarienſ. in Allegorijs Gotfridi Tilmani: *Quia mens iuſti, quæ per bona opera firmamentum eſt cœlum dicitur, quia & ſculta eſt virtutum floribus, & concientiæ gloriam celat.*

Cur opus ſecundi diei non benedicitur à Deo?

Dub. 38. Ad illa verba, verſ. 8. *Factum eſt veſpere & mane dies ſecundus.* Cur opera ſecundi diei, & horum bonitas à Deo non legitus commendata, cum opus primi diei diuinum probauerit iudicium?

Reſpondetur: Quod primus dies, qui ſingulari numero gaudet, virginitatem prænotat, quæ quidem ſemper ſingularis eſt, nec alterius egens ſocietate, aut illam exigens. Secundus verò dies, vbi numerus numero copulatur, alterque alterum ſibi ſocium coniungit, nuptiarum adumbrat myſterium, quod quidem duale eſt; & duorum neceſſario expetens conſortium. Vt ergo virginitatis naturam, & excellentiam Deus prodat, nobilique teſtimonio ſtabiliat, eam in primi diei opere, quod quidem lux eſt, ſtatuit inſpiciendam, quemmadmodum enim lux cœleſtis eſt, & ad cœleſtia ſpectans, ita pariter virginitas, cuius habitus ſemper nitidus, & ſplendidus, vtpote cœleſtium ciuium indumentum gerens, & notam; ideo ob virginitatis decorem primus dies diuinam benedictionem accipit, & commendationem. Secundus vero dies, in quo caſus præfiguratur virginitatis ad humilitatẽ coniungij, & à gloria ſingularis puritatis candor virgineus deciſcit, nuptiarum duplicitate obtenebratus, connubialis Sacramenti præfert inſigne: idcircò diuina bonitas, quaſi dolcat tantum per connubiale contubernium deperditum bonum, & defloridum, diei ſecundo vultus ſui gratiam impartire dedignatur. Commendabilior enim eſt apud Deum virginitas, quàm nuptiæ. D. Hieron. lib. 1. aduerſus Iouinian. *Hoc intuendum dumtaxat iuxta Hebraicam Veritatem, quod cum ſcriptura in primo, & tertio, & quarto & quinto, & ſexto die expletis operibus ſingulorum dixerit, & Vidit Deus quod bonum eſt: in ſecundo die hoc omnino ſubſtraxit nobis, intelligentiam derelinquens, non eſſe bonum duplicem numerum, qui ab vnione duidat, & præfiguret fœdera nuptiarum.*

Commendabilior eſt apud Deum virginitas quàm nuptiæ

Mulcis denegat Deus ſua beneficia propter aliorum peccata.

2. Reſpondetur: Ideò Deum non benedixiſſet diei ſecundo: quia præuidit peccatum Angelorum hoc die perpetrandum. Et propter peccata multorum aliquando Deus alios indignos reputat, quod beneficium eis conferatur. Hugo Cardinalis: *Nota quod huius diei operi non adhibetur benedictio, quia præuidit lapſum Angelorum hac die futurum. Vnde Eccleſia hac die celebrat de Angelis ad honorem ſtantium.*

3. Reſpondetur: Quod opus ſecundæ diei inexpletum eſt, & tertia die perficitur, quapropter operi tertiæ

Opera non sunt laudanda in principio, sed in fine.

diei bis benedicitur, & non die secunda, quando inchoatum est opus, quia opera nostra non sunt laudanda in principio, & cum inchoantur, sed in fine, & cum perficiuntur. D. Thom. 1. p. q. 74. art. 3. ad 3. *In opere secundæ diei non ponitur, Vidit Deus quod esset bonum, quia opus distinctionis aquarum tunc inchoatur & in tertio die perficitur. Vnde quod ponitur in tertia die, refertur etiam ad secundam.*

Cur aquæ quæ sub cœlo erant congregatę sunt in locum vnum; non verò quæ super cœlum erant.

Dub. 39. Ad illa verba, vers. 9. *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum vnum.* Cur aquæ quæ sub cœlo erant, congregatę sunt in locum vnum; at aquę quę supra cęlum erant in vnum locum, non fuerunt collectæ?

Affectiones humanæ constringendæ, charitas dilatanda.

Resp. Quod in cœlestibus aquis charitas, in interioribus verò humanæ affectiones adumbrantur. Idcò non dictum est de aquis quę super cœlos sunt, quod collectæ fuerunt in locum vnum, benè tamen de aquis quæ sub cœlo erant, enuntiatum est, quod in vnum locum fuerunt congregatæ. Quia affectiones humanæ significatæ per aquas, quæ sub cœlo sunt constringendæ, & certis limitibus circunscribendæ; charitas autem significata per aquas quæ supra cœlum, nunquam coangustanda, sed dilatanda & amplificanda semper est. Hugo Victorin. in Allegorijs Gotfridi Tilmani: *Quo fit vt quamuis aquæ, quæ sunt sub cœlo, congregandæ sunt, & constringendæ in locum vnum, quia affectus animæ inferior nisi certa lege constringatur, non potest apparere arida, nec germina producere, sicut Apostolus castigat corpus suum, & in seruitutem redigit: aquæ tamen quæ super cœlos sunt, non debuerunt colligi, & in vnum coarctari, quoniam charitas amplificanda est semper, & dilatanda.*

Prælatus non in vnum, vel in plures beneficia conferat, sed in omnes diffundat.

2. Resp. Quod aquæ superiores sunt Prælati, inferiores subditi, qui inferiorem locum obtinent sicut Prælati superiorem: benè ergo superiores aquæ in vnum locum non cōstringuntur, sed per totum cœlum expansæ sunt, quia Prælati in beneficijs elargiendis non debent coarctari in vnum subditum, sed ad omnes diffundi. Quidam Doctor Modernus, *Dixit Stephanus Cantuariensis: Ecclesia est firmamentum, quasi in bono cōfirmata quæ habet aquas superiores, id est, Prælatos, & inferiores, id est, subditos. Innuebat ergo Deus, cum supernis aquis non iussit in vnum congregari, sed eas per totum cœlum statuit defundi, præsules non solum cura, & solicitudine vbique debere existere, vt subditorum morbos curent, & eorum necessitatibus subueniant: Verumetiam vt non restringantur ad vnum, vel plures, sed omnibus benefaciant. Nam sic ex proprio munere Prælatis incumbit, beneficia elargiri, & munera diffundere, vt velut aquæ cœlestes non coarctentur, sed expansæ sint, vt absque limite beneficia conferant.*

Cur aquæ cōgregatæ sunt in locum vnum?

Dub. 40. Ad illa verba, vers. 9. *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum vnum.* Cur dicitur quod congregatæ sunt aquæ in locum vnum?

Promptiores insensibiles creaturæ ad obediendum Deo, quàm homines.

Respondetur: Quod aquæ ad Dei imperium congregatæ sunt ad locum vnum: homines verò non congreguntur, licet Dominus iubeat eos congregari. Numerorum 20. vers. 8. *Congrega populum*, quia promptiores sunt ad parendū Deo insensibiles creaturæ, quam homines. D. Ambros. *Dictum est congregetur aqua & congregata est; & frequenter dicitur: Congregetur populus, & non congregatur. Non mediocris pudor est, imperio Dei insensibilia elementa parere, & homines non obedire.*

Diuites locū alijs dent, nec omnia occupent.

2. Respondetur: Idcò aquas congregatas in locum vnum, vt doceant homines alijs locum dare, nec velle omnem occupare. Oleast. *Quid aliud præsefert locus iste: quam vt qui lata loca possident, eis cedant, & alios simul viuere sinant. Sunt enim aliqui, qui tam ample viuere volunt, aut alijs non sit ad habitandum relictus locus. Qui verba Domini apud Isaiam 5. audiant. Væ qui coniungitis domum domui, & agrum agro copulatis, adeò vt non sit locus alijs. Et nunc habitabitis vos Soli in medio terræ? Quibus statim comminatur, dicens: Si non domus multæ in desolationem fuerint grandes, & pulchræ absque habitatore. Quia enim proximis locum dare noluerunt, perdiderunt sua. Audiant hoc diuites, qui magna palatia ædificare volentes, pauperes cogunt domos suas vendere, & ab aquis, & irrationabilibus discant cæteris locum dare. Cesserunt enim aquæ suo loco, vt terra posset fructificare; tibi verò non præcipitur tuum locum relinquere, sed alienum non occupare.*

Recedat qui impedit aliū, vt alijs prosit.

Cur terra appellabatur arida?

Dub. 41. Ad illa verba. *Appareat arida.* Legit Caietanus: *Appareat siccum.* Cur terra appellabatur arida, seu siccum? Non continebat supra se omnem molem aquarum, quibus maximè erat irrigata, & humiditata? Cur ergo vocatur arida, seu siccum?

Respond. Quod terra pro tunc ob hoc sa-

Aridus est, qui alijs vtilis non est

sa, & infructifera erat, absque eo quod aliquod germen proferret, & alicui vtilis esset. Optimè enim arida, & siccum nuncupatur. Aridum, & siccum est, quod est sine fructu. Diuus Anastasius Sinaita in Examer. *Diuino Mysterio terram in profundo ab aquis suffocatam nominat aridam: cum vero aquæ ab ea recesserunt non amplius nominat eam aridam sed terram.*

Cur terra antequam germinaret placuit Deo?

Dub. 42. ad illa verba, vers. 10. *Et vidit Deus quod esset bonum.* Cur arida ex aquatum emersione apparens, diuinos ad se oculos allexit? Cur antequam terra germinet dicitur, quod vidit Deus quod esset bonum? Cœlorum materia, & constructio nobilior est, quàm terra, formosior: crystallina est enim, corruptionique nequaquam subiecta: at terra, florum, & plantarum ornatu nondum accincta despicabilis, & deformis erat, & iugi alterationum vicissitudini addicta. Cur ergo omissa cœli laude, terra vt appareret, laudem promeretur?

Natura humana Incarnatione Verbi honorata,

Respondetur: Quod Dei verbum orbis incumbebat officio, & nouerat hominem è terra procreandum, cum eaque ipsum ita arctam contracturum necessitudinem, vt ab ipsa nomen sortiretur. Adam enim idem est quod terra. Decreuerat præterea carnem ex Adami sumere carne, & terram, quæ Adamo erat iungenda, ipsummet verbum ex Adami carne induendum, ex tunc iam vt cognatam suspiciebat, & veluti honorabat. Quapropter in ipsam primo ex aquarum illuuione emergentem licet indecoram, complacentiæ suæ gratiam effundit, nec expectat vt floribus fulgeat, vt in illa sibi placuisse testetur. Natura enim humana ob Incarnationem Verbi honorata. Iunilius innuere videtur: *Nondum autem terra germinabat, & tamen dicitur Deus videre quod esset bonum cedentibus aquis apparuisse aridam, quia videlicet æque æstimator vniuersitatis præuidens, quæ sunt futura, quasi iam perfecta laudat, quæ adhuc in primo operis exordio sunt, quia apud eum rerum perfectio, non in consumatione est operis, sed in prædestinatione voluntatis.* Terram eo honore affecit ob decorem, qui illi ex Christi Incarnatione erat emanaturus, quem iam prædestinarat ex terrena substantia inducendum.

Cognatis amoris signa clariora ostendenda.

Natura humana ob Incarnationem honorata,

Cur prius terra quã cœlum excolitur ornamentis?

Dub. 43. Ad illa, verba, vers. 11. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum.* Cur Deus prius tertia die terram floribus depinxit, herbis vestiuit, & arboribus, & postea quarta die cœlum exornauit luminaribus, Syderibus, & Planetis. Nonne cœlum multo nobilius terra? Nonne cœlum Dei sedes, terra autem hominum habitaculum? Quare ergo prius ornauit terram, quàm cœlum?

Deus maximè appendebat gloriam humanæ carnis assumendam.

Respondetur: Quod terra præparabatur, vt Deum hominem factum susciperet, ac videret; ideo prius quàm cœlum condecoratur floribus, herbis, & plantis. Maximè enim appendebat Deus maiestatem, ac gloriam humanæ carnis assumendam. Diuus Anastasius Sinaita lib. 1. in Examer. *Propterea ante cœlum terra à Deo ornatur, quoniam ante Angelos terra, & terra geniti homines Deum per carnem vidimus, & ante superna inferna exornans, ea lætificauit & illuminauit.* Vide dub. 53. 2. Respondetur.

Terra propter Christũ, quem exceptura erat, prius ornata quam cœlum.

Cur Deus nõxias herbas simul cum salubribus creauit?

Dub. 44. Ad eadem verba, vers. 11. *Germinet terra herbam virentem.* D. Basilius Homil. 2. Examer. Noxias herbas, & homini valetudini, & saluti infensas, simul cum salubribus, & quæ vitam alunt, conditas fuisse censet. Cur Deus turbidas herbas, & pestem halantes initio condidit, præparauitque homini immortalitatis dono conflando? Vt quid mortis spicula acuebantur in eum, qui fingendus erat æternitatis munere conspicuus?

Deus malis ex peccato prouenientibus, remedia prouidit ab initio,

Respondetur: Quod Deus peccatum præuidebat, ipsumque malorum, & calamitatum vniuersitatem enixurum, & lenitatem suam præmaturans diuina pietas, iam à principio herbas veneno tumentes prouidit infirmitatibus, quæ in peccati officina aduersus hominem erant cogendæ: nam sæpè ex venenosis, & læthalibus plantarum succis hominum morbis salutaris medicina comparatur. Vix enim Deus peccatum prospexit in hominem inuecturum, cum iam malorum phalangibus, quæ illud tanquam primum ducem sequebantur, remedia præuidebat. Deus enim malis nostris remedia præstitit. Diuus Basilius vbi supra: *Illarum autem rerum, nullam prorsus existimare oportet, aut & otiose, aut frustra creatam esse. Etenim nobis ipsis ex his in nonullis morbis depellendis ab arte medendi remedia comperta præstantur. Per mandragoram namque medici somnum aduocant atque inuitant; succo vero papaueris vehementes dolores corporis sedant. Quidam rabientem appetentiam esitando cicutam, tabefecerunt, ac sensim extinxe-*

runt, & elebore non pauca, sed diuturna corporis vitia radicitus extirparunt.

Dub. 45. Ad illa verba, vers. 11 *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum.* Cur Deus non prius creauit hominem, quàm terra germinaret virentes herbas, ligna pomifera?

Respondetur: Quod Deus primo creauit volatilia cœli, animantia terræ, pisces maris, arbores, & flores cum pomis, ac fructibus suis, & postea homine creauit. Quia non passa est diuina prouidentia, vt breui etiam tempore homo esset sine omnibus sibi necessarijs. Philo lib. de Opificio: *Volens vt recens natus homo nulla re careret, quæ ad vitam, atq; adeo ad bene viuendum cõferat.*

Diuina Prouidentia non patitur hominem breui tempore esse sine necessarijs.

Dub. 46. Ad eadem verba: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum.* Communis Patrum sententia est, quod verno tempore creatus est mundus, ac proinde prodierunt arbores cum folijs, & fructibus, ac pomis. Cur arbores cum folijs, & fructibus prodierunt? Cur non sic creantur, vt primo prodirent stipites, deinde folijs vestirentur, ac tandem post ætatum incrementa sero maturos fructus ostenderent? Cur ergo in Paradiso sic exornantur arbores folijs, & fructibus, extra vero solum cum folijs apparent?

Cur arbores cum folijs, & fructibus prodierunt.

Respondetur: Quod arbores in Paradiso denotant fideles in Ecclesia, cuius symbolum est Paradisus: arbores verò extra hæreticos significant. Arbores, seu fides in Ecclesia habent folia, verba nempè confessionis, & fructus operum. At verò hæretici verbis falsò crepant fidem, & operibus negant, D. Gregorius lib. 16. Moralium. cap. 15. *Benè autem scriptum est: Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum fructiferum, faciens fructum iuxta genus suum per terram quippè significatur Ecclesia, quæ & verbi nos pabulo reficit, & patrocinij vmbraculo custodit, quæ & loquendo pascit, & opitulando protegit: vt non solum herbam refectionis proferat, sed & cum fructu operis arborem protectionis.*

Fideles fidē cum operibus ostendunt: Hæretici verbis fidem crepant sine operibus.

Inquires: Cur si terræ germinandi herbam, ligna que pomifera producendi præceptum imponitur, semen proferre etiam iuperatur? Cur semen in herbis, & in surculis exigitur, cum sat esset terram herba virescere, floribus ornari, ligniq; pomiferis esse consitã?

Resp. Quod terræ in exordio de producendo semine intimatur præceptũ, vt non solum herbam, & fructus producat, sed iterum, atque iterum imò semper incessanter possit fructificare, vt nunquam ab operando desistat, semper in producendo perseueret. Nunquam enim otio vacandum, sic tamen operandum, vt nunquam cesses ab opere. Adamantius Homil. 1. in Genes. *Non solum iubet terræ, proferre herbam fœni, sed & semen proferre, vt semper possit fructum afferre.*

Otio nunquã vacandũ, sic tamen operãdum, quod in opere virtutis non cesses.

Dub. 47. Ad illa verba, vers. 11 *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum.* Cur Deus herbas, & poma tantum viuentibus ministrauit in cibum?

Cur Deus herbas, & poma tantum viuẽtibus dedit in cibum.

Respondetur: Quod alimenta sumenda sunt nullius artis lenocinio adulterata, nullis condimentis palato gratis, irritantibusque gulam effecta. Herbæ, & poma simplicia sunt, & nullo condimento sapida redduntur. Ideo Deus herbas, & poma tantum viuentibus dedit in cibum, ne si cibos conditos sumerent viuentes, ciborum delectamentis inescarentur, eorumque natura corrumperetur. Alimenta enim condita deprauant naturam. Mendoza 1. Reg. 2. vers. 15. num. 12. *Hæc duo tantum subministrauit viuentibus alimenta, herbas, & poma vtraque simplicia, nullius artis lenocinio adulterata: ne auderent homines in voluptatis vsus deprauare naturas.*

Condita alimenta deprauant naturã.

Dub. 48. Ad eadem verba: *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum.* Cur terra præter herbam virentem produxit ligna pomifera.

Respondetur: Ideò terram non solum germinasse herbam virentem, sed & arbores fructiferas, & infructiferas protulisse, vt ab ea ediscerent homines, non parcos, & restrictos esse, sed cum multa ad aliorum vtilitatem præstare possunt, multa exhibeant. Oleaster: *Sunt qui cum multa præstare possint, paucis exhibitis, contenti sunt, quos hæc sententia arguit. Non sat fuit terræ producere ex se herbam, sed quidquid producere potuit ad nostram produxit vtilitatem. Herbam paruam, & grandem arbores, & ligna fructuosa, & infructuosa. Quid tu solus homo thesaurizas: ignorans cui congregabis ea? Etsi plura præstare potes, cur contentus es, cum parua, aut nulla effundis?*

Cur terra præter herbam virentẽ protulit ligna pomifera.

Qui multa præstare potest ad vtilitatem aliorũ, non sit parcus.

Inquires: Cur tam solerter dicet sacer textus, Deum dixisse, germinet terra herbam virentẽ? Ne sat erat referre terram germinasse herbam, & lignum pomiferum produxisse; cur repetita vo

ce

ce id à Deo prolatum commemoratur?

Suſpicioni ſubiacet repentinus hominis ornatus, & ſplendor.

Reſponderur: Quod cum terra ex nihilo in lucem ante lucem edita eſſet, ſtatimq; ue ornanda varietate florum, arborum, animalium, cum antea in ſui exordio inanis, & vacua exiſteret, abſq; dubio ex tam ſubita mutatione contra eius ornatum ſiniſtra poſſet ſuboriri ſuſpicio: meritò ergo ſacer textus palam exponit, Dei imperio terræ aduenisſe talem ornatum, vt ab omni ſuſpicione terra perſiſtat immunis. Suſpicioni enim ſubiacet repentinus hominis ornatus, & ſplendor. Tertulian. *Quanquam poſsimus vnde illas prolatas exiſtimare dum ne ex nihilo; iam enim facta erant quædam, ex quibus prolatæ videri poſſent: ſi tamen curam inſtructionis noſtræ inſumpſit Spiritus Sanctus, vt ſciremus, quid vnde proceſſerit.*

Cur arbores ex terra creatæ, & homo ex eadē formatus?

Dub. 49. Ad eadem verba: *Germinet terra lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum.* Cur Deus creauit arbores ex terra, & ex eadem hominem formauit? Cur homo in ſuo principio aſſotiatur cum arboribus? Cur potius, non cum aues, cum quibus magnam proportionem videbatur habere, vt ita intelligeret, quod ſicut illæ in altum volitant, ita & ipſe debebat in ſublime cogitatione ferri?

Qui dat eſſe, debet dare, & conſeruationem.

Reſpondetur: Quod alto conſilio homo ſit ex terra, ſicut ex illa arbores producuntur, inter quas viuificū Lignum Crucis germinatur, vt ſicut homo ex ipſa terra habuit ſuæ formationis materiam, ita ex ipſa in Sacratiſsimo Crucis Ligno haberet ſuæ reſtaurationis, ac ſalutis inſtrumentum. Et quæ dabat eſſe homini, conſeruationem quoque daret. Diuus Athanaſius Sinaita lib. 3. Examer. *Germinet Lignum Crucis, nobis fertile, faciens fructum, vt Chriſtum crucifixum colligamus.*

Lignum Crucis reſtaurationis hominis inſtrumētum.

Quid ſignificat herba virens, & lignum pomiferum.

Dub. 50. Ad eadem verba: *Germinet terra herbam virentem.* Quid ſignificat herba virens, & lignum pomiferū.

Fragilitas humana parum permanens.

Reſpondetur ex Hugone Cardinali: *In hoc quod dicit virentem, monemur conſiderare fragilitatem humanam quæ mane viret, veſpere decidit, indurat, & areſcit. Lignum pomi radicem habet, dilatationem, erectionem, folia, fructus: ſic iuſtus debet habere charitatis radicem. Diuus Gregorius ſuper Iob. Nihil habet viriditatis ramus boni operis, niſi manſerint in radice charitatis, quæ ſe extendit ad ſiniſtram per patientiam, ad dexteram per beneuolentiam. 1. Corinth. 13. Verſ. 4 Charitas patiens eſt. Erectionem ſpei, folia ſanam doctrinam, fructus bona opera.*

Virent operā, ſi habeant radicem charitatis.

Charitas habet dilatationem.

A charitate procedunt ſpes, doctrina, opus bonum.

Quid eſt facere fructum iuxta genus ſuum.

Dub. 51. Ad illa verba, verſ. 11. *Lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum.* Quid eſt facere fructum iuxta genus ſuum?

Naturalis eſt omni homini miſericordia.

Reſpond. ex Hugon. Card. *Quod hoc fit quando homo homini bona ſua communicat per pietatem, & in malis illius compatitur per compaſsionem. De primo Iob. 31. Verſ 17. Si comedi buccellam meā ſolus. De ſecundo, Iob. 5. Ver. 24. Viſitans ſpeciem tuam non peccabis. 2. Corinth. 11 verſ. 29. Quis infirmatur. Proprie iuxta genus ſuum facit fructum qui miſeretcors eſt Naturalis eſt enim omni homini miſericordia. Iob. 31. Verſ. 18. Ab infantia creuit mecum miſeratio, & de vtero egreſſa eſt mecum.*

Homo ex genere ſuo, & ex natura ſua debet perferre labores.

2. Reſpondetur: Quod lignum hominem ſignificat, qui facit fructum iuxta genus ſuum, quia homo ex genere ſuo debet perferre labores, cum naſcatur ad eos ſuſtinendos. Hugo Card. *Iuxta genus facit fructum, qui in labore & dolore pœnitentiæ viuet. Iob. 5 verſ. 7. Homo naſcitur ad laborem Gen. 3. Ver. 19. In ſudore vultus tui veſceris pane. Lucifer quæſiuit hic requiem, & ideò miſer cecidit, vt in æternum laboret & doleat.*

Quid eſt ſemen habere in ſemetipſo.

Dub. 52. Ad illa verba, ver. 11. *Cuius ſemen in ſemetipſo ſit.* Quid eſt ſemen habere in ſemetipſo?

Qui teſtimonium habet propriæ conſcientiæ, magis ſibi, quā adulatoribus credit. Homo modo magnus, modo paruus eſt, prout vituperatur, vel laudatur.

Reſpondetur ex Hugon. Card. *Quod in ſemetipſo ſemen habet, qui teſtimoniū habet propriæ conſcientiæ, qui de ſe magis ſibi quàm adulatoribus credit Eccleſ. 27. verſ. 12. Homo ſenſatus in ſapientia manet ſicut Sol, nam ſtultus vt Luna mutatur. Sic & illi qui proprias conſcientias in aliorum linguis poſuerunt, modo magni modo parui, modo nulli videntur, prout linguis hominum eos vituperare placuerit, vel laudare.*

Cur Deus prius terræ germina, quā cœli Sydera produxit?

Dub. 53. Ad illa verba, verſ. 14. *Dixit autem Deus: Fiat luminaria in firmamento cœli.* Cur Deus prius terræ germina, quàm cœli Sydera produxit?

Reſp. Quod Sol à Gentibus pro Deo colebatur, quia credebant Solem virtute ſua terram fœcundare. Ideò vt cultus à gentibus Soli exhibitus repelleretur, prius terræ germina, quàm cœli Sydera à Deo legimus producta, anteriores que eſſe herbas, quàm Sol, antiquiores arbores, quàm Luna: ne ſi Authores eſſent fœcunditatis, & terræ fructuum, ab hominibus loco Numinis haberentur. Vult enim Deus Author beneficiorum agnoſci. Diuus Ambroſius lib. 3. Exameron. cap. 6. *Gentes diuinum honorem deputant Soli, quod*

Vult Deus agnoſci Author beneficiorum ſuorum.

virtute caloris sui, terrarum penetret sinus, sparsaque foueat semina, vel rigentes gelu venas arborum relaxet. Audi ergo Deum, velut hinc vocem emittentem. Conticescat ineptus sermo hominum, qui futurus est: faceſſat vana opinio. Antequam Solis fiat luminare, herba nascatur: antiquior sit eius prærogatiua, quàm Solis: ne error hominum conualescat, germinet prius terra, quam fœtus Solis accipiat. Sciant omnes Solem Auctorem non esse nascentium, iunior est herbis iunior est fœno. Vide fol. 77. dub. 6. & fol. 3. dub. 14.

Deus homo factus ante habitauit cū homine, & quam cum Angelo.

2. Respondetur: Propterea priori loco Deum processisse ad terræ ornamentum, vt præsignaretur forma, quàm in incarnando Dei Filius obseruaturus esset. Futurum enim erat, vt incarnato Deo, ante potirentur homines, quàm Angeli. Hoc autem fuit ante decorari terram, quàm cœlum, quoniam Deus homo factus ante habitaturus erat cum homine, quàm cum Angelo. Anastasius Sinaita lib. 4. Examer. *Ante Deus ornauit terram quàm cœlum tanquam si terra ante cœlum ditata sit Christi mysterio & aduentu. Propterea ante cœlum ornatur quoniam ante Angelos, terra, & genti homines Deum per carnē vidimus: & ante cœlestia exornans ille hæc inferiora, ea lætificauit, & exornauit ante Cherubim, & Seraphim. Magi, & Publicani, & latrones, & meretrices facie ad faciem eum viderunt, eoq; se oblectauerunt: deinde eum sic transmiserunt videndum supernis virtutibus.*

Separandi sunt mali à bonis, ne inficiant bonos.

Inquires: Si Deus in die prima inter lucem, & tenebras posuerat diuortium, Genes. 1. vers. 4. Cur Sol, & Luna creantur, vt diuiderent à nocte, & lucem à tenebris separarent?

Respondetur: Quod dies, & nox vecina sunt, & inter vtramque nihil mediat: quia ergo proximas noctis posset diei communicare caliginem, non semel tantum Deus lucem diuisit à tenebris, sed luminare maius creauit, quod diei defenderet claritatem; quasi non sat esset semel lucem à tenebris separare, ni Solis custodia protegeretur: tam exitiale contagium ex malorum prouenit consortio, vt quasi non sufficeret lucem, & tenebras, bonos, & malos separare, iterum inter eos posuit diuortium, ne impiorum mala pios inficerent. Theofridus Abbas: *Distantia quippè grandi diuisit Deus lucem a tenebris, id est, pios ab impijs.*

Cur Deus cœlum non statim Syderibus ornatum condidit.

Dub. 54. Ad eadem verba, vers. 14. *Fiat luminaria.* Cur Deus cœlum non statim Syderibus ornatum condidit? Cur à principio magnificus lucis apparatus non illuxit? Cur cœlum tensum Stellis venustauit?

Ad culmen virtutis non statim, sed suis gradibus conandum.

Respondetur: Quod Dominus vere potuit orbis membra ab ipsa prima origine omni ornatu, & perfectionis cultu absoluta ostentare; sed renuit eo impetu operari diuina sapientia. Gradatim enim ad terram exornandam deuenit, prius illam floribus, & plantis vestiuit, deinde animaliū productione exhibuit populosam, Solis pompam quarto die fulminandam reseruauit; vt ex naturalibus discerneremus, qualiter in virtutum opificio procedendum esset, à rudimentis incipere debet, qui ad virtutem contendit, nec vix natus perfectissimum, variarum q; virtutum decorem ambire. Ad virtutis culmē, & perfectionem, non subito, sed suis gradibus ascendendum. Tertullianus lib. aduersus Hermogenem, cap. 28. *Terra quæ facta est, meruit, & rudis dici; statim enim vt facta est, habuit imperfectæ locum ante perfectionem: siquidem omnia opera sua Deus ordine consumauit. Incultis primo elementis depalans quodammodo mundum: dehinc exornatis, velut dedicans. Nam & lumen non statim splendore Solis impleuit, & tenebras non statim solatio Lunæ temperauit, & cœlum non statim Stellis, Syderibusque signauit, & maria non statim belluis frequentauit, & ipsam terram non statim varia fœcunditate dotauit, sed primo esse ei contulit, deide non inuacuum suppleuit.*

Sol, & Luna, & Sydera vbi fuerunt facta?

Dub 55. Ad eadem verba: *Fiat luminaria.* Vbi Sol, & Luna fuerunt facta?

Respondetur: Quod Sol, Luna, Sydera in terra fuerunt efformata, indeque in cœlum traducta, vt splendorem suum cœlum, & elegantiam à terra mutuaretur, in mysterij Dei incarnati venerationem, cuius veluti primæ lineæ in terræ productione præducebantur. Terra Christi aduentu ditata, & decorata. Anastas. Sinaita: *Vnde etiam dicimus admirabiliter, & præter omnium opinionē quod hæc omnia lumināria prius in terra facta sunt, deinde in cœlo sunt tradita; tanquam si terra ante cœlum ditata sit Christi mysterio & aduentu: & deinde post compositionem, & constructionem ad cœlum & intelligentia, quæ sunt in cœlo luminaria transmittat in eius adsumptione. Ego quidem certè audio Paulum dicentem. Vel potius in eo habitantem Sanctum Spiritum poclamantem: omnia in Christi typum facta sunt, tam quæ sunt in cœlis, quàm*

Cœlū splendorem, & elegantiam mutuatum fuit à terra in figuram Verbi incarnati.

quæ

quæ fiunt ſuper terram.

Dub. 56. Ad eadem verba: *Fiant luminaria.* Cur Solem, ac Lunam non in primo ſtatim die, ſed in quarto creauit?

Cur Solem, ac Lunam nō in primo ſtatim die, ſed in quarto creauit.

Reſpondetur: Quod nondum erat in terris, quod ab illis luminaribus ageretur: ac ſi præſtaret luminaria non eſſe, quàm otiola eſſe. Iam Deus ab ipſius mundi naſcentis exordio otioſitatem remouendam curauit. Idcò non in primo ſtatim die Solem, & Lunam, ſed in quarto creauit. Melius enim eſt non eſſe, quàm otioſum eſſe. Seuerianus in Cathena: *Quia nondum erant terræ naſcentia quæ luminarium calore foueretur.*

Præſtat non eſſe, quàm otioſum eſſe.

Dub. 57. Ad illa verba, verſ. 14. *Fiant luminaria in firmamento cœli.* Cur Deus non præcepit firmamento, vt luminaria producerent? Cur per ſeipſum produxit?

Reſpodetur: Quod Sol, & Luna nobiliora ſunt, quàm herbæ, & aues. Quæ nobiliora ſunt per ſeipſum produxit, quæ minus nobilia erant, à ſuis cauſis naturalibus gigni permiſit, vt herbæ à terra, aues ab aquis; vt doceat Prælatos, munia quæ ad ipſos attinent per ſeipſos implere, & permittere miniſtros ſuos miniſteria deputata ſibi operari. Oleaſter in cap. 8. à 1 Geneſ. ad mores, verſ. 1. *Sunt multi Domini, qui omnia per ſeipſos facere volunt non ſinentes ſuos miniſtros, miniſteria deputata ſibi operari; non ſic autem Deus, qui ſuos miniſtros ſua munia implere, non ſolum permittit, ſed præcipit, qui tamen omnia per ſe melius facere poteſt. Sic terram herbas, arbores, cæteraque id genus producere præcepit. Nobiliora namque per ſeipſum produxit; cætera verò à ſuis naturalibus cauſis gigni permittit. Licet enim Aſtra cœli perfectiones eſſe dignoſcatur; quia tamen nobilia valde ſunt, non permiſit a firmamento produci quemadmodum herbas, & arbores à terra, aues & cuncta aquatica ab aquis.*

Prælati munia, quæ ad ipſos pertinent, adimpleant, & ſinant miniſtros miniſteria deputata ſibi operari.

Dub. 58. Ad eadem verba, verſ. 14. *Fiant luminaria.* Quid per luminaria cœli ſignificatur?

Reſpondetor ex Hugone Card. inl. *Quod luminaria ſunt iuſti. Philipenſ. 2. verſ. 15. Inter quos luceatis ſicut luminaria in mundo verbum vitæ continētes. & recte iuſti luminaria dicuntur qui ſicut luminaria quidquid de eis mentiantur, nō mutant curſum, ſic iuſti quidquid dicant mali, ſemper in bono perſeuerant. Prouerb. 12. verſ. 21. Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit.*

Iuſti, quidquid eis acciderit in bono perſeuerant.

Dub. 59. Ad illa verba, verſ. 15. *Vt luceant in firmamento cœli.* Cur non dicitur abſolute, vt luceant, ſeu vt vbique luceant, ſed tanquam cum reſtrictione, *in firmamento*? Quid eſt lucere in firmamento?

Cur non dicitur abſolute quod luminaria luceāt, ſed cum reſtrictione in firmamento.

Reſpondetur: Quod firmamentum Chriſtum denotabat, vt tenet Anaſtaſius Sinaita in Exameron, non ergo vbique, ſed ſolum in hoc firmamento, quod eſt Chriſtus, luminaria, id eſt, iuſti, nitent. Plerique iuſtorum obſcuri, & incogniti habentur in mundo, tamen ſemper lucidi in Chriſto. Hugo Cardin. *Luceant in firmamento cœli, id eſt, in Chriſto. Boni enim ſemper apud Deum lucidi ſunt, licet ſint in mundo deſpecti. Iob 12. verſ. 4. Deridetur iuſti ſimplicitas, lampas contempta, apud cogitationes diuitum, parata ad tempus ſtatutum.*

Iuſti in mundo videntur obſcuri, ſed in Chriſto lucent.

Dub. 60. Ad illa verba, verſ. 15. *Vt luceant in firmamento cœli.* Cur luminaribus cœli non datur mandatum, quod influant in terram? Nonne terræ præceptum fuit quod produceret *herbam virentem & facientem ſemen*, verſ. 11. Et aquis nonne præcepit: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram.* Cur ergo non imponitur præceptum Soli, Lunæ, Stellis influendi ſuper terram?

Cur luminaribus cœli non datur mandatum quod influāt in terram.

Reſpondetur, ex Silueira tom. 1. in Euang. lib. 8. quæſt. 21. num. 68. *Quid terræ, aquæ, plantis, arboribus datus præceptum: nam cum ſint res humiles ac inferioris conditionis, vt alijs benefacerent, ac emolumentum afferrent præcepto erant aſtringendæ. At verò cœlum, Sol, Luna, Stellæ vt illuminarent, ac benignè influerent in terrena eorum præcelſa natura cum tam eminenti ſuperioritate in omnia irrorarent.*

Nobiliores excellētes ex ſua dignitate mouentur ad benefaciendum.

Dub. 61. Ad illa verba, verſo. 15. *Et illuminent terram.* Cur luminaria facta ſunt in firmamento cœli, vt illuminent terram, non maria? Et Stellæ poſitæ ſunt in firmamento cœli, vt luceant ſuper terram, non ſuper mare? Cum periculoſior ſit via maris, quam terræ, & Stella eſt, quæ nauigantes dirigit, quæ in portum ducit. Igitur cum Aſtra, potius condita ſint, vt mari illuceſcant, quam vt terræ, cur poſita ſunt, vt luceant ſuper terram, quàm ſuper mare?

Peccatores contumaces forſam hora mortis deſtituentur lumine veritatis, & Patrocinio Sanctorum.

Reſpondetur: Quod ſi quis in terram prolabatur, facile poteſt reſurgere, habet ſub ſe pedes, & manus eius: at qui præcipitatur in mare, velut plumbum demergitur, & rarus eſt, qui ſupernatat, & ſignificat eos qui in profundum peccatorum demergantur: igitur terra re-

præ-

præsentat peccatores, qui etsi in peccata prolabantur, non diu iacent, sed resurgunt, & ambulant sicut antea: mare verò peccatores, qui longum peccatorum funem trahunt, & addunt malum facere omnibus diebus vitæ suæ: Quid est ergo, quod luminaria, & Stellę lucent super terram, non super mare, nisi quod peccatores, qui à peccato resurgunt, cum venerit hora mortis illuminabuntur à Deo, Sactique eos patrocinabuntur: at inueterati peccatores, qui computruerunt in sordibus suis, destituendi forsan lumine veritatis, & fauorabili Sanctorum patrocinio. Anastasius Sinaita lib. 4. Examer. *Ad terræ ergo illuminationem facta sunt luminaria, non etiam ad illuminationem eorum, quæ sunt in mari, quoniam in abyssum a Christo missi dæmones sunt expertes cœlestis luminis illuminationis, & ab eo alieni: quod si de Astris sensibilibus dixit Deus solum: Fiant luminaria, an non dixisset, ad illuminationem terræ & maris?*

Dub. 62. Ad illa verba, vers. 16. *Luminare minus.* Cur Luna dicitur luminare minus, cum prius dictum sit luminare magnum?

Resp. Quod Doctores Hebræi dicunt, quod Sol, & Luna à principio fuerunt æquales in claritate, sed Luna suggessit ipsi Deo, vt diminueretur lux Solis volens habere singularem gloriam luminis, propter quod Deus puniuit ipsam diminuendo de eius lumine: Luna adumbrat suprebum, cuius conditio est, vt velit esse non solum æqualis alijs, sed omnibus maior; ideò eius condigna pœna est, non solum non esse maiorem alijs, nec æqualem, sed omnibus minorem, & inferiorem: iusta est enim sententia, & debita superbo ambienti Principatum super omnes: quando enim ait, non est æquum, vt simus duo in æquali potestate, ergo alterius potestas diminuatur: respondendum est illi, bene proponis, sed malè infers: bona consequentia hæc est: ergo tua potestas diminuatur, hoc est, inferre benè, & punire iustè. Abulensis: *Dicunt aliqui Iudæi, quod Sol & Luna à principio fuerunt æqualis claritatis, sed Luna volens habere singularem gloriam suggessit Deo, vt diminueret lumen Solis, dicens quod non conuenit vni Regi habere duas coronas æqualis valoris, cui respondit Deus: ideo diminuatur lux tua.*

Condigna pœna superbi est, quod omnibus sit minor, quia omnibus volebat esse nō solum æqualis, sed superior.

2. Respondetur: Quod Sol perseuerat eodem modo mittendo radios suos: Luna verò constans non est, modo crescit, modo deficit: ideò Luna quæ paulo ante luminare magnum dicebatur, post luminare minus dicitur, & Sol semper retinet excellentiam magni luminaris: minuitur enim fama, & existimatio eius, qui in virtute constans non est. Quidam Doctor modernus, *Sol semper eodem modo lucis radios emittit: Luna verò nunquam in eodem statu permanet, sed mens tuis defectionibus extenuatur, modo amputato circulo, modo toto corpore illuminato satiatur. En ergo causam cur Sol luminare maius dicitur, quia semper idem perseuerat, Luna nunquam eadem apparet, semper mutatur. Meritò ergo hæc maioritatem amisit, conseruauit ille.*

Extenuatur fama eius, qui in virtute non perseuerat.

Dub. 63. Ad eadem verba, vers. 16. *Luminare maius, vt præesset diei, luminare minus, vt præesset nocti.* Cur non dicitur, quod his duobus Planetis data est virtus ad producenda, conseruanda, ac nutrienda sublunaria. Terrę dicitur: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen*, vers. 11. Aquis præcipitur: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram*, vers. 20. quare ergo de Sole, & Luna non dicitur, quod ad sublunaria producenda suum præstent influxum?

Respondetur: Quod terræ, & aquis non est data præsidentia: at verò Sol, & Luna præsidendi obtinent officium: vt præessent diei, ac nocti: vnde non fuit necessarium exprimere, quod haberent virtutem producendi, & conseruandi, cum in officio præsidendi hæc intime includantur, Prælato non est exprimenda sua obligatio, cum officio sit annexa. Rupertus lib. 6. in Ioannem: *Bene creatus est Rex, vt omnibus proficias, omnibusque attendas: his enim cogitationibus depingitur regalis purpura.*

Prælato, & in dignitate cōstituto, non est exprimenda sua obligatio, cum officij, & dignitati sit annexa.

Dub. 64. Ad eadem verba: *Fecitque Deus duo luminaria magna.* Cur Luna dicitur vna, è duobus luminaribus magnis, cum præter Mercurium, qui in secundo cœlo est, nulla alia Stella sit in cœlo, quæ magnitudine Lunam non superet?

Respondetur: Quod Luna præter Solem magis terram illuminat, magisque in hæc terrena influit: ideò magnitudo eius, non à loco, nec à vastitate molis, sed à virtute, & magnificentia sumenda est. Principis enim magnitudo à beneficentia deprehendenda. Diuus Basilius Homil. 6. in Examer. *Non enim Sol, & Luna quia maiorem, quàm Stellæ minores obtinent molem, ideo luminaria dicuntur: sed quia tanti sunt ambitus,*

Principis magnitudo à beneficentia deprehendenda.

vt

Vt is qui ab ipsis diffunditur splendor, cœlum collustret, & aerem, ad vniuersam terram simul, mareque se extendat, cunctaque compleat.

Dub. 65. Ad eadem verba: *Luminare maius, vt præesset diei; luminare minus, vt præesset nocti.* Diuus Athanasius sic transfert: *Fecit Deus duo luminaria magna luminare maius ad exordia diei, luminare minus ad exordia noctis.* Cur Sol dicitur creatus ad exordia diei, & Luna ad exordia noctis, cum dies sine Sole persistere non possit?

Respondetur: Quod Sol in exordio diei splendet, Luna in initio noctis emicat; inde pro comperto habetur, quod Sol per totum diem, & Luna per totam noctem illuminabunt. Fœlix enim in virtute principium, præclarum in virtute finem denotat. Sinueira: *Sol in initio diei elucet, inde tanquam notum manet, quod ipse persubsequens spatium dierum non deficiet, sed lucem suam diffundet, quia fœlix auspicium iugem perseuerantiam denotat.*

Optimum in virtute principium præclarum in virtute finē denotat.

Dub. 66. Ad eadem verba: *Luminare maius, vt præesset diei luminare minus, vt præesset nocti.* Cur inter Astra Principatus defertur Soli & Lunæ? Quæ Solis, & Lunæ excellentia, vt eis imperium concedatur?

Dignus vt Regali dignitate præemineat, qui non sibi, sed omnium vtilitati consulit æqualiter

Respondetur. Quod Sol, & Luna illuminant, non inæqualiter, sed ex æquo omnes radios suos diffundentes, magnaque æqualitate vniuersalem omniū causam agunt. Qui æqualiter, & sine acceptione omnes respuit, merito obtinet imperium. Diuus Ambrosius: *Quæ in quacumque parte fuerint cœli illuminant omnia, & æqui spectantur à cunctis, vt tanquam suis tantum Regionibus immorari. & sibi tantum adesse, atque lucere singuli populi credant, cum similiter luceant vniuersis. Nam etsi interdum Lunæ augeatur lumen, atq; minuatur, tamen eadem nocte qualis mihi apparet talis, & omnibus.*

Prælatus non sibi, sed subditorum consulat vtilitati.

2. Respondetur: Quod Sol, & Luna Prælatos significant: meritò ergo Prælati eis comparantur, quia sicut Sol, & Luna luminis suę radios omnibus communicant: ita Prælati nihil lucidum, & splendidum debent habere, quod in subditorum non cedat vtilitati. Prælatus enim non sibi, sed subditorum consulat vtilitati. Quidam Doctus Modernus: *Non sibi solum, sed inferioribus lucē habent, radiat Sol in se, sed nobis; fulget Luna, sed vt nobis inter noctis caliginem præstet lucem & viam aperiat. Neutri sibi Sole gaudet lucis pulchritudine. Non ergo immerito Soli diei, & Lunæ noctis adscribitur imperium.*

Dub. 67. Ad eadem verba: *Fecitque Deus duo luminaria magna.* Cur luminaribus magnis non imposuit Deus nomen Solis, & Lunæ?

Respondetur: Quod sine nomine proprio ponuntur propter suam excellentiam, & magnitudinem omnibus notam, vt noueris virtutem per seipsam fulgere, neque egere nominari, & titulo insigniri. Clamant enim opera iustorum, & seipsa nuntiant. Diuus Ambrosius lib. 1. de Cain, & Abel, cap. 6. *Neque enim Sol, & Luna interprete indigent: Habent interpretem fulgorem sui luminis, quo totus repletus est orbis: illis illuminatio est fides sine indice, quædam, vt ita dicam, intestata testis, quæ alieno non indiget testimonio, vt subito se vniuersorum oculis effundit. Non ergo nuntiantur opera nostra, sed clamant, & se ipsa nuntiant.*

Virtus per se ipsam fulget, neque eget nominari.

Clamant opera iustorum, se ipsa nuntiant.

Dub. 68. Ad eadem verba: *Fecitque Deus duo luminaria magna.* Cur Sol, & Luna nomina magnorum luminarium sortita sunt, potius quam Stellæ, quæ etiam luminaria sunt, cum secundum veritatem longè minus luminare sit Sol, Stellis similiter & Luna? Terra siquidem supputatur centesima octaua pars verè grandis luminaris, quod est Sol: Luna verò vigesima octaua pars terræ supputatur; quælibet autem Stellarum fixarum visu notabilium maior terra dicitur; vnde patet quam parum luminare sit Luna (quia propinquissima est nobis, apparet maior qualibet Stella) & quod comparatione Stellarum, sic ea, quàm Sol, Astra luminaria, hæc minora sunt Stellis etiam luminaribus. Cur ergo illa magna non hæc appellantur?

Respondetur: Quod licet quælibet Stella luminare sit, & maior appellatis luminaribus magnis, tamen nulla Stella commendationem magni obtinuit, quia non adepta fuit occasionem sui factoris, vt luceret: at verò Sol, & Luna magna appellata sunt, quia eorum conditor terræ appropinquare fecit, vt lucendo acciperent occasionem. Fulgerent enim plurimi, & magni appellarentur, si occasionem lucendi haberent, & occasio eos contegeret. Hinc ad meritorū dignitate dicerem ad solatiū, quod magnis viris negati honores gloriam adaugent, & opinionem, quem certo noscitur non eis defuisse merita, sed abfuisse occasionem, & fautores. Caietanus: *Secundum apparentia dixerat*

Fulgerent plurimi, & magni appellarentur, si occasionem lucendi haberent, & occasio eos contegeret.

rat duo luminaria grãdia statim distinguit inter ea vnum appellando luminare grande, & alterum luminare parum, vt intelligamus quod secundum rem est parum.

Dub. 69. Ad eadem verba: *Luminare maius, vt præesset diei; & luminare minus, vt præesset nocti.* Quid per luminare maius, & luminare minus intelligitur? Et cur Sol, qui est luminare maius dici, coarctatur iurisdictione, & nocti suos negat radios?

Dignitas Sacerdotalis Regiam superat

Respondetur: Quod luminare maius nempè Sol, qui præest diei, repræsentat mysticè Sacerdotem, qui regit animos; luminare minus nempè Luna, quæ præest nocti, significat Regem, qui cotporibus dominatur, quantum igitur Lunæ præstat Sol, & altitudine, & magnitudine, & pulchritudine, & agendi efficacitate, tantum Regi Pontifex antecedit. Dignitas enim Sacerdotalis eminentior Regia. D. Antonius 3. part. titul. 19. cap. 1. §. 14. *Vt quanta est inter Solem, & Lunam tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur.*

Christus præest iustis B. Virgo peccatibus.

2. Respondetur: *Luminare maius Christus est, qui præest diei id est, iustis; luminare minus B. Maria, quæ præest peccatoribus.*

Nec Sacerdos sæcularibus, nec sæculares spiritualibus se ingerant, esset hoc contra naturam.

3. Respondetur: Quod per Solem diei præsulem, designantur Episcopi, & Sacerdotes, qui in Ecclesia, velut in cœlo constituti sicut Sol debent emittere doctrinæ, & sanctitatis fulgorem: per Lunam Reges, & Principes sæculares, qui negotiationibus, & bellis vacantibus sicut in noctis tenebris, vitam trasigunt. Negatur ergo luminari magno noctis imperium, vt intelligant Dei ministri, & Deo consecrati à sæcularibus negotijs abstinere. Nam sicut contra naturam esset, si Sol noctis frueretur imperio: sic contra institutum Sacerdotale, si Sacerdotes negotijs sæcularibus se ingerant, sicut etiam è contra si Laici agere Ecclesiastica præsumant. Ailredus: *Luminare maius Sacerdotum, vt præsit diei, id est, spiritualibus; luminare minus Regnum, vt præsit nocti, id est, sæcularibus. Contra naturam proinde est, si Sol nocti, si præsit Luna diei: si Princeps ad spiritualia se ingerat, si Sacerdos sæcularium negotiorum tenebris conscientiæ suæ serenum obnubilet.*

Dub. 70. Ad illa verba, vers. 22. *Benedixitq; eis Deus dicens: Crescite, & multiplicamini.* Cur Deus marino potius animali, quàm terrestri benedictionem impertiuit? Si Deus duo genera animalium condidit, vnum ex terra, alterum ex mari, cur priori non benedixit, sed posteriori?

Deus Ecclesiam Gentili multiplicauit, non Sinagogã Iudæorum.

Respondetur: Quod per animalia ex terra orta significatur populus Iudaicus; per animalia orta ex mari Gentilis populus. Benedixit igitur Deus animalibus marinis, non terrenis, quia Deus Ecclesiam gentium multiplicauit, non Sinagogam Iudæorum. Nam benedictio propriè ad multiplicationem valet. Vnde cœli qui non erant multiplicandi, non fuerunt a Deo benedicti. Diuus Anast. sius Sinaita lib. 6. Examer. *Quoniam*, scilicet Iudæi, *in terram despiciunt, & terrena appetunt. Quoniam*, scilicet Gentilis, *sicut piscis surdus erat, & mutus, non audiens vocem Domini; neque habens esse Deum verum.* Vide dub. 76.

Peccatores in peccatis suis persistunt.

Dub. 71. Quos significant pisces, & aues?

Respondetur: Quod pisces significant peccatores, quia sicut illi permanent semper in aquis: ita peccatores persistant in peccatis. Hugo Cardinalis: *Pisces qui remanent in aqua, vnde facti sunt, mali sunt, qui remanent in corruptione peccati, in qua nati sunt. Osee 2. Ne forte expoliem eam nudam, & statuam eam nudam secundum diem natiuitatis suæ. Ezechiel. 16. In die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus.* Aues vero significant iustos, qui à terra eleuantur ad cœlestia, & tamen seipsos cognoscunt. Hugo Cardin. *Aues quæ sursum eleuantur ab aquis, sunt qui habent cor eleuatum à terrenis ad cœlum, & tamen sub firmamento, quia semper recogitant infirmitatem suam. Ephes. 3. Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi.*

Iusti eleuantur à terrenis ad cœlestia, & seipsos cognoscunt.

Iusti vitæ actiuæ, & contemplatiuæ vacant.

2. Respondetur ex Hugone Cardin. *Pisces boni actiui, qui propter solicitudinem proximi iuxta terram repunt: Aues contemplatiui, qui sursum volant.*

Ambitiosus multum se submittit, vt obtineat.

3. Respondetur ex Hugone Cardin. *Per reptile significantur Cupidi, qui circa terram repunt. B. Bernardus: Circumit vt sedulus explorator, simulat, & dissimulat, sequitur, obsequitur, manibus, & pedibus repit, vt quoquo modo se ingerere queat in patrimonium crucifixi.*

Diabolus à varijs tentationibus, quibus homines tentat nomen sibi asciscit.

4. Respondetur: Auis, & piscis diabolum significat, qui à varis tentationibus, quibus hominem agitat, & oppug-

pugnat, nomen auis, & piſcis ſibi aſſumit. Hugo Cardinalis: *Diabolus dicitur auis, quando tentat de ſuperbia, dicitur bos, quando tentat de luxuria, piſcis quando tentat de auaritia. Iob. 40. Nunquid extrahere poteris Leuiathan hamo, nunquid illudes ei quaſi aui: fœnum quaſi bos comedet. Ieremiæ 16. Mittam piſcatores multos, & piſcabuntur eos, & poſt hoc mittam eis venatores multos, & venebuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum. Piſcatio piſcium eſt, venatio ferarum & auium.*

Dub. 72. Ad illa verba, verſ. 24. *Producat terra animam viuentem.* Quid ſignificat animalia animæ viuentis?

Fidelis Sanctorum virtutes ſibi imitandas proponat. Vnde ſic viuet.

Reſpondetur: Quod anima viuens fidelis eſt, qui aliorum Sanctorum virtutes imitandas ſibi proponit, eorumque arripit ſimilitudinem, moribuſque & vita refert. Viuit homo cum aliorum virtutes imitatur. Hugo Cardinalis: *Producat terra, id eſt, Eccleſia, animam viuentem, id eſt, fideles vitam Sanctorum imitantes.*

Peccator à Deo punitus, flagella diutina nõ ſentit. Quod magnum malum eſt.

2. Reſpondetur: Quod anima viuens peccator eſt, de terra ortus, non tamen ſentit flagella, cum Deus eum animaduertit, & ſeuerè vindicat. Magnum malum eſt viuere, & pœnas non ſentire. Hugo Cardinal. *Mali modo viuunt, ſed non ſentiunt. Prouerb. 23. Vulnerauerunt me, & non dolui; verberauerunt me, & non ſenſi; duplex eſt deſperatio de vulnerato, vel quando non ſentit vulnus, vel quando nimis ſentit; prima non quærit medicum, ſecunda non ſuſtinet.*

Dub. 73. Ad illa verba, verſ. 24. *Producat terra animam viuentem in genere ſuo.* Quid ſignificant animalia producta de terra in genere ſuo?

Peccatores verbo & opere oſtendunt ſe eſſe de terra.

Reſpondetur: Quod ſignificant peccatores, qui verbis, & operibus oſtendunt ſe eſſe de terra. Verbis enim, & operibus oſtendit peccator, quod eſt de mundo. Hugo Cardinalis: *Mali ſunt de terra, & verbo, & opere: Verbo vnde Ioannis 3. Qui de terra eſt, de terra loquitur. Iſaiæ 29. Erit quaſi Phytonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſſitabit. Opere Philipenſ. 3. Gloria eorum in confuſione, qui terrena ſapiunt. Pſalm. 57. Etenim in corde iniquitates operamini in terra iniuſtitias manus veſtræ concinnant.*

Iuſtus curat alios producere ſibi ſimiles in moribus.

2. Reſpondetur: Quod terra producens animalia in genere ſuo, iuſtus eſt, qui alios curat producere verbis, & exemplis ſibi ſimiles. Hugo Cardinal. *In genere ſuo, vt fidelis fidelem generet verbo, & exemplo, vt cortina cortinam trahat, & qui audit, dicat veni.*

Dub. 74. Ad eadem verba: *In genere ſuo.* Quod nam eſt genus hominis?

Peccator non diffidat de Deo cum genus ſit Dei ex parte animæ.

Reſpondetur: Quod genus hominis ex parte animæ Deus eſt, quæ conſideratio maximè vtilis eſt peccatori, ne diffidat de Deo, & ſpe decidat. Homo non diffidat de Deo cum ex parte animæ genus ſit Dei. Hugo Cardinal. *Duplex eſt genus hominis vnum ex parte animæ à Deo. Actor. 17. Genus cum ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, & argento, aut lapidi ſculturæ artis & cogitationis hominum aliquid diuinum eſſe ſimile. Huius generis conſideratio neceſſaria eſt contra deſperationem. Iſaiæ 49. Nunquid poteſt obliuiſci mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui, etſi illa oblita fuerit; ego tamen non obliuiſcar tui. Et Dominus ad Diſcipulos: Cum orabitis dicetis: Pater noſter, qui eſt in cœlis. Matth 6. B. Bernardus: Oratio quæ indulceſcit patèrno nomine omnium petitionum mearum impetrandarum mihi fiduciam præſtat.*

Cõſideratiõ ſui vtilis ad reprimẽdam ſuperbiam.

2. Reſpondetur: Quod genus hominis ex parte corporis eſt corruptio, & hæc conſideratio neceſſaria eſt ad reprimendam ſuperbiam. Qui enim conſiderat genus ſuum, & vnde eſt ſuperbiam franget. Hugo Cardinalis: *Alterum eſt genus hominis ex parte corporis à corruptione putredinis. Iob. 17. Putredini dixi pater meus es tu, & hæc conſideratio vtilis eſt contra præſumptionem. Eccleſiaſt. 10. Quid ſuperbis terra, & cinis.*

Dub. 75. Ad illa verba, verſ. 24. *Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta reptilia, & beſtias terræ.* Cur Deus tot animalia, volucres, piſces, iumenta, beſtias creauit?

Principes, & Prælati ſuis de neceſſarijs prouideant, ne ſubditi ſint querituli.

Reſpondetur: Quod Deus millia animalium, volucrum, piſcium, & id genus in vſum hominis fecit, ne conquæreretur homo neceſſaria ſibi deeſſe: vt doceat Principes, & Prælatos ſuis de neceſſarijs prouidere, ne ſint queruli, & queſtus dent. Oleaſter: *Hoc hic aduerte, non ſatfuit ſupremo conditori, ea quæ nobis neceſſaria erant producere, ſed plura ſuperflua condidit, ne cauſaretur homo ſibi neceſſaria deeſſe. Hoc mare, inquit Propheta ſanctus, magnum, & ſpatioſum manibus: illic reptilia quorum non eſt numerus.*

Dub.

Dub. 76. Ad eadem verba, vers. 24. *Producat terra animam viuentem in genere suo*: Cur Deus quando terrena animalia produxit vsus fuit numero singulari dicens: *Producat terra animam viuentem*: quando vero produxit animalia marina, vsus fuit plurali numero, quamuis enim latinus vertat, *Producant aquæ reptile animæ viuentis* Genes. 1. vers. 20. tamen septuaginta transtulerunt: *Producant aquæ reptilia animarum viuentium*: Cur ergo Deus producens animalia terræ vsus fuit numero singulari, creans tamen animalia maris, vsus est numero plurali?

Ex Ecclesia, non ex Sinagoga innumerabiles gentes processerunt.

Respondetur: Quod animalia ex terra orta populum Iudaicum repræsentabant, animalia vero orta ex mari Gentilem populum significabant: Quid est ergo quod Deus producens terrena animalia numero singulari vsus est, creans vero marina, numerum pluralem posuit, nisi quod Deus Ecclesiam gentium, non Sinagogam Iudæorum multiplicauit. Anastasius Sinaita lib. 6. Exameron: *Quia nimirum ex Sinagoga vnus Israel, ex Ecclesia innumerabiles gentes processerunt. Vide dub. 70.*

Dub. 77. Ad illa verba, vers. 25. *Et Vidit quod Deus esset bonũ.* Cur animalia de terra producta, benedictione Dei priuantur, cum aues cœli, & pisces maris ea fruantur, vers. 22.

Qui terrenis rebus implicantur diuinis fauoribus priuantur.

Respondetur: Quod per animalia terrestria homines terrenis rebus implicati designantur: ideo aues quæ per cœli ambitum volant, & pisces maris, qui à terrenis sunt segregari ad cœlestem benedictionem vocantur; a qua excluduntur, qui terrenis rebus sunt dediti, vtpote indigni qui ad tantum beneficium admittantur. Dignus enim non est diuinis fauoribus, qui terrenis implicantur. Theophylactus Antiochenus ad Aurcolum lib. 2. *Sexto die cum Deus conderet quadrupedia bestias, & reptilia terrestria reticet benedictionem eamque reseruat homini quem sexto die creare constituerat: cæterum quadrupedia, & bestiæ quædam pulchre nobis de pingunt homines quosdam, qui Deum ignorant, impia patrant, terrena sapiunt.*

Societas malorum officit ad diuinos fauores impetrandos.

2. Respondetur: Quod ab animalium terrestrium die sexta creatorum benedictione, abstinuit Deus propter vnum serpentem, qui futurus erat dæmonis organum, per quem homo corrueret, & gratia conditoris excideret: ob huius ergo tam inuisi animantis societatem defraudata est multitudo ingens animalium Dei benedictione: consortium enim malorum multum officit ad Diuinos fauores obtinendos. D. Anastasius Sinaita lib. 6. Exameron: *Secunda causa propter quam terreni priuati sunt benedictione, quoniam in eis erat serpens Euæ hostis, & contrarius, & futurus erat obnoxius execrationi.*

Renatis per gratiam Baptismi denedixit Deus alienis à Baptismo, benedictionem nõ impartitus.

3. Respondetur: Quod volatilia producta sunt ex aquis, ac proinde præfigurabant animas, quæ ex lauacro Baptismatis renascuntur, quæ benedictionem consequuntur à Deo: at vero terrena ex terra sunt procreata, & denotant homines alienos à Baptismo, quos Deus absque benedictione relinquit: Qui intra Ecclesiam sunt per Baptismum diuinis fauoribus honestantur. Anastasius Sinaita: *Quæ ex aquis sunt genita, omnia Deus benedixit: a terra vero genita animantia priuauit benedictione; nam præfigurabatur generatio per Baptismum ex aquis, & proinde genitas animas, id est, regeneratas per Baptismum benedixit: Animantibus, & feris, & iumentis, ac veneratis hominibus, qui sunt peregrini, & alieni a regeneratione Baptismi nequaquam impertit benedictionem, sed eos relinquit absque benedictione.*

Dub. 78. Ad illa verba, vers. 26. *Faciemus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: Cur Deus ad hominem creandum vtitur consilio, cum ad alias creaturas producendas consilium non præmitteret?

Prælatus cum consilio gubernet.

Respondetur: Quod ad solum hominem, non ad alias creaturas producendas consilium præmisit, vt creatus homo cum consilio, cum consilio gubernaret, & ex sui molitione disceret, quo pacto, & ipse reliqua moliretur: Prelatus vt benè regat, prius capiat consilium. D. Gregorius Nisen. lib. de opificio hominis, cap. 3. & 4. *O rem admirandam. Sol creatur nulla deliberatione præcedente, eodemque pacto cœlum, quibus duobus nihil esse par creatis in rebus potest. Ad solius hominis fabricationem creator ille rerum quadam cum consideratione accedit: nam naturam nostram condidit, velut instrumentum quoddam regno administrando idoneum.*

Inquires: Cur Deus ad hominis formationem, non dixit *fiat* homo, sed faciamus hominem? In productione lucis, sat fuit dicere fiat lux, vt existeret, vix etiam dixit *fiat firmamentum*, cum expansio illa cœli aquarum diuisionem interiecit, tandem hoc verbo *fiat* rebus dedit existentiam, cur ergo creans homi-

minem non dixit, fiat homo, ſed faciamus hominem?

Cum ingenuis, & ratione præditis non vi, nec imperio, ſed blando ſermone, vt obediant, agendum.

Reſp. Quod ideò Deus, non imperiali verbo, ſicut in aliarum rerum creatione, ſed veluti manibus allicions, hominem produxit, quia inter creata, ſolus homo capax erat obedientiæ. Nam licet omnia obtemperent Dei imperio, tamen in expertis rationis propria non inuenitur obedientia. Vt ergo Deus ad ſuum obſequium liberum hominem alliceret, non imperiali verbo *fiat*, ſed familiari attractu, & ſuaui produxit, vt hoc artificio ad ſui obedientiam captaret. Cum ingenuis, & ratione præditis, non vi, nec imperio agendum, ſed ſuaui, & blando ſermone, vt obediant. Tertul. *Etiam quoque bonitas, & quidem operatior operata eſt, non imperiali verbo, ſed familiari manu, etiam verbo blandiente præmiſſo, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.*

Dub. 79. Ad eadem verba: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Cur homo peculiariter ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt, cum omnia creata ſint, ſecundum illud eſſe quod à Deo participant?

Homo ſtudeat quantum in ſe eſt Deum imitari.

Reſp. Quod homo ſingulariter dicitur factus ad ſimilitudinem Dei, vt quantum in ſe eſt, ſtudeat homo illius bonitati proportionari, omnique virtute præfulgeat. D. Leo ſerm. de Ieiun. *Si ſapienter noſtræ creationis intelligimus exordium inueniemus hominem ideò ad imaginem Dei conditum vt imitator ſui eſſet Authoris, & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo Diuinæ Bonitatis forma reſplendeat.*

Per veritatem Deo ſimilis homo eſt.

2. Reſp. Hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei creatum, vt ſciant homines ad veritatem natos, & per veritatem ſimilimos Deo fieri. Veritas reddit hominem Deo ſimilem. Oleaſt. *Si quæras in quo conſiſtat huiuſmodi ſimilitudo animæ hominis ad Deum, ad Paulum te mitto qui ad Epheſ. 4. Optimè hoc depinxit dicens: Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum id eſt, ad Dei ſimilitudinem creatus eſt. Explicans verò qualis à Deo creatus ſit, addit iuſtitia, & ſanctitate veritatis.*

Superbus ſimilem odit.

3. Reſp. Deum hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creaſſe, vt arguat ſuperbos, qui ſibi ſimiles odiunt, & in cunctis celſiores ſupra omnes eſſe appetunt, cum videant Dominum ſempiternum, nec humilimum contemnere ſuſtinuiſſe, ſed admiſit, addiderim, ad ſui ſimilitudinem. Oleaſt. *Arguuit locus iſte hominum ſuperbiam, qui nolunt ſibi ſimilem, aut æqualem habere, qui ſi viderint vicinum creſcere non ſolum inuident, ſed deturbant eleuatum, ſi poſſunt. Nunquid maior es Deo, qui ſui ſimilem non ſolum patitur, ſed facit?*

Dominiũ in alios eſt ſimilitudo hominis cum Deo, & qui aliis imperat Deũ repræſentat.

4. Reſp. Ideo Deum hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creaſſe, vt oſtendat, quod ſimilitudo hominis cum Deo conſiſtit in officio dominandi; quaſi homo Deo ſimilis in eo videatur, quod ſicut Deus rebus omnibus, ita homo ſaltem aliquibus dominetur. Theodoret. q. 20. *Nonnulli dixerunt ad imaginem Dei creatum eſſe hominem ſecundum facultatem dominandi, argumẽto clariſſimo vſi ex eo quod Creator ſubiunxit, Et dominetur piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs, & vniuerſæ terræ, & omnibus reptilibus repentibus ſuper terram. Quemmadmodum enim ipſe omnium tenet imperium: ita dedit homini dominium animalium irrationaliũ.*

Prælatũ Deo ſimilem facit clementia.

5. Reſp. Ideò hominem ad Dei imaginem, & ſimilitudinem factum, quod egregijs virtutibus Dei naturam, & Diuinos mores æmuletur: hæc autem ſimilitudo in clementiæ virtute ſingillatim cenſetur, quaſi hac ſignate homo proprius ad Deum acceſſerit. Theodor. *Quemmadmodum Deus longanimis eſt, ita homo longanimis habet ſe ad imaginẽ Dei. Iuſtus & Sanctus eſt Dominus condolens, & miſericors. Igitur qui amat iuſtitiam, & ſanctitatem, & peragit, atque obſeruat præceptum iſtud Saluatoris. Eſtote miſericordes quemmadmodum Pater veſter cœleſtis miſericors eſt, eſt imago Dei per omnia.*

Dub. 80. Ad eadem verba: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinẽ noſtram.* Cur conuocatur tres Perſonæ Diuinæ ad hominis conſtructionem; cum omnia per verbum facta ſint cœlum, & terra? Si enim verbum ſine conamine omnia produxit, poterat hominem ſine adiutorio formare?

Otium maxime fugiendum.

Reſpondetur: Quod hæc vox *faciamus*, non opem deſiderantis eſt, ſed nolebant cæteræ perſonæ otioſæ videri, verecundabatur quodammodo Pater cum Spiritu Sancto, ſoli Filio relictos labores, & ipſos quiete gaudentes nihil agere; diſcant ergo homines otium maximè fugere. Zeno Veronenſis Serm. 3. de Geneſi: *Videtis nefratres dilectiſſimi, quia nullus exerte hic alteri iubet? In opere nullus otioſus eſt. O ſancta æqualitas, ac ſibi ſoli digniſſima indiuiduæ Deitatis.*

Homo otio non vacans, sed operosus Sanctam Trinitatem imitatur.

2. Resp. Quod homo refert Trinitatem, non tamen aliæ creaturæ. Quoniã igitur oportebat, hominẽ, Deum prototypum habentẽ à primo exemplari discere, illudque referre; ideò in hominis formatione, tota Trinitas laborat, ne si quieti vacans, quando otium sectaretur homo, conaretur sibi non esse vitio vertendum, cum nec in otio quidem ab eo recederet exemplari, ad cuius similitudinem compositus fuisset. D Gregor. Magn. lib. 9. Moral. cap. 36. *De solo igitur homine dictum est: Faciamus cum de alijs creaturis legatur dixisse Deum, vt fierent, & facta sunt: & hoc quia rationalis creatura condebatur.*

Prælatus debet pollere in tribus in potentia, sapientia, & benignitate quæ referuntur ad tres Personas Trinitatis.

3. Resp. Ideo totam Trinitatem fecisse hominem, vt discant Prælati in tribus maximè splendere in potentia, in sapientia, & benignitate, quę referuntur ad Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Prælatus enim debet vigere in potentia, sapientia, & benignitate. Hugo Card. *Per hominem Prælatum, qui ad imaginem Dei debet esse factus. Matt. 5. Estote perfecti sicut & Pater vester perfectus est. In hoc autem quod tota Trinitas facit hominem, notatur quod Prælatus debet in tribus maximè præpollere: in potentia quæ refertur ad Patrem. Eccles. 7. Noli quærere Iudex fieri, nisi valeas virtute irrumpere, in sapientia, quæ refertur ad Filium. Prouerb. 7. Dic sapientiæ soror mea est, & prudentiam voca amicam tuã, in benignitate, quæ refertur ad Spiritum Sanctum. D. Gregor. Dum mansuetudo per iram amittitur, super næ similitudinis imago vitiatur. Seneca: Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus.*

Dub. 81. Ad eadem verba: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Cur Sanctissima Trinitas ante hoc opus, dum alia conderentur, non se detexit?

Prudent Principes per clarissima opera se manifestare.

Resp. Quod quanquam Trinitas alias creaturas condens, latere studeret, in hominis tamen creatione se patefecit, & reuelauit, quia homo erat opus præstantissimum Dei, quo docentur Principes per clarissima, & dignissima opera se manifestare. D. Pet. Damian. serm. 1. de S. Ioan. Bapt. *Creatur illa sublimior nunc eositas Angelorum, & elementorũ omnium ordinatur varia connexio, sed omnipotentis præsentia tantum opus alta taciturnitate prospectat; vt vero venitur ad hominem, vt nobilis creatura creari disponitur, accingit se Trinitas ad creandum, & consilium accipit sapientia, vt creaturæ dignitas Creatoris privilegio clara esse monstretur.*

Dub. 82. Ad eadem verba: *Faciamus hominem.* Cur Deus dixit, *faciamus hominem*, ipsum formauit, nec Angelis mandauit?

Magnus, & singularis Principis fauor, cum per se ipsum, & propria manu donum largitur.

Resp. Quod Deus non Angelorum ministerio, seruitioque vsus est in hominis creatione, per seipsum limum modulatus est, cui vitæ insuflauit spiraculum, vt magnam sui in hominem gratiam ostenderet, & commendaret: magna est enim gratia, magnus, singularisque fauor Principis, cum per seipsum, propriaque manu, beneficium impertit, donum largitur. Caietanus: *Ad insinuandum itaque decreuisse Deum ab æterno, quod hominem faciet, ipse per seipsum creando intellectiuam animam hominis ex nihilo, describitur quod dixit Deus: Faciamus hominem.*

Dub. 83. Ad eadem verba: *Faciamus hominem.* Cur homo tanta cura à Deo creatus est, cum Deus solo verbo condiderit vniuersa?

Homo pretium magnificum sui faciat; cum eũ Deus in magna existimatione habeat.

Resp. Quod Deus non solum sermone, sed manibus quoque fabricauit hominem, cuius tanquam ingentis operis non vnus Structor, sed Opifices Diuinæ omnes fuerunt Personæ, vt his consideratis homo sui pretium magnificum haberet, plurimumque sibi tribueret, & arrogaret, eum Deus æstimatione maxima eum habeat, eumque magni faciat. D. Basil. Hom. 10. Exa. *De nullo enim Opificiorũ, quæ eatenus condiderat vox ista, faciamus scilicet; in litteras transmissa est: lux facta est, sidque simplici mandato: feræ itidẽ iumẽta, volucrũ genus omne, dixit Deus vt essent, & ecce facta sunt. Erudire hinc ò homo, ac edisce quanti vnus tu æstimandus veneris: neq; enim generationem tuam, seu abiectitiam, aut pretij vulgaris, communi creaturarum mandato censuit attexendam: in Deo consultatio prægreditur, quo pacto id animantis, quod tanti fuerat æstimandum, prouehi deberet ad vitam. Faciamus, ait: En consultat sapiens, & quid secum instituerit Artifex proponit decernendum. Quid enim? Artis suæ exacta cognitione destituitur tantus Artifex? Absit: per hoc sanè quod curam eam condendo homini interserit, Scriptura innuit, Deum voluisse edere quidpiam operis, quod eximiæ suæ artis specimen esset, numeris omnibus absolutum, perfectum, solertij artificio elaboratũ, & perpolitũ.*

Dub. 84. Ad eadem verba: *Faciamus hominem.* An Adam in ætate perfecta fuerit creatus?

Respondetur: Quod Deus cuncta con-

condidit perfecta, & ætate, & mensura, animantia robusta apparuerunt, & segetes maturæ, & arbusta cum fructibus; similiter homo continuo virilium annorum sortitus est incrementa, iustamque corporis magnitudinem, & in perfecta ætate creatus est. Acceptor enim creaturarum videretur Deus, si alias creaturas in perfecta mensura conderet, & hominem in perfecta, & iuuenili ætate non plasmaret. Acceptio personarum à Prælato fugienda. Iunilius Africanus Episcopus: *Notandum, quod non prima herbarum, arborumque germina de semine, sed prodiere de terra. nam ad vnam conditoris iussionem terra, quæ arida apparebat, repente herbis compta, & nemoribus est vestita florentibus: atque hæc continuo sui quæque generis poma ex fetu ac semina produxere: oportebat enim, vt forma quæque rerum ad Domini imperium primo perfecta procederet, quominodo & homo in se propter quem omnia facta sunt, in terra perfecta, hoc est iuuenilis ætatis plasmatus esse credendus est.* Vide fol. 12. dub. 10.

Acceptio personarum Deo odibilis, & à Prælato fugienda.

Dub. 85. Ad illa verba, vers. 27. *Vt præsit piscibus maris.* Cur Deus dominium dedit Adamo?

Respondetur: Quod licet Deus se ipso nulla omnino difficultate omnia gubernare, & moderari valet, quippè qui omnia potest, hominis tamen cooperationem, & quasi auxiliarem manum requirit: ideoque Adamo tanquam adiutore, & administrationis socio vti voluit, vt instruat Principes aliquem sibi ad negotiorum expeditionem adiutorem eligere. Olaster: *Puluerem ita euehit, vt omnium creaturarum suarum dominium ei tribuat, ita vt fere sibi æqualē fecisse arbitretur.*

Prælari, Principes, adiutores ad negotiorū expeditionem elegant.

Dub. 86. *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam.* Cur Deus hominem ad imaginem suam creauit? Cur in homine insculpta Dei imago?

Resp. Ideò Deum hominem fecisse ad imaginem, & similitudinem suam, vt in hominem esset vehementer propensus, & inclinatus, in quo eius imago reluceret: quilibet enim maximè attricitur ad sui consortem, & imaginem, & ex imaginis conformitatè ad pietatem erga hominem moueretur. Drogo de Sacramento Passionis expendens illa verba furti Latronis: *Domine memento mei, imaginis tuæ Deus misereri, sed in quo te agnoscam misereri? In eo quod imaginem meam in te video similem, & eandem miseriam pati.*

Deus inclinatur ad amandum imaginem suam, & homo sibi similem.

2. Resp. Ideò Deum hominem creasse ad imaginem suam, vt ex tanta æstimatione sui Creatoris erga hominem, ex tantaque dignitate in eum collata, ipse maximè pignoratus, ac obligatus in Dei sit obsequio, ex dignitate impensa obligatur homo. D. Cyril. Alexand. lib. 2. contra Iulianum Apostat. *Optimus Moyses dispensatiuè quodam modo cum ceteris præmissis honoratum esse hominem dicit, & vt designet quod non simpliciter, & vt quis diceret, posset ab aliis differentem natiuitatem asserat, sed diceret rem quæ multū Deo curæ sit.*

Ex dignitate impensa, & beneficio accepto obligatur homo.

3. Resp. Quod homo creatus fuit ad imaginem, & similitudinem Dei, hoc est, capax intelligendi. Quia cum eum ad regendum destinauerat, voluit eum intellectu, & prudentia ornare, insuper rerum omnium cognitione, vt expeditius regimen exercere ret. Æquum enim est, vt qui alios est recturus, acumine polleat intellectus, & scientiarum ornatu fulgeat. Iunillius: *Vt præsit piscibus maris. Quia animi rum in hoc maximè factus est homo ad imaginem Dei, in quo irrationalibus animantibus antecellit; capax videlicet rationis conditus, per quam & creata quæque in mundo rectè gubernare posset.*

Scientia spoliat Prælatus alios recturus.

Dub. 87. Ad eadem verba: *Et creauit Deus hominem.* Cur dicitur creauit Deus?

Resp. Quod homo significat Prælatum, quæ non caro, & sanguis; non dona, non preces debent constituere, sed Deus creare. Hugo Card. *Per hominem Prælatum, qui ad imaginem Dei debet esse factus. Matth. 5. Estote perfecti, sicut & Pater vester perfectus est. Hunc creauit Deus, non Rex, non preces, non pretiū, non caro non diuitiæ. Ioann. 10. Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, fur est, & latro.*

Deus constituat Prælatū, non humanus favor, caro, & sanguis

Inquires: Cur Moyses ter repetit: *Creauit*, loquiens de hominis creatione, ver. 27. *creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum, & fœminam creauit eos.* Cum in aliarum rerum productione, aut semel, aut bis, nunquam verò ter verbum *creauit*, sit additum? Cur ergo in nullius rei creatione auditur actionis trina repetitio, nisi quando formandus est homo?

Prælatus sicut alijs præijt officio: ita præire debet in operibus.

Respondetur: Quod cum homo, vt præesset orbi crearetur, vniuersa autem, vt hominis deservirent famulatui, conueniens erat, vt Scripturæ variaretur stylus. Dicat igitur Moyses cum aliarum refert creationem, iussu

& imperio, & sola vocis potestate processisse: at cum hominis narrat creationem, non solum vocem, & Dei imperium, sed trinam operationem referat, vt suæ creationis non immemor homo, operum addat excellentiam. Qui enim præclarè ortus agnoscitur, aut in fastigio dignitatis lucet, sicut cæteris præit officio præire debet in operibus. Diuus Paschasius lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 5. *Et Dixit Deus, faciamus hominem. Quid est aliud, nisi quia substantia Vnitatis loquitur, & potentia Trinitatis operatur. Perspice quomodo trina Vice nomen Dei in creatione hominis nuncupatur.*

Dub. 88. Ad eadem verba: *Et creauit Deus hominem.* Cur Deus hominem non constituit omnium primogenitum? Cur sexto die creauit?

Homo in dignitate constitutus, non superbiat, se humiliter gerat

Resp. Quod illum sexto die omnium creaturarum nouissimum produxit, ne ex præcedentia ad omnes superbiret. Prælatus ex dignitate non superbiat se humiliter gerat. Mendoza tom. 2. fol. 47. *Vt postremo loco natiuitatis, ad postremum humilitatis obtinendum admoneretur: quemmadmodum enim in domo paterna filius natu minimus, inter fratres maiores humili, & demisso capite versatur: ita oportebat, vt homo inter cæteras creaturas, versaretur humilis, & postremus, & quas dignitate præibat, humilitate sequeretur.*

Homo ex vilitate sua se deprimat,

2. Respondetur: Quod Deus sexta die condidit iumenta, reptilia, & bestias terræ, quæ animalia, vt notat *Diuus Augustinus lib. imperfecto de Genesi ad litteram, cap.* 16. Imperfectiora, & magis noxia fuere. In hoc ergo die hominem creauit, vt illum debita in humilitate conseruaret, vt quantum se homo ex futura inter Angelos dignitate erigeret, tantum se ex præsenti inter bestias vilitate deprimeret. Hugo Cardinalis: *Notatur dignitas hominis, quia statutus est Dominus omnium, quod notatur, vbi dicitur vt præsit, sit autem inter reptilia ad depressionem superbiæ.*

Homo multa sibi arrogãter tribuit, & gloriatur de opere quod non fecit,

3. Respondetur: Quod Deus sexto die creauit hominem, ne si primo die crearet, cum homo valde procliuis sit ad arrogantiam, & iactantiam, sibi sumeret arroganter, & falso tribueret, quod Deo cooperatus esset ad aliarum rerum productionem. Procliuis est homo ad iactandum se de opere, quod non fecit. Procopius: *Ne gloriaretur, & sequasi iactaret cooperatorem Dei.*

Dub. 89. Ad illa verba, vers. 28. *Crescite, & multiplicamini.* Cur Deus hominum multiplicationem, quos peccatores futuros benè nouerat, sic exoptat? Nonne sat erat primos parentes creare? Ad quid vult eorum filiorum generationes, cum ex eis multi peccatores essent prodituri?

Beneficia multis impẽdenda licet malis,

Respondetur: Quod ideò Deus totius humani generis multiplicationem determinat, vt pluribus etiò iniquis, posset sua dona elargiri. Beneficia multis largenda, etiamsi sint mali. Ferus: *Hoc Verbo ostendit sibi non satis esse Vni homini benefacere, sed plures habere Vult quibus benefaciat.*

Dub. 90. Ad illa verba, vers. 28. *Et dominamini.* Septuaginta legunt: *Principamini.* Hoc est, estote Principes, Domini rerumque potentes. Hebræum tamen verbum *Iirdu*, quod verbo *Dominandi* respondet, æque significat *dominari*, siue *principari*, ac *decidere*, siue *descendere*, vt obseruat Fr. Thom. Maluenda Ordin. nostri. Cur cum Regia dignitate, summoque, ac supremo fastigio, cui omnia, ac subiecta sunt, posuit *decidere*, seu descendere, vel *descendent dimittentur deponentur*, vt explicat Maluenda: Si datur dominium, cur minatur depositionem?

Virtus imperat, & dominatur, per peccatum vero amittitur imperium, & dominium,

Respondetur: Quod Dei sensus, atq; sententia est, si præcepto meo paruerit is, dominabimini, ac Principes eritis, sin autem dato vobis dominio rerum, Regia conditione excidetis, bestijsque, ac iumentis vobis subditis, eiadetis persimiles. Virtus enim imperat, per peccatum admittitur dominium. Maluenda: *Descendent dimittentur, deponentur, è dominio, & potestate ad inferiorem conditionem, seruitutem & subiectionem, quasi dicat: si homines præcepto Dei paruerint, sanctitatemque, & iustitiam conseruauerint, imperabunt cunctis creaturis sublunaribus: sint verò imperio decident, & bestijs erunt pares. Psalm. 48. vers. 15. Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipicientibus, & similis factus est illis.*

Dub. 91. Ad illa verba, vers. 28. *Replete terram.* Quis horum verborum sensus?

Iustus non vnius, aut alterius, sed omnium virtutum studio incumbit.

Respondetur: Quod hæc spiritualiter de terra corporis nostri accipienda sunt, quę per singulos corporis sensus virtutum actionũ repleri debet. Iustus enim non vnius, aut alterius, sed omnium virtutum studio incumbit. D. Gregorius Nissenus Homil. 2. Examer. *Replete terram, carnem Vobis administran-*

nistrandum daram bonis actionibus replere. Repleatur oculus earum rerum aspectu, quæ rectæ sunt. Repleatur manus operibus bonis. Repleantur itidem pedes ad visendos pauperes, & ad ea quæ oportet, exequenda, proficiscentes: omnia denique membra nostra repleantur obseruatione mandatorum Dei. Et eadem Hugo Cardinalis: *Replete terram, id est, corpus bonis operibus. Vt non vacet. Psalm. 127. Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.*

Prælatus subditis ministret necessaria, vt eis possit præcipere

Dub 92. Ad eadem verba: *Dominami pisces maris & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Cur bestiæ terrori nobis sunt, & eas timet homo, cum earum dominium habeat?

Qui Deo nõ obedit, nec inferiores obedient ei, imo insurgent contra hominem.

Respondetur: Quod Adamo donec in iustitia, & æquitate perstitit animalia, fæuissima famulabantur, Regiam venerata eminentiam: continuo autem ac peccauit, velut obedientiæ absoluta Sacramento, quod Regio cecidisset honore obsequium (eius enim dignitatis conseruatrix est innocentia) aduersus hominem procatia esse cœperunt, vt discamus, quod qui Deo non subiacet, nec obedit, digne suscipit in pœnam, quod ei inferiores non subiaceant, nec obediant. Abulensis: *Ista dominatio quantum ad actum solum fuit in homine in statu naturæ conditæ, scilicet ante quam caderet a iustitia originali per peccatum: postea autem in contrarium versa est, quia animalia homini repugnant & aduersantur ad mortem, vt sicut nec ipse Deo subditus existit, ita nec animalia ei subdita permanerent, sed pugnat totus orbis terræ contra nos insensatos.*

Dub 93. Ad illa verbr, vers. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen suum super terram, vt sint vobis in escam.* Cur Deus cibos præparauit Adamo, & bestijs terræ?

Deus ex vno beneficio ad aliud conferendum mouetur.

Respondetur: Ideò Deum prouidisse de cibis Adamo, & bestijs, quia eos creauerat, & Deus ex collato beneficio ad aliud conferendum mouetur. Oleaster: *Quia creaueras prouidere dignatus est.* Vide fol. 2. dub. 12. & fol. 78. dub. 18.

Dub. 94. Ad eadem verba: *Sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ.* Cur iumentis, & bestijs terræ coacernatus est priusquam conderentur, victus? Ante horum productionem terra iussa est germinare herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, de quibus cibus iumentorum?

Respondetur; Quod homo statim, ac exoriretur, constituendus erat brutorum Rex, donatus verò Adam hac imperij potestate, forte quasi grauaretur, quemmadmodum subditis necessaria ad vitam suggerere possit, existimaretque non satis decorum, vt præciperet, quibus non subueniret ad salutis conseruationem. Hæc igitur ne cum cura sub exordio gubernationis vexaret, anticipauit concessioni principatus Creator herbas, & fœnum producens ad sustentationem brutorum: quare statim, ac Regem declarauit hominem, subiunxit: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ*, quasi afferat: ne timeas Adam præcipere brutis, vt obediant; iam enim nostra benignitate, quæ ad vitæ conseruationem, necessaria sunt, terra præbuit: discant ergo Prælati subditis ministrare necessaria, vt possint quæ præcipere conueniens est, imperare. Diuus Chrisostomus Homil. 10. in Genesim: *Magna Domini erga hominem, quem condidit, ostenditur cura: nam quia ipsum produxit, & omne ei dominium creaturæ tradidit: ne statim ab initio iumentorum multitudinem videns, stomachari possit, quasi non sufficeret ad alenda tot ac tanta animalia: priusquam de hoc cogitaret bonus Deus præueniendo demulcet eum (vt ita dicam) & ostendit, quod tam ipse, quam iumenta, & bruta omnia, præcepto Domini omnem copiam terra suppeditante, sit habiturus: nam postquam dixit erit vobis in cibum, mox subiunxit, & omnibus bestijs terræ, & volatilibus cœli.*

Dub. 95. Ad eadem verba, vers. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna.* Cur Adæ idem cibus herbarum, & lignorum datur, ac alijs animalibus?

Deus dat occasionẽ Prælatis, & cuilibet homini ad humilitatem, Prælatus in humilitate se contineat.

Respondetur: Quod amplissimo Regi, & potentissimo Dominatori excellentiores, ac delicatiores cibi non prouidentur, sed communiter cum cæteris animantibus, etiam valde vilibus, fructus terræ dantur in alimentum, vt in tanto rerum apice constitutus Adamus, haberet motiuum, vt suam vilitatem agnosceret, ac se in humilitate contraheret. Thom. Anglicus Ordinis Prædicatorum: *Ratio quare Deus voluit, vt homo, & animalia cibos haberent communes, fuit, quia voluit ei dare occasionem suæ humilitatis, ne*

nimis superbiret de consideratione suæ prælationis, & dignitatis.

Vnus communis debet esse cibus subditorum, & Prælati.

2. Respondetur: Adamus Prælatus erat, & in dignitate constitutus: ideò idem cibus herbarum, quo alia animalia subiecta sibi vescebantur, ei datur, quia Prælatus communem cibum debet habere cum subditis. Hugo Cardinalis: *Quia vnus communis debet esse cibus subditorum, & Prælati. Non debet Prælatus quærere diuerticula, vt latius procuretur. Ecclesiast. 32. vers. 1. Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis.*

Dub. 96. Ad eadem verba, vers. 27. *Ecce dedi vobis omnem herbam.* An conueniens fuerit hominem tuitentari solis arborum fructibus, & à terra nascentibus?

Parsimonia habetur salus, vigor corporis, & vita.

Respondetur: Quod abstinentia, & paucitas ciborum, & potus amplectenda est ab hominibus propter seipsos, quando quidem salus, vigor corporis, & tandem vita, qua nihil charius, iugi parsimonia acquiruntur, habentur, & conseruantur: ideò conueniens fuit in exordio mundi homines vesci solis arborum fructibus, & à terra nascentibus, vt integram, robustam corporis sanitatem haberent. Parsimonia enim habentur vita, salus, vigor corporis. Abulensis: *Fuit tamen cum his cibis illa prima ætas magnæ durationis, & proceritatis nimiæ in corporibus, & sani valde corporis.*

Homines simplicem victum, non cara fercula edant.

2. Respondetur: Quod in prima illa ætate herbis vescebantur homines, fructibusque arborum, vt doceantur homines simplicem victum, alimentaque quæ paruo pretio iacent, non quæ charissimo, illis stant victitare. Hugo Cardinalis: *Omnem herbam, id est, simplicem victum, non cara fercula. Lucæ 10. Edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt.*

Dub. 97. Ad illa verba: *Ecce dedi vobis omnem herbam.* Cur Deus postquam benedixit Adamo, dominiumque ei contulit, cibum dedit?

Prælatus qui virtutibus splendet, & subditos docet, dignus est à subditis percipere fructus, & alimenta.

Respondetur: Quod Adamus gratia prædictus erat, virtutibus ornatus, Prælatusque constitutus: ideò à Deo datur ei cibus, vt instruantur Prælati, quod si virtute splendent, subditos instruunt, & corrigunt, digni sunt accipere à subditis alimenta ad carnis sustentationem: at qui vitiis sunt infecti, nec subditos docent, nec arguunt, indigni sunt, qui à subditis fructus, & alimenta percipiant. Hugo Cardinalis: *Nota ordinem, post benedictionem gratiæ, post crementum virtutum, & dominium super malos corrigendos dicitur: Ecce dedi, quia Prælatus si talis est, dignus est cibi sustentationem habere. 1. Corinth. 9. Si vobis spiritualia seminauimus, magnum est si carnalia vestra metamus? Deuteronom. 25. Non alligabis os boui trituranti. Galat. 6. Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis.*

Dub 98. Ad eadem verba: *Vt sint vobis in escam.* Cur signanter dixit Deus quod dedit eis omnem herbam in escam?

Prælato bona Ecclesiæ dantur, vt sibi recipiat necessaria, non vt in alios superfluosque vsus insumat.

Respondetur: Quod per hominem Prælatus significatur, cui bona Ecclesiæ dantur solum in escam, vt scilicet sibi necessaria accipiat, non verò in alios superfluos vsus insumant. Prælatus bona Ecclesiæ nec in consanguineos, nec in superfluos vsus insumat. Hugo Cardinalis: *Ad vescendum non ad luxuriandum. Beatus Bernardus: Res pauperum sunt res Ecclesiarum, & sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid earum non Domini, sed dispensatores præter vsum necessarium sibi accipiunt. 1. Chorinth. 9. Ordinauit Deus his qui Euangelio seruiunt, de Euangelio viuere. Beatus Bernardus. Viuat,* inquit, *non ditetur, non infletur, non luxurietur, non ampla palatia fabricet, non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, non nepotes, non filias dixerim nuptui tradat.*

Dub. 99. Ad illa verba, vers. 30. *Vt habeant ad vescendum.* Cur Deus cunctis animantibus, volucribus cœli prouidit de cibo?

Principes cõ seruent ea quæ faciunt.

Respondetur: Quod Dominus voluit sustentare, ac seruare ea quæ fecit, & creauit; ideò ad rationem optimi Creatoris spectabat alimenta animantibus prouidere. Vnusquisque enim tenetur conseruare ea quæ creat. Caietanus: *Post iuam descripta productio rerum omnium, & prouisum conseruationi specierum animalium corruptibilium per virtutem generatiuam, supererat, vt prouideretur conseruationi animalium in indiuiduis per alimentum.*

Deus nõ suã vtilitatẽ, sed nostram, quærit.

Dub. 100. Ad illa verba, vers. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Cui erant valde bona?

Respondetur: Quod non Deo bona erant cuncta quæ videbantur, sed sibi talia videbantur, quia nobis vtilia bona exististebant, quia Deus non suam vtilitatem, sed nostram quærebat. D.

Eusta-

Euſtachius in Exameron. *Erant valde bona. Cui? An ſibi vel creaturis? De ipſo ait Regius vates: Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.*

Dub. 101. Ad eadem verba: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Cur ſignanter dicitur quod vidit Deus cuncta quæ fecerat eſſe bona?

Deī conſpectus omnia perficit.

Reſpondetur: Quod omnia, quæ à Deo creata ſunt, vtpote illius opera bona, & perfecta conſiſtebant, tamen ex Dei præſentia quandam viderentur haurire bonitatem, vt quæ bona erant vſque huc, modo valde bona dicantur ei ex Dei conſpectu: ita enim ipſis oculorum radijs eatenus decorauit, ac illuſtrauit, vt iam non tantum bona iudicarentur, ſed inſuper etiam valde bona. Dei conſpectus omnia perficet. Tertullianus lib. 2. contra Marcion cap. 4. *Honorans, conſignans, diſpungens bonitatem operum dignitate conſpectus.*

Dub. 102. Ad eadem verba: *Et erant valde bona*, cur finito labore ad exaggerationem poſitum eſt, *& erant valde bona*? Vnde rebus omnibus tanta aduenit approbatio, vt quæ antea tanquam bona laudabantur, nunc vt optima celebrantur?

Concordia multorum, licet inter ſe repugnātiū, maxime cōmendabilis.

Reſpondetur: Quod abſoluta omni operatione laudatur creaturarum vniuerſitas, quod ſit valde bona, eo quod ſimul fœderata vna in gloriam Dei conſpirabant, & fœlerabantur, recte igitur de hac amabili concordia laudatur opificium mundi: licet enim creaturæ inter ſe repugnent, tamen aquam, ignis, calor, & humor depoſitis inimicijs cum temperamento rebus generandis ſubſeruiunt, & vniuntur in mundi conſeruationem: concordia enim multorum licet inter ſe repugnantium, commendabilis eſt. D. Auguſtinus de Geneſi ad litter. lib. 3. cap. 24 *Non fruſtra additum eſt valde, quia, & corporis membra etiam ſi ſingula pulchra ſint: multo ſunt tamen in vniuerſi corporis compage pulchriora.*

Virtutis principium bonū eſt; at Sanctū propoſitum cōſummare, & perficere, valde bonum.

2. Reſpondetur: Quod ſexto die Deus omnia conſumauit, & perfecit opera ideo in eo omnia creata non ſolum laudantur, ſed eximio Dei approbantur præconio: virtutis enim principium bonum eſt, & Deo placet: at ſanctum propoſitum conſumare, & perficere valde bonum. Quidam Doctor Modernus: *Certe non aliunde, niſi quia ſexto die conſumata fuerat rerum vniuerſitas, & nihil creandum reſtabat. Merito ergo vbi orbis completur opificium, & adeſt creationis perfectio, ſummis laudibus vniuerſa extolluntur, vt ex inde colligas, quod quam tumuis opus ſit eximium, & Deo in exordio placeat, tamen in fine, & cum conſumatur, & perficitur, ſummopere placet. Vnde quod in ipſo limine operationis approbat, vt bonum, in conſumatione optimum prædicat.* Et Maluenda: *Sexto præfigitur articulus emphaticus. Hæ ſeu ecce, & ecce bonum valde iuxta Hebreum, qui tamen in alijs diebus non præponitur, vt indicaret hunc diem fuiſſe, in quo omnia perfecta, conſummata, & abſoluta fuere creato tandem homine.*

Dub. 103. Ad eadem verba. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Cur exaggeratio bonitatis poſt hominem condītum?

Incarnationis gratia omnes creaturæ vberius laudantur.

Reſpondetur: Quod dum aliæ creaturæ producebantur, ſeu vitam habentes, ſeu illius expertes, eiuſmodi producebantur effectus, qui diuinitatem tantum arguerent, nam inuiſibilia Dei per viſibilia cognoſcuntur: At vt ventum eſt ad fabricam hominis, tum incarnatio innotuit: typus enim, & imago Chriſti erat Adamus quando compingebatur. Incarnationis igitur gratia vberius encomium eſt, vt valde bona quæ creata erant, perhiberentur. Tertullianus lib. de Reſurrectione carnis. cap. 6. *Quocumque enim limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus. ita limus ille iam tunc imaginem induens Chriſti futuri in carne, non tantum Dei opus erat, ſed, & pignus.*

Dub. 105. Ad eadem verba: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Cur omnes creaturæ ſimul ſumptæ valde bonæ dicuntur?

Noua perfectio, & ſplendor ſingulis creaturis ex aliarum conſortio. & vnitate accreſcit.

Reſpondetur: Quod cum ſingulæ quæque creaturæ ſeorſim ſpectatæ, bonæ Deo viſæ fuerint, poſtmodum tamen, cum omnes mutuo inter ſe concinentes, ſimulque nexæ ſpectatæ ſunt, non bonæ tantum, ſed valde bonæ apparuerunt, plane ac ſi noua perfectio, atque ſplendor ſingulis creaturis alioqui imperfectis, & quaſi inchoatis, ac mancis ex aliarum conſortio, & vnitate accreuerit: D. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Paſchate quæ eſt 42. *Poſtea quam autem primas partes præclare conſtitutas vidit alterum mundum materia conſtantem, & aſpectabilem, excogitauit, hanc nimirum ex cœlo, & terra, & his rebus, quæ eorum complexu, continentur, coagmentationem, & concretionem: laudabilem illam quidem ob ſingularem partium elegantium, verum laudabiliorem ob eam, quæ ex vniuerſis extitit concinnitatem, atq; concordiam,*

alia

alia re videlicet ad aliud quidem pulchre quadrante, atque omnibus ad omnia scite conuenientibus, ad vnius mundi ornatum omnibus numeris absoluendum.

Dub. 106. Ad eadem verba: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:* Cur homo, quem D. Chrisostomus *Vocat auream statuam splendide fulgentem.* Et Philo: *Sacratum templum pulcherrimam imaginem*, ex omnibus creaturis à Deo prætermittitur illaudatus, tam multis nominibus laudabilis?

Ex laude homo intumescit, & superbit.

Respondetur: Quod cæteræ creaturæ ex Diuino opificio nouæ, recentesque prodibant, & statim à Deo laudabantur, vt patet ex Genesi à numero. 4. vbi de singulis dicitur, vidit Deus quod esset bona: at solus homo ex sui Artificis manibus abijt illaudatus, ne si à Deo laudaretur superbiret, & intumesceret: ex laude enim homo superbit. Mendoza tom. 2. fol. 48. num. 20. *Cæteræ creaturæ cum essent sanctitatis expertes, non possent ex Diuina laudatione superbire: at vero homo singulari imbutus sanctimonia, si insuper à Deo laudaretur, exponeretur periculo incredibili intumescendi.*

CAPVT II.

Quod Deus completo sex diebus opificio, septimum benedixit: Hominem in paradisum varijs arboribus fructiferis, ac fluminibus insignitum posuit, cui Euam ex ipsius costa in adiutorium formauit.

DVB. 1. Ad illa verba: Genes. 2. vers. 1. *Igitur perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum* Ad quid fit huiusmodi laudatoria repetitio? Nonne sufficiebat quod illa essent opera Dei, vt inde intelligerentur absoluta, & perfecta? Nonne postquam Deus creauit cœlum, & terram, & ornatus eorum, Solem, Lunam, & Stellas, arbores, & plantas, dicitur: *Vidit Deus quod esset bonum?* Cur ergo laudes repetuntur?

Nihil perfectius, & excellentius, quam dum quilibet conseruat ordinem, & locum sibi datum.

Respondetur: Quod cuncta vt creata sunt, operationes sibi proportionatas exercere, & ordinem sibi datum seruare cœperunt, Sol, Luna, & Stellæ suos cursus peragere, terra, & plantæ, & arbores germinare flores, & fructus, & ita omnia in suo ordine, ac dispositione placuerunt, vt necesse fuerit, iterum laudare, imo magno præconio extollere, cum perfectam, consumatam, & omnibus numeris absolutam dicat integritatem rei, eiusque naturam: Nihil enim excellentius est, quàm vt quilibet conseruet ordinem suum, & locum suum. Dionis. Carthusianus: *Mundus vocatur perfectus in quantum partes, & species ad suam integritatem, ac ordinem pertinentes cœperunt, operationes sibi conuenientes exercere propter quas exercendas institutæ fuerant: sicq; dicitur Deus septimo die opus suum complesse, quoniam septimo die cœperunt opera sex dierum generaliter exercere actus congruos sibi, & inuicem agere, atque similia propagari.*

Dub. 2. Ad eadem verba: *Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum.* Cur Moyses agit de perfectione operum Dei?

Bona opera ad perfectũ perducenda.

Respondetur: Quod ideo Moyses egit de perfectione, & consumatione operum Dei, vt discerent homines ab omnium rerum conditore bona opera non relinquere inchoata, sed ad suam vsque perfectionem perducere sicut Deus opus creationis suis numeris absoluit: Bona opera perficienda, & consumanda sunt. Hugo Cardinalis: *Potens enim & sapiens Artifex non cessat donec perfecerit opus suum. Vnde cum Deus sit summe potens, & summe sapiens, in eo quod cessauit ostendit opus suum esse perfectum.* Eadem Oleaster: *Non solet potentissimus Artifex, & bonus, opera sua bona inchoare, & non perficere cuius perfecta sunt opera. Admonet nos locus iste, bona opera nostra non solum inchoare, sed etiam ad perfectum perducere.* Peccatores vero opera sua non perficiunt. Vide fol. 73. dub. 78.

Dub. 3. Ad illa verba vers. 2. *Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat.* Cur tota vniuersæ huius molis, ac vniuersorum operum Dei constructio, vnum tantum modo opus appellatur?

Mutuæ dilectioni debemus operam dare.

Respondetur: Quod ab Scriptore sacro vnum opus appellatur omnium operum constructio, quia nimirum vnum

vnum tamtummodo opus, quod quaſi expluribus partibus completur, ſubſiſtatque in tot operum conſtructione mutua videlicet dilectio, omniumque creaturarum vnitas, & nexus à Deo intenditur: vnde Seneca epiſt. 95. *Omne hoc quod vides, quo Diuina, atque humana concluſa ſunt, vnum eſt: membra ſumus corporis magni, natura nos cognatos edidit, cum ex eiſdem gigneret.*

Dub. 4. Ad illa verba, v. 2. *Et requieuit Dominus die ſeptimo.* Cur dicitur Dominum requieuiſſe? Cur creato homine requieuit Deus, qui in aliarum rerum creatione non dicitur requieuiſſe?

Reſponderur: Quod tunc bonus Dominus requieuit, cum homini requiem parauit. Deus requieuit, cum homini in cœlo requiem parauit. D. Auguſt. in Gathena Lippomani: *Et propterea requieuiſſe dicitur Deus translato genere locutionis; cum creaturæ rationali, in qua, & hominem creauit in ſeipſo, requiem præbuit.*

Deus requieſcit cum homini requiem parat.

2. Reſpondetur: Quod Deus hominem fecerat ad imaginem ſuam, hoc eſt, in gratia, & ſanctitate creauerat, quæ naturæ diuinæ eſt participatio inde quando cœlum, & terram creauit, quando germinantia terræ produxit, quando luminaria in cœlo conſtituit, & cuncta in lucem protulit, non dicit requieuiſſe, & die ſeptimo cum plaſmatus fuit homo, requiem ſumpſiſſe narratur, quia nimirum Deus requiem inuenit in homine in quo erat corporum, & ſanctum. Anima enim pura, ſancta eſt veluti centrum in qua Deus alacriter quieſcit. Petrus Damianus: *Fecit itaque Deus cœlum & terram, & tamen requieuiſſe non dicitur: fecit germinantia terræ, & luminaria cœli, & requieuiſſe non dicitur; fecit omnia quæ paſcuntur in terris, & quæ mouentur in aquis, & in omnibus nunquam legitur requieuiſſe. Sed plaſmato ad imaginem ſuam homine, Sabbathum protinus quietis illuxit, & ſic humanitatis conditor requieuit.*

Anima pura, & ſancta, eſt veluti centrum in quo Deus alacriter quieſcit.

Inquires: Si in Deo labor non fuit, cum mundi in lucem pulchram varietatem protulit, quomodo die ſeptimo dicitur requieuiſſe? Vbi defuit labor, fruſtra ponitur requies: nam hæc illi ſuccedit, vt præmium.

Reſpondetur: Quod requieuit Deus die ſeptimo: quia in illo incœptis operibus vltimam manum poſuit: & quia poſt hoc opus ſuum regere non deſtitit: Quod eſt dicere: quia Deus in ſuis operibus conſtanter perſeuerauit, vſque dum perfectionem haberet, ideo requieuiſſe dicitur, etiamſi non laboraſſet. Quaſi vel ipſe Deus ex ſua perſeuerantia in operando requiem, & lætitiam caperet, vel quaſi diuina ſit requies, & lætitia in operibus inceſſanter perſiſtere. Conſtanter enim perſeuerans in opere, requiem, & lætitiam capit. Diuus Gaudentius: *Requies igitur Dei non laboris remedium, ſed cœptorum finis eſt operum: ſiquidem poſtquam perfecit mandum, opus ſuum regere non deſiſtit.*

Constanter perſeuerans in opere requiem, & lætitiam capit.

Dub. 5. Ad eadem verba: *Et requieuit Dominus die ſeptimo.* Quid ſignificat quies Domini?

Reſpondetur: Quo quies Domini ſignificat, quod habenda eſt quies in virtute, non motus, ſed non quies in qua ſiſtatur, & nequaquam vltra progrediatur: Hoc in re virtutis à Dei quiete in operando diſcendum nobis eſt. In virtute non eſt ita quieſcendum, quod vltra non progediatur. Philo lib. 1. Legis Allegoricæ circa initium: *Primum igitur ſeptimo die requieſcens à mortalibus operibus, alias diuiniores formationes incipit. Nunquam enim Deus operari deſinit. Recte ſane dicitur, quieſcere fecit, non quieuit. Quieſcunt enim quæ videntur operari ipſa non agentia, at factor ille non quieſcit, ideò ſubinfertur quieſcere fecit, non quieuit. Quieſcere fecit, quæ exorſus eſt. Quæcumque enim noſtris actibus fabricantur, ea ſeu mel abſoluta ſtant, manentque, at quæ Deus perficit ſua ſcientia mouentur denuo: fines enim eorum aliorum ſunt principia, vt diei finis, noctis initium, menſes quoque, & annos deſinentes, initia ſequentium cogitare debemus.*

In virtute non eſt ita quærenda requies, vt vltra non progrediatur.

Dub. 6. Ad eadem verba: *Et requieuit die ſeptimo.* Cur dicitur, quod Deus requieuit, cum ipſe ſemper ſit in æterna, ac fœliciſsima quiete.

Reſpondetur: Quod Deus prima regula, ac exemplar ſtatim in ipſo exordio mundi nos prædocet, poſt factum opus aliquantulum quieti indulgendum, & non ſemper labori inſtandum eſt. Quieſcendum eſt poſt labores. Diuus Bonauentura lib. 1. Pharet. cap. 2. *Non omnipotentem & imperio ſermonis cuncta facientem laboraſſe exiſtimes cum requieuiſſe, & ceſſaſſe deſcribitur nam requies Dei, non laboris remedium, ſed exemplum noſtrum, vt etiam opere expleto requieſcamus.*

Quieſcendũ poſt labores.

2. Reſpondetur: Non ſcribitur, quod Deus requieuerit tanquam fatigatus, ſed pro noſtro documento, quod ille, qui

Requies patriæ dabitur poſt operationes.

qui die septima, Sabbatho nempe gloriæ vult requiescere in æterna gloria, prius debet præmittere operationem, vt mereatur gaudere in perpetua fœlicitate. Origenes lib. 6 contra Cellum: *Nescit quis nam sit ille post sex dies à mundo condito secuturus dies Sabbathi, in quo cuncti, qui sex illis diebus opera sua perfecerunt, nihil eorum prætermiserunt, quæ pertinent ad suum officium, cum Deo feriabuntur ascendentes ad spectacula, & Iustorum, & Beatorum celebritatem, quasi diceret, qui bene operabantur.*

Dub. 7. Ad eadem verba: *Requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat.* Cur dicitur Deum requieuisse, cum dicat Apostolus. 2. Corinth. 5. vers. 17. *Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt?* Si noua creatura datur, quommodo Creatorem quieuisse narratur?

Spiritus Sanctus incessanter satagit, vt homo melioretur.

Respondetur: Quod in Deo est Pater creans, & Spiritus Sanctus mundans, purificans, ac perficiens, easque multis donis, ac virtutibus repleus. Qui ergo creator est Pater, is cessat, acquiescit ab vniuerso creationis opere: At Spiritus Sanctus, cuius est proprium perficere, & meliorare naturam, eamque sua gratia ad consummatam perfectionem deducere, vt extinctis peccatorum maculis lucidior, ac perfectior effulgeat, is non cessat ab opere, nec quiescit, sed incessanter satagit, vt homo melioretur: Satagit Spiritus Sanctus, vt homo melioretur. Rupertus lib. 2. de operibus Spiritus Sancti, cap. 2. *Etsi cessauit Pater, cuius erat proprium condere rerum naturam, non cessauit Spiritus Sanctus, cuius est opus proprium meliorare naturam.*

Dub. 8. Ad eadem verba: *Requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat.* Si Christus de Æterno Patre dixit Ioannis 5. vers. 17. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor,* quommodo dicitur, quod Pater requieuit ab vniuerso opere suo, quod fecerat? Operari & requiescere ab opere, manifestam contradictionem inuoluunt, si quieuit quommodo vsque modo operatur?

Nunquam debet cessare ab opere, qui aliorum virtutes perficere curat.

Respondetur: Quod quieuit ab vniuerso opere creationis, vt nullam amplius speciem, vel genus de nuo produceret, tamen vsque modo operatur cooperante Spiritu Sancto per gratiam infusam, vt hominem gubernet, perficiat, ac dirigat in viam salutis æternæ, vt doceat quod nunquam cessare debet ab opere is, penès quem est cura perficiendi, & meliorandi hominum mentes. Diuus Augustinus tract. 17. *Quæ propter sic accipimus Deum requieuisse ab omnibus operibus suis, quæ fecit, vt iam nouam naturam vlterius nullam conderet? Non vtique, vt quod condiderat contemnere, & gubernare cessaret.*

Ordo Sancti Patris Nostris Dominici non cessat sanctos propagare.

2. Respondetur: Quod Deus cessauit ab opere creationis, & distinctionis, non tamen quiescit ab opere propagationis: ita Ordo Diui Dominici Patris Nostri non cessat à propagatione sanctorum, idee in quadam Antiphona dicitur: Christi pia gratia sanctos sublimauit, quos Patris Dominici Ordo propagauit. Hugo Cardinalis. *Et requieuit die septimo ab omni opere quod patrarat: inuit opus fore quod nondum fecerat: est enim opus creationis, distinctionis, ornatus, quartum est opus propagationis à quo nunquam cessat: Ioannis 5. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.*

Deus stabilis, creatura vero mutabilis.

3. Respondetur: Ideo dicitur Deum requieuisse, vt ex mutabilitate rerum Deus suam ostendat stabilitatem. Hugo Cardinalis: *Requiuit, id est suam requiem ostendit: Mutabilitas enim rerum, eius stabilitatem declarauit. Nam contraria iuxta se posita magis eluceſcunt: ipse autem stabilis manens, dat cuncta moueri.*

Contraria iuxta se posita magis eluceſcunt.

Dub. 9. Ad eadem verba: *Requieuit die septimo.* Cur Deus vno solo die quieuit, pluribus vero laborauit?

Pluribus diebus laborandum, paucis quiescendum.

Respondetur cum Oleastro: *Est quod hic aduertas pluribus diebus laborandum, paucis quiescendum. Operatus est enim rerum omnium artifex sex diebus, & vno solo quieuit, quo exemplo eos arguit, qui parum aut nihil laborantes, quasi toto tempore vitæ suæ otiari volunt.*

Dub. 10. Ad illa verba, vers. 3. *Et benedixit diei septimo.* Cur dies septimus benedictus, & sacratus præ reliquis diebus?

Principes in diu sum affectum omnibus ostendat.

Respondetur: Quod alij dies nobiles erant, atque honorati ob eas res quæ in illis productæ fuerant, in septima die nihil fabricauit: Hanc si inremuneratam Deus desiuisset, maleuoli cogitare possent, ideo despectam à Deo, qua ignobilis esset, vtpote in qua nihil fabricatum erat: At Deus ne honorem detulisse nobilibus diebus, & ob famam operum, quæ in illis facta fuerunt, & humilem, & obscuram diem contempsisse, quia in illa nihil factum, videretur, æquaturus infima sublimibus, & cunctis diebus in diuinum affectum ostendens, benedixit diei septimo, vt doceat

Prin-

Principes, quod eorum effectio vniuerſos debet complecti, miſeros pariter cum illuſtribus. Principes indiuiſum affectum oſtendant, ne ſint perſonarum acceptores. Theodoretus: *Vnuſquiſque dierum reliquorum peculiarem quandam creationem ſortitus eſt: Cum igitur ad diem ſeptimam Deus creaturam omnem conſumaſſet, diei ſeptimo in creationis locum largitus eſt benedictionem, ne ſolus ille dies præ cæteris honore careret.* Vide fol. 17. dub. 84.

Dub. 11. Ad eadem verba: *Et benedixit diei ſeptimo.* Cur non explicatur benedictio diei ſeptimi? Nonne exprimuntur benedictiones aliorum operum? Vtique nam creatis animantibus. Geneſ. 1. verſ. 22. *Benedixit eis dicens: creſcite, & multiplicamini, & replete.* Aquas maris, & creato homine, ac muliere, verſ. 28. Benedixit: *illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini.* Quare ergo cum hæ benedictiones narrentur, illa diei ſeptimi, quid diceret, tacetur.

Æternæ beatitudinis gaudia ſuperant omnem dicendi copiã.

Reſpondetur: Quod dies ſeptima, æternam quietem ſignificat: Hinc non explicatur diei ſeptimæ benedictio, quia gaudia æternæ vitæ exprimi non poſſunt. Silueira tomo 4. fol. 421. queſt. 14. num. 103. *Dies ſeptimus ob ſui quietem æternam fœlicitatem adumbrat: indeque in ſui benedictione tacet ſupernæ patriæ benedictiones adeo ſublimes, vt nec verbis, nec ſermone exprimi, aut capi valeant.* Vide dub. 13.

Dub. 12. Ad eadem verba: *Benedixit Deus diei ſeptimo.* Cur Dominus non benedixit illum diem, in quo hominem formauit, vel in quo Solem, & Lunam, ac Stellas creauit? Cur nulli dierum benedictionem largitus eſt Dominus, niſi tantum diei ſeptimo?

Otioſi, & ab opere vacui indecori, & inutiles habentur.

Reſpondetur: Quod ſolum diei ſeptimo, & non alijs diebus benedictionem confert Dominus, nam operatio in illis exhibita pro benedictione erat, eoſque benedictos reddebat: at dies ſeptimus, ne otioſus, ac infœlix haberetur, tanquam nullo opere ditatus, benedictione ditauit. Otioſi inutiles habentur. Procopius: *Ne quis, vt inutilem diem eam auerſetur, & abominetur, quaſi nullo opere digna à Deo ſit habita, ſicuti eos dies deteriores arbitrantur, in quibus nihil fit operis, merito ſubiecit, & benedixit Deus diei ſeptimo.*

Gratus ſit animus in benefactorem.

2. Reſpondetur: Ideo Deum benedixiſſe diei ſeptimo in quo quieuit ab opere, vt inſtruantur homines gratos eſſe illis, qui eis beneficia largiuntur: ita Oleaſter: *Quid aliud locus hic quam gratitudinem docet? Vt poſtquam Deus ita gratificatur diei, in quo ſolum ab opere ſuo quieuerat, totque illi bona contulerit diſcamus, & nos grati eſſe illis, qui in nobis beneficia collocarunt.*

3. Reſpondetur: Deum benedixiſſe diei ſeptimo, ideſt, Sabbatho, prædocens homines diebus feſtis præ cæteris bonis operibus, Diuiniſque laudibus maiori cura vacare. Hugo Cardinalis: *Benedixit, ideſt, in eo ſibi benedictiones, ideſt, laudes gratiarum fieri voluit: Benedicere enim eſt laudare, gratias agere, ſanctificare, multiplicare bona, optare bonum.*

Dub. 13. Ad eadem verba: *Benedixit Deus diei ſeptimo.* Cur de die octaua non fit mentio ſicut de alijs diebus?

Gaudia æterna non poſſunt excogitari.

Reſpondetur: Quod octaua dies gaudia æterna quæ in octaua die dabuntur, ſignificat inde de illo non fit mentio, quia gaudia vitæ æternæ, excongitari non poſſunt. Hugo Cardinalis: *De die octaua nulla fit mentio, quia gaudium æternum, quod in octaua ætate expectamus, tantũ erit, quod non poteſt excogitari. Iſai. 64. Oculos nõ vidit.* Vide dub. 11.

Dub. 14. Ad illa verba, verſ. 3. *Et ſanctificauit illum.* Quid ſignificat ſanctificatio diei ſeptimi?

Diebus feſtis cultui Dei tantum vacandum.

Reſpondetur: Quod cum dicitur Deum ſanctificaſſe diem ſeptimum, intelligendum eſt quod Deus illum ſibi ſeparauit, conſecrauit, ideſt, cæteros operum exercitio deputans, illum ſuo cultui mancipauit edocens homines pro feſtos dies labori deputare; feſtos vero cultui Dei ſacrare. Maluenda: *Sanctificauit illum. Quidam reddunt, ſeparauit, ſegregauit, ſepoſuit ſibi, ideſt, ſibi tribui voluit: in quo ceſſarent homines à ſeruilibus operibus, & Dei cultui tantum vocarent.*

Dub. 15. Ad eadem verba: *Et ſanctificauit illum.* An Sabbathum cum à Deo fuerit ſanctificatum in primordio rerum, obſeruatum fuerit ab hominibus in lege naturæ, cum ipſi tenuerint alia præcepta, quæ Deus dedit de comedendo fructus, & non carnes?

Qui minus vacant humanis, magis vacant Diuinis.

Reſpondetur: Quod in illo primordio non fuit neceſſarium dare tale præceptum, vt homines vacarent à laboribus, & Diuinæ contemplationi intenderent, quia in exordio mundi erat continua quies, cum parum de laboribus, & veſtitu curarent, vtpotè paucis cibis, & veſtibus vtentes, pro quibus nunc laborant homines: inde in initio mundi magis homines vacabant Diuinis, quia minus vacabant humanis: ex quo

quo infertur homines ab oratione, & contemplatione Diuinorum deficere, & quasi mortuos Dei meditationi viuere, quia nimio amore terrenorum, & superfluitate ciborum, & potus, & vana curiositatis anxietate vestitus trahebantur. Vnde Religiosi plus debent orare, & meditari, quàm sæculares, quia minus anxietate premuntur terrenorum: superfluebat ergo in illa ætate præceptum de oratione, & meditatione Dei, & rerum eius, quando aberat cura corporalium, vt tunc euenibat, nunc vero quia in illorum acquisitione totaliter inuoluimur, totaliter ab oratione, & meditatione cessamus. Abulensis: *A principio non erat necesse dare tale mandatum, quia hoc est, vt homines vacent à laboribus, & intendant Diuinæ contemplationi in illis diebus, quod facere non possunt in diebus non vacatiuis. In prima autem ætate erat quasi continua quies: modicum enim vel nihil laboribus intendebant, quia paucis cibus vtebantur, & vestibus pro quibus nunc quotidianus labor est, & quia ea quæ in cibos sumebant ipsa natura propinabat.*

Dub. 16. Ad illa verba, vers. 4. *In die quo fecit Dominus Deus cœlum, & terram.* Cur in qualibet rerum productione dicitur Deus, creatis vero omnibus Dominus Deus appellatur?

Deus et nomine ad beneficia impetranda excitatur.

Respondetur: Quod non patitur Deus nomen esse vacuum, ac proinde ex duplicata nomenclatura mouebatur ad augendam, multiplicandam, ac dilatandam benignitatem, quasi Deus iam cognomento Dominus, otiose nomen caperet, si quid operis non adisceret, ac multiplicaret. Excitatur enim Dominus ex nomine ad benefaciendum. Diuus Anastasius Sinaita lib. 7. Exameron: *Postquam nomen duplicauit opificis, conduplicauit, & facta opera, non pauca in illis faciens additamenta.*

Dub. 17. Ad illa verba, vers. 4. *Istæ sunt generationes cœli, & terræ.* Cur Moyses distinguit inter generata à cœlo, & à terra?

Beneficiũ in eum à quo accipimus referendum.

Respondetur: Quod Moyses voluit nos distinguere inter beneficia Dei, & ea quæ ab eo ministerio terræ accipimus. Vt vnum quodque beneficium suo adscribamus Authori, quæ à Deo sunt Deo, quæ à terra, terræ referendum est: ideo Moyses distinguit inter ea quæ produxerunt cœlum, & terra quando primum creata sunt: Beneficium in eum à quo accipitur referendum. Oleaster: *Admonet locus hic distinguere inter beneficia Dei, & quæ ab eo opere, & ministerio naturæ consequimur, vt vnum quodque in suum referamus Authorem.*

Dub. 18. Ad illa verba, vers. 5. *Non enim pluerat Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram.* Cur post vniuersorum creationem notanter dicitur quod terra fructus non germinabat?

Respondetur: Quod licet Deus die tertio conditi mundi terram arboribus, fruticibus, & herbis impleuerat: tamen nulla erat amœnitas, dispositio ornatus, pulchritudo, delitiæ agrorum, hortorum, quia nondum imber opportunus erat, nec homo, qui hæc sua cura, & industria coleret, disponeret, & ornaret, laboreque suo cooperaretur terræ, quo docemur, quod, vt virtutum flores in anima pullulent, vt fructus earum germinent ad continuitatem duo inaispensabiliter requiruntur, & auxilia Dei, & opera nostra; quod Deus nos adiuuet, vt operemur, & quod nos cooperemur gratiæ auxiliatrici: vnum enim sine altero nihil prodest. Abulensis: *Hic subditur causa quare non orta fuerant virgulta, & herbæ: ea enim quæ in terra gignuntur, ex duobus principijs maxime generantur, scilicet ex humido tanquam materia, & ex calore tanquam ex actiuo dirigente, & consequenter, ex dispositione artis humanæ per agriculturam: ista duo adiuuantes, cum ergo defecerit pluuia humectans, & labor humanus disponens, cessabat pullulatio, vel ortus plantarum, ideo subditur: Non enim pluerat Dominus super terram.*

Gratiæ Dei cooperandũ, vt fructus virtutum in nobis germinent.

Bona naturæ Dei munera fuisse.

2. Respondetur: Cum Moyses dicit quod non orta fuerant virgulta, & herbæ, consequenter narrat quod non pluerat Deus super terram; vt edoceantur homines bona naturæ Dei munera esse, cum hæc indigeant pluuia à Deo dimissa. Ita Oleaster: *Ne putares ea quæ natura habes, bona, non esse Dei munera: ostendit omnia hæc egere pluuia ab eo demissa. Nihil enim hominis labor, nihil natura ipsa omnium parens promoueret, si autem naturæ pluuiam suam, & cœlorum influentias denegaret.*

Dub. 19. Ad illa verba, vers. 6. *Sed, & fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.* An fons ascendebat de terra eo tempore quo Deus pluebat?

Principes, & Rectores defectus Reipublicæ suppleant.

Respondetur: Quod fons non irrigabat terram simul cum pluuia descendente de cœlo (sic enim esset diluuium) ascendebat tamen statutis temporibus, scilicet cum pluuia deerat: supplebat enim

enim Deus illa aqua cœleſtem pluuiam; vt doceat Principes, Rectoreſque, Reipublicæ defectus ſupplere. Oleaſter: *Te littera docet omnium Patrem naturæ defectus ſupplere. Cum enim cœleſtis pluuia deeſſet: ipſi curæ fuit fontem de terra facere ſcaturire, qui ſuis copioſiſſimis aquis terræ naſcentia genita, perire ſiccitate non ſineret.*

Dub. 20. Ad eadem verba: *Sed & fons aſcendebat de terra.* Cur vt terra abundatiori aluo germinaret ligna pomifera, cœleſti imbre non fœcundatur, ac irrigatur?

Superflua maximè cuitanda ſunt.

Reſp. Quod florum ornamenta, ac arbores producta ſunt à terra tertio die poſtquam ab ipſa diuiſæ ſunt aquæ, quibus antea operiebatur. Præclarè ergo optimus Gubernator, vt inter mundi incunabula nos doceret ſuperflua effugere, non diſpoſuit, vt pluuia è cœlo deſcenderet, cum aquaria humiditas ad vergulta producenda adhuc vigeret in terra. Superflua enim vitanda ſunt. Cathena Græca: *Præterea terra ſine hominis cultura, ſine vmbriferis nubibus germinauit ad opificis voluntatem, vt quæ à recenti aquarum ſeparatione ſatis adhuc humoris, & vliginis in ſe contineret.*

Dub. 21. Ad illa verbâ, verſ. 7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Cur quando hominem formauit, nomen *Domini* ei attribuitur, cum in productione aliarum creaturarum *Dei* nomine ſolum gaudeat? De creatione cœli, & terræ dicitur: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, non Dominus, *dixit Deus fiat lux*, non dixit *Dominus*, & ſic vſque ad hominis creationem, cur ergo potius in præſenti hoc nomine gaudet, quam in productione aliarum rerum.

Deus magis vult manifeſtari per ea quæ nobis communicat, quã per illa quæ ipſe ſolus poſſidet.

Reſpondetur: Quod ante hominis creationem non dabatur in hac viſibili machina quiſpiam, cui Deus dominationem communicaret; at producto homine, iam perſona exiſtebat, quæ dominationis particeps fieret: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli.* Tunc Deus nouum Domini ſibi aſſumit, ſeque Dominum nominari vult, cum iam ſit productus homo, cui tale nomen conferat quemque illius participem reddat; quaſi Deus quodammodo velit cognoſci, ac manifeſtari, per ea quæ nobis communicat, quam per illa, quæ ipſe ſolus poſſidet, ac ſibi retinet. Tertullianus lib. Aduerſus Hermonem, cap. 5. *In principio fecit cœlum, & terram, & dicit Deus fecit Deus, & vidit Deus, nuſquam Dominus: at vbi vniuerſa perfecit, ipſum quoque, vel maximè hominem, qui propriè Dominum intellecturus erat, Dominus etiam appellatur: ac inde Dominus, qui retro Deus tantum ex quo habuit eius eſſe.*

Dub. 22. Ad illa verba, verſ. 7. *Formauit Deus hominem de limo terræ.* Cur Deus formauit hominem de limo terræ, non vero de alia pretioſiori materia, cum ad imaginem ſuam eum fecerit?

Reſpondetur: Quod Deus non nobiliſſimam materiam, ſed limum terræ accepit, vt hominem formaret, vt ſi forte intumeſceret ex creatione animæ ſimili creatione Angelorum, ſtatim ex formatione corporis ſimili formatione vaſorum fictilium, detumeſceret; conditur ergo ex vilißima materia, vt humilitatem conſeruet Hugo Cardinalis: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, id eſt, de terra limoſa, argiloſa, quantum ad corpus: & hoc dicit Moyſes, vt ſemper recolat homo vilitatem ſuam.*

Homo humilitatem ſemper cõſeruet.

2. Reſpondet. Quod licet homo ad imaginem Dei ſit factus, tamen de limo terræ cum formauit, vt in eo ſuperbiam, & deiectionem temperaret. Temperat Deus in homine ſuperbiam, & deiectionem. Oleaſter: *Diſce qualiter in te, & ſuperbiam, & deiectionem temperauerit. Fecit enim te è puluere terræ ſuique imaginem dedit: vt ſi quando Dei imago te inaniter extolleret, puluis reprimeret: ſi autem tenuis puluis deijceret, deiectum, nobilis Dei imago ſublimaret.*

Deus in homine temperauit ſuperbiam, & deiectionem.

Inquires: Si Adamus de limo terræ originem duxit, Eua vero illuſtriori claruit, vtpote in Paradiſo de coſta Adami formata: Cur præfertur Euæ in naſcendo clariori, cum ingenuitati ortus quaſi ex iuſtitia ius imperandi debeatur?

Deus nõ æſtimat claritatem generis, ſed virtutis.

Reſpondetur: Quod homo in ortu ignobilis erat, ſed virtute clarior Eua, quæ licet nobilior, tamen gratiam citius perdidit quam Adamus, quem decepit ſuadens pomi eſum. Hinc Adamus illuſtriori ornatus virtute Euæ præfertur, & ſuper eam obtinuit dominium, quia apud Deum non claritas generis, ſed virtutis æſtimatur. D. Ambroſ. lib. de Paradiſo, capit. 4. *Denique homo extra Paradiſum factus, hoc eſt, in inferio-*

riori loco, vir melior inuenitur, & illa quæ in meliori loco, hoc est, in Paradiso facta est, inferior reperitur. Mulier enim prior decepta est, & virum ipsa decepit. Vide fol. 39. dub. 113.

Dub. 23. Ad illa verba, vers. 7. *Insprauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Cur animam per spiritum designatam, Deus in facie hominis posuit, cum anima tota sit in toto corpore, & tota in qualibet parte?

Resp. Quod per quinque sensus humanæ operationes exercentur à nobis in facie sensus apparent, ponatur ergo anima in facie, vt per operationes sensum anima arguatur in corpore. Anima est vita corporis, sed vita animæ est gratia, ergo sicut arguitur ex operationibus animæ vita naturalis in homine, ita ex operationibus supernaturalibus gratiæ, dignoscitur in anima vita gratiæ. Vnde signum demonstrans euidenter adesse in anima gratiam, est operatio virtutum, & quantum crescunt opera, tanto ostendunt gratiam maiorem. Arguitur gratia animæ ex operatione virtutum. Abulensis: *Dicitur Deus inspirasse in faciem, quia in facie magis, quam in alijs corporis partibus anima demonstratur, cum ibi sint omnes quinque sensus, ex quorum actibus animam intrinsecus agentem arguimus.*

Signum demonstrans adesse, in anima gratiã est operatio virtutum.

Dub. 24. Ad eadem verba: *Insprauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Cur non dixit quod inspirauit animam spiritualem, & immortalem, sed spiraculum vitæ?

Vita hominis ita breuis, vt principium vitæ, finem eius denotet.

Resp. Quod anima rationalis est spiritus immortalis, æternus, spiraculum vitæ significat flatum quemdam; ideò vt in vitæ exordio eius breuitas exprimatur, flatus nuncupatur. Vitæ breuitas in exordio vitæ dignoscitur. Procopius: *Spiraculum sub tempus cadit, spiritus verò æternus prohibetur spiraculum exiguo viget tempore, & deinde addit, adimens omnis spirandi, & respirandi vim, seu potentiam corpori, in quo prius hærebat, spiritus verò stabilis manet.*

Dub. 25. Ad eadem verba: *Insprauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Cur Adamo vno halitu datur vita: at verò ossibus aridis, vt reuiuiscerent à quatuor ventis insuflauit spiritus. Ezechiel 37. num. 1.

Difficillè renouatur homo peccatis inueteratus.

Respondetur ex Silueira tomo 4. lib. 6. cap. 22 quæst. 16. num. 120. *Quod cum plasmatur Adamus terra erat recens, ac infantilis, ac proinde valde tenera, & apta ad quamcumque formam sine labore recipiendam: at verò ossa illa vetustate, ac senio vehementer sicca erant, & ideò vt vegetarentur, non tantum ab vna parte, sed ab omnibus orbis angulis vocandus fuit spiritus, seu multiplex eius virtus, & ossa multo senio arida animarentur: difficile enim renouatur homo peccatis inueteratus.*

Dub. 26. Ad eadem verba: *Insprauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Cur Deus spiritum suum dedit pulueri, qui ad leuissimum auræ cuiusque strepitum, huc illuc rotatur, & circunducitur?

Nihil inconstãs est quod Dei spiritu non roboretur.

Respondetur: Quod Adam de vilissima glebæ portione formatus est, dedit tamen ei spiritum suum, vt intelligamus nihil esse tam imbecillum, aut inconstans, quod Dei conuiuificatum spiraculo non in robur procedat, & stabilitatem: vnde ideò tam inconstantes nos, & labiles, ideò tot vicissitudines in nobis, quoniam Dei spiritu sumus destituti. Nihil enim tam inconstans, quod Dei spiritu non firmetur. Tertul. de Resurrectione carnis, cap. 7. *Obliteratus igitur, & denoratus est limus in carnem? Quando? Cum factus est homo in animam viuentem de Dei afflatu vapore, scilicet idoneo terrore quodammodo limum in aliam qualitatem, quasi in testam, ita in carnem: sic & figulo, licet argillam temperato ignis ad flatu in materiam robustiorem recorporare, & aliam ex alia fingere speciem aptiorem pristina.*

Homo non duca: bellui nam vitam, sed Dei vita viuat, ex quo Dei spiritum accepit.

2. Respondetur: Ideò Deus spiritum suum homini communicauit, vt homo Dei vita viuat, non belluina, ex quo accepit spiritum Dei. Homo cum accepit spiritum Dei, vita Dei non belluina debet viuere. Oleaster: *Aduerte qualiter Dominus tuus ex intimo suo flatu vitam tibi communicauit. Potuit enim dicere: Fiat homo in animam viuentem, sed hoc non contentus, quasi ex suis præcordijs vitam eduxit. Cui non sat fuit vatibus spiritum suum communicare, sed noluit nullum hominem spiritus sui expertem: ideòque in faciem ipsius spiraculum vitæ protulit. Quod si Dei vita viuis, quid tibi cum brutis est, vt belluinam ducere vitam velis? Neque solum humanam naturam à nobis accepit: sed aliam etiam naturalem, & spiritualem contulit meliorem. Quod si intra præcordia tua vitalis Dei flatus par-*

particeps es quare ferinum ſpiritum iratus, vt fera emittis?

Viri, & fœminæ vnus debet eſſe ſpiritus, & voluntas, & amor.

Inquires: Cur Moyſes dicit Deum inſpiraſſe in faciem hominis ſpiraculum vitæ, non vero in formatione Euæ? Reſpondetur: Quod mulier formabitur ad conſortium: & ſolatium hominis, & futura erat vna caro cum homine ratione coniugij: Hinc vnus ſpiritus, vnaque reſpiratio vtrique communis erat, & cum de homine dicatur gaudere reſpiratione ſuperfluum eſſet hoc dicere de Eua ei matrimonio conionc̃ta: vir enim, & fœmina ita debent eſſe concordes, quod vnus ſit vtriuſque ſpiritus voluntas, & amor. Tertulianus: *Vbi caro vna, vnus, & ſpiritus.*

Dub. 27. Ad eadem verba: *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Cur eadem voce exprimitur ſpiritus vitæ homini datus, ac mors Dei Filij. Euangeliſtæ enim cum mortem Chriſti narrant, non dicunt Chriſtum obiiſſe, ſeu mortuum fuiſſe: vnde. D. Matthæus ait cap. 27. verſ. 50. *Emiſit ſpiritum.* Et Ioannes 10. verſ. 30. *Tradidit ſpiritum*, quare ergo eadem voce ſignificatur vita hominis, & mors Chriſti?

Ex morte Chriſti vita noſtra proceſſit.

Reſp. Quod locutiones Euangeliſtarum eædem ſunt cum illa, qua vitalis ſpiritus dicitur homini datus, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, vt appareat quod ſpiritus vitalis primo parenti conceſſus, coniunctus erat cum morte Filij Dei, ac proinde quod mors eius vitam homini dedit, ab ipſaque morte vitalis ſpiritus in nos tranſfunditur. Ex Chriſti enim morte vita noſtra orta eſt. D. Ambroſius lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 18. *Quid clementius quàm quod mihi ſuas donauit iniurias: plenius tamen, quod tantam contulit nobis, vt qui moriturus non erat, quia Deus erat noſtra illa morte moreretur, vt nos eius ſpiritu viueremus.*

Dub. 28. Ad illa verba, verſ. 7. *Factus eſt in animam viuentem.* Legit Chaldæus: *In ſpiritum loquentem.* Cur Deus dedit homini ſpiritum loquentem?

Gratitudo erga benefactorem ingenita debet eſſe.

Reſpondetur: Quod cum homo manibus Dei formatus eſſet magna perfectione dedit illi ſpiritum loquentem, vt multa diceret in gratiarum actionem, ac laudem Dei, à quo tantis donis exornatus eſt, vt ſimul cum ipſa anima ei eſſet ingenita gratitudo erga ſuum Creatorem, ac Benefactorem. Diuus Chriſoſtomus: *Ea propter & animam inſpirauit, & linguam dedit, vt ſua in nos beneficia animis percipientes Dominum agnoſcamus, & nos gratos ex hibeamus, & pro viribus gratiam agnoſcamus.*

Dub. 29. Ad illa verba, verſ. 8. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis.* Cur dicitur Deum per ſe ipſum Paradiſum plantaſſe, colendum autem homini tradidiſſe? Quare non potius vtrumque, & plantandi, & colendi laborem, aut ipſe ſumpſit, aut homini delegauit?

Dignitas, & præſulatus non datur ad requiem, & otium, ſed ad operandum, & laborandum.

Reſpondetur: Quod homo creabatur, vt Dominus vniuerſi, cuius, & Regia ſedes illi deputabatur Paradiſus, & tam intrinſecus eſt Dominationis ſolio labor, & ſolicitudo, quod Deus Paradiſum per ſe plantauit, & homini colendum tradidit, vt ex hoc primus parens magnum exhauriret exemplum, vt quantam Deus curam in plantando Paradiſo ab initio poſuerat, tantam, & ipſe in eodem excolendo collocaret. Aye: *Vt partito labore ad operandum homini præiret exemplo, vt quantam ipſe curam in plantando Paradiſo poſuerat, tantam in eodem colendo homo poſtea collocaret.*

Dub 30. Ad eadem verba: *Plantauerat autem Dominus Paradiſum.* Cur Moyſes ſcribit Dominum Paradiſum plantaſſe? Cur non dixit Deus fiat Paradiſus, ſicut dixit: fiat lux, & facta eſt lux? Cur hunc non mandauit fieri per Angelos ſuos?

Gaudet Deus quod homini adminiſtret.

Reſpondetur: Quod dicitur Deum plantaſſe Paradiſum homini, vt ſuum ſingularem amorem, ac curam erga eum declararet, quod ipſe voluerit quaſi hortulanum fieri pro homine. Deus enim gaudet quod homini miniſtret Anaſtaſius Sinaita in Examer on: *Deus fuit hortulanus & ſuæ creaturæ adminiſter, quis Dei amorem tam eximium non miretur, ac veneretur?*

Dub. 31. Ad eadem verba: *Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis.* Septuaginta legere: *Paradiſum in Edem ad orientem.* Cur Dominus primum hominem delitijs tunc affluentem, tot bonis cumulatum, & redundantem, in oriente conſtituit? Nonne aptius ad occidentem? Quare ergo non ad occaſum, ſed ad orientem potuit?

Mors ante oculos ſemper habenda.

Reſpondetur: Quod Dominus conſtituit hominem ad orientem, mortem, vt ante oculos ſemper haberet, & dum annotaret vniuerſi ſplendoris aſtra quotidie oriri, in occaſum quotidie vergere, & in mortem

ire, discederet, & reuocare studeret corpus ad ortum, quod quotidie conspiciebat ad Occasum. Mors enim ante oculos semper habenda. Seuerianus: *Deus hominem ibi primum habitare voluit, vnde principium lucis oriretur, nam quemmadmodum Sydera ab ortu tendentia ad Occasum rursus apparent, sic & hominem oportebat à vita properare ad mortem, & occidere.*

Dub. 32. Ad eadem verba: *Plantauerat autem Deus Paradisum.* An aquæ diluuij ingressæ fuerint Paradisum?

Labores impetunt iusti, sed non extinguunt.

Respondetur: Quod aquæ diluuij potuerunt circundare Paradisum; ingredi tamen non potuerunt, quia erat ibi Enoch iustus, & illum, ac Paradisum habitationem suam impetere potuerunt, & circuncirca illum peruenire, supprimere autem nec iustum, nec Paradisum minimè, vt instruantur homines posse quidem labores, & infortunia præmere iustum, & ex omni parte illum circundare; extinguere verò, aut suffocare nullatenus efficere possunt. Abulensis: *Ad istam altitudinem aquæ diluuij non peruenerunt, quia tempore diluuij etiam Enoch translatus erat in Paradisum, quem interfecissent præfocando quod non licebat.*

Dub. 33. Ad eadem verba: *Plantauerat autem Deus Paradisum.* An arbores Paradisi semper frondibus ornatæ?

Iusti semper virtute florent, nec à virtute decidunt.

Resp. Quod huius loci arbores folia nunquam deponunt, nec viredinem perdunt, semper virentes, cum frondibus, semper cum fructibus. In nostrum documentum, quod iusti nunquam virtutes, nec earum vigorem amittunt, semper in ea florent. Tertulianus de Iudicio Domini cap. 8. apud Maluendam de Paradiso cap. 66.

Æternumque virent solæ sine grandine siluæ
Nulla cadunt folia, & nullo flos tempore desit.

Lactantius in carmine de Phoenice:

Lucus perpetuæ frondis honore viret.

Marius Victor lib. 1. carminum in Genesi de Paradiso ait:

Semper flore nouo frondens, fructuque recenti.

S. Alcimus Auitus lib. 1. de Initio Mundi.

Stant semper collibus herbæ
Arboribusque comæ.

Dub. 34. Ad illa verba, vers. 8. *In quo posuit hominem quem formauerat.* Cur Adamus positus fuit in Paradiso?

Beneficium non debetur ex iustitia, sed datur ex gratia.

Resp. Quod Adamus locatus fuit in Paradiso vbi non fuerat creatus, vt intelligeret Adamus quod illud beneficium dabatur ei, non debebatur, ex gratia exhibebatur locus voluptatis non ex iustitia. Abulensis: *Hoc fuit vt sciret homo quod ille locus dabatur ei ex gratia, & non debebatur ex iustitia.*

Dub. 35. Ad eadem verba: *In quo posuit hominem quem formauerat.* Quid profuit hominem poni in Paradiso, quia homo statim perdidit locum illum, & non consecutus est id ad quod Deus ibi illum ponebat?

Deus dat hominibus suã gratiam, & super naturalia dona, faciens quod ex parte sua est, & relinquens hominem in manu consilij sui.

Resp. Quod hoc fecit Deus, vt faceret quod ex parte sua erat, & vt relinqueret hominem in manu consilij sui, & operaretur iuxta naturam suam, & licet male operatus fuerit, nihil tamen fuit contra mentem Diuinam, nec propter hoc Diuina frustrata est prouidentia. Hoc patet in Iudâ proditore, quem ad suum Apostolatum elegit, & euexit Deus, vt dixit D. Ambrosius, non per imprudentiam, hoc est, non quia nesciret Christus illum tanto fauore abusurum, & eum venditurum, sed vt faceret cum illo, quantum ex ipso erat, relinquens tamen eum in sua libertate, vt si vellet fructum Apostolatus lucraretur, sicut alij fecerunt Apostoli, etsi vellet, illum non amitteret, quod fecit nemo: hoc etiam euenit quotiescumque dat Deus suam gratiam, & dona, quos tamen scit omnia illos amissuros: Deus quantum est ex parte sua dat homini gratiam, & relinquit hominem in manu consilij sui. Abulensis: *Dicendum quod proderat, quia Deus faciebat id quod absolutè erat conueniens fieri, quod vero homo illum locum perderet fuit peraccidens, & ex defectu suo, quod autem homo à Deo poneretur ibi erat per se bonum, & rectum tam ex dignitate hominis, quàm ex fine, quem Deus præstituerat speciei humanæ indiuiduis; quod autem est per se bonum, & ad principia agendi Dei pertinet, non est turbandum propter id quod est peraccidens, & prouenit ex alienis defectibus: cum autem dicitur, quod non consecutus fuit homo intentionem Dei: dicendum, quod Deus consecutus est hoc quod voluit, cum non possit frustrari prouidentia eius. Hoc enim voluit quod ipse ageret id quod homini conueniebat secundum dignitatem naturæ, & finem ad quem ipse instruebat eum, & hoc sufficienter fiebat ponendo semel hominem in Paradiso. Voluit etiam quod homo ageret bonum, secundum conditionem naturæ suæ, id est, liberè, & flexibiliè*

biliter , & quia ſic faciendo poterat facere bonum , & permanere , & facere malum , & per iuſtam Dei legem expelli , & quid horum actuus eſſet præuideret Deus , & nihil actum eſt , eſt contra id, quod vt ita dicamus, cogitauerat , neque contra id , quod fieri voluerat.

Dub 36. Ad illa verba, verſ. 9. *Produxitque Dominus Deus de humo omne Lignum pulchrum viſu , & aduenſcendum ſuaue.* Cur Deus produxit Lignum pulchrum viſu, ſimulque ſuaue aduenſcendum?

Deus homini parat varias delicias,

Reſpondetur : Quod Deus voluit homini parare varias, quibus oblectaretur delicias ; ideo produxit Lignum non ſolum pulchrum quo viſus obiectaretur, ſed, & ſuaue aduenſcendum, quo paſceretur guſtus: Deus hominem oblectat multis delicijs. Oleaſter: *Conſidera Dei dignationem , cui non ſuffecit arborem cuius fructus hominis palatum alliceret in horto plantare , ſed , & concupiſcibilem aſpectu quo viſus eius oblectaretur produxit : Et mirum valde eſt, quas homini a principio Dominus Deus parauerit delicias, vt oculos paſceret, & guſtum oblectaret.*

Iuſtus abſolute appellari non poteſt, qui plures virtutes habet, vna tamen caret,

Dub 37. Ad eadem verba : *Produxit Dominus Deus de humo omne Lignum pulchrum viſu.* Quare neceſſe fuit omnia ligna à Deo producta eſſe pulchra viſu ? Sufficere videbatur quod aliqua talia eſſent: vel multa quidem, ſed omnia quare?

Reſpondetur: Quod ad laudem ſingularem Paradiſi dicitur quod omnia ligna erant pulchra viſu : ſi enim aliqua ligna , & non omnia viſum delectarent , Paradiſus non eſſet hortus optimus, cum aliquibus viſu pulchris careret , vnde melior eſſet ille in quo eſſent omnia ligna pulchra viſu , & aduenſcendum ſuauia : ita anima , quæ Dei Paradiſus debet eſſe , omni vitio carere debet, non vno, vel alio , ſed omni , quia ſi aliis careat , vno tamen implicetur, iam Dei Paradiſus eſſe non poterit: ideoque qui iuſtus abſolute vocari dignus eſt , ille non ſolum vnam, vel alteram virtutem habere debet, ſed omnes , quia ſi plures habeat , vna tamen careat , iuſtus omnimoda cum veritate , vt appelletur dignus non eſt. Abulenſis. *Dicendum quod fuit primo ad oſtendendum ſpecialem laudem Paradiſi : Nam ſicut laus Paradiſi erat, quod eſſent ibi ligna pulchra viſu, & aduenſcendum ſuauia : ita erat ſpecialis, & propria laus Paradiſi , quod eſſent ibi omnia ligna pulchra viſu ,* & poſt pauca : *Nam ſi non eſſent ibi omnia , non eſſet hortus optimus Paradiſus , quia melior eſſet ille, in quo eſſent omnia ligna pulchra viſu , & aduenſcendum ſuauia.*

Dub. 38 Ad eadem verba: *Omne Lignum pulchrum viſu.* An in Paradiſo fuerint arbores pulchræ , & dulcis ſaporis.

Reſpondetur: Quod arbores Paradiſi pulchræ ſunt , ſaporiſque dulcis. Adam enim, & Eua erant eximiæ dignitatis , natutæ, & gratiæ, ſemel determinati ad peccandum comedendo, erat neceſſarium , quod ex parte obiecti , & ligni manducati eſſet excellens attractiuum , & impellens ; aliàs viri tanti propter paruæ notæ Lignum non peccaſſent; neque Deum , & tanta eius dona amittere decreuiſſent : ita indecens eſt valde præcipuè hominibus in dignitate conſtitutis peccatum committere cum perſona infima reſpectu tuæ dignitatis : vel pulchrum , & nobilem virum, cum deformi, vel infimę notę muliere, aut ieiunium frangere propter infimam cæpam. Abulenſis hic in tertia ratione: *Tertio, & principaliter fuit propter illa quæ vult concludere Scriptura. Vult enim inferre Adam , & Euam expulſos de Paradiſo , quia comederunt de ligno vetito eis. Non erat autem veriſimile : quod ipſi vellent agere contra mandatum Dei , niſi aliquod motiuum forte haberent , illud enim fuit conditio Ligni, ſi enim eſſet Lignum paruæ nobilitatis non impelleret motu forti.*

Indecens eſt in dignitate conſtitutis, vel viro nobili peccare propter infimum obiectum.

Dub. 39. Ad eadem verba : *Omne Lignum pulchrum viſu.* Cur Deus non vnam, vel alteram arborem pulchram, & decoram viſu, ſed multas creauit?

Reſpondetur : Quod in Paradiſo erat omne Lignum pulchrum viſu , & aduenſcendum ſuaue , vt oſtenderetur mandatum Dei leue , & peccatum hominis graue. Mandatum quidem Dei præcipientis homini , quod de arbore verito non comederet, fuit leue, quia vetans de illo manducare , alia permittebat pulchra , & ſuauia quibus veſceretur , & non eſſet Adæ durum ab eo abſtinere. Peccatum vero hominis fuit graue , quia cum multa alia haberet , de quibus edere potuit, de illo quod Deus prohibuit manducauit : Quod ad mores ſic applica: Grauiſsimum peccatum hominum eſt cum mulieribus Deo conſecratis per luxuriam peccare , cum ſint aliæ infinitæ fœminæ, & nedum tantæ, ſed maioris pulchritudinis , ad quas accedere poſſent: ſi enim aliæ non eſſent, & cõ-

Præcepta Dei leuia, vnde, & peccatum hominis graue, qui aduersus præceptũ Dei ſunt.

Luxuria cum Moniali grauiſsimũ peccatum.

culpa minus grauis esset, & Deus in illarum prohibitione mandāda rigidior appareret. At cū alię multæ sint prętер Religiosas mulieres decorę, & pulchrę, imò pulchriores, illas prohibendo, non se rigidum ostendit Deus, & peccatum cum illis peccantium grauius est. Abulensis in quarta ratione: *Quarto potuit hoc dici ad grauandum peccatum Euæ, & Adæ, & ad alleuiandum mandatum Dei. Si enim in Paradiso non esset nisi vnum Lignum pulchrum & suaue: cæteræ essent paucæ laudis, & de illo Ligno vetuisset Deus hominibus manducare, videretur mandatum Dei valde durum ad seruandum, & peccatum hominum facile, & parum, cum durum esset ei abstinere ab illo Ligno cum non haberet aliud pulchrum visu, & ad gustandum suaue. Nunc autem cum dicitur, quod erat ibi omne Lignum pulchrum visu, apparet quod mandatum Dei erat leue, quia etiamsi vetaret de illo manducare relinquebantur multa alia pulchra, & suauia, de quibus possent manducare, & non esset eis durum abstinere, & peccatum hominum appareret graue, quia cum multa alia haberent, quibus vescerentur, de hoc quod Deus vetuerat, manducare voluerunt.*

Statura parui, & corpore pusilli perfecti esse non possunt.

Dub. 40. Ad eadem verba: *Omne lignum pulchrum visu.* Cur Sacra Scriptura laudans in perfectione ligna Paradisi, non ea laudat de altitudine? Si ea laudat, quia perfecta, quare non laudat, quia grandia, & alta?

Resp. Quod ea laudat de altitudine, quia laudando ea de perfectione, consequenter laudat de altitudine, quasi perfecta esse non possent, si parua, & non alta essent, in morale documentum, quod statura parui, & corpore pusilli perfecti esse non possunt, cum negatio inferat negationem, sicut affirmatio affirmationem; si perfectio dicit altitudinem, negatio celsitudinis negat perfectionem, & idcò pusilli perfecti esse nō possunt. Abulensis: *Dicendo de pulchritudine subintelligebatur* (quod erant alta, & grandia) *nam dicitur Lignum pulchrum visu, quod videntem delectat; inter cætera autem quæ arborem pulchram reddunt, est vnum ex illis celsitudo, ideò dicto quod erant arbores pulchræ in Paradiso, intelligitur etiam quod erant excelsæ.*

Dub. 41. Ad illa verba, vers. 9. *Lignum etiam vitæ.* Cur Adam prius de Ligno vitæ non gustauit, cum arbor vitæ pulcherrimis, & viuificis fructibus abundaret?

Eucharistia munit aduersus mortem æternam.

Respondetur: Quod dæmone instigante hoc factum est, ne si fructum vitalis arboris, Sanctam Eucharistiam adumbrantis, pertingeret Adamus, muniretur primus parens aduersus mortem à serpente quęsitam, & quia huiusmodi fructum non gustauit, ideò serpens prę-ualuit aduersus illum, vt mortem non vitarer, qui Eucharistiam dignè sumit mortem non gustauit æternam. Diuus Amadæus Homil. 1. de fructibus Virginis Mariæ: *Inter hos, & horum media consurgit arbor, quam diximus salutifera generans cibum vitæ, & manna cœleste. Manna habens omne delectamentum, & omnem suauitatem; ad quod si prius Adam attingeret, mortem non gustaret in æternum.*

Dub. 42. Ad eadem verba: *Lignum etiam vitæ.* Cur Moyses duarum Paradisi arborum specialem mentionem facit? Cur, & de alijs fœlicibus lignis relationem singularem non fecit?

Inter metum, & fiduciam, iustitiam, & misericordiam Diuinam gradiendum.

Respondetur: Quod Moyses volebat indicare, quibus præsidijs communiuisset Deus Adamum, & Euam, ne concessis gaudijs exciderent, sed inter metum, & fiduciam ex Diuinæ Iustitiæ pariter, & misericordiæ consideratione graderentur. Ideò ex Paradisi arboribus duæ solum memorantur, scilicet Lignum vitæ, & Lignum scientiæ boni, & mali sub mortis pœna prohibitum: vt si hominem vitæ fiducia interminandæ audentiorem redderet, mortis consideratione tumorem comprimeret; si autem mors terrefaceret, ad vitæ longeuitatem confugeret, atque ita & mors defenderet vitam, & vita mortem propelleret. Igitur Deus alterum Lignum vitæ medicinam fecit, alteri si tangeretur mortem adiunxit, vt hinc terrorem, inde fiduciam haberet. Ambulet homo inter metum, & fiduciam de Deo, iustitiam Dei, & misericordiam. Diuus Basilius Seleucus: orat. 3. in Adamum: *Postquam enim hijs duobus Adamum vidisset munitum, mortis metu, ac vitæ promissis, quibus ipsum munire Deus occupauerat: eadem imitatur, & dæmon: & morti quidem illud obijcit: Nequaquam moriemini. At pro Ligno vitæ vana spe Diuinitatis subito erigit, vt soluto metu, eaque spe proposita, mandati vim prorsus extenuet: sitque Paradisus Officina præuaricationis.*

Diabolus conatur eripere ab homine metum, & fiduciam in Deum.

Dub. 43. Ad eadem verba: *Lignum etiam vitæ in medio Paradisi.* Cur lignum

num vitæ non in parte, vel in angulo conſtituitur, ſed in medio Paradiſi?

Præcepta Principis, & Prælati pro loco, & tempore debent mediocritatem habere.

Reſpondetur: Quod arbor erat, in qua primum, cæterorum exemplar, dabatur præceptum; ideo in medio conſtituitur, quia Regis, & Principis mandata pro loco, & tempore debent mediocritatem ambire, & optimus Prælatus pro loci, & temporis occaſione ſuorum infirmitati condeſcendens, præcepti ſui rigorem mitigare debet, & aliquid contra id quod mandauerat permittere. Præcepta pro loco, & tempore mediocritatem debent habere. Diuus Bernardus Epiſt. 7. *Sunt media quædam, quæ pro modo loco, & tempore, vel perſona, & mala poſſunt eſſe, & bona, & in his lex poſita eſt obedientiæ, tanquam in Ligno ſcientiæ boni, & mali, quod erat in medio Paradiſi.*

Dub. 44 Ad illa verba verſ. 9. *Lignum ſcientiæ boni & mali.* Cur dicitur Lignum ſcientiæ boni, & mali?

Prælati fauoribus, & aſperitatibus ſubditos regant.

Reſpondetur: Quod ſcientia Dei, eſt miſcere bona, & mala, ciſque facere antidotum curandis morbis humanæ mentis, vt cum homo bonis inſoleſcat, prematur malis, & ne malis opprimatur, bonis mulceatur: & ſic bonũ malo, & malum bono temperatur. vt homo inter vtrumque viuens rectè ſegerat, quo docentur Prælati, quod ita ſe habeant erga ſubditos, vt fauoribus, & aſperitatibus eos regant. D. Chriſoſtomus Homil. 54. in Matth. *Eodem nos modo, & dolor vexat, & voluptas mulcet, vtriſque remedij mens hominum indiget.*

Obedientia nominat hominem abſolute bonũ, inobedientia vero affirmat eum abſolute malum.

2. Reſpondetur: Quod Lignum dicebatur ſcientiæ boni, & mali, quia homo illo veſcens poſt comeſtionem cognouit bonum, & malum per experientiam; ſcilicet, quid diſtet inter bonum quod eſt obedientia, & malum quod eſt inobedientia, quibus inſtruimur, quod excellentia obedientiæ ea eſt, quod dicitur bonum abſolutè, inobedientia vero malũ abſolutè, obedientia enim bonum abſolutè nominat hominem, in obedientia vero malum abſolutè affirmat. Diuus Auguſtinus apud Hugonem Cardinal. *Arbor non erat mala, ſed ſcientiæ dicta noſcendi bonum, & malum, quia poſt prohibitionem erat in illa tranſgreſſio futura, quia homo experiendo diſceret quid eſſet inter obedientiæ bonum, & in obedientiæ malum.*

Dub. 45 Ad illa verba, verſ. 10. *Fluuius egrediebatur de loco Voluptatis ad irrigandum Paradiſum.* An aquæ egredientes de Paradiſo. Salſæ ſint, vel dulces?

Lachrimæ ab oratione egreſſæ in dulcedinem cõuertuntur.

Reſpondetur: Quod aqua ſalſa eſt, ſed tranſiens per Paradiſum indulcedinem conuertitur: ita lachrymæ ſalſæ quidem ſunt, ac triſtes: verum cum ab oratione, qui eſt locus voluptatis, egrediuntur, ſuam illam ſalſedinem noua dulcedine, ſuam triſtitiam noua lætitia commutant. Lachrymæ ab oratione egreſſæ in dulcedinem conuertuntur. Rupertus lib. 2. in Geneſim, cap. 26. *Aquarum natura ſalſa eſt, nec potui habilis, aſcendens autem de abiſſo, in illam quaſi terræ mammam, id eſt, Paradiſi fontem, quodammodo lacteam ſumit dulcedinem, vt potent omnes beſtiæ ſiluæ.*

Dub. 46. Ad illa verba, verſ. 10. *Et fluuius egrediebatur de loco Voluptatis ad irrigandum Paradiſum qui inde diuiditur in quatuor capita.* Cur fluuius Paradiſi in quatuor capita diuiditur?

Homines bona ſua diuidant, nec ea ſoli poſſideãt.

Reſpondetur: Quod in quatuor capita diuiditur, vt in omnem terram aquam ſuam diffundat, omnem irriget, & fœcundet, in morale noſtrum documentum, vt bona noſtra diuidamus, vt non ea ſoli poſſidere velimus. Oleaſter ad litteram: *Significat, nahar, flumen à nahar, quod eſt currere, vnde a curſu dicitur, & verti poſſet: Et defluxus egrediebatur, Nearah vero ſignificat lucem, quod ſit admodum aquæ ſplendens, aut quod fluat, ſeu currat admodum aquæ: Nam lux diei currit, & homines quaſi non ſentiunt curſum eius: ſicut neque fluminis.*

Dub. 47. Ad eadem verba: *Et fluuius egrediebatur de loco Voluptatis:* Iuxta Hebræum habetur: *Et fluuius exiens de Heden ad irrigandum hortum, & inde diuidetur, & erit ad quatuor capita.* Cur Moyſes vtitur verbis futuri temporis, dicens: *Diuidetur, & erit?*

Benefactor beneficia nõ ſtatim ac petuntur, largiatur, ſed mora, & tempore interueniente.

Reſpondetur: Quod Moyſes poſuit verba temporis futuri, quia fluuius non ſtatim, ac egreſſus fuit de Paradiſo, diuiſus fuit in quatuor capita, ſed poſt multum tempus terram rigabat: docens benefactorem, beneficia largiri, non ſtatim, ac petuntur, multa tamen intercedente mora, & tempore. Caietanus: *Crediderim ego Moyſem vſum his futuris ad inſinuandum quod fluuius ille non ſtatim poſt egreſſum, ex horto diuiditur: ſed multum intercedit temporis, ac loci ſpatium.*

Prælatus varias figuras auſteritatis, & manſuetudinis, pro, vt neceſſitas exigit muter, vt virtutes in ſubditis cum vbertate effloreſcere faciat.

Dub. 48. Ad illa verba, verſ. 11. *Et nomen vni Phiſon.* Quommodo interpretatur Phiſon?

Reſpondetur: Quod Phiſon interpretatur *mutatio oris*, quia varias figuras mutat in colore, in quantitate, & ſen-

Prælatus varias figuras austeritatis, & mansuetudinis, prout necessitas exigit mutet, vt virtutes in subditis cum vbertate effluere faciat.

sensu, & ex eo quod tot mutationes in facie sua aquæ istius fluminis habent, vocatur abundantia, quia fert ingentia auri, & argenti metalla: in Prælatus, vt fructus charitatis, ac totius virtutis in suis subditis faciat pullulare, debet tot figuras, siue austeritates, siue mansuetudinis mutare, quot diuersitas necessitatis exposcat, etsi varijs petentibus occasionibus diuersas, siue tristitiæ, siue hilaritatis figuras, rigoris, vel mansuetudinis suis subditis in facie ostenderit, vocabitur Prælatus abundantia, quia in illis pretiosa metalla auri charitatis, & argenti virtutum effluere cum vbertate faciet. Abulensis: *Dicitur Phison, quasi mutatio oris, quia faciem suam, id est, apparientiam mutat in tribus scilicet in colore, quia alicubi clarus, alicubi turbidus: in quantitate quia alicuibi diffusus, alicuibi strictus, & sensu, quia alicubi frigidus, alicuibi calidus.*

Iudex cupidus, quoties ei aurū offertur, toties, in cōtrarias sententias os commutat.

2. Respondetur: Quod Phison interpretatur mutatio oris, & terram auri circuit, & significat iudicem cupidum, & auarum, qui quoties incidit in terram auri, seu quoties ei aurum offertur, toties, in contrarias sententias os commutat. Quam integritatem in sententijs ferendis seruabit ille iudex, cuius lingua auro, tanquam fræno, huc illuc intorquetur. Diuus Ambros. in Psalm. 1. circa medium: *Phison Latina interpretatione, oris dicitur commutatio, circuiens terram Heuilath, vbi est aurum, & aurum terræ illius bonum, & lapis carbunculus, & lapis prasius. Merito os illic commutatur, vt non teneatur promissorum fides, sed sit in ore dolus, vbi est aurum bonum. Auaritia enim fidem frangit, nec tenet verborum simplicitatem. Ornamenta quoque pretiosa mentem, animumque commutant, vt aliud in pectore, aliud in sermone sit.*

Auaritia fidē frangit.

Claue aurea lingua claudit, & aperitur.

Diuites non á virtute, sed à diuitijs quibus abundant volunt agnosci, & nomen sibi assumere.

3. Respondetur: Quod Phison interpretatur *abundantia*, & ab incremento aquarum nomen sibi assumit: ita huius mundi diuites à diuitijs quibus abundant, non à virtute nomen acquirunt, & agnoscuntur. Oleaster ad litteram: *Nomen vnius Phison, sonat Phison à Pas, seu Pus crescere. Vnde ab aquarum incremento sic dicitur. Nam teste Plinio 5. lib. Naturalis Historiæ. 20. cap. Naues in eo se se exonerare dicuntur.*

Dub 49. Ad illa verba, vers. 11. *Ipse est qui circuit omnem terram Heuilath vbi nascitur aurum.* Cur fluuius Phison circuit terram Heuilath, nec dicitur terram illam præterire?

Auarus in terram auri vbique diuitiæ abundāt pedem figit.

Respondetur: Quod Phison significat auarum, auarus autem vbi aurum est, manet, & immoratur, neque inde transire ne quit. Mendoza, tom. 3. fol. 218. num. 12. *Credo, quia Phison typum gerit hominis cupidi, & auari: homo autem cupidus, & auarus, vbicumque autem inuenit, ibi pedem figit, & immemorum inuenit, ibi pedem figit, & immemor Paradisi, è quo exijt, & in quem remorari debuerat: ibi otiosus conquiescit.*

Dub. 50. Ad illa verba, vers. 11. *Ipse est qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum.* Iuxta Hebræum habetur: *Nomen vni Phison ipse, qui circumiens totam terram chauilat, quod ibi aurum.* Cur terra Heuilath ab auro quod ibi inuenitur nominatur, non vero ab Euila filio Iectam, filij Heber Patriarchæ Hebræorum, à quo post diluuium possessa est?

Vir illustris ab operibus debet nominari, & agnosci.

Respondetur: Quod Heuilath denominatur ab auro quod producit, à lapidibusque pretiosis quos fert, quo instruimur, quod ab operibus, quæ facimus, debemus nominari, & agnosci. Caietanus. *Terra autem Chauilath intelligitur India: Et ex industria Moyses reddit rationem nominis terræ, vt sciremus, quod nec à nepote Cham, nec à nepote Heber nominata est chauilath, sed à partu: quia parit tot pretiosissima, videlicet aurum optimum, & tot genera lapidum pretiosorum.*

Dub. 51. Ad illa verba, vers. 13. *Et nomen secundi fluuij Gehon.* An Gehon seu Nilus abundatiores aquas ferat in vere, quàm in hieme.

Tempore quā dragesimæ vberiores debent esse fructus virtutū quam in alijs anni temporibus.

Respondetur: Quod in vere abundantior est quàm in hieme, & consequenter plures facit terram fructus germinare, & significat hominem qui in tempore Quadragesimæ vberiores virtutum, & charitatis fructus, quàm in alijs anni temporibus facit, quia in istis charitatis, & virtutum fontes clausi fuerunt, in illo vero aperiuntur, & effluunt. Ver animæ vocatur quadragesima, ob id profecto, quia amoris erga Deum, & proximum exemplo Iesu Christi fontes aperiuntur, ex quo virtutes quasi mortuæ reuiuiscant, & fructus abundantissimos producant. Abulensis: *In alueo fluminis sunt fontes latentes, quia in hieme clausæ erant, in æstate autem aperiuntur, & faciunt fluuium intumescere.* Aliam rationem reddens. Abulensis, validatam magis explicans ex Diuuo Hieronymo inquit: *Quod semel in anno Nilus valde exundat, vt totum Ægiptum irriget, & hoc fit Diuino miraculo sine aliqua aquæ augmen-*

Cur in principio Quadrageſimæ cinis capiti imponitur.

mentatione, ſed factis magnis aggeribus arenarum ad oſtia Nili quibus intrat mare, aqua (superior retrocedit, & per alueos factos toti terræ Ægipti illabitur. Similiter ad ingreſſum maris paſſionis Ieſu Chriſti contra tumentes aquas ſuperbiæ hominum opponit Eccleſia aggeres arenarum, hoc eſt, cinerum, vt contra illos ſuperbia noſtra conteratur, & eius vento diſperſo irrigetur anima fructibus humilitatis, & amoris, vt in ea virtutum fructus renaſcantur, & reuireſcant.

Dub. 52. Ad illa verba, verſ. 14. *Nomen vero fluminis tertij Tigris.* Quo modo interpretatur Tigris?

Iuſti veloces ſunt, vt alijs beneficiant.

Reſpondetur: Quod Tigris ſic dicitur à nimia velocitate, & celeritate, qua effluit terram irrigans, & ſignificat iuſtum, qui ſine mora, omni cunctatione abiecta, cuncta expedit, & exequitur, vt alijs beneficiat. Mirabile dictu: *Tigris leuis, celer velox quod velociſſime, & rapidiſſime currat inſtar Tigridis, aut ſagittæ, quam Perſæ, vel Medi Tigrim appellant teſte Curtio.*

Iuſtitia omnibus vtilis, iniuſtitia omnibus perniciosa.

Dub. 53. Ad illa verba, verſ. 14. *Fluuius autem quartus ipſe eſt Euphrates.* D. Ambroſius lib. de Paradiſo, cap. 3. quatuor virtutes Cardinales in quatuor fluuijs recognoſcit in Phiſon, ſeu Gange prudentiã, in Geon ſiue Nilo temperantiam, in Tigri fortitudinem, in Euphrate iuſtitiam. Cur in Euphrate iuſtitia adumbratur?

Reſpondetur: Quod Euphrates interpretatur fœcunditas, & bene ſignificat iuſtitiam, quæ omnibus vtilis eſt, quia nulla virtus vberiores fructus producit quàm iuſtitia, & æquitas. D. Ambroſius: *Euphrates Latine fœcunditas, atque abundantia fructuum nuncupatur: præferens quoddam inſigne iuſtitiæ, quæ omnem paſcit animam. Nulla enim virtus abundantiores videtur habere fructus, quàm æquitas, atque iuſtitia, quæ magis alijs, quam ſibi proſit, vtilitates ſuas negligens commania emolumenta præponens.*

Iuſtitia omnibus proficua, ſingulæ vero virtutes ſuis fere poſſeſſoribus ſalutares.

Dub. 54. Ad eadem verba: *Ipſe eſt Euphrates.* Cur tribus prioribus fluuijs certæ Regiones, quas præterfluant in Scriptura aſſignantur, Gangi ſcilicet India, Nilo Æthiopia, ſeu Ægiptus; Tigri terra Aſſiriorum: at vero Euphrati nulla Regio quam alluat præſcribitur?

Reſpondetur: Quod in Euphrate ſignificatur iuſtitia: ideo nulla Regio ei aſſignatur, quia iuſtia omnes perambulat, vt omnibus ſit proficua, & ſalutaris. Mendoza, tomo 1. fol. 418. num. 2. *Cæteræ virtutes maiori ex parte ſuis ſingulæ proſſunt poſſeſſoribus, & cultoribus: at vero iuſtitia non ſuo tantum cultori, imo nec his, aut illis ſolum hominibus, ſed omnibus eſſe ſolet vtilis, & ſalutaris. Non erat igitur certis limitibus includenda, quæ per totum orbem beneficia vagatur.*

Dub. 55. Ad eadem verba: Cur aquæ Paradiſi non ſolum irrigant terram Promiſſionis, in qua electi Dei verſabantur, ſed etiam Ægiptios, Chaldæos, & Aſſirios Idololatras, crudeles Dei hoſtes, & illius populi electi? Phiſon enim circuit terram Heuilath, quæ iuxta multos ſita erat inter Siriam, & Paleſtinam; Gehon, fœcundat Æthiopiam, ac Ægiptum; Tigris vadit inundans per Aſſirios, & Chaldæos; Euphrates conterminus eſt terræ Promiſſionis. Cur ergo aquæ Paradiſi in omnes diffunduntur?

Deus bona ſua iuſtis, & iniuſtis largitur.

Reſpondetur: Quod Deus iuſtis, & iniuſtis ſua bona largitur: ideo fons ille Paradiſi omnes aluit, omnes perterfluit, tam terram quàm inhabitant Dei electi, quam illam in qua verſantur idolatræ, & Dei hoſtes. Silueira tomo 3. fol. 500. num. 17. *Hæc eſt ſumma Dei benignitas, quod non ſolum amicos, ſed etiam inimicos ſuis Paradiſi aquis irrigat, non ſolum pijs, ſed etiam impijs ſua dona communicat, & largitur.*

Charitas prius inimicis, quã amicis beneficit.

Dub. 56. Ad eadem verba: Cur Paradiſis aquæ prius inimicos Dei irrigant?

Reſpondetur: Quod in hoc commendatur eximius Dei amor, qui prius inimicis benefacit. Magnus amor prius inimicis, quàm amicis benefacit. Oleaſter: *Conſidera quod præcipuos hoſtes ſuos prius irrigat. Nouimus quid populo eius fecerit Aſſur, & alij vicini terræ Promiſſionis ad quos Paradiſi flumen tam copioſè mittit.*

Patriarchis miraculis, Deo, & Sanctis quæ edunt miracula gratiæ referendæ.

Dub. 57. Ad eadem verba: A quo originem trahunt flumina Paradiſi, cum ſint loca in quibus primas aquas ſcaturire homines inuenerunt? De qua re hìc *Caietanus.*

Reſpondetur: Quod flumina illa in Paradiſo naſcuntur, ſed occultatur nobis earum origo, quia in terra ſubmerguntur, & cum iterum effluunt, videntur nobis eorum originem illum eſſe, vbi nobis apparent: ita vniuerſa miracula, quæ in beneficium ſpirituale, vel temporale efficiunt Sancti ab ipſis proximè, & immediate, à Deo autem mediate & originaliter producuntur: vnde vtriſque in ſuo ordine ſunt gratiæ refe-

fendæ, Deo tanquam Authori operis, sanctis vero tanquam medijs, vel instrumentis operationis. D. Thomas in 2. dist. 17. q. 3. art. 2. ad 4. & 5. *Primum principium fluminum sicut, & cæterarum aquarum est occeanus, sed principium proximum, est fons ille qui in illa parte terræ surgit. Sicut autem contingit in quibusdam fluminibus, vt fontis à quibus originem habeant sub terra intrent, postquam per aliquod spatium fluxerunt, & iterum in alijs locis erumpant: ita etiam dicit D. Augustinus 8. super Genesim, hoc in illis fluminibus contingere, quod primum principium eorum est fons Paradisi, qui in aliquo loco nobis ignoto terram subintrat, & deinde in alijs locis aquæ illa erumpit, vbi videtur illorum fluminum esse principium*

Dub. 58. Ad illa verba, vers. 15. *Tulit ergo Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis.* Cur Deus posuit hominem in Paradiso voluptatis, nec reliquit extra Paradisum in loco vbi formauit eum?

Deus curam habet singularium commoditatũ hominis.

Respondetur: Quod Deus valde sollicitus est de peculiari commoditate, & conuenientia corporali hominis, ideò posuit hominem in loco delitijs affluente scilicet, Paradiso, commodo, & vtilitati corporali hominis studens. Deus enim valde curat hominum commoditates. Caietanus: *Dicendo tulit manifestat hominem latum, & positum in horto affluenti delitijs aeris, aquarum, & arborum fructiferarum: vt ex hoc loco intelligeremus, peculiarem curam Diuinam de fœlici vita corporali hominis, & primo essendi principio incumbere, curam etiam harum singularium commoditatum hominis.*

Dub. 59. Ad eadem verba: *Et posuit eum in Paradiso voluptatis.* Hebraice habetur: *In Horto Edem.* Edem autem erat prope terram Nod, seu Naid, vt patet ex Hebræo fonte Genes. 4. vers. 16. quam terram. D. Hieronymus in quæstionib. Hebraicis, & Epist. 48. *Fluctuantem, seu instabilem.* Interpretatur. Cur Paradisus voluptatis, terra fluctuans, & instabilis dicitur?

Deliciæ, & diuitiæ huius mundi instabiles sunt.

Respondetur: Quod Edem fluctuans, & instabilis nominatur, vt significaret huius mundi diuitias, & delicias quæ instabiles sunt. Mendoza tomo 1. fol. 19. num. 18. *Non sine mysterio fortasse, vt ille Paradisus voluptatis terrenas huius vitæ delicias representaret, quæ perpetuo fluctuant, & vix aduenient, cum iam labuntur.*

Dub. 60. Ad eadem verba, vers. 15. *Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis.* Cur homo extra Paradisum fuit formatus?

Prælatus scias dignitatem non natiuam, & naturalem esse, nec debitam, sed datam.

Respondetur: Quod Deus hominem extra Paradisum formauit, quia si in Paradiso eum crearet, superbiret Adamus, putans illum locum voluptatis debitum esse sibi. Mendoza tomo 2. fol. 543. num. 13. *Condidit quidem extra Paradisum ne forte si in Paradiso conderetur, intumesceret, arbitratus, eam sedem debitam sibi esse, ac naturalem. Discat hinc Prælatus, non superbire, ex cathedræ celsitudine, quam occupat; sciens eam aduentitiam sibi esse, non natiuam, datam, non agnatam.*

Dignitas Ecclesiastica non hæreditate, sed per electionem obtinenda.

2. Respondetur: Quod Paradisus est Ecclesia, Adamus est Ecclesiæ Prælatus: quid est ergo quod Deus Adamum extra Paradisum formatum in Paradisum transtulit, nisi quod dignitas Ecclesiastica non hereditate, sed per electionem est habenda. Hugo Cardinalis: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso, id est, Prælatum in Ecclesiam, per electionem. Vnde in hoc quod factus est homo extra Paradisum, prohibetur successio hæreditaria in Ecclesiastica dignitate. Beatus Bernardus: Iste est dignus Archidiaconatu, vtpote Principis nepos, immo magis dignus, quia Episcopi Consobrinus, in quo est tota Episcopata progenies: Ita erat in Veteri lege quod Filius Patri succedebat, modo non sic. Hebr. 7. Translato Sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat.*

Dub 61. Ad eadem verba, vers. 15. *Vt operaretur, & custodiret illum.* Quommodo hæc verba accipienda sunt? Operari, & custodire cui attribuenda sunt, Deo, vel homini?

Vt opus nostræ conuersionis operemur, duo requirũtur operatio humana, & cooperatio Diuina.

Respondetur: Quod variant Authores, Prima sententia attribuit vtrumque Deo, secunda vtrumque homini, tertia media partitur illa, vnum scilicet operari tribuit homini, secundum vero custodire Deo, quo instruimur quod, vt salutem æternam consequamur, & opus nostræ conuersionis operemur, duo sunt simpliciter necessaria, scilicet Deus, & homo, operatio humana, & cooperatio Diuina. Cum operatione humana, & custodia Diuina conseruaretur in sua pulchritudine Paradisus: ita cum istis duobus anima cum gratia Paradisus conseruatur. Abulensis: *Potest referri primum Verbum ad hominem, & secundum ad Deum, scilicet, vt operaretur, id est, vt homo coleret Paradisum, & custodiret illum, scilicet hominem.*

Dub.

Eadem exercitia pœnitentiæ ſuauia ſunt iuſto, & pœnoſa peccatori.

Dub. 62. Ad eadem verba vers. 15. *Vt operaretur.* An agricultura fuiſſet Adamo laborioſa?

Reſpondetur: Quod Deus non impoſuit homini laborem iubendo ei, quod coleret terram Paradiſi: vnde agricultura quæ fuit ante peccatum non erat laborioſa, ſed delectabilis; at quæ fuit poſt peccatum laborioſa erat. Eadem enim agricultura erat in ſubſtantia ante peccatum, & poſt, & illa erat delectabilis Adamo in Paradiſo, quia iuſtus erat, & extra Paradiſum laborioſa, & pœnoſa, quia peccator erat. Ita eadem exercitia pœnitentiæ quæ iuſto ſuauia ſunt, peccatori oneroſa fiunt, quæ delectabiles iuſto, pœnoſæ peccatori. D. Thomas 1. part. queſt. 102. art. 3. in corp. *Poteſt intelligi vt homo operaretur, & cuſtodiret Paradiſum, nec tamen illa operatio eſſet laborioſa ſicut poſt peccatum, ſed fuiſſet iocunda propter experientiam virtutis naturæ.*

Dub. 63. Ad illa verba: *Vt operaretur.* Cur Adamo mandatum eſt, vt operaretur, cum eſſet in Paradiſo omnibus delicijs affluente? Nec Paradiſus rurali opere indigeret.

Prælationi annexus eſt labor.

Reſpondetur: Quod Adamus conſtitutus fuit à Deo Dominus, ac Princeps totius vniuerſi, ei dictumque fuit: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* Et adeò annexum eſt prælationi opus, & labor, vt etiam in illo iucundiſsimo ſtatu homo factus Princeps mandatum fuit illi, vt operaretur: vt in primo parente diſcerent homines quantum vigiliæ, & operationis pondus affixum ſit his, qui inculmine præſunt. D. Ambroſius lib. 1. de Paradiſo, cap. 3. *Quamuis Paradiſus operibus ruralibus non egeret tamen quia primus homo lex poſteritatis futurus erat, ideo legitimi etiam in Paradiſo ſpeciem ſuſcepit laboris, vt nos ad operationem, & cuſtodiam debiti officij, & hæreditariæ ſucceſſionis munus adſtringeret.*

Deus in familia ſua otioſos non ſuſtinet.

2. Reſpondetur: Quod omnis illa operatio eo tendebat, ne Adamus otio torperet, cui ſi locum dediſſet, minime permanſiſſet in eo, quo conditus eſt ſtatu, cum Deus otioſos in familia ſua non ſuſtineat, nec velit hominem ſeruum otiari: nouerat enim quot mala nouerit otioſitas. Moyſes Barcephas 1. part. de Paradiſo, cap. 28. *Reſpondemus in eo poſitum fuiſſe cultum illum, vt inibi locum ſibi pro habitatione aptaret, viaſque, ac ſemitas, quibus commode poſſit obambulare, complanaret; ne ſcilicet otioſus eſſet, quando ex otio plurima enaſcantur mala.*

Prælati non ſibi indulgeant, ſed ſubditorum profectui intendant.

3. Reſpondetur: Deum poſuiſſe hominem in Paradiſo ad operandum, vt inſtruat Prælatos, quod in dignitate conſtituti, non ſibi indulgeant, ſed ſubditorum profectui incumbant. Mendoza tom. 1. fol. 545. num. 19. *Quorſum dicet aliquis in Paradiſo ponitur? Vt ipſe ne Paradiſi delicijs recreetur? An vt Paradiſus per illum perficiatur: Hoc poſterius ſignificauit Moyſes, dicens: tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis; vt operaretur, & cuſtodiret illum. Diſcant hinc Prælati quorſum è paruis oppidulis, in quibus ſæpè nati ſunt ad amplas Metropoles, quibus præſideant, à Deo transferantur: nempè, vt earum non iam opes colligant, quam oues curent: non, vt ſuam voluptatem captent, ſed vt in animarum ſalutem excubent: non vt ferientur pigri, ſed vt prouidi operentur.*

Dub. 64. Ad illa verba: *Vt operaretur & cuſtodiret illum.* A quo Adamus debuit cuſtodire Paradiſum, cum nullus tunc eſſet inuaſor, nullus aggreſſor? Rurſus: Quid oportebat ab homine illum locum cuſtodire, etiamſi non eſſet inuaſor, cum cuſtodiretur à Deo?

Homo per peccatum amittit bonū temporale, perſeuerādo vero in obſeruantia Diuinæ legis, cuſtodit.

Reſpondetur: Quod Paradiſum debuit cuſtodire, non aduerſus improbos, aut inimicos, qui nulli erant, ſed eundem Paradiſum ipſi ſibi, ne aliquid admitteret, quare inde mereretur expelli: itaque, vt in diuinæ legis obſeruantia perſeuerando Paradiſum ſibi poſſet cuſtodire, mandatum eſt illi, vt operaretur, & cuſtodiret Paradiſum: per peccatum enim amittit homo fœlicitatem huius ſæculi, & temporale commodum. D. Thom. 1. part. q. 102. art. 3. in corp. *Cuſtodia illa non eſſet contra inuaſorem, ſed eſſet ad hoc, vt homo ſibi Paradiſum cuſtodiret ne ipſum peccando amitteret: Et hoc totum in bonum hominis cedebat. Et ſic Paradiſus ordinatur ad bonum hominis, & non è conuerſo.*

Beneficia Dei diligētia humana cuſtodienda ſunt.

2. Reſpondetur: Quod licet Deus Paradiſi eſſet cuſtos, tamen homini commiſit cuſtodiam. Nam cum homo beneficio ſingulari Dei translatus fuerit in Paradiſi delicias, æquum erat, vt largitati benefactoris cooperaretur, Paradiſum cuſtodiens, qui à Deo fuerat ei elargitus beneficia Dei diligentia humana cuſtodienda ſunt. D. Thomas: *Poteſt dici quod licet Deus locum illum ſufficienter cuſtodiret, & nunc etiam cuſtodiat: decens tamen fuit, quod aliqua eius cuſtodia homini committeretur quandiu*

ibi

ibi staret. Vnde quælibet incommoda, quæ poterant, vel auibus, vel ab alijs animalibus, vel etiam à dæmonibus contingere, poterant per hominem remoueri, vel impediri.

Dub. 65. Ad eadem verba. Cur primo homini mandatur quod operetur, & custodiat Paradisum?

Prælatus prius sibi intendat bene viuēdo, deinde subditis de eis curam habendo.

Respondetur: Quod Adamus in dignitate erat constitutus: qui vero in culmine Prælationis euectus est, debet sibi intendere prius benè viuendo, deinde subditis eos custodiendo. Hugo Cardinalis: *Vt operaretur in se & custodiret subditos. Actum 20. Attendite vobis, & vniuerso gregi. Prouerb. 6. Discurre, festina suscita amicum tuum, ecce opus, ne dederis somnum oculis tuis, ecce custodia, Cant. 1. Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui.*

Curat Deus iustum iustificare, & à malo seruare.

Dub. 66. Ad eadem verba: *Vt operaretur, & custodiret illum.* An hæc verba referri possint ad Deum?

Respondetur: Quod vtramque potest attribui Deo, & operari, & custodiri. Posuit igitur Deus hominem in Paradiso, vt Deus operaretur in homine cum iustificando, simulque custodiret, à malo seruando. D. Thomas 1. part. q. 62. art. 3. in corp. *Verbum istud potest intelligi fic, quod Deus posuit hominem in Paradiso, vt ipse Deus operaretur, & custodiret hominem operaretur in quam iustificando ipsum. Cuius operatio si ab homine esset continuo obtenebratur, sicut aer obtenebratur si cesset influentia luminis, vt custodiret vero ab omni corruptione, & malo.*

Inchoatio virtutis Deo placere: non potest sine perseuerantia.

2. Respondetur: Quod prædicta verba referuntur ad Adamum translatum in Paradisum, vt eum custodiret, & operaretur. Operari in Paradiso, hoc est elicere virtutum operationes bonum est; sed hoc non sufficit, requiretur insuper custodia harum virtutum, id est, consumatio & in finem perseuerantiæ. Inchoatio enim virtutis Deo placere non potest sine perseuerantia. D. Ambros. lib. de Paradis. cap. 4. *Non idem est operari, & custodire. In opere enim virtutis processus est, in custodia quædam consumatio operis deprehenditur, eo quod quasi consumata custodia. Hæc duo ab homine requiruntur vt, & operibus noua quærat, & parta custodiat.*

Dub. 67. Ad illa verba, vers. 16. *Ex ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Cur imponitur præceptum ad comedendum, cum ad hoc tanquam ad rem facillimam homo suapte sponte moueatur? Ad abstinendum tanquàm ad rem difficilem necessarium erat præceptum, non ad comedendum. Cur ergo Adamo facile, ac difficile præceptum imponitur?

Homo ex facilibus præceptis ad difficilia trahitur obseruanda.

Respondetur: Quod Deus difficilibus præceptis facilia præmisit, vt his animus quodammodo inescatus, illa promptior aggrederetur, ex facilibusque præceptis ad difficilia illiceretur. Homo ex facilibus præceptis ad difficilia obseruanda trahitur. D. Gregor. lib. 35. Moral cap. 10. *Qui ab vno bono subiectos vetat necesse est, vt multa concedat, ne obedientis mens funditus intereat, si à bonis omnibus penitus repulsa ieiunet. omnes autem Paradisi arbores ad esum Dominus concesserit, cum ab vna prohibuit, vt creaturam suam, quam non volebat extingui, sed prouehi, tanto facilius ab vna restringeret, quanto ad cunctas latius relaxaret.*

Verus obediens omnia tam facile, quàm difficile aggreditur ex obedientia.

2. Respondetur: Quod homini impositum fuit præceptum ad comedendum, & abstinendum, primum facile, secundum difficile, vt omnia tam facilia, quàm difficilia ex obedientia aggrederetur. Mendoza tomo 2. fol. 66. num. 5. *Ideo hominem comedendi, & abstinendi præceptis ad dictum fuisse in terrestri Paradiso, vt nihil ibi siue facile siue difficile, nisi ex obedientiæ legibus ad maius gratiæ incrementum aggrederetur. Vnde illis qui in Religionis Paradiso posthea victuri erant, relinqueretur documentum, ne quid ex proprio gustu, sed omnia ex alieno iussu molirentur. Adeo fructuosa est in rebus quoque facilibus obedientia.*

Dub. 68. Ad eadem verba: *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Cur Adamo præceptum impositum? Nonne satis communitus tam multis præsidijs ipsius fœlicissimi status?

Præcepta coercent homines, ne cadant.

Respondetur: Quod Adamus creatus fuit magno cum Imperio, nam, & subiectam sibi terram habuit & præerat volatilibus cœli, & piscibus maris, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram: vnde simul, ac in Paradisum translatus est accepit præceptum, ne obtantum dominatum recens lasciuiret, cum sibi omnia subiecta perspiceret. Frænum ergo adhibuit præcepti, ne ex dominatione superbiret. D. Chrisostomus tomo 1. homil. de Adamo, & Eua: *Deus noster faciens hominem ad imaginem, & similitudinem suam dedit præceptum in creatura, hoc est in arbore, eligens, vt per transgressionem in creatu-*

Homines in dignitatem euecti superbiunt.

turam peccaret, quam ſine mandato in Creatorem offenderet: & ſicut Angelus qui ſine peccato elatus cecidit: ita & homo, ſi præceptum non acciperet: æque, & ipſe diceret. Pono, & ſedem meam in Aquilonem.

Qui alijs eſt imperaturus, prius obediat.

2. R. Quod Deus præfecturus hominem cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli, prius eum ſibi per impoſitum præceptum obedientiæ ſubiecit; vt prius obediret qui alijs erat imperaturus. Mead. tom. 2. f. 83. n. 12. *Quamuis enim Deus ante præcepti impoſitionem ius homini in beſtias dederit voce tenus. Geneſ. 1. n. 28. Nunc tamen poſt impoſitionem præcepti, illud videtur re ipſa tradidiſſe, cum ſcilicet adduxit animalia ad Adam, vt videret quid vocaret ea, qua in re illorum Dominum eum conſtituit, cum ius imponendi nomina ad Dominos ſpectet. Merito igitur Deus, priuſquam homini imperium committeret obſequium ab eo poſtulauit, quia qui hoc præſtare neſcit, illud exercere non poteſt. Et propterea cum homo debitum Deo obſequium denegauit, collato non ſolũ in beſtias, ſed etiam in proprium corpus imperio ſpoliatus eſt.*

Qui Deo nõ obedit, nec præceptaDei ſeruat, imperium in alios amittit.

3. R. Quod, vt Deus ſe Regem, & Dominum offenderet: homo vero intelligeret, ſe quamtumuis Deo charus, ac familiaris, & rerum omnium potens eſſet, adhuc tamen ſub Domino eſſe, nec ſe Dei cõditione, cui omnia licent, ſed ſua id eſt ſerui, & creaturæ Domino ſubditæ metiri, ac proinde manum à Deo acceptam non pro libito, ſed pro Domini ſui voluntate extendere debere. D. Chriſoſt. hom. 17. in Geneſ. *Nonne omnium quæ in Paradiſo ſunt poteſtatẽ dedi tibi, & dumtaxat ab hoc vno vt abſtineres præceptũ? Vt ſcire poſſes te ſub Domino quodã eſſe, cui obedientiã debes.*

Miniſter Principis, & Prælati, manum à Principe, & Prælato acceptã, non pro libito, ſed pro Principis, vel Prælati voluntate extendat.

4. R. Ideo Deum homini impoſuiſſe præceptum à principio, vt intelligeret homo quod ſubmiſſum animum debuit ſubdere voluntati Dei, nec inconſtanter ſua propria voluntate, & libidine ferri. D. Thom. opuſc. 2. c. 188. *Prædictus ſtatus hominis ex hoc dependebat quod humana voluntas Deo ſubiiceretur. Vt homo ſtatim à principio aſſuefieret ad Dei voluntatem ſequẽdam, propoſuit Deus homini quædam præcepta, vt ſcilicet ex omnibus aliis lignis Paradiſi veſceretur, prohibens ſub mortis comminatione, ne de ligno ſcientiæ boni, & mali veſceretur.*

Homo voluntatem Dei ſequatur, ſuæ non ſic nimis addictus.

Dub. 69. Ad eadem verba: *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas.* Cur Deus conceſsit Adamo ampliſsimã poteſtatem, & facultatẽ in fructus Paradiſi, vetuit tamẽ vnius ligni poma.

Proſperitas benefactoris obliuiſcitur, aduerſitas ipſius memoriam excitat.

R. Ideo Deum alia ligna quibus veſceretur cõceſsit, & alia prohibuit, quia affine eſt proſperitati, benefactoris obliuiſci, & aduerſitati, memoriam præſtare. Ne ergo Creatoris obliuiſceretur Adamus vnius arboris fructu interdictus eſt, vt hæc prohibitio Deum identidem in memoriam ingereret. In proſperitate homo obliuiſcitur benefactoris, in aduerſitate memor eſt eius. D. Baſil. orat. 3. in Adamum: *Accipe poteſtatem in omnia, vno ſolo te abſtine: in omnia manus extendatur, & ad vnum contrahatur: citra inuidiam fructu interdixi: neque mihi vſum reſeruaui ipſi: nullius enim indiga mihi natura eſt, nullique obnoxia Paſsioni. Verum, vt prohibitore cognito, præbitorẽ quoque agnoſcas, & vnius priuatio recordationem illius excitet, qui dedit vniuerſa; ne voluptas vndiquaque circunfuſa beneficij memoriam ſpoliet, ne per inexplebilem voracitatem in ignorantiam delabaris.*

Gula ignorantiam hominem adducit.

2. R. Quod Deus vnam Adamo interdixit arborem, multas tamen largitus eſt, vt rigorem ſuæ prohibitionis alijs conceſsionibus leniret: ſemper enim ſtricta præcepti coarctatio, aliquorum ſpeciali prouidentia leniẽda, ac molliẽda eſt, vt de ſuo rigore videatur aliquid remitti. D. Greg. lib. 35. Moral. cap. 10. *Qui ab vno quolibet bono ſubiectos vetat, neceſſe eſt vt multa concedat, ne obedientis mens funditus interea, dum à bonis omnibus penitus repulſa ieiunet. Omnes autem Paradiſi arbores ad eſum Dominus conceſsit, cum ab vna prohibuit, vt creaturam ſuam quam nolebat extingui, ſed prouehi, tanto facilius ab vna reſtringeret, quanto ad cunctas latius relaxaret.*

Stricta præcepti coarctatio aliqua conceſsione molliẽda eſt.

Dub. 70. Ad eadem verba: *Ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas.* Cur Deus duplicatum præceptũ poſuit primo parẽti, vnum affirmatiuum, ex omni: *Ligno Paradiſi comede.* Ecce affirmatiuum, negatiuum alterum: *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas.* Primum ſatis neceſſarium eſſe conſtat, cum ſit pro conſeruatione vitæ, quæ ſine cibo eſſe non poteſt. de ſecundo vero non ſic neceſsitas patet.

Præcepta negatiua propter meritum ex eorum obſeruantia ſtabilita.

R. Quod leges, & ſi pro bono regimine Reipublicæ, vel communitatis condantur, etiam propter meritum ex eorum obſeruantia ſtabiliuntur: vnde, & ſi nulla alia cauſa illius præcepti negatiui eſſet, ſufficiens erat meritum, quod homini ex obedientia, & obſeruantia illius prouenire debebat. Abulenſis: *Præceptum illud negatiuum ad exerci-*

tandum in obedientia erat, quia natura prona est ad id quod prohibetur ei.

Dub. 71. Ad illa verba: *Ex omni ligno Paradisi comede.* Cur præcipitur Adamo in statu innocētiæ quod comedat? Superfluum fuisse, tunc temporis posset aliquis iudicare, quia cum tunc nō peccasset, peccati pœnalitates non sentiret.

Homo in omni statu eget cognitione sui esse, & propriæ fragilitatis.

Resp. Quod verum est Adamum in illo statu cibo non egisse, sed in omni statu egebat cognitione sui esse, & propriæ fragilitatis, quàm cognitionem cibus nondum necessarius demonstrabat, & ne in elationis labem à sua natura declinaret; vnde oportet aliquando hominibus, & præcipuè mulieribus, vt comedant, etiam si nō multum egeant cibo, vt se agnoscant, & quod sunt necessitatibus corporalibus subiecti, ne è contrario in altum superbiæ extolantur. Abulens. *Quare antequā homo esuiret, cibū sumere debebat, potius antequā esset rei? Quia homo vt de perfectus in intellectu poterat cognoscere antequam adueniret pœnalitas, quod ei esset necessarium.*

Multū Deus curat ne homini necessaria desint.

2. Resp. Quod homo in illo fœlicissimo statu egeoat cibo, vnde si non comederet peccaret: ideo Deus præcepit homini quod ex omni ligno Paradisi comederet. Deus enim magnam curam habet, ne homini necessaria desint. D. Th. 1. p. q. 97. art. 3. ad 3. & 4. *Homo in statu innocentiæ cibo indigebat, adeo quod si nō subueniret sibi de cibo, peccaret, sicut peccauit sumēdo vetitū cibū.*

Dub. 72. Ad eadem verba: *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Cur præcipitur Adamo ab vna arbore abstinere.

Qui ieiunia frequentant, quēdam beatitudinis statum sortiuntur.

Resp. Quod qui ieiunia colunt, & frequentant, quēdam beatitudinis statum sortiuntur: ideo in cęlesti Paradiso primus parens, ieiunandi ab vna arbore præceptum accepit, ne hoc ei ad veram beatitudinem deesset. D. Hieronymus lib. 2. aduersus Iouinianum: *Beatitudo Paradisi absque abstinentia cibi non potuit dedicari; quandiu ieiunauit, in Paradiso fuit: comedit & eiectus est.*

Dub. 73. Ad eadem verba: *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Cur de alijs absolutè vsu lo adhibito modo, neque mensura homini vesci licebat: signate autem de scientiæ arbore, vel semel edere licitum nō fuit? Cur inter licitur homini hæc sola arbor?

Principis Ministri nō prohibita secreta Principis exquirere, & penetrare tentent.

Resp. Quod scīendi modum, & Diuina Arcana rimandi mensuram præscribere prudentissimè voluit Dominus, quia si Adamus omnia si nul Dei secreta prænosset, non Dei famulus, sed quasi ipsi æqualis quodammodo haberetur. Arcana Dei, vel Principis non sunt rimanda. Moyses Barcephas lib. 1. de Paradiso, cap. 7. *Exerce te cogitationibus de rebus omnibus tum aspectabilibus, tum quæ sola mentis intelligentia concipiuntur, apudque tuum animum meditare, quis nam sit illarum effector, & parens, & quomodo sint cōditæ, eumque illarum rerum pulchritudine raptus fueris in admirationem tum ipsarum conditoris gratias age, eumque laudibus effero: de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. Quod porrò sequitur ab arbore scientiæ boni, & mali abstinendum esse, significat, illum curiosius inquirere non debuisse in Deum ipsum.*

Qui Deo consecratur nullam habeat mali notitiā.

2. Resp. Quod arbor hæc præbebat scientiam boni, & mali, in quo effectu boniratis & malitię erat admixtio, quę non congruebat Adamo consecrato Deo: hinc fructus huius ligni ei interdicitur, quia in eo scientia boni, & mali coniungebatur: in eo enim qui Deo consecratur nulla debet reperiri mali notitia. D. Thom. *Fuerūt data ista præcepta statim, quia non erat ratio differendi, & debuit ad Dei cultū statim ordinari.*

Dub. 74. Ad illa verba, v. 17. *In quacunq. die comederis ex eo morte morieris.* Cur Dominus Adamo mortē minatur?

Cauetur peccatum cogitatione mortis.

Resp. Ideo Deum comminatum fuisse mortem Adamo, vt cogitatione mortis peccatum caueret. Mendoza to n. 2. fol. 270. n. 20. *Primum parentem vt Deus olim cōtineret in officio & à peccato refrænaret, vna mortis cogitatione armauit; pœnam mortis, si de ligno scīēti e boni, & mali ederet, comminatus.*

Dub. 75. Ad eadem verba: *In quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Septuaginta ita legunt: *Morte moriemini.* Qui nam morituri erant, cum nondum Eua esset formata, vnde contra illam pœna infligi non poterat, quia hæc supponit culpam, & à fortiori subiectum culpæ committendæ.

Deus ante culpam pœnam designat, per anticipatam pœnam culpam futuram deuitans.

Ref. Quod hęc verba quæ septuaginta legunt, *morte moriemini* dicūtur per anticipationem, vt quando Eua formata esset omnino culpam timeret, cum ante eam iam inueniret pęnam constitutam: sępè enim Deus designat pęnam ante culpam, intendēs per anticipatam pęnam, culpam futuram deuitare. Abulensis: *Respondet, quod sic fit anticipatio, quia ista præcepta data quæ posterius poni deberent, prius posita sunt.*

Hoc est ius maritale, vt vterque coniux vnū appareant, non duo.

2. Respondetur: Quod licet nondum producta esset Eua, tamen producenda erat in primi hominis sponsam. Hinc cum Deus præceptum imposuit viro, fœminam voluit comprehendi.

Hoc

Hoc enim eſt ius maritale, vt vterque coniux vnum ſuat, non duo, ſed vnum appareant, ac ſi vnica anima conſtaret. D. Chriſoſt: *Conſidera cum alijs etiam hic Dei bonitatem quanto honore etiam mulierem proſequitur, quæ ex illo formanda erat. Nondum ea enim producta, quaſi virique mandaret, dicebat, ne comedatis ex eo; & quocunque die comederitis ex eo morte moriemini: manifeſtans tam inde ab initio quod vnum ſunt vir, & mulier: ſicut & Paulus inquit: caput mulieris vir.*

Dub. 76. Ad eadem verba: *In quacunque enim die comederis ex eo morte morieris.* Cur leue peccatum, quale erat comedere de ligno vetito tam graui pœna puniatur; ſcilicet morte?

Reſp. Voluiſſe Dominum hominem peccatum pertimeſcere; ideo comedenti de ligno ſcientiæ boni, & mali mortem minatus eſt, licet, vt videtur, peccatum eſſet leuiſsimum, vt intelligat homo Deum ob leuia peccata in peccatorem ſe vere animadvertere, & vindicare. Oleaſt. *Mirum valde videtur, quod tam leue, vt videtur, delictum, tam grauis ſequatur pœna: cum videamus Deum ſæpius grauiſsima delicta parua pœnitentia condenaſſe, quemadmodum in Dauid, in Magdalena adultera, latrone, & multis alijs feciſſe ſacra docet hiſtoria. Quo ergo voluit Dominus docere, vitandam eſſe cum præſumptione deſperationem. In punitione graui Adæ, docuit nullum peccatum in eum comparatum eſſe leue: in condonatione vero grauium, nullo pacto eſſe deſperandum: omnia enim leuia grauiſsime punit, & omnia etiam grauiſsima facile condonat. Quis non timebit peccata, quæ fecit, cum videat leuiſsimum (vt videtur) peccatum tanta ſeueritate puniri? Quis autem deſperauit videns tam grauia, tanta celeritate condonari?*

Deus leuia peccata grauiſsime punit, & grauiſsima facile condonat.

Dub. 77. Ad eadem verba: *Morte morieris.* Cum mors ſit ex natura, vtpote proueniens ex neceſsitate materiæ (eſt enim corpus humanum ex contrarijs compoſitum, vnde naturaliter eſt corruptibile) cur mors ponitur ex peccato?

Mors pœna peccati eſt.

Reſp. Quod mors ſimul eſt naturalis, & pœna peccati: ideo Dominus primo homini comminatus eſt mortem in pœnam peccati, & inobedientiæ. Mors enim pœna peccati eſt. Caietanus. *Nota quod non dicimus hominem ante peccatum fuiſſe immortalem (quoniam mors naturalis eſt homini ex neceſsitate materiæ) ſed dicimus, quod fuiſſet ſeruandus à morte Diuino dono quo homo priuatus eſt merito peccati in obedientiæ: & propterea mors quæ homini abſolute erat naturalis, effecta eſt etiam pœna peccati primi hominis, ita quod nunc mors eſt nobis, & naturalis, & pœna peccati.*

Dub. 78. Ad eadem verba: *Morte morieris.* An Deus pœnã mortis in corpore, & anima denunciauit Adamo?

Reſp. Quod Deus creator eſt corporis, & animæ, & vtrumque eſt homo: oporret autem vtrumque corpus; ſcilicet, & animam; aut beatificare, aut punire: ideo Deus pœnam mortis corporalis adijciens comedenti ex arbore, & animæ pœnam mortis adiecit, vt propter peccatum in corpore, & anima hominem puniret, ſicut iuſtum in corpore, & anima beatificabit. Antonius Fonſeca Luſitanus apud Caietanũ in Margine: *In corporis morte, animæ pœnas minabatur, cum homo vtrumque ſit, anima, & corpus quæ cum à Deo ſimul creata ſint, debuit vtrumque aut beatum aut miſeram eſſe.*

Deus punit hominem in corpore, & anima propter peccatũ, ſicut iuſtum in corpore, & anima beatificabit.

Dub. 79. Ad eadem verba: *In quacunque die comederis, morte morieris.* Cur Deus mortem reuelauit Adæ, non horam?

Reſpondet. Quod maiorem cruciatum habet homo ex incertitudine ſuæ mortis, quam ex morte ſua: itaque licet grandis pœna ſit mors, vtpote quæ vltimum terribilium eſt, maior tamen eſt ea, quæ originatur ex ignorantia horæ, in qua euentura eſt: ideo quando Deus dixit Adæ in quacunque die comederis, morte morieris; noluit dicere quod ſtatim, ac comederet, ibi, & ſubito puniret eius vita, ſed quod ex punito comeſtionis, inciperet pœnam incurrere mortis. Mors igitur infallibilis prophetizata fuit, incerta tamen hora illius, & tempus. Abulenſis: *Licet non eſſet vitam finiturus eo die, quo peccaret, tamen ex modo locutionis, hoc videbatur ſignificari, & ita timeret illud Adam, quaſi ſic futurum.*

Mors ex incertitudine horæ, & temporis, quo futura eſt, timenda.

Dub. 80. Ad eadem verba: *In quacunque die comederis morte morieris.* Cur Deus non obiecit Adamo pœnam inferni ſi peccaret, ſicut obiecit illi pœnam mortis? Videtur namque illam potius comminandam fore, vtpote maior, quæ ideo magis à peccando præcaueret.

Reſpondetur: Quod licet pœna inferni incomparabiliter pœnam mortis excedat, hominem tamen magis timent hanc, quam illam, eo quod illa ſola fide cognoſcitur, hæc vero ſenſu, &

imaginatione percipitur in hoc excedit temporalis æternam. Homines magis timent pœnas, quas sensu percipiunt, quam illas, quas fide cognoscunt. Abulensis in secunda solutione: *Secundo quia licet illa sit maior quam mors temporalis, non tantum mouet quantum corporalis, eo quod temporalis imaginatione, & sensu percipitur, æterna autem non nisi fide, & ratione.*

Dub. 81. Ad eadem verba: *In quacumque die comederis, morte morieris.* An Adam statim, ac comedit punitus fuit à Deo?

Deus longanimis est, & misericorditer sustinet peccatorem quem punire posset.

Respondetur: Quod Deus non pœnas repetijt ab Adamo, ex quo de ligno vetito edidit (annos enim multos postea vixit) in quo maximè prædicanda est Diuina patientia. Nam primum hominem mandatum sibi impositum, transgredientem, potuit punire iuxta promulgatam ei legem, tamen misericorditer patienter sustinuit, vt discant Prælati summam misericordiam esse, sustinere subditos, quos punire possint. Diuus Chrisostom. Homil. 17. in Genesim: *Vide excellentem misericordiam, & patientiam Domini: nam cum poterat, ne responso quidem dignari eum, qui peccauerat, sed statim pœnam infligere, longanimis tamen est, & suffert, & interrogat, & responsum accipit, vt arrepta occasione suam erga illum misericordiam declaret.*

Dub. 82. Ad eadem verba: *In quacumque die comederis, morte morieris.* Cur Deus puniuit Adamum, cum sit misericors, & peccandi occasionem acceperit ex mandato?

Qui de culpis comissis veniam potit, pœnas pro illis debitas excusat.

Respondetur: Quod Deus pœnam inflixit Adamo, quia nec peccatum confessus est, nec veniam petiit, vnde de culpa comissa, si veniam petisset, pœnam pro illa debita excusarer: ita euenit in nobis, si peccamus omnimode culpam excusari conamur, sed illam occasionaliter saltem reijcimus, & ideo pœnas debitas non excusamus. Abulensis: *Dato quod peccauit homo occasionem accipiens ex mandato, adhuc aliqua bona resultauerunt ex isto mandato, & peccato sequente. Secundo, quia etiam potuerunt incidere in aliquam pœnam, quia licet peccauerunt, si doluissent, & confessi fuissent peccatum suum, quando Deus locutus fuit eis, petentes humiliter, veniam forte non fuissent expulsi de Paradiso sed quilibet transtulit culpam in aliquem alium, & ita proprium peccatum non confessus est, & insuper veniam non petijt, ideo sustinuerunt pœnã, quam Deus prænuntiauerat.*

Dub. 83. Ad illa verba, vers. 16. *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Cur Deus statim, ac posuit Adamum in Paradisum, præceptum ei imposuit.

Pueri si diu viuũt sine disciplina, & obedientia, in maiori ætate vtramque spernũt.

Resp. Quod Deus præceptum imposuit Adamo statim, ac locauit eum in Paradiso, vt nunquam viueret sine lege, sed sub subiectione, & obedientia ita oportet filios à tenera ætate in lege Dei, & omni bona disciplina erudire, & cum subiectione viuere, quoniam semel adulti spernunt disciplinam, & subiectionem non admittunt. Pueri à puritia sub lege viuant, vt rectè viuant. Abulens. *Causa autem quare daretur ei mandatum statim, vt introduceretur in Paradisum, est prima, vt nunquam homo viueret sine lege, sed statim, vt esset incipere viuere sub obedientia quadam. Iuxta illud Trenor. 3. Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia: & illud Platonis introductum ab Aristot. lib. 2. Ethicor. Quod non modicum differt confestim puero sic autem sic assuescere. Vnde ibi vult disciplinam esse erudire paruulos ad recte tristari, & recte gaudere.*

Virtus à primis annis seranda, vt in perfecta ætate progressus in virtute fiant.

Dub. 84. Ad eadem verba: *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Cur Deus primo parenti præceptum abstinendi, ac ieiunandi imposuit, cum sciret quod diabolus sub figura serpentis insidias esset moliturus?

In certamine flagitandũ auxiliũ ex ieunio ad victoriam.

Resp. Quod Deus præuidebat, quod nullo alio melius poterat Adamus in illo statu innocentiæ communiri, nisi ieiunij lorica. In certamine flagitandũ auxilium ex ieiunio ad victoriam. D. Chrisost. Serm. 11. de ieiunio: *In Paradiso ieiunium pro magna commoditate indicitur: & cum ante conflictum ad resistendum libidinosis voluptatibus clypeus nobis abstinentiæ fuit: multo magis in ipso nostro certamine ieiunij auxilium ad nostram victoriam flagitandum est.*

Dub. 85. Ad eadem verba: *De omni ligno Paradisi comede.* Quomodo homines poterant vitam degere, cum solum manducarent fructus arborum, & terræ herbas, & aquam biberent?

Respondetur: Rationem esse, quia naturali principio sui magnas habebat vires, & ideo minoribus delitijs indigebat, & delicatioribus dapibus, quod post diluuium totum mutatum est: ita incipientes viam aggredi virtutis, calore deuotionis nouitiæ multas, & maiores pœnitentias agunt, quam postquam elapsis temporibus in via virtutis

tis incaleſcunt, quod in ipſis naturæ Principis fundamentum habet, cui gratia accomodatur: itaque idem proportionabiliter dicendum venit de initio gratiæ, & vitæ ſpiritualis, ibi gratia quia prima eſt magnum vigorem tribuit animæ, vt illas mortificationes exerceat, quibus viuere videtur impoſſibile. Abulenſis: *Quia autem tunc iſta eſſent conueniens cibus, & ſufficiens ad parandum magnas vires, & agendum longiſſimas vitas, cauſa erat, quia erant illæ magnæ virtutis, ſcilicet, quia erat principium mundi, & terra quæ non fuerat exercitata retinebat totum ſuum vigorem, ideo producebat terræ naſcentia magnæ virtutis: & ita illa ſufficiebant ad viuendum.*

In initio gratiæ, & vitæ ſpiritualis, magnas pœnitentias, & mortificationes exercent viri ſpirituales.

Dub. 86. Ad eadem verba: Cur Deus præcipiendo, vel permittendo hominibus carnes comedere, non explicuit quales comedere deberent, & quales non?

Leges ponantur in communi, ſingula, vero circunſtantia circa rem præceptam relinquuntur prudentiæ humanæ.

Reſpondetur: Quod eſus carnium fuit neceſſario præcipiendus, quia neſciebatur an eſſet licitus, vel non, præcipue cum antea illas comedere non liceret, aut ſaltem non eſſet in vſu, ſemel tamen determinato licito eſu illarum quales eſſent comedendæ, & quales non, ipſorum hominum prudentiæ relinquere voluit: ita leges debent dari præcipientes res in communi, non præcipiendo ſingulas circunſtantias, quæ circa rem præceptam poſſunt euenire: iſtæ enim prudentiæ relinqui debent humanæ. Abulenſis: *Dicendum quod fuit primo, quia Deus vult tollere hominibus dubium, quod ipſi per ſe non poſſunt: quod autem ipſi per ſe intelligere valent, Deus non tollit, ne fruſtra videatur ratio homini data, ſi ſingula ei dicenda ſunt tanquam non intelligenti. Quod autem homini liceret comedere de carnibus animalium, erat homini tale dubium, quod homo non poſſet explicari niſi Deo explicante, & concedente eo, quod ipſe in prima ætate non conceſſerat comedere de his: ideo ad hoc Deus dixit homini quod comedere liceret ei de animalibus omnibus. Quod vero conueniret de quibuſdam, & de aliis non tanquam eſſent ſalutifera, vel nociua non oportebat per Deum declarari quia circa hoc prudentia humana poterat multipliciter prouidere, ideo Deus non curauit diſtinguere.*

2. Reſpondetur: Quod Deus non determinauit quales carnes comedendæ eſſent, & quales non, cum eas comedere præcepiſſet, quia aliqua animalia eſſent in vna terra ſalutifera, in alia vero mortifera; & ita non erat conueniens lex præcipiens vniuerſaliter ab omnibus vniuerſas comedere carnes, quia vel eſſet omnibus tollere quod ſalutis eſſet, vel omnibus præcipere quod mortiferum eſſet: ideo reliquit diſcretioni hominum noſcere carnes nocias, & vtiles, vt has comederet, & illas reſpueret: ita lex præcipiens vniuerſaliter aliquid agendum vel non agendum pro omni Regno, vel Prouincia, vel omni genere, ac ſtatui perſonarum, imprudens eſt, cum vni Regno aut Prouinciæ, vel ſtatui poſſet eſſe conueniens, & alteri nociua, vel diſconueniens: aliquæ ergo leges ſunt vni loco vtiles, vel alicui genti, quæ alteri eſſent nociuæ, propter varietatem locorum, & perſonarum, vnde non poſſunt eædem vniuerſaliter omnibus dari. Abulenſis: *Ideo non debuerunt ex primi tanquam bona aut aliqua negari tanquam mala, quia non poterat fieri, ſine his inconuenientibus. Cum vero generaliter conceditur homini veſci de omnibus animalibus, manducabit quælibet Regio, quod videbitur ſibi expediri, & abſtinebit ab eo, quod putat eſſe nociuum, & non erit inconueniens.*

Leges eædē non poſſunt omnibus vniuerſaliter dari, cum aliquibus ſint nociuæ, aliquibus ſint vtiles prouarietate locorum, & perſonarum.

Dub. 87. Ad eadem verba: *De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas* Cur Adæ non conceditur edere de ligno ſcientiæ boni, & mali? Et qui tot ſciebat, ad quid ei interdicitur comeſtio Ligni ſcientiæ boni, & mali?

Bona cū malis non permiſcenda.

Reſpondetur: Quod non prohibetur Adæ ſcientia boni, ſed ſolum hoc prohibetur ne ſimul commiſceat ſcientiam boni cum ſcientia mali; permixtio enim boni, ac mali maxime pertinet ad confuſionem, perditionem, & ruinā. D. Seuerianus in Catena Lyppomani: *Deus ſcientiā boni minime prohibuit, illam namque Adam habebat. Non cognitionem boni prohibet Deus ſed cognitionem mali vna cum cognitione boni haud quaquam eſſe vult. Idque ait Paulus: non poteſtis bibere poculum Domini, & Dæmoniorum? Numquid duo prohibuit? Et ſequitur: non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Ita Deus cognitionem mali Adam percipere noluit, ne cognitioni boni permiſceretur.*

Muneris Dei eſt vetare quæ noxia ſunt.

2. Reſpondetur: Ideo Deum prohibuiſſe Adamo edere de ligno ſcientiæ boni, & mali, quia malum erat de illo comedere: & donum Dei eſt maximumque beneficium vetare homini quę noxia ſunt ei. Oleaſter: *Suadet locus iſte muneris Dei eſſe prohibere nocitura ſuis.*

Principes, & Prælati tentant, & probent Ministros suos an fideles sint.

3. Respondetur: Deum interdixisse Adamo illa arbore vesci, vt experimento comprobaret, an Adamus fidelis esset, & fidus. Prælati probent Ministros suos an fideles sint. Oleaster: *Suadet locus iste seruos esse probandos, sint ne fideles, nec ne.*

4. Respondetur mistice: Deum præcipisse Adamo, ne de ligno scientiæ comederet, vt designaret Christum qui Discipulos non litteratos, scientiaque perditos, sed simplices, & illiteratos erat electurus. Hugo Cardinalis: *Deus Pater præcepit Christo, Vt ex omni ligno Paradisi comederet excepto ligno scientiæ boni, & mali, id est, Vt simplices eligeret ad prædicandum, non literatos. Vnde Philippus eligitur in Apostolum, non Nathanael, qui peritus iuris. Ioann. 1. & 1. Corinth. 1. Videte Vocationem Vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus. 1. Machabeor. 4. Apparuit Iudas cum tribus millibus virorum, qui gladios, & tegumenta non habebant: Iudas Christus, qui cum pauperibus, idiotis, sine gladio scientiæ apparuit in hoc mundo.*

Christus non peritos, sed illiteratos elegit ad prædicandum.

Doctor scientiam Deo referat.

5. Respondetur: Deus prohibuit Adamo edere de ligno scientiæ, vt disceret Adamus, quod licet multorum bonorum scientia esset insignitus, licet sciret Deum naturæ esse Auctorem, & gratiæ, legesque matrimonii sciret, non sibi tribueret scientiam, sed acceptam Deo referret. Doctores scientiam suam Deo referant. Hugo Cardinalis: *Ne comedas Id est, ne innetaris prudentiæ tuæ Nec tibi, sed Deo ascribe si quid scis si quid facis. 1. Corinth. 15. Gratia Dei sum id quod sum.*

Dub. 88 Ad eadem verba: *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas.* An præceptum de non comedendo de ligno vetito fuerit primis parentibus bene impositum?

Respondetur: Quod lex, vt bona sit debet habere aliquam difficultatem, non tamen magnam, aliquam ad meritum, non multam ad ad impletionem sui; etenim si difficultas magna est, redditur impletio illius difficilis, si nulla ad implebitur sine merito. Igitur talem debent esse leges, vt iustæ sint, quod habeant difficultatem aliquam, vt sit locus merito, & non tantam, quod impleri non possint, hoc inuenitur in præcepto impositio Adamo: habuit enim difficultatem, non tamen multam, vnde vtramque habuit conditionem. Abulensis: *Considerandum autem quod istud præceptum fuit conuenienter assignatum debuit enim aliquam difficultatem continere, vt esset locus merendi, & tamen debuit esse parua, vt non inciperet ibi homo viuere sub iugo sicut hic viuimus. Quantum ad primum est conueniens, nam poterat Deus vitare homini aliquid ad quod ipse non inclinaretur, & ita non esset difficultas vlla in obseruando, neque pronitas in contrarium, vt si Deus iuberet homini quod se non occideret, aut quod non maneret semper sine cibo, nam ista obseruare nulla difficultas erat, quia non erat inclinatio in contrarium, sed potius ad hoc, & quantum ad hoc bene prouisum est, quia vetuit Deus homini aliquid de cibo, erat enim homo inclinatus ad cibum, & vetita est illi aliqua pars cibi, & sic erat ei inclinatio in contrarium.* Ecce meritum, quia consistebat in vicenda difficultate, quæ erat in faciendo id in cuius contrarium habebat homo inclinationem naturalem. Quod autem iustum esset illud præceptum ex alia conditione, videlicet quod non tantam haberet difficultatem, quod impleri non posset, probat sic Abulensis: *Circa secundum etiam prouisum est scilicet quod non esset magna difficultas ne inciperet esse homo sub iugo, & hoc fuit in quantum fuit vetitum vnicum Lignum si enim multa ligna vetita essent, id est, maior pars Lignorum Paradisi, vel medietas, poterat esse magna difficultas homini, & efficeretur præceptum graue, quod ab omnibus illis abstinendum foret, sed cum essent valde multa ligna in Paradiso, & non vetaretur homini nisi vnum Lignum, parua erat difficultas.*

Leges, vt sint iustæ, debet habere difficultatem aliquam, vt sit locus merito, & non tantam quod impleri nō possint.

Dub. 89. Ad eadem verba: *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas.* An præceptum quod Deus Adæ imposuit erat graue?

Respondetur: Quod non erat graue, nec molestum nec difficile impleri co præcisse quia vnum erat, vnde lex Moysis dura erat, quam Diuus Petrus Act. 15. iugum difficile appellauit, non quidem propter res præceptas, sed propter multitudinem rerum præceptarum, siquidem nulla res erat, de qua non extaret lex aliqua particularis, aut singularis cæremonia. Vnde multitudo præceptorum non solum vtilis non est, imo est periculosa, & valde nociua propter ingentem in eorum ad impletione difficultatem. Abulensis: *Grauitas enim in præcepto vel lege potest accidere ex duobus: primo ex multitudine:*

Multitudo præceptorū periculosa propter difficultatem in eorum ad impletione.

se-

secundo ex re quæ præcipitur. De primo patet qui a dato quod res leuæ præcipiuntur, si multæ præcipiuntur, durum est implere talem legem, quia difficile saltem est considerare de omnibus.

Dub. 90. Ad eadem verba: *Ex omni ligno Paradisi comede.* Cur Deus in Paradiso non dedit Adamo vinum, nec pro illo illud creauit ante quam peccaret, vt nullæ deliciæ illi in illo fœlici statu defecissent?

Deus in nullo deest iusto.

Respondetur: Quod nulla erat in Paradiso delectatio gustui, licet deficeret vinum, quia aderat aqua in qua tota vini perfectio, & delectatio, quæ in vino est continebatur, & aderat. In nullo enim Deus de est iusto. Abulensis: *Potest dici quod omnis delectatio gustus erat in Paradiso in cibo, & potu, qui ibi a Domino concessi erant, ita vt non concupisceret gustus aliam delectationem, & tamen ita delectatio non erat partita in multis rebus, sed vnita in paucis: continebat enim aqua tunc Paradisi tantam aut maiorem vim delectandi gustum, quam nunc vinum habeat.*

Dub. 91. Ad illa verba, vers. 18. *Non est bonum hominem esse solum* Cur bonum fuerit homini solum non esse, cum ex mulieris societate, quid quid illi malum fuit aduenerit? Vnde potius dicendum videbatur, bonum erit homini solum esse mulierem non tangere: quando ipso solo manente procul mors, luctus, perditio, quarum ianua, & causa mulier extitit, omnino erunt.

Proprium Principis bonum sit cum communi vtilitate coniungant.

Respondetur: Quod plus Domino fuit vniuersitatis cura, quam priuatum Adæ bonum, eaque ratione bonum Adæ solius, Deo bonum visum non fuisse, quia si solus esset commune hominum bonum impediebat. Principes proprium bonum cum communi vtilitate coniungant. D. Ambrosius lib. de Paradiso cap. 10 *Verum si consideres quia Deo vniuersitatis est cura, inuenies plus placere Domino debuisse id quod esset causa vniuersitatis, quam condemnandum fuisse illud, in quo esset causa peccati. Et ideo quia ex vno solo non poterat humani esse generis propago, pronunciauit Dominus. Non esse bonum solum hominem.*

Solitudo grauis pœna est.

Dub. 92. Ad eadem verba: *Non est bonum hominem esse solum* Cur bonum non erat solum esse hominem? Si Deus eum creauit, ergo bonum erat eum esse sine consorte?

Ref. Quod homo solus priuatur delectatione, quæ ex consortio alterius eiusdem speciei prouenit, & hoc malū est, vnde sancti qui eremo morati sunt, & vitam in illa solitudine duxerunt, præter alias pœnalitates illius vitæ, ipsa sola solitudo grandis pœna erat, quandoque priuabantur humana societate, quæ ipsi naturæ animalis sociabilis valde delectabilis est. Solitudo enim grauis pœna est. Abulensis: *Dicitur non est bonum esse solum, id est, malum est, & potest primo accipi, quantum ad solitudinem, quæ est priuatio consortij eiusdem speciei: est enim delectabile, & hac delectatione priuatur qui solus est.*

Imago Dei relucet in cõcordia, & vnitate duorũ.

2. Respondetur: Quod homo non habebat tunc, cui vniretur in affectu, & amore in quo consistit perfectior Dei imago. Hinc dicit Deus bonum non esse hominem esse solum, quia carebat concordia: Imago enim, & similitudo Dei, relucet in concordia, & vnitate duorum. Quidam Doctor Modernus: *Quamuis tunc Adamus adhuc Diuinam imaginem conseruaret, iuxta quam fuerat conditus, quia tamen carebat concordia, vtpote, consortem non habens cui posset conuenire, videbatur carere Dei imagine perfectiori; quæ in affectuum vnione viuacissime exprimitur.*

Dub. 93. Ad eadem verba: *Faciamus ei adiutorium simile sibi*: Cur Adamus simile sibi adiutorium desiderabat? Nonne Eua robustior erat tot animantibus quibus circumsepsus erat Adamus? Cur ergo naturæ consortem tantopere æstuat?

Prælati læsan. ter ferunt regiminis pondus, si habeãt adiutores similes sibi in dictamine, genio, & consilio.

Respondetur: Quod modo sit adiutorium simile licet vnius tantum, & imbecillis fœminæ audebit. Adamus orbem totum gubernare alacriter, & festiue: si tamen dissimiles tribuantur socij, quamuis multi sint, mœrebit, & ingemiscet, quasi vniuersitatis regimen, & onus sustinere non possit: tolerant enim Principes, & Prælati sine fastidio regiminis pondus, & cũ voluptate gubernant, cum habent adiutores similes sibi in dictamine, arbitrio, genio, & consilio. D. Basilius oratione 2. in Adamum: *Verum in tanta bonorum omnium affluentia agens Adamus, carens voluptatis consorte, in perfectiori lætitiæ sensu capiebatur. Non enim inueniebatur similis eius: cum enim alterius generis haberet seruitia, a congeneri natura solatium in vniuerso non videbat: errabundus erat hospes, Dominus in medio Paradisi palabundus desolatione paris societatis afflictabatur.*

Iustorum fœ luptas est, Deum continuo contemplari, nullo quo modo Dei obliuisci.

2. Respondetur: Solus in Paradiso Adamus optabat adiutorium simile sibi, hoc est, consortem ad Dei pariter ima-

imaginem, & similitudinem formatam; vt in eam crebo intuens, quasi individuam sociam, pictura inspecta creatoris frequentissime recordaretur, in eaque continuo Deum contemplaretur. Voluptas iustorum est Deum continuo contemplari, nec eius obliuisci. D. Basilius vbi supra: *In tanta animantium turba: Vna quæ mecum natura esset, non adspiciebam, in tanta multitudine desolationem quærebar, in tanta rerum vbertate velut in terris solus commorabar.*

Prælati, Doctores, & Prædicatores Christi similitudinem tenent.

3. Respondetur mistice: quod adiutorium Adæ, id est, Christi sunt Prælati Doctores, & Prædicatores qui moribus, & vita debent Christi referre similitudinem, speciemque eius gerere. Hugo Cardinalis: *Adiutorius simile sibi hi sunt Prælati, & Doctores, & Prædicatores.* 1. *Corinth.* 3. *Dei adiutores sumus, sed non est verus adiutor, qui non est similis ei. Fecit enim adiutorium simile sui. Roman.* 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, sed qualis fuerit Christus, dicit Psalmista in persona eius. Psalm.* 68. *Ego sum pauper, & dolens: salus tua Deus suscepit me. Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo enim in laude.*

In necessitate superfluunt voces, si clamat necessitas.

Inquires: si homo indigebat consortio, cur Adamus non petebat à Deo? Cur Deus anteuertens preces Adam, non postulata concessit?

Respondetur: Quod Adamus indigebat consortio. Hinc Deus tacente homine, & eo non postulante, prouidit ei adiutorium, superfluunt enim voces, si clamat necessitas. Tertullianus lib. 10. de Anima, cap. 43. *Adam ante ebibit soporem, quam sitijt quietem. Ante dormit quam laborauit, imo quam edit, & profatus est.*

Homo se ipsum non cognoscit.

Dub. 64. Ad illa verba, vers. 19. *Vt videret quid vocaret ea.* Cur Adamus sibi nomen non assumpsit, cum omnibus animalibus nomina imposuerit?

Respondetur: Quod homo facilius alia quam se ipsum cognoscit nam in rebus propriis quilibet hallucinatur: at in alienis acutissime intuetur: ideo Adamus animantibus nomen imponens, sibi non assumpsit ne in re propria erraret. Homo enim se ipsum non cognoscit, & aliena prospicit. Philo Hebraus lib. 1. Allegoriarum: *Mens quæ in est nostruum vnicuique, cætera potest comprehendere, se ipsam nosse non potest: quemadmodum enim oculus alia videt se ipsum non videns, sic, & mens intelligit alia, se ipsam non comprehendit.*

Ex virtute oritur fastus, superbia, & arrogantia.

2. Respondetur: Quod Adam cæteris animalibus nomen imposuit, non sibi, ne augustius imponeret quam oportebat. Ex virtute homo arrogans est, & superbus. Mendoza tomo 2. fol. 48. num. 21. *Fortasse sanctitatis suæ præstantia tumidus, non sibi nomen Adamo imponeret: nam Adam terram significat: primus autem homo sibi complacens, non se terram vocaret, sed cœlum, non se hominem diceret, sed Cherubinum. Tantus oritur ex sanctitate fastus, tanta pullulat ex inocentia arrogantia.*

Princeps liberaliter cũ suis subditis gloriam, & honorem partiatur.

Dub. 95. Ad eadem verba: *Vt videret quid vocaret ea.* Cur cum id munus imponendi singulis animantibus nomina, tum maximæ Authoritatis, eximijque honoris, & gloriæ opus fuerit: tum Deo siue creationis, siue dominij titulo omnino deberetur, ipse Deus sibi non assumpsit?

Respondetur: Noluisse Deum omnem sibi honorem, & gloriam assumere, sed illam cum subditis suis partiri, vt qui creatoris honorem iam habebat, sapientis nomen clatoris gloriam Adamo communicaret. Quasi id maxime diuinum sit nolle sibi Principem omnem gloriam vsurpare, sed illam cum suis subditis liberalitet, Regieq; partiri. D. Basilius: *Esto Adam nominum. Artifex, quando rerum esse non potes: formentur à me, nominentur à te quæ procreata, partiamur huius fictricis solertiæ gloriam, me cognoscant Artificem naturæ lege, te Dominum intelligat appellationis nomine.*

Dub. 96. Ad eadem verba: *Adduxit ea ad Adam vt videret quid vocaret ea.* Quem in finem hoc experimentum?

Principes sint sapientes, noscantque mores subditorum.

Respondetur: Quod Deus volebat explorare an Adam Regia satis dignus Authoritate esset: hoc autem experimento comprobauit Deus adducendo animalia ad eum, vt videret quid vocaret ea; nam vocabula apta tribuendo vnicuique animanti, sapientiæ insignia edebat documenta. Cum enim cuiusque satis prospectam inclinationem haberet, nomen accomodare idem fuit, ac significare, quod quisque munus exercere debuerit, quod ad sapientiam pertinet: oportet enim Principem prudentem, sapientemque esse. Arnaldus Carnotensis Tractatu de opere sex dierum: *Nouerat naturas omnium, quibus, & propria aptauerat nomina, hoc est enim scire, & vocare ex nomine, propria officia, & mores intelligere singulorum.*

Dub. 97. Ad eadem verba: *Vt videret quid vocaret ea.* Cur Deus animantibus no-

Principes, & Prælati ſuos apprime, & intime agnoſcat.

nomina non imponit, ſed hoc committit Adamo?

Reſp. Quod erat primus homo à Deo conſtitutus totius vniuerſi Dominus, Princeps autem, & Prælatus omnia minutim, & ex nomine debet habere: Oleaſter: *Arguuntur hoc loco Domini, qui ſeruorum ſuorum nomina ſcire dedignantur, & illorum curam negligunt. Tam peculiaris enim debet eſſe ſeruorum apud Dominum cura: vt non modo ſeruorum ſed omnium etiam iumentorum nomina ſciat. Quod ſi Dominus voluit Adam animalium, & pecorum nomina ſcire, quid facient Paſtores, qui hominum ſcire nomina negligunt, oueſque ſibi commiſſas vix in vita ſemel viderunt?*

Deus hominem excitat ad beneficia petenda.

Dub. 98. Ad eadem verba: *Adduxit ea ad Adam.* Cur animantia adducuntur ad Adamum, cum nondum Eua eſſet formata, quæ maxime dominio tot animalium gauderet?

Reſp. Quia mulier nondum erat formata, ideo ad Adamum adducuntur animantia, quia cum primus homo attente conſideraſſet in ſingulis ſpeciebus maſculum, & fœminam ad conſeruationem ſuæ ſpeciei, inde ipſe excitaretur ad ſimile beneficium à Deo petendum, vt ei ſibi concederet adiutricem mulierem ad conſeruationem ſpeciei humanæ neceſſariam. Deus enim hominem ad petendum prouocat, & excitat: Ambroſius Chaterinus: *Vt futuræ mulieris creationem ardentius expeteret, eamque à Deo religioſa quadam ſupplicatione inſtantius poſtularet.*

Dub. 99. Ad eadem verba: *Adduxit ea ad Adam.* Si ad Adamum omnes beſtiæ Leo Vrſus, Tigris, Lupus, Bos, & Ouis, Aquila, & alia introducta ſunt animalia, cur ad Ieſum ſolum Oues veniunt. Ioannis 10. num. 1. Quo Leones, Tigres, ac cætera animantia receſſerunt?

Peccatores venientes ad Chriſtum in alios mutantur.

Reſpondetur: Quod non receſſerunt: ſed vbi primum vocem Chriſti audierunt, intraque eius Ouile, Eccleſiam ſcilicet ingrediuntur, iam ex ſanguinarijs beſtijs omni crudelitate depoſita in mites Oues mutantur, & beſtiarum feritas in Ouium lenitatem tranſmutatur. Qui enim ad Chriſtum veniunt in alios mutantur. D. Anaſtaſius Syuaita lib. 9. Exameron: *Nominauit quando Deus eas adduxit ad Adam, vt videret quid eas vocaret, ſed quando congregabantur quidem, dicebantur beſtiæ, quando autem introductæ ſunt in Paradiſum, & in ſtabulum boni Paſtoris, effectæ conformes agno Chriſto, ſtatim Oues nominatæ ſunt omnes. Hæc Magos effecit Apoſtolos, & facit Publicanos Euangeliſtas, reddiditque meretrices virginibus honeſtiores.*

Dub. 100. Ad eadem verba: *Adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea.* An Adamus omnibus animalibus impoſuit nomina?

Peccatores nomine carent coram Deo.

Reſpondetur: Quod piſcibus maris nomina non impoſuit cum illos non viderit: ita peccatores culparum aquis ſubmerſi, nec ante Chriſtum audent comparere, nec ab eo ſicut iuſti nomen accipere merentur, vnde nomine carent coram Deo. Abulenſis: *Piſces autem quia ſub aquis latent, non vidit prima ætas.* Vide fol. 78. dub. 17. & hic dub. 101.

Dub. 101. Ad illa verba, verſ. 19. *Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius* Cur ſolum de anima viuente fit mentio à Moyſe?

Iuſti, non peccatores apud Deum nominantur.

Reſpondetur: Quod anima viuens ſignificat iuſtum, qui per gratiam vivit, quique apud Deum nominantur. Hugo Cardinalis. *Animæ viuentis: Tantum viuis per gratiam imponitur nomen. Vnde, & Lazarus. Lucæ 16. Lazarus nominatur non diues. Nomina bonorum ſcripta ſunt in cœlis, nomina malorum in terra. Ierem. 17. Recedentes à te, in terra ſcribentur, quia quod in terra ſcribitur, vel puluere elationis, vel aqua carnalis voluptatis cito deletur.* Vide dub. 100.

Dub. 102. Ad illa verba, v. 20. *Adæ vero non inueniebatur adiutor ſimilis eius.* Cur non inuentus eſt adiutor ſimilis Adæ?

Deus beneficijs ſuis obſtringit hominem.

Reſpondetur: Quod Dominus voluerit beneficio obſtringere, & obligare Adamum: ideo non eſt inter omnia animantia adducta ad ſe inuentum adiutorium ſimile, Adamo vt Deus adiutorium daret. Deus ſuis beneficijs vult obſtringere hominem. Oleaſter *Noluit inuenire, vt ipſe daret, & hominem ſibi ex hoc beneficio deuincere.*

Deus multiplici beneficio ſpirituali, & corporali hominem afficit.

Dub. 103. Ad illa verba, verſ. 21. *Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam?* Cur primo homini datur hic ſomnus?

Reſpondetur: Quod Deus dedit Adamo multa beneficia ſpirituale ſcilicet, & temporale; ſpirituale quidem, alta ei ſublimiaque reſerando myſteria, vt in ſpiritualibus proficeret: temporale vero dando mulierem in adiutorium, neſcit Diuina manus vnum, ſed

sed multiplex conferre beneficium. D. Thomas de veritate quæst. 13. art. 2. ad 9. *Duplicem raptum distinguit. D. Augustinus 12. super Genesim ad litteram: Vnum quo mens rapitur à sensibus ad imaginariam visionem, & sic accidit in Petro, & Ioanne Euangelista in Apocalipsi, vt Augustinus dicit: alium quo mens rapitur à sensu, & imaginatione simul ad intellectualem visionem: Et hoc quidem dupliciter. Vno modo secundum quod intellectus videt Deum per essentiam, & sic fuit raptus Pauli. Alio modo secundum quod intellectus intelligit Deum per aliquas intelligibiles imissiones, quod est proprium Angelorum, & sic fuit extasis Adæ. Vnde dicitur in Glossa quod extasis recte intelligitur ad hoc immissa, vt mens Adæ particeps Angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium Dei nouissima intelligeret.*

Mortis effigie obiecta, homo refrænatur à quacũque in ordinata cogitatione, & superbia.

Dub. 104. Ad eadem verba: *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam.* Cur mysteria non alibi, sed hic reuelantur Adamo?

Deus rẽmunerat beneficia quæ alijs impẽdimus.

Respondetur: Quod in honorem Euę, Deus tanquam Author naturæ, & gratiæ magnis rebus reuelatis Adamo, recompensauit ei exiguum esse, quod Euę contulerat scilicet, costam, ex qua formata est Eua. Deus enim remunerat beneficia quæ alijs impendimus. Rupertus: *Costa ablata non minuitur, sed crescit Adamus, cum sociam mulierem accipit, in cuius formatione magnam cognitionem participat, vt dicat. Nunc os ex ossibus meis.*

Qui in humili est præparatus est, vt ei Diuina mysteria pateliant.

2. Respondetur: Quod altissima ordinatione dormienti primo homini, non experge facto cœlestia referantur arcana: in vigilia enim, cum tanquam id Cathedra sedens totius orbis moderamen teneret, non tam apposite, ac decenter ad Diuina penetralia percipienda existebat accomodatus, quam dum dormiens humi postratus in vilis conditionis vmbra totus detentus tenebatur: qui enim in humili est magis præparatus apparet, vt quæ Dei sunt hauriat, & discat. D. Augustinus: *Extasis hæc quam Deus immisit in Adam, vt soporatus obdormiret, recte intelligitur ad hoc immisa vt, & ipsius mens per extasim particeps fieret Angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium Dei intelligeret nouissima.*

Dub. 105. Ad eadem verba: *Immisit Dominus Deus soporem in Adam.* Cur Adamus post tanta nomina imposita animantibus, sopore deprimitur?

Resp. Quod impositio nominum, illius principatus super omnia animantia erat index: statim ergo post nomina, immisit Dominus soporem, seu profundum somnum, in lethargi similitudinem, vt veluti mortui imaginem redderet; vt statim inter rerum primordia ipsa effigie mortis obiecta, à quacumque vana elatione, ac in ordinata cogitatione homo comprimeretur, ac refrænaretur. Mortis effigie obiecta refrænatur homo à superbia. Tertullianus lib. de Anima, cap. 43. *Inde deducimur imaginem mortis iam tunc eum recensere,* & post pauca: *Ideo somnus tam salutaris, tam rationalis, etiam in publicæ, & communis iã mortis effingitur exemplar; Voluit enim Deus, & alias nihil sine exemplaribus in sua dispositione molitus humani, vel maximi initij, ac finis lineas quotidie agere nobiscum.*

Dub. 106. Ad eadem verba: *Immisit Dominus Deus soporem in Adam.* Cur Deus volens educere Euam de costa Adæ eum obdormire fecit, cum eandem ostenderet potentiam, si educeret costam ex latere Adæ cuigilantis, ac dormientis.

In electionibus attendẽdum innitiæ, non Passioni.

Respondetur: Quia volebat Deus quod Adam formaret iudicium Euam esse cunctis animalibus digniorem, & perfectiorem, ad hoc autem maxime conueniebat, quod Adam dormiret, quando costa de latere eius educebatur, & non videret eam educi, atque in mulierem ædificari, quia quando præcelleret eam cunctis animalibus creatis, non id faceret quia melior, vel dignior erat ex se omnibus illis, sed quia sua erat, & ex se educta, & ex corpore ipsius: ita in distributione præmiorum non est considerandum an sit cognatus, vel amicus ille, qui alijs antefertur, sed ad merita eius, & si contingat meum esse eligendum, hoc faciamus quasi dormientes Passioni, & iustitiæ vigilantes. Abulensis in ratione quarta: *Hoc tinebat ad ostendendum dignitatem fœminæ: Voluit enim scriptura ostendere eam digniorem omnibus pecoribus, & & cæteris animalibus nam ad hoc adduxerat omnia animalia ante Adam, vt videret si aliquod illorum erat conueniens ei in consortium, & nullum voluit: quando autem adducta fuit ante ipsum fœmina, acceptauit illam, & ita iudicauit illam digniorem omnibus animalibus, & tamen si videret Adam illam de se formari educendo costam de ipso, etiamsi illa non esset excellentior alijs animalibus, afficeretur ad ipsam,* &

& iudicaret meliorem alijs, vel eligeret, & sic non ostenderetur conuenienter ex eius electione eam esse alijs nobiliorem.

Prælatus contemplationi vacare debet.

Dub. 107. Ad eadem verba: *Immisit Dominus Deus soporem in Adam.* Quid significat sopor immissus Adæ?

Resp. Quod Adamus significat Prælatum, sopor immissus contemplationis quietem, cui debet vacare Prælatus. Hugo Cardinalis: *Immisit ergo Dominus Deus soporem, id est, quietem contemplationis in Prælatum. Est autem triplex sopor: scilicet, corporis, mortis, & contemplationis. Vnde & Dominus ter inuenit Discipulos dormientes. Matth. 26. Primo redarguit, secundo non prohibuit, tertio commendauit. De tertio Canticor. 5. Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Ex memoria mortis, vita resurgit.

Inquires: Cur Adamo dormiente, exprimenteque mortis effigiem, producitur Eua, quę mater viuentium erat futura?

Resp. Quod memoria mortis ad vitam ducit: Hinc Adamo somno oppresso velut in sepulchro iacente, & eius esse quasi sepulturæ fructu Eua formata est, vt diceretur mater viuentium, quæ à mortis imagine sumpsit principium: ex memoria enim mortis vita resurgit. Tertullianus lib. de anima, cap. 43. *Proponit tibi corpus amica vi soporis alisum, blanda quietis necessitate postratum, immobile situ quale ante vitam iacuit, & quale post vitam incubit. Vt testationem plasticæ, & sepulturæ expectans animam nondum collatam, & quasi iam exceptam.*

Dub. 108. Ad illa verba, versu 22. *Tulit vnam de costis eius.* Cur Dominus ex costa Adæ dedit ei adiutorium, cum de limo terræ potuisset eam formare? Poterat enim sine viri despendio eam ædificare?

Vxor tanquã quid propriũ diligenda.

Respondetur: Quod licet Deus potuisset Euam de luto formare, voluit tamen de costa Adæ, educere, vt videns Adam mulierem ex propria carne formatam, tanquam quid proprium, eam amore prosequeretur. Vxor tanquam quid proprium diligenda. Oleaster: *Quid hoc opus est Domine? Nunquid deest figulo lutum? Absit. Nouerat sapientissimus Artifex ex amabile bonum vnicuique proprium, ideo ex propria carne adiutorium fecit, vt veluti quid suum diligeret.*

2. Resp. Quod vir futurus erat caput mulieris, rector, & gubernator: mulier vero, vt marito obtemperaret creabatur. Vt ergo Deus ostenderet Prælatum, & Principem subditorum saluti, etiam proprio dispendio debere consulere, non ex alia materia videlicet terra sicut hominem, sed ex viri costa mulierem ædificauit: Præsul proprio despendio tenetur consulere subditorum vtilitati. Petrus Damianus: *Poterat nempè ad mulieris plasmãdam carnem viro detrahere puerasco, & ossis dispendium immunitate corpore restaurare: sed abstulit & carnem reddidit sic flagilem de virtute formauit. Debilis itaque factus est homo Adam, vt fortis fieret Eua.*

Prælatus proprio cum dispendio consulat subditis vtilitati.

Dub. 109. Ad eadem verba: *Tulit vnam de costis eius.* Cur non de pedibus, non de capite, sed de medio corporis, scilicet de corde sumpta est mulier?

Vxor diligẽda, vt socia sicut cor.

Respondetur: Quod si de pedibus formasset ancilla viri videretur, si autem de capite sumpta esset, Domina videretur, de costa autem fœmina formata fuit, quia costa adhæret cordi, vt notaretur, quod vir vxorem valde amare debet. Hic est enim debitus ordo viri ad vxorem, & hunc erga te mulier, non alium appetere debet, scilicet, ne contemnatur, vt ancilla, non æstimetur, vt Domina; sed diligatur, vt vxor, hoc est non, vt possit caput, sed cor Hugo Cardinalis: *De costa vero viri, non de terra formata est mulier, vt eam vir plus diligeret, de medio autem non de capite non de pedibus Domina, vel omnino subiecta pateretur, sed socia.*

Dub. 110. Ad eadem verba: *Tulit vnam de costis eius.* Dicit D. Thomas 1. part. quæst. 92. art. 3. ad 2. Quod virtute Diuina potuit corpus mulieris de costa viri formare sine dolore. Quommodo Adamus dolorem non sensit, cum ex latere suo, scilicet, costa educta fuit?

Peccator obstinatus etiã si laboribus opprimatur, non sentit.

Respondetur: Quod somnus immissus Adæ tam grauis fuit, quod non sentiebat quæ fiebant circa eum etiamsi dura, & graua essent: exemplum est de militibus qui custodiebant aulam Saulis, quando intrauit Dauid, & tulit lanceam, & vas Saulis, nemine illum sentiente, similiter lethargici, nihil quod circa illos fiunt sentiunt: ita peccator obstinatione indoratus, & obstinatus duritie, non conuerteretur ad Deum, etiamsi multa prodigia, & miracula videat, etiamsi strepitus omnipotentiæ fiat, non sentiet, sed tanquam lethargicus nihil omnino pœnitentiæ operabitur, & si laboribus opprimatur,

non

non conuertetur. Abulensis. *Immissus sopor à Deo in ipsum fuit, & ideo ille potebat esse tam grauis, vt nihil sentiret eorum quæ circa ipsum fierent etiamsi dura essent*, & de militibus Saulis: ait: *Erat sopor immissus à Deo, & non potuisset aliquis euigilare, etiamsi in castris esset clangor bucinarum, & strepitus belli*, & de lethargicis inquit: *Etiamsi circa eos dura exerceantur, non sentient.*

Dub. 111. Ad eadem verba: *Tulit vnam de costis eius.* Inquires. Ablata costa illa, aut remansit Adamus sine vna costa ex necessarijs sibi, & cum vna minus, quam cæteri homines, & sic esset imperfectus, quia diminutus, aut habebat antea vnam costam non necessariam, esset tunc imperfectus, etiam quia superfluus. Quid horum dicendum est?

Resp. Quod habebat Adamus vnam costam non necessariam, quæ quidem erat superflua in quantum erat indiuiduum naturæ humanæ, & particularis persona, non vero in quantum futurus erat humani generis caput, quia, vt tale esset, debebat esse per generationem, ad hanc opus habebat muliere, & vt hæc formaretur, erat necessaria costa illa, & ideo illi, vt capiti superflua non erat, itaque superflua erat costa illa Adamo, vt membro generis humani, necessaria tamen, vt capiti illius: similiter aliquæ virtutes non sunt alicui necessariæ, vt personæ particulari, quæ tamen, vt Prælato sunt illi necessariæ. Abulensis: *Costa illa dicebatur prius superflua in indiuiduo, quia non erat de integritate eius, sed solum faciebat ad complementum naturæ. Si autem arguatur, quod esset tunc monstruositas in Adam, quia superabundabat aliquid in eo dicendum, quod non est vera, quia hoc est, si superabundaret simpliciter tam quantum ad indiuiduum, quam quantum ad speciem, & non esset intentum à conditore, sed erat aliquid intentum, ideo non erat monstruosum.*

Multa sunt necessaria Prælatis in quantum tales sunt, quæ illis in quantum personæ particulares necessaria nõ sunt.

Dub. 112. Ad eadem verba: *Tulit vnam de costis.* Cur genus humanum totum ex vnico solum principio habuit originem, & principium, videlicet ex solo Adamo, ex quo etiam Eua esse habuit, cum cætera indiuidua, & rationalia, & ratione carentia, ex mari, & fœmina originem trahant?

Fœminam humilitatis est quod obtineat quod perdidit superbia.

Respondetur: Hoc fuisse ordinatum à Deo, vt homo per humilitatem acquireret quod Lucifer amisserat per superbiam: nam iste appetiuit esse omnium principium, & solum, & in pœnam suæ superbiæ, & quod erat amisit, & quod non erat non acquisiuit: vt autem per humilitatem haberet Adam oppositum, voluit Deus, vt non solum esset principium generis humani, sed quod esset solum. Præmium enim proprium humilitatis est, quod obtineat, quod perdidit superbia. Abulensis: *Hoc fuit ad confundendam superbiam diaboli exaltando naturam humanam: diabolus enim concupierat esse principium post Deum, & quod esset vnicum principium omnium, & non assecutus est illud, ideo confusus fuit: homo autem accepit ex gratia, quod esset vnicum principium.*

Maior amor vbi maior vnitas.

2. Respondetur: Quod Deus voluit, vt omnes homines de vnico descenderent principio ad causandum in hominibus omnibus vnitatem, & amorem, quia vbi vnitas, ibi amor, sicut vbi discordia, ibi odium: igitur ibi maior est amor, vbi maior vnitas, quia hæc est inuiolabile signum illius. Abulensis: *Hoc fuit ad causandam magnam dilectionem, nam quando omnes homines scirent se esse ab vno, amarent se vt vnum, quod patet in cognatis.*

Dub. 113. Ad eadem verba: *Tulit vnam de costis eius.* An Eua erat nobilior Adamo?

Nobilitas nõ ex diuitijs, nec ex excellentia maiorum venanda est, sed ex virtute.

Resp. Quod aliqui dixerunt quod sic, & quod nobilior erat Eua, & perfectior eo quod ex nobiliori principio habebat originem, scilicet, ex latere, & costa viri, Adam vero ex limo terræ, & quia in nobiliori loco formata fuit, videlicet in Paradiso, vir autem extra illum: sed isti omnino errant, quia ista maioritas nobilitatis, & motiua extrinseca non probant perfectionem in esse naturali, sed conditionis viri, & suum esse: sic in esse supernaturali gratiæ perfectio ex virtutibus venanda est, non ex nobilitate maiorum, aut ex abundatioribus diuitijs, cum hæc extrinseca sunt perfectioni gratiæ, ille ergo melior est qui iustior, & ille verè alios excedit, qui in virtute antecellit. Abulensis: *Dicendum quod ista motiua nihil probant, cum Sacra Scriptura ostendat esse virum digniorem fœmina.* Vide fol. 24. dub 22. in fine.

Dub 114. Ad eadem verba: *Tulit vnam de costis eius.* Cur Deus primo hominem solum, postea solam Euam creauit? Quare non fecit sic in reliquis animalium speciebus, sed simul de vnaquaque specie masculum, & fœminam creauit simul?

Qui ingratus est ex conditione suæ naturæ, etiamsi multa illi cõferantur beneficia, gratitudinem non reprendet.

Resp. Quod si Deus solum mas equi v. g. creasset, ad formandam fœminam ad-

Non homo ſed brutum animal eſt qui gratitudinem non recognoſcit.

Laici Religionum inſtituti ad ſeruiendum.

Prædicator ad hominum conuerſionē ordinatus, totum tempus perdit, quod in hoc munere non conſumit.

Prælatus eſſe patiens ſit, & manſuetus erga ſubditos.

Mulier ab ſuo ortu ſuo domus ſuæ amans eſſe debet.

Fœmina libere ſpatiari non debet.

Addoctorus eſſet coſtam de latere equi, ex qua fœminam formaret, quod erat inconueniens, quia formando fœminam de coſta equi, non conſequeretur in equo vtilitatem, quam conſecutus fuit informanda Eua de coſta Adæ; ſcilicet, amorem erga Euam velut in ſui conſortem, & ſuæ naturæ participem, & minus in fœmina reſpectu equi, ſicut conſecutus fuit in Eua erga Adam, quia brutum animal gratitudinem non agnoſcit, & ideo nec habet: ita qui ingratus eſt ex conditione ſuæ naturæ, etiamſi in infinitum multiplicentur illi beneficia, nunquam illa recognoſcet, nec debitam rependet gratitudinem. Abulenſ. *Nullu maſculus in animalibus cognoſceret famellam de ſe ſumptam, ad hoc quod eam abundatius amaret potius quam ſi de terra ſumpta eſſet: ideo nulla vtilitas erat ibi de maſculo ſumere famellam, vel de terra, in hominibus ſecus.*

Dub. 115. Ad eadem verba: *Tulit vnam de coſtis eius.* An Eua fuit inferioris naturæ quam Adam?

Reſpondetur. Quod non, quia non fuit formata ad ſeruiendum illi, & è conuerſo, quia non fuit formata ad ſeruiendum, quia non erat diſtincta, nec inferioris ſpeciei, & naturæ cum illo: iuxta hanc doctrinam Religioſi laici inferioris, & diſtinctæ ſpeciei ſunt comparati Religioſis Clericis, quia inſtituti ſunt ad ſeruiendum. Abulenſ. *Si facta fuiſſet ad ſeruiendum eſſet de inferiori natura; ſcilicet, de animalibus alijs quibus eſt homo naturaliter excellentior, nam illis præfecit Deus hominem. Geneſ. 2. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs terræ: fœmina autem fuit de eadem ſpecie de qua vir, ideo non fuit formata ad ſeruiendum.*

Dub. 116. Ad eadem verba: *Tulit vnam de coſtis eius.* Cur Deus non formauit Euam in illa parua quantitate in qua ſunt in ventre matris cæteræ fœminæ?

Reſp. Id fuiſſe, quia ſi tam parua formaretur, non prodeſſet A tanto ad generationem, vſque dum tranſirent anni ad debitam quantitatem in qua concipere poſſet, & illos annos perderet Adam, quia cum creatus fuiſſet ad generandum genus humanum, totum tempus in quo non generaret, amitteret, quia ammittitur in quo non exercetur officium ad quod quis ordinatus eſt. Sicut igitur Adamus fuit formatus ad generandum filios naturales, ſic Prædicator, Doctor, & Magiſter ad generandum filios ſpirituales per gratiam: ſicut ergo perditum computatur totum tempus in quo ille non gigneret: ſic Prædicator, & Magiſter, quem elegit Deus ad animarum conuerſionem, & ad id munus ſcientiam illi dedit, totum tempus perdit, quod in hoc munere non conſumit. Abulenſis: *Si Eua tam parua formata fuiſſet maneret Adam pluſquam per quindecim annos non habens cui copularetur, quouſque illa efficeretur apta ſecundum corpus, & iſtud totum tempus perderet Adam, quia in illo non multiplicaret, quod Deus hominibus dixerat ſup. 1. cap.*

Dub. 117. Ad illa verba, verſ. 21. *Et repleuit carnem pro ea.* Quid ſignificat ablatio coſtæ ab Adamo, & repletio carnis pro ea?

Reſpondet. Quod coſta Adami ſignificat rigorem Prælati, caro autem qua repletus eſt pro coſta, compaſſionem, & manſuetudinem Prælati poſſumus intelligere. Quid eſt ergo quod Deus tulit vnam de coſtis, niſi quod Deus abſtulit rigorem à Prælato, & pro eo carne repleuit, id eſt, voluit, quod compaſſionem erga ſubditos haberet. Hugo Cardinalis: *Tulit vnam de coſtis, id eſt, auſteritatem, & rigorem Prælati & repleuit carnem, id eſt, compaſſionem, & manſuetudinem eum habere voluit. Matth 11. Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. Et B. Bernardus conqueritur, quia in principio nimis auſterus fuit, ideo paucos lucratus eſt Deo.*

Dub. 118. Ad illa verba, ver. 22. *Ædificauit coſtam in mulierem.* Cur in mulieris fabrica potius ædificandi verbo vtitur, quam formandi? Nonne homo dicitur formari? Vtique Geneſ. 2. verſ. 7. *Formauit hominem de limo terræ.* Cur ergo mulier dicitur ædificari?

Reſp. Quod homo formari dicitur, mulier vero ædificari, vt ſignificaret mulierem à primo ſuo ortu ædis ſuæ amantem eſſe debere, & ſedula domus gerere curam. Diuus Ambroſius lib. de Paradiſ. capit. 11. *Benè ædificauit dixit, vbi de mulieris creatione loquebatur: ſicut enim vir publicis officijs, ita mulier domeſticis miniſterijs habilior æſtimatur.*

2. Reſpondetur. Quod mulier ædificari dicitur; vt enim ædificium eſt immobile, neque huc vel illud

circunuagatur: ita fœmina libere spatiari non debet, sed sub eodem semper tecto contineri, vt non tam incola ædificij, quam ipsum immobile ædificium videatur. Caietanus: *Significat mulierem ad hoc fecisse, vt sit ædificium hominis.*

Dub. 119. Ad eadem verba: *Ædificauit costam in mulierem.* Cur Deus Adamum condidit extra Paradisum, mulierem vero in Paradiso? Cur autem non potius vice versa, cum homini qui nobilior erat, nobilior patria deberi videatur?

Mulier debet recondi, homo in publicum exire.

Respondetur: Quod homini locus publicus, mulieri vero secretus debetur: ideo Adamus extra Paradisum in loco publico formatur: Eua vero intra Paradisum qui locus secretus est ædificatur. Mulier enim debet recondi, vir in publicum exire. Mendoza tomo 1. fol. 262. num. 3. *Vt suum cuique locum tribueret, homini quidem publicum fœminæ secretum. Nam homo potest in publica prodire loca: fœmina secretis debet penetralibus recondi.*

Dub. 120. Ad eadem verba: *Tulit vnam de costis.* Cur de latere dormientis potius quam vigilantis, costa ablata fuit?

Concordia inter coniuges tanta debet esse, vt nulla sit rixa inter eos.

Respondetur: Quod Deus costam non eripuit de latere vigilantis, sed dormientis, ne cum aliquo doloris sensu auferretur, ex quo postea rixarum occasiones inter coniuges nascerentur. Quasi vellet Deus ab illo primo coniugio omnia discordiarum semina remouere, ne postea ad alios coniuges transfusa in rixas, & contentiones pullularent. Diuus Chrisostomus Homil. 15. in Genesim: *Ne Adam sentiendo dolorem, mulieri ex se formatæ, postea doloris memor, infensus fieret.*

Dub. 121. Ad eadem verba: *Ædificauitque costam in mulierem.* Cur in formatione Euæ caro Adami diuisa?

Inter coniuges vna sit mens, idem velle, idem nolle.

Respondetur: Quod maritali vinculo nexis necessarium est pacis, & concordiæ diligere vnitatem, qua vita reddatur fœlix: ideo in Euæ formatione Adami caro diuiditur: vt cum nouerint vxorati tantam esse Creatori de coniugum pace prouidentiam, sciant vnam in duobus mentem aptandam, vnam qui animorum glutinationem esse necessariam. Diuus Basilius orat. 2. in Adam: *Neque vero ex terra, sed ex latere membrum mutuatur, partitur corpus, vt coaptet, & naturæ vna dissipatur arte formantis, vt vna mens construatur ad imitationem naturæ.*

Dub. 122. Ad eadem verba: *Ædificauit costam in mulierem.* An Eua Angelorum ministerio formata fuit?

Amans omne ministerium in obsequium amati vult ad implere.

Respondetur: Quod Deus, vt magnum erga Adamum manifestaret amorem, semoto famulorum obsequio, obire solus omnia voluit, ipse immisit soporem in Adam, ipse tulit vnam de costis eius, & replebit carnem ipse ædificauit costam quam tulerat de Adam in mulierem, ipse adduxit eam ad Adam. Dei manibus compaginata Eua fuit: amans omne ministerium in obsequium amari per se ipsum vult implere. Diuus Augustinus lib. 9. de Genesi ad litteram capit. 15. *Quale ministerium Deo exhibuerint Angeli in illa mulieris efformatione, quis audeat affirmare? Certissime tamen dixerim supplementum illud carnis in costæ locum, ipsiusque corpus fœminæ, & animam, conformationemque membrorum, omnia viscera, sensus omnes, & quidquid erat quo illa, & creatura, & homo, & fœmina erat, non nisi in illo opere Dei factum: quod Deus non per Angelos, sed per se metipsum operatus est.*

Dub. 123. Ad illa verba, vers. 22. *Adduxit eam ad Adam.* Cur Eua ad Adam adducta fuit?

Vir vxorem eligat iuxta libitum suũ non secundũ aliorum placitum.

Respondetur: Ideo Deum adduxisse Euam ad Adam, vt videret an placeret ei, cum vir debeat videre vxorem, an placeat: ex cuius defectu multa oriuntur mala. Oleaster ad litteram. *Quia enim adductis animantibus nullum inuentum est simile Adæ, adducit modo ad eum fœminam, vt videat si placeat sibi.* Et ad morum compositionem ait: *Colligo ex hoc loco matrimonia male fieri per nuntios, aut inter absentes. Debet enim vir videre vxorem an placeat. Similiter suadet matrimonia debere esse libera; non coacta. Similiter debere inter pares fieri.*

Matrimonia non fiant inter absentes, fiant libera, & inter pares fiant.

Dub. 124. Ad illa verba, vers. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Cur Adamus prius loquitur de Deo quam vescatur de fructibus terræ?

Iustus linguã suam aliorũ non dirigit quam a Deũ Prædit adũ

Resp. Quod enuntians illa verba: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Loquutus est de Deo, nam hoc oracilum Apostolus appellat. Ephes. 5 n. 32. *Sacramentum magnũ in Christo & in Eccles*

Eccleſia prius ergo in hæc verba erupit, quam de fructibus Paradiſi veſceretur: neque enim æquum erat, vt os iuſti prius cibos ederet, quam meditaretur ſapientiam, & lingua eius guſtaret poma terræ, quam Dei iudicia loqueretur. Iuſtus enim linguam ſuam ante omnia opera in Dei laudem dirigit. Tertullianus lib. de Reſurrectione carnis, cap. 61. *Adam ante nomina animalibus enuntiauit, quam de arbore decerpſit, antę etiam prophetauit, quam vorauit.*

Vir vxorem ſuam tanquã ſuam carnẽ, & os diligat.

Dub. 125. Ad eadem verba: *Os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Cur Adamus vocat Euam os, & carnem ſuam?

Reſpond. Ideo Adamum appellaſſe Euam os, & carnem, vt eam tanquam quid ſuum amore proſequatur: vxor tanquam os, & caro propria diligenda. Oleaſter: *Qualis inter virum, & vxorem amor eſſe debeat admonemur hic, vt quaſi os, & carnem ſuam diligat eam.*

Dub. 126. Ad eadem verba: *Os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Cur Adamus dicitur os, & caro?

Prælatus fortibus exemplum fortitudinis præbeat, infirmis compatiatur.

Reſpondet. Quod Adam eſt Prælatus, os fortitudo, caro compaſſio, dicatur ergo Adam os, & caro, quia Prælatus ita ſe debet gerere erga ſubditos, quod fortibus exemplum fortitudinis præbeat, & infirmis compaſſionis viſcera oſtendat. Hugo Cardinalis: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea q. d. Prælatus: Hi ſunt ex fortitudine mea fortes, & ex compaſſione mea compaſſibiles. Ad hæc duo genera ſubditorum ſe debet conformare Prælatus, vt fortitudinis præbeat, & infirmis compatiatur. Ezech. 3. Veni ad tranſmigrationem, & ad aceruos nouarum frugum, per tranſmigrationem fortes, per aceruos nouarum frugum, infirmi. 1. Corinth. 9. Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem, omnibus omnia factus ſum, vt omnes ſaluos facerem.*

Dub. 127. Ad illa verba, verſ. 24. *Quam obrem relinquit homo patrem ſuum, & matrem, & adherebit vxori ſuæ.* Cur viro id perſcribitur, & non fœminæ, quod paternam domum deſtituat?

Prælatus ſibi oneroſa aſſumat, ab eis ſubditos libe reſ.

Reſpond. Quod vir caput eſt mulieris, vt ſcribit Apoſtolus 1. Corinth. 11. verſ. 3. vxor autem inferior eſt: rectè ergo quod viro onerosum eſt, imponitur, quod patrem, & matrem deſerat, non autem fœminæ, quoniam eum qui præeſt, moleſta, & oneroſa ſufferre expedit, ſubditum vero à moleſtis, & oneroſis liberari. D. Chriſoſt. homil. 12. in epiſt. ad Coloſenſes: *Propterea hæc quidem diſcipuli, ille vero locum tenet Magiſtri: ille quidem Principis hæc vero eius qui paret Principi.*

Chriſtus ob amorem ſuũ erga Eccleſiã inſeparabiliter ei adhæſit relinquẽs patrem in cœlo, & matrẽ Sinagogam in terra.

2. Reſpond. Quod Adamus ſignificat Chriſtum, qui reliquit patrem in cœlo, & matrem, id eſt, Sinagogam in terra ob amorem Eccleſiæ ſuę, cui in ſeparabiliter adhęſit. Laurentius Iuſtinianus tractatu de Triumphali Chriſti agone, cap. 2. *Nempè Dominus Ieſus Dei, & hominum mediator ipſe eſt qui ob amorem Sponſæ Immaculatæ Eccleſiæ reliquit in cœlo Patrem ſuum, quando formam ſerui ſuſcipiens, ſemetipſum exinaniuit; reliquit, & matrem, dum Sinagogam, de qua carnis trahens origirem, propter infidelitatis demeritum repudiando contempſit; ſuæque abæſit vxori, cum in Cruce pendens dato ſanguinis pretio, atque aquæ lauacro, ſibi eam inſeparabilem copulauit: cui etiam pro amoris pignore, proque fœdere maritali, corporis, & ſanguinis ſui Sacramenta conceſsit, vt non ſolum in ſpiritu, verum etiam eſſent duo in carne vna.*

Prælatus relinquat carnalem affectum circa parentes, & adhærere vxori, id eſt, Eccleſiæ per amorem, & curam.

3. Reſpond. Quod Adamus ſignificat Prælatum Eccleſiaſticum, qui debet relinquere carnalem affectum circa parentes, & adhærere vxori, id eſt, Eccleſiæ per amorem, & curam Hugo Cardinalis: *Relinquet homo, id eſt, Prælatus omnem affectum carnalem circa parentes; & adhærebit vxori ſuæ, id eſt, Eccleſiæ per amorem, & ſolicitudinem. Deuteronom. 33. Qui dicunt patri, & matri neſcio vos illi ad gradum Leuiticum promouentur.*

Vxorati vnũ ſint in voluntate, licet duæ perſonæ.

Dub. 128. Ad illa verba, v. 24. *Erunt duo in carne vna.* Cur duo in carne vna?

Reſp. Quod ſicut in vno Deo cum multiplicitate perſonarum ſtat vnitas vnius naturę Diuinę: ita quodammodo, ac ſecundum aliqualem loquendi modum, in matrimonio cum multiplicitate perſonarum ſtat vnitas vnius carnis. Coniuges vnum ſint in voluntate. Rupertus lib. 2. in Geneſ. cap. 38. *Coniugij copulam omnium carnalium neceſsitudinum maximam, atque fortiſsimam fore promittit, adeo vt ſimul copulati, iam non ſint duo, ſed caro vna.*

Dub. 129. Ad eadem verba: *Erunt duo in carne vna.* Vnde tanta vnitas inter duos?

Reſp. Quod natura hoc non valet efficere, ſed ſolum Dei gratia, ac diſpoſitione ſic ordinatum eſt, de qua vnanimitate ait Diuus Paulus: *Sacramentum*

hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Maxime enim naturæ, deprauatæ vires superat, quod dico inter se multum discrepantia vnanimiter conueniant, vt fiant vnum, hoc ex gratia Dei venit. Concordia duorum, gratia Dei venit. D. Basilius Seleuc. orat. 4. *Postquam Adamus de puluere conformatus est, & terra ad hominis naturam detornata, postquam latus Euam edidit, & in vnum egit non naturæ lex, sed facultas iubente Deo accepta.*

Dub. 130. Ad illa verba, v. 25. *Erant autem vterque nudi, & non erubescebant.* Cur Adam, & vxor eius non erubescebant: cum essent nudi?

Peccator multa habet quibus erubescat: iusti vero nihil quo verecundentur.

Respondetur: Quod ambo iusti erant; ideo non verecundabantur, nec pudebat eos esse nudos: iusti nihil habent quo verecundentur, at peccatores multa quibus erubescant. Oleaster: *Fœtum peccati constat esse verecundiam: vnde iusti non habent quod verecundentur.*

Casti non habent vnde rubescant, inhonesti habent vnde pudefiant.

2. Respondetur; Quod in membris genitalibus nullus motus inordinatus poterat contingere, nec inhonestas in aliis partibus, durante illo statu. Hinc licet essent nudi, pudore non consternabantur cum caro non rebellaret, nec inhonestas esset: casti non habent vnde rubescant, inhonesti habent vnde pudefiant. D. Thomas: *Nudi siquidem erant ex defectu exterioris operimenti, sed non nudi ex defectu interioris ornamenti: ac ideo quia in suis membris, nihil erat quod ratione rebellaret (quia nullum habebant defectum vel enormitatem) non erubescebant. Erubescentia enim est de turpibus in gloriis, & turpibus, secundum Aristotelem 2. Retho. Quia igitur membra genitalia rationi rebellant, & contra rationem rectam, & voluntatem se mouent, ideo ad factum tale, idem homo modo nudus erubescit, & plusquam in alijs passionibus.*

Iusti nō sunt duplices animo, sed simplices, & sinceri.

Inquires: Quid significat nuditas Adami, & Euæ?

Respondetur: Quod adumbrat simplicitatem, candorem mentis, quam habent iusti, qui sunt aperti, puri, sinceri, & ingenui, à duplicitateque animi alieni. Quid est ergo, quod Adam, & Eua erant nudi, nisi quod iusti non sunt versipeles, vifrontes sicut peccatores, sed simplices, & sinceri, interlinealis: *Nudi absque velamine duplicitatis.*

CAPIT. III.

Serpentis astutia, Primi Parentes Dei præceptum transgrediuntur, atque in dicta singulis pœna, é Paradiso pelluntur.

Dub. 1. Ad illa verba, vers. 1. *Sed, & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Cur Deus volens quod diabolus per aliquod animal tentaret Euam, per serpentem eam permisit tentare? Cur diabolus magis illum elegit inter cætera animalia, cum alia essent ad sua designia efficatiora?

Deformitatem posuit Deus in peccatis, vt homines à peccato abhorrerent.

Respondetur: Quod non fuit electio serpentis respectu cæterorum animantium ab ipso diabolo ad tentandam Euam, sed fuit specialis prohibitio ex parte Dei, ne intraret in aliquod animal pulchrioris formæ, & figuræ: omnia enim pulchra magis alliciunt voluntatem humanam quam deformia, præcipue mulierem; tentet ergo diabolus Euam per horribile animal; scilicet per serpentem, vt tentationem per horrorem vinceret, vel ad minus hoc modo cum maiori difficultate vincatur Eua. Deformitatem posuit Deus in omnibus peccatis, vt ab illorum perpetratione abhorrerent homines, vel ad minus cum maiori difficultate peccata committerent. Abulensis: *Non quia ipse elegisset, sed quia non fuit à Deo permissus intrare in aliud animal pulchræ figuræ: ne ita faciliter tentare posset, sed in specie horribili quam magis fœmina euitaret.*

Diabolus hominem trahit sua inclinatione.

2. Respondetur: Quod serpens erat gratus mulieri; erat ei in delitijs, ac cum illo maxime delectabatur: ideo non erat mirum, quod cum mulier esset tam propensa, & inclinata serpenti, licet in Paradiso essent diuersi generis animalia, serpente diabolus vteretur ad eam decipiendam: diabolus enim hominem trahit sua inclinatione. Procopius: *Eam ob rem, vel in primis idoneus visus est diabolo, vt eo suo instrumento, & organo abuteretur ad id malum, quod*

quod machinabatur homini. Vide f. 46. dub. 28.

Dub. 2. Ad eadem verba: *Sed, & serpens erat callidior.* Cuius speciei erat serpens quæ Euam tentauit?

Respondetur: Quod diabolus accepit quoddam genus serpentis quod directe incedit quidam sunt serpentes qui directè incedunt, quos *pharcas* vocant; ille serpens habuit vultum virgineum, vt magis Eua complacuerat: erat enim Eua virgo, & quia virginem virgo delectat, ingressus est in serpentem virgineum habens decorem, vt efficacius suaderet, qui eam magis imitaretur, callidus tentator nostram cognoscens inclinationem, in his quæ magis tendunt, ad illam, & quæ magis, ad nostram delectationem conducunt, parat laqueos nobis tentationis suæ, vt securius vincere possit, & facilius. Hugo Cardinalis: *Mulierem primo aggressus est in serpente, qui tunc erectus erat habens vultum virgineum, vt dicit Beda.*

Diabolus parat laqueos homini in his, quæ magis ad nostrã inclinationẽ tendunt,

Dub. 3. Ad eadem verba: *Serpens erat callidior.* Cur diabolus Adamum non tentauit, sed Euam? Cum nouerit perditionem generis humani, non in casu Euæ, sed Adami solius fuisse futuram?

Resp. Quod diabolus sciebat hominem prudentiorem, & constantiorem esse: timens ergo ne eius primus conatus in cassum esset, fœminam primo aggressus est. Timuit esse victum, ideo Adam no tentauit, quia numquam inuanum tentare solitus est. Hugo Cardinalis: *Timens autem à viro deprehendi, mulierem primo aggressus est in serpente.*

Diabolus nũquam inuanum tentare solet, vbi de victoria desperat, tentationis laqueos non diffundit,

Dub. 4. Ad eadem verba: *Serpens erat callidior.* Cur diabolus, ad tentandam mulierem, non assumpsit figuram humanam, & in illa illi apparuit?

Respondetur: Causam fuisse, quod Deus ante peccatum apparebat primis parentibus in figura humana, & erat inconueniens Deum, & diabolum in eadem figura apparere, nec etiam in apparientia conuenire. Abulensis in cap. 13. Genesis: *Dicendum quod non debuit formam humanam assumere, quia in tali forma apparebat Deus. nam Deus loquebatur aliquando cum Adam in figura corporali id est, Angelus loco Dei: non autem fuit conueniens, vt in eadem figura appareret Deus, & diabolus tentator.*

In nulla re conuenire Deus, & diabolus, nec cõiugẽdæ sunt res illius cum rebus istius,

2. Respondetur: Ideo diabolum non tentasse Euam in figura humana, ne Eua se ipsam odio haberet, videns se esse illiusmet speciei, cuius saltem in figura erat ille qui ad peccandum impulit illam: adeo horribile est peccatum, vt peccator ipse quantum ex se est, & ex parte peccati, seipsum hodio habeat, & a se ipso abhorreat, quod sæpius experiuntur homines, dum aliquando post aliqua peccata, & contra peccatum ipsum, & contra se ipsos tale recipiunt odium, quod quasi eorum viscera dilaniari videantur. Abulensis in cap. 13. Genesis: *Vt non fieret homini odiosa propria species, nam diabolus tentauit hominem in serpente, & factus est inde serpens odiosus homini, sicut nunc est totogeneri humano. Nam Deus dixit in pœnam huius seductionis: inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: erat tamen inconueniens, quod homini esset propria natura odiosa, sed hoc esset quod se ipsum odisset, ideo non debuit concedi à Deo, quod diabolus in figura humana tentaret.*

Peccatum adeo horribile, vt peccator ipse quantum ex se est, & ex parte peccati se ipsum odio habeat, & à se ipso abhorreat,

Dub. 5. Ad eadem verba: *Serpens erat callidior.* Cur diabolus non tentauit Euam in figura Angeli?

Respondetur: Quia non erat potens adeo graues tentationes sufferre, qualis esset tentatio ab Angelo. Nos autem eas sufferimus, quia sumus maioribus auxilijs præuenti, videlicet cognitione Christi, & gratiæ, & Sacræ Scripturę, quibus eruditmur, ad cognoscendum eas, & ad eas vincendas fortificamur, & ideo peiores sumus Adamo, & Eua, quia succumbimus tentationibus quibus ipsi non succumberent. Abulensis: *Ista est causa potissima facilitatis casus primorum parentum, saltem Euæ, & ita quia infirmiores illi erant nobis, non debuit contra eos permitti Sathanas venire transfiguratus in Angelum lucis, licet contra nos venire permittatur.*

Homines magnis auxilijs præuenti adhuc tentationi succumbunt,

Dub. 6. Ad eadem verba: *Serpens erat callidior.* Cur diabolus non tentauit primos parentes in figura Angeli lucis?

Respondetur: Quod si sic tentasset, esset fortissima tentatio: hęc non conueniebat primis parentibus, quia cum essent caput omnium hominum, dum peccarent, omnes ad se perducerent ad peccandum, cum ea sit vis peccatorũ superiorum; superiores enim, & Prælati maius periculum habent dum tentantur, quam subditi, & inferiores, quia peccata eorum alios in sui imitationem occultis viribus atrahunt. Abulensis in capit. 13. Genesis: *Non*

Peccata superiorum alios in sui imitationem prauam atrahũt,

debuit contra eos venire permitti Sathanas transfiguratus in Angelum lucis, quia non debuit contra eos permitti tentatio tam grauis sicut contra nos, quia in tentatione nostra quicumque succumbit, solus vincitur, & solus punitur, in tentatione autem primorum parentum non succumbebant illi soli, sed in eis totum genus humanum videbatur tentari, & peccare.

Odiorum est Deo, quod aliquis aliud opere simulet, & aliud corde gestet.

Inquires: Cur diabolus, si callide cupiebat deuincere mulierem, & per eam hominem, non in columbæ specie animalis mansueti, & amabilis, sed in figura colubri formidabilis parauit insidias? Nonne Eua columbam, vtpote animal mansuetum facilius auscultaret quam colubrum? Cur ego diabolus in colubro tortuoso, & non in columba simplici Euam tentauit?

Respondetur: Quod Spiritus Sanctus descensurus erat in columbæ specie, cum Christus erat sanctificaturus aquas Iordanis. Columba Christi annuntiauit sanctitatem, vnde erat sanctitatis index. Hinc Deus non permisit dæmoni, occultare suam calliditatem simplicitate columbæ, ne externe appareret mansuetus, qui interne erat venenosus, & formidabilis; odiosum est enim Deo, quod aliquis aliud opere simulet, & aliud corde gestet. Hugo de S. Victore: *Venit ad hominem in serpente callidus hostis, qui si permissus fuisset, in forma columbæ venire maluisset: sed hoc vas sibi Spiritus Sanctus reseruauit: quia profecto dignum non erat, vt spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret, in qua postmodum Spiritus Sanctus apparere debuisset.*

Inuidus rebus opimis alterius inuidet.

Dub. 7. Ad eadem verba: *Serpens erat callidior.* Cur serpens Euam tentauit?

Resp. Quod serpens videbat primos parentes ei antelatos, summaque felicitate gaudentes: ideo alienis bonis mærebat, dolebat, & disrumpebatur. Inuidus rebus opimis alterius marcescit. Oleaster: *Fuit à principio non solum in homine, sed in brutis inuidiæ motus, & dolor si quid aliud sibi Prælatum viderent.*

Malus, & inuidus gaudet videns alios in simili miseria de iectos.

2. Respondetur: Quod diabolus qui loquebatur in serpente, vidit se de Paradiso cœlesti deturbatum: ideo primos parentes tentauit, vt ad peccatum traheret, & è Paradiso terrestri eijcerentur. Malus gaudet videns alios in simili miseria deiectos. Hugo Cardinalis: *Eiectus enim diabolus de Paradiso spirituum inuidit homini, quod esset in Paradiso corporum, sciens quod si peccaret homo, sicut ipse eijceretur.*

3. Resp. Quod diabolus non solum inuidebat fœlicitatem illius status innocentiæ in qua creatus erat, & tunc perseuerabat, sed præcipue fœlicitatem æternæ gloriæ, quam, etsi Adam videbat nondum possidere, videbat tamen posse habere, & vt vere inuidus non solum fœlicitatem Paradisi, quam possidebat Adamus, sed etiam veram gloriæ fœlicitatem, quam habere poterat inuidebat. Inuidus enim non solum inuidet bona quæ in alijs de facto reperiuntur, sed etiam illa quæ sibi videntur illi possibilia, & de futuro videt alium habiturum. Abulensis in cap. 13. Genes. *Dicendum quod vere diabolus inuidit homini, cum Scriptura dicat, inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum: inuidus autem fuit quia conspexit quod homo poterat ascendere ad illum gradum de quo ipse deciderat, & ita efficeretur minor eo, qui prius erat maior in gradu, & nunc etiam maior erat secundum naturam.*

Inuidus non solum inuidet bona quæ in alijs reperiuntur, sed illa quæ sibi videntur illi possibilia.

Dub 8. Ad eadem verba: *Serpens erat callidior.* Cur calliditas serpentis describitur, non vero potentia?

Resp. Ideo Moysem narrare serpentis astitiam, & calliditatem, vt intelligeret homo quod non potentia diaboli, sed versutia, calliditate, & sagacitate eius trahitur ad peccatum. Oleaster: *Adnotare licebit quam nostra sponte peccata committimus. Non enim, vt ait D. Bernardus serpens omni animali fortior, sed callidior describitur: ne homo causaretur, se potentia superatum, non astutia.*

Peccator non potentia, sed astutia diaboli trahitur ad peccatum, & superatur.

Dub. 9. Ad eadem verba: *Serpens erat callidior.* Quommodo Eua falli potuit, quia videns serpentem loqui, quod naturæ insolitum erat, credere debuit, aliquam intercedere fraudem?

Resp. Quod bonæ mentis est omnes bonos, ac iustos iudicare, omnia in bonam partem facta fuisse cogitare: ideo Eua nondum lapsa, etsi aliquid vidit; quod eam non reddebat securam, nihil tamen mali bonitas sua permisit suspicari. De omnibus enim hominibus, siue rebus ab illis operatis, non temerarie, aut malitiose, sed in bonum iudicium proferendum est, quod adeo obseruandum, vt etiamsi aliquam speciem mali aliquæ actiones præseferant, adhuc in bonam partem interpretandæ sunt. Abulensis. *Mulier mirata est, sed quia sciebat omnes creaturas bonas esse, fraudem esse non credidit.*

Iustus de nullo male suspicatur.

Dub. 10. Ad eadem verba: *Serpens erat callidior.* Cur Eua non timuit serpentem, cum eam vidit tentantem?

Qui in gratia est nihil timet, secus qui est in peccato.

Resp.

Respondetur: Quod timor est pœna, hæc autem non poterat esse ante peccatum, & ideo neque timor: ideo ante peccatum non fuit in Eua timor: post illum autem omnia timebat. Qui enim in gratia est nihil timet, qui vero in peccato, totum. Abulens. in cap. 13. Genes. *Data ista ratione secunda, non esset Euæ causa timoris quoniam etiam ea, quæ naturaliter sunt nociua, non poterant ei nocere ante peccatum ergo neque ea quæ erant terribilia possent inferre timorem, quia tunc esset pœna ante peccatum, quod repugnat Diuinæ prouidentiæ.*

Dub. 11. Ad illa verba, ver. 1. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis, ex omni ligno Paradisi.* Cur diabolus colloquium mulieris exigebat?

Resp. Quod diabolus mulierem prouocauit ad colloquium, quia sciebat quod ex loquacitate multa in peccata traheret mulier. Mendoza tom. 3. fol. 56. num. 2. *Credo quia non dubitabat, illud fore multi loquium in quo Salomon testatur. Prouerb 10 num. 19. Peccatum non de futurum. Nec sua eum opinio fefellit. Nam mulier plura respondit quam oporteret Si penitus taceret, aut saltem respondisset: nescio, aut quia Dominus est, aut quia ita voluit, profecto, & verius respondisset, & accomodatius ad id, quod rogabatur Deum autem insita loquacitate in plura verba se effudit, bis peccauit, semel aggrauando præceptum dum ait Et ne tangeremus illud: iterum dubitando de pœna à Deo imposita: dum ait. Ne forte moriamur: vides in quam multa scelera mulieris loquacitas effundatur.*

Loquacitas mulierum, scelerũ causa

Dub. 12. Ad eadem verba. *Cur præcepit vobis Deus.* Cur diabolus nõ tentauit Adamum, sed Euam? præsertim cum ille cognouisset, vtique ex causa illius non huius, ruinam totius generis humani dependere.

Respondetur: Id fuisse quia cognouit fortiorem esse virum, vtpote in quo magis vigebat ratio, & vis ad resistendum, & timuit ex illo ferre repulsam, Euam autem agnouit debiliorem, & ideo putauit ex illa victoriam reportaturum. Timet enim diabolus iustos, vt dicebat Beatus Antonius Abbas, & ideo non audet illos ita faciliter tentare, non timet debiles, & ideo facilius, & audacius illos tentare aggreditur. D. Thomas, opusc. 2. cap. 189. *Diabolus qui iam peccauerat, videns hominem taliter institutum, vt ad perpetuam fœlicitatem peruenire posset, à qua ipse deciderat, & nihilominus posset peccare, conatus est à rectitudine iustitiæ abducere aggrediens hominem ex parte debiliori tentans fœminam in qua minus vigebat sapientiæ donum, vel lumen.*

Diabolus nõ fortes, sed debiles tentare aggreditur.

2. Respond. diabolum non tentauisse Adamum, quia putauit illum non consensurum, & recusasse dolorem quem haberet videns se despectum iri, & suo desiderio defraudatum: diabolus enim quia superbissimus est non tentat quos casuros non reputat, vel timet. Abulensis: *Quia diabolus est superbus, & valde dolet quando superatur, & ab Adam superaretur; noluit incipere tentare eum, ne hanc dejectionem sustineret.*

Diabolus nõ tentat quos casurus non reputat.

3. Respondetur: Quod diabolus non tentauit Adamum, sed Euam, quia timuit vinci, & si vinceretur redderetur minus efficax, & potens atque audax ad iterum tentandum, quia superbus est, ideo non tentauit Adam sed Euam, de qua magis se victurum confidebat, & sperabat: ita superbus semper est timidus, & desinit facere malum, quia timet superari, & vinci. Abulensis in cap. 13. Genes. *Secundo quia si diabolus in prima tentatione superaretur, efficeretur timidus, ad postea tentandum: ideo voluit ibi tentare, vbi erat sibi quasi certum quod posset superare.*

Superbus, quia timidus desinit malũ alijs inferre, quia timet vinci.

Dub. 13. Ad eadem verba: *Cur præcepit vobis Deus.* Quommodo ausus fuit diabolus tentare Euam in præsentia Adami?

Respondetur: Negando suppositum, quod scilicet eam in Adami præsentia tentauerit, imo opportunam occasionem quærens, eam inuenit solam, vtpote à viro suo separatam; seperauit enim se paulisper ab illo, & tunc tentauit, & vicit, quod non faceret diabolus, si ab illo nunquam fuisset separata: diabolus enim solitarios acrius aggreditur, & occasionem opportunam quærit ad tentandum. Abulensis in cap. 13. Genesis: *Quando dicitur, quod simul erant, dicendum quod non erant semper simul, quia saltem aliquo parvo momento temporis discederent, & tunc poterat diabolus per serpentem, solitariam fœminam aggredi.*

Diabolus opportunitatem quærit ad tentandũ, solitariosque aggreditur.

Dub. 14. Ad eadem verba: *Cur præcepit vobis Deus.* Quid diabolus moliebatur tentando Euam?

Respondetur: Quod diabolus intendebat suadere Euæ legem Dei esse grauem, & duram, qua esum illius fructus prohibuit, à quo pendebat maximum hominis bonum cognitio; scilicet boni, & mali, cum tamen Dei legem esse suauem, & leuem debeat homo cogitare. In hoc enim omne malum hominis situm est, quod de lege Dei non sicut oportet

Diabolus suadere nititur homini legẽ Dei esse durã

tet sentit iudicant enim eam non iugum suaue, nec onus leue, ex quo prouenit tale iugum à nobis excuti velle & inde contra præceptum eleuari: diabolus suadere nititur homini legem Dei esse duram. Caietanus: *Iuxta Hebræum habetur. Etiam quid dixit. Non comedetis ex omni ligno horti. Proponendo etiam accumulationem legis positiuæ, tum ad legem naturalem, tum ad legem fidei, significat, suggerendo per hoc materiam fastidij superadditam legem positiuam implicite suggerendo: nonne sufficit Vobis, subditos esse præceptis iuris naturalis, & præceptis fidei? Quid insuper adiecit Vobis Deus præceptum iuris positiui, & prohibitionem de eo, quod non est secundum se malum.*

Diabolus suadere conatur minorē esse quam existimamus, amorem Dei erga nos.

2. Respondetur: Diabolum voluisse in animum mulieris inducere Adamum, & Euam à Deo non amari, qui de omni ligno Paradisi edere vetuit: diabolus enim conatur maxime suadere homines minorem esse, quam existimamus amorem Dei erga nos. Maluenda: *Videtur enim inter multas rationes, quibus persuadere mulieri voluit, non ita a Deo amari homines, vt ipse putabant, hanc præcipuam afferre, quod esu illius fructus prohibuisset, a quo penderet maximum hominis bonum cognitio scilicet boni, & mali.*

Inhumanus est Prælatus, qui nimis parce de cibo prouidit subditis.

3. Respondetur: Quod diabolus volebat adducere Euam, vt crederent Deum crudelem, & inhumanum esse, quia prohibebat manducare de ligno scientiæ, vt discant Prælati se inhumanos esse erga subditos, cum restricte, & parce de cibo illis prouident. Oleaster: *Nec contentus est ille maligniſsimus insidiator Deum crudelem, & in humanum suadere, quinimo suadebat, & parcum qui parce potius, quam copiose ministraret suis.*

Dub. 15. Ad eadem verba: *Cur præcepit Vobis Deus.* Cur diabolus non tentauit hominem per se ipsum, sicut tentauit fœminam? Poterat enim vel vnumquemque seorsum per se ipsum tentare, vel tentare Euam medio Adamo, vel saltem vnum altero medio ad inuicem tentare?

Diabolus tentationis medium quærit efficacius ad casum,

Respondetur: Id fuisse, quia cum vellet diabolus casum Adami, vt securior esset, iniecit illi vallidiorem, & efficaciorem tentationem, qualis erat tentatio viri per mulierem, potius quam per se ipsum, & ratio est amor viri erga mulierem: ille enim diligens eam nimis, id fecit quod illa petijt, quia autem non erat tantus amor in muliere circa virū, quamuis illa peteret, non caderet vir, ideoque illam tentauit diabolus, illum mulier, quia vnicuique in re efficaciori sibi tentare oportebat: efficacior est enim mulier ad tentandum virum, quam ipse diabolus. Abulensis: *Hoc diabolus nouerat: scilicet, quod vir diligeret mulierem, & per eam facilius posset mouere virum quam per se ipsum.*

Efficacior est mulier ad tẽtãdum virum quam diabolus,

Dub. 16. Ad eadem verba: *Cur præcepit Vobis Deus.* Cur Deus hominem tentari permisit, sciens illum peccaturum, cum posset prohibere tentationem, & consequenter sui offensam, & casum hominis quem formauerat?

Deus reliquit hominẽ in sui arbitrij libertate,

Respondetur: Quod Deus voluntatem humanam etiam in suum obsequium non cogit, sed semper eam libere iuxta suam innatam libertatem reliquit operari vnde Deus hominis casui, & offensæ sui præposuit hominis seruare illæsam libertatem. Deus enim reliquit hominem, in sui arbitrij libertate. Abulensis ex D. Augustino: *Primo enim ait D. Augustinus Deus sic res condidit, administrat, vt eas proprios motus agere sinat. Sicut ergo aliæ res in suis naturalibus proprietatibus operari permittuntur: ita homo in sui arbitrij libertate.*

In alieno capite periculã faciendum est,

2. Respondetur: Ideo Deum permisisse hominem tentari, quem sciebat esse casurum, vt homines timent casu, & alieno saperent, discerent, docerentur que periculo, & malo. D. Augustinus apud Hugonem: *Vt alij casum istum timerent, & cauerent.* Vide infra. dub. 100.

Deus ex malis nostris bonum elicit,

3. Respondetur: Deum permisisse hominem tentari, vt inde sequeretur incarnatio, & passio, ex malis nostris elicit Dominus bonum. D. Augustinus apud Hugon. *Propter bonum quod inde secutum est. Scilicet, incarnatio, & passio. Non permitteret summus Pater familias in sua Republica malum fieri, nisi inde bonum eliceret.* Vide fol. 75. dub. 91.

Dub 17. Ad illa verba, vers. 3. *De fructu vero ligni quod est in medio Paradisi præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Cur mulier dixit, Deum præcepisse Lignum vetitum non tangere? Videtur enim mentiri mulier, quia de tactu nulla fuit facta prohibitio, sed tantum dictum est: *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas.*

Ad peccatũm vitãdũ, oportet occasiones etiam remotas illius resecare.

Respondetur: Quod mulier hæc dixit ad magis elongendum se ab actu manducationis, nam ad tollendum istud periculum, dixit: *Ne tangeremus illud.* Benè cognoscebat occasiones peccatorum esse causam illorum, vt committantur

tur exconsiderans ex tactu in gustum deueniri, vt gustus impediretur, tactum fuisse, prohibitum dixit. Remedium enim efficax ad peccatum tollendum, nullum est velut occasiones etiam remotas illius resecare. Hugo Cardinal. *Fortè Adam exponens mandatum Domini mulieri, dixit ne tangeret illud lignum, quia ex tactu facile fit casus in gustum: similiter Tobiæ 2. Vide ne fortè furtiuus sit: non enim licet nobis edere, aut contingere de furto.*

Dub. 18. Ad eadem verba: *De fructu vero ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus.* Cum in medio Paradisi duplex lignum fuerit, vnum scientiæ, alterum vitæ; cur Eua præceptum de vno tantum positum, intellexit de vtroque?

Cultor diuinæ legis plusquam debet facere exequitur.

Respondetur: Quod licet de solo ligno scientiæ boni, & mali prohibuerit Deus, ne comederent primi parentes, tamen Eua de vtroque; scilicet, scientiæ, & vitæ intellexit, vt ita coleret diuinam legem, vt plusquam facere debebat exequeretur. Mendoza tom. 1. fol. 141. num. 9. *Si Euam velis in bonum simplicius interpretari, ostendit Eua suam erga diuinum præceptum obseruantiam ac si non solum abstinere vellet à ligno scientiæ, sed etiam à ligno vitæ, ne si ad hoc accederet, facile ad illud propter vicinitatem deueniret.*

Dub. 19. Ad eadem verba: *Ne comederemus, & ne tangeremus illum.* Cur Eua tactum, quem Deus non interdixerat, quæritur interdictum?

Imperfectus obediens, accusando præceptum, accusat Præceptorem.

Respondetur: Quod imperfectus obediens præceptum, & Præceptorem crimi natur, & ideo accusando præceptum, accusat quodammodo Præceptorem. Lyran. *Istud addidit ex displicentia præcepti, quia ille cui displicet præceptum impositum, referendo illud, libenter aggrauat.*

Præcepti displicentia causa peccati.

Dub. 20. Ad eadem verba: *Ne comedemus, & ne tangeremus illum.* Cur Eua vnum præceptum à Deo impositum, duplex facit, & Dauid ex multis vnum?

Respondetur: Quod Dauid ex amore legem Dei obseruabat: Eua verò ex timore præceptum custodiebat: inde Dauid multa totius legis præcepta tanquam vnum leue, & breue iudicauit: illa verò vnum præceptum tanquam plura, & grauia reputabat aptè ad rem. Noster Oleaster: *Expende amoris, & timoris discrimen. Amor ex multis præceptis, imo ex tota lege, vnum præceptum facit, & leuissimum; timor verò ex vno, multa. Videbantur ait Scriptura, de Iacob loquens, ei septem anni, quibus pro vxore dilecta seruierat, pauci dies, quoniam diligebat eam. Et Dauid: Quommodo dilexi legem tuam, Domine. Nunquid non sexcentæ tredecim leges erant, quas seruare tenebaris bone Rex? Cur ergo legem vocas 613. præceptaz? Quoniam dilexi legem tuam, Domine. Cur mulier mentiris dicens Deum prohibuisse comedere & tangere, cum Deus solum prohibuisset esum? Quoniam non ex amore, sed timore mortis potius legem seruandam arbitrabaris, quam timor ex vna duas fecisse, visus est. Quamobrem Seruator noster Christus volens legem suam custodiri, ait: Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & qui non diligit, seremones meos non seruat, ac si dixisset explicatius Sermones meos leges 215. qui non diligunt me; qui verò diligit, sermonem meum seruabit, id est multos seremones vnicum sermonem, & leuem reputabit.*

Amor ex multis præceptis, vnum, & leue facit, timor verò vnum multa, & grauia reputat.

Dub. 21. Ad illa verba, vers. 1. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradisi.* Cur diabolus inter omnes creaturas primo Deum nominauit?

Respondetur: Quod diabolus res nouas semper querit, & amat, rebus nouis studet, & fauet: ideò primus omnium creaturarum Deum nominauit: Rerum nouitas eum delectat. Hugo Cardinalis: *Et nota quod diabolus inter omnes creaturas primo nominauit Deum, vt patet hic: Similiter in Euangelio primo vocat Iesum Nazarenum, quia nouitas multum placet ei.*

Diabolum, & homines rerum nouitas delectat.

Dub. 22. Ad illa verba, vers. 3. *Ne fortè moriamur.* Cur Eua in dubium asseruit, quod absque omni dubio à Deo fuerat dictum?

Respondetur: Quod Eua sic fuit loquta, vt sciretur principium sui casus, isque fuit incipere dubitare de præcepto: signum enim erat velle illud frangere, quæ dubitabat de illo: vnde cecidit, præceptum violauit, & peccauit. Qui enim dubitat de re præcepta an talis sit, propè est, vt cadat in illius transgressionem. Abulensis in cap. 13. Gen. *Attende ordinem, & progressum humanæ perditionis. Primò Deus dixerat quocumque die comederetis ex eo, morte moriemini; deinde mulier dixit: Ne fortè moriamur, nouissimè serpens dixit: Nequaquam moriemini, Deus affirmauit, mulier quasi ambigendo illud dixit, diabolus negauit. Quæ igitur dubitauit ab affirmando recessit, & neganti appropinquauit.*

Qui dubitat de re præcepta, an talis sit, propè est, vt transgrediatur præceptum.

Dub.

Dub. 23. Ad eadem verba: *Ne forte moriamur.* Cur Eua tanta facilitate in peccatum lapsa fuit?

Resp. Quod id fecit, vt maiorem acciperet ad peccandum audaciam; si enim certo sciret pœnam mortis futuram, timeret, & non peccaret, at peccauit quia non timuit: præcepta enim, & quæ ad sui obseruationem non habent pœnam annexam, facile transgrediuntur homines, & in illis quæ minorem habent pœnam, facilior est lapsus, & violatio, vbi pœna est, timor est, vbi autem timor, ibi maior continentia ex quo prouenit multitudo criminum in Republica, quia punitio non est, & huius defectus licentiam peccandi tribuit. Abulens. in cap. 13. Genes. *Ablatio quoque certitudinis ad hoc proderat, nam præceptum custodiretur timore pœnæ, erat autem pœna mortis quantum autem tolleretur de certitudine pœnæ, tantum tollebatur de timore peccandi: & sic ambo simul inducebantur ad non custodiendum præceptum, quod & mulier fecit.*

Vbi pœna est timor est, vbi maior timor, pœna, maior est à culpa continentia.

Dub. 24. Ad illa verba, vers. 4. *Dixit autem serpens ad mulierem: nequaquam moriemini.* Cur diabolus ante omnia ait, quod non morientur? Cur primum non proponit ementitas excellentias de ligno vetito, quod erunt sicut Dij?

Resp. Quod diabolus agnouerat valde aptissimum medium esse ad impellendum hominem in omne peccatum, mortis memoriam ab eius mente eliminare; & ideo ante omnia hoc aggreditur; qui enim mortem non cogitat, in peccatum ruet. Diuus Basilius orat. 3. in Adamum: *Postquam enim Adamum vidisset munitum mortis metu, quo ipsum munire Deus occupauerat, eadem imitatur, & dæmon, & morti quidem illud obijcit. Nequaquam moriemini, vt soluto metu, mandati vim prorsus extenuet, sitque Paradisus Officina præuaricationis.*

Qui mortem non considerat, in peccata ruet.

2. Resp. Quia homo quandoque vitat peccatum timore pœnæ, diabolus excludit timorem mortis, dicens: nequaquam moriemini. Timore potius quam amore Dei homo seruat præcepta. Oleaster: *Cognouit astutus serpens fœminam, ex timore inductam ad custodiam legis: ideo nititur quantum valet auferre timorem: non dixit illi: Non præcepit Dominus, ne fœmina peccatum excusaret, sed nequaquam moriemini, quia nouerat vt plurimũ timore potius quam amore nos seruare præcepta. Cum enim suadere nobis peccatum nititur, non illi obijcimus Præceptoris amorem, sed potius vindictæ timorem.*

Homo timore potius, quã amore Dei seruat præcepta.

Dub. 25. Ad eadem verba: *Nequaquam moriemini.* Cur diabolus mentitus fuit Euæ?

Qui mentitur ex consuetudine, ex inclinatione mentitur.

Resp. Illud feciſſe, quia mentiri est opus suæ inclinationis, & naturæ, etsi desineret mentiri, & proferret veritatem contra suam naturam, & inclinationem faceret: qui ergo mentitur ex consuetudine, ex inclinatione mentitur, & qui sic mentitur ex genere, & natura diaboli est, quia si pater mendacij est diabolus, qui mentiuntur, huius patris erunt filij, & tales mentiri non erubescunt, quia nemo erubescit de eo quod habet ex patre. Abulensis in cap. 13. Genes. *Diabolus non timuit hoc dicere, quia falsum erat: nam postquam diabolus à Deo, qui est ipsa veritas, se auertit, incidit in mendacium, & factus est mendax, & mendatij pater, & non solum mentitur, sed etiam est sibi iam naturale, & proprium secundum hunc statum mentiri, & quando mentitur facit secundum proprietatem suam, etsi quando veritatem loquitur, facit contra suam (vt ita dicamus) naturalem conditionem, & proprietatem pro hoc statu.*

Dub. 26. Ad illa verba, vers. 5. *Scit enim Deus, quod in quo cum die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij.* Cur mulieri assensum præbuit Adamus: Apostoli verò putabant deliramenta quæ mulieres dixerunt eis de Christi Resurrectione. *Lucæ 24. Vers. 10.*

Resp. Quod mulieri acquieuit Adamus, & comedit, nullus maior error, nullumque maius dici poterat, quam Deum inuidum de alterius gloria proponere, hoc enim aperte erat euidens contra lumen naturale, & illud credidit Adamus. At Apostoli resurrectionem à mulieribus testificatam cohærentem cum Scripturis, ac verbis Christi, iudicant deliramenta: sic habetatur humana mens ad alterius gloriam, cum valde perspicax sit ad iniuriam: ideo vni mulieri Deum ambitiosum temere, & nefarie astruenti datur fides, multis vero veraciter mortem detriumphatam contestantibus denegatur. Quæ enim ingloria sunt cito creduntur, decora verò, & gloriosa tarde. D. Chrysolog. serm. 79. *Adam nouus cito credit, & dum facile dat aures ad mulieris auditum se, suosque posteros pessimo addixit inimico: at Veteranus Petrus fœminam non facile audit, fœminis nuntiantibus tarde credit.*

Quæ gloriosa sunt tarde creduntur, quæ verò indecora cito.

Dub. 27. Ad eadem verba: *Eritis sicut*

cur Dij, cur non promiſsit ſerpens quod in quocumque die comederint, erunt ſicut immortales, potentes, vel amplum imperium, & regnum poſsidentes?

Reſpondetur: Quod agnoſcebat aſtutus inimicus ſcientiam ſuper omnes diuitias ab homine æſtimari, & nihil magis eius appetitum elicere, ac blandiri poſſe quam ſcientiam, ac rerum cognitionem: ſcientia enim ſuper omnia bona temporalia æſtimatur ab homine. D. Thomas opuſc. 2. cap. 183. *Vt in tranſgreſsionem præcepti facilius inclinaret diabolus, illa promiſsit, quæ homo naturaliter appetit, ſcilicet vitationem ignorantiæ dicens: aperientur oculi veſtri & perfectionem ſcientiæ, cum dixit: ſcientes bonum & malum; homo enim ex parte intellectus naturaliter fugit ignorantiam, & ſcientiam appetit.*

Scientia inter omnes huius mundi diuitias prætiosior æſtimatur

Dub. 28. Ad eadem verba: *Eritis ſicut Dij.* Cur diabolus hanc cogitationem obiecit primis parentibus, cum eorum intellectus fuerint perſpicaces?

Reſpondetur: Quod in primis parentibus erat magnus Dei amor, illiusque vehemens deſiderium ſemper aſsiſtere cum ſuo creatore, & nunquam ab eo ſeparari. Hoc deſiderium ob eruauit diabolus, ex illoque callide hominis ruinam machinauit, ex ipſoque anſam quæ ſuit ad laqueum, eique de guſtando fructu ait: *Eritis ſicut Dij.* Veſtatim animos eorum inducat ad explendum ſuum deſiderium, videndi ſemper cum Deo, & numquam ſeparandi ſe ab ipſo. Nam prout homines erant maxime à Deo diſtabant, ac proinde ſeparati ab ipſo erant: ſi autem fierent Dij, Deo eſſent multum ſimiles, & Deus ab eo ſeparari non poterat. Diabolus enim ex proprio eorum affectu callide eos ad ruinam traxit. Procopius: *Deus cum fingeret hominem, inter cætera ſui deſiderium ei ingenuit. Cuius fomitem vel ſcintillam diabolus in homine deprehendens, vt eum magis inescaret, & ad vetitum protraheret, inquit. Eritis ſicut Dij: quaſi diſceret nunc cum ſitis homines ſolum non poteritis conuerſari cum Deo ſed hoc euenier, cum in Deorum numero facti ritis relati.* Vide fol. 42. dub. 2.

Diabolus callide trahit homines in ruinam ex eorum proprio affectu

Dub. 29. Ad eadem verba: *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.* Cur diabolus primum ſuaſerit edere de ligno ſcientiæ boni, & mali?

Reſpondetur: Ideo diabolum induxiſſe primos parentes ad edendum de ligno ſcientiæ boni, & mali, vt ſcientes bonum, & malum, diſcernentesque inter vtrumque ex malicia in peccatum fuerent, & veniæ digni nullo modo eſſent. Diabolus enim conatur homines ex malicia peccare. Oleaſter: *Cogitari ſæpius apud me, quare tantopere ſuadere niteretur dæmon homini appetitum ſcientiæ boni, & mali, aut aſtutiam, & calliditatem. Iſtuc enim tendere videntur verba eius, vt ſcilicet ſimplicem callidum faceret, & aſtutum. Nouerat quippe maligniſsimus inſidiator, nulla eſſe deteriora peccata, quamque ex aſtutia, & malitia fiunt. Ideo voluit homines de cætero ex malitia peccare, vt minus digni venia eſſent, quam ſi ſimplicitatem prætenderent, aut infirmitatem.*

Diabolus ex leuioribus peccatis incipit, vt ad grauiora perducat

Dub. 30. Ad eadem verba: *Eritis ſicut Dij.* Cur diabolus primo non tentauit hominem de ſuperbia, dicens: eritis ſicut Dij?

Reſpondetur: Quod diabolus à leuiori peccato incipit tentare, vt ad maius trahat: ideo prius tentauit de gula, deinde de inani gloria, tandem de ſuperbia quæ grauius peccatum eſt. D. Thomas 3. p. q. 41. art. 4. in corp. *Quia diabolus hominem ſpirituali non ſtatim tentat de grauibus peccatis, ſed paulatim a leuioribus incipit, vt poſtmodum ad grauiora perducat. Hoc idem diabolus obſeruauit in primi hominis tentatione. Nam primo ſolicitauit mentem mulieris de ligni vetiti eſu, dicens: cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradiſi: ſecundo de inani gloria, cum dixit, aperientur oculi veſtri tertio perduxit tentationem ad extremam ſuperbiam, cum dixit eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.*

Dub. 31. Ad illa verba, verſ. 6. *Vidit igitur mulier quod eſſet bonum ad veſcendum tulit, & comedit.* Cur Eua ſtatim ac vidit lignum comedit.

Reſpondetur: Quod oculorum ſenſum cordis ſequitur conſenſus, parumque abeſt ſenſus à conſenſu: ideo Eua videns in Paradiſo terreſtri pomum vetitum, nulla mora interfuit, ſed ſtatim tulit, & comedit. Dum enim incaute vidit, perijt. Si mulier viſum coh'beret fructum non deſideraret, vnde ex i cauto, & leui viſu multa damna pullularent. D. Bernardus de gradibus humilitatis: *Quid tuam mortem tam intente intueris? Quid ſpectare libet, quod manducare non licet? Oculos inquis, tendo non manum, non eſt interdictum ne videam, ſed ne comedam: Et ſi culpa non eſt, culpæ tamen occaſio eſt. Latenter in cor tuum ſerpens illabitur. Auget curam, dum incitat gulam. Acuit curioſitatem dum ſuggerit cupiditatem. Offert prohibitum, & auſer con-*

Ex viſu leui ſequitur concupiſcentia

Diabolus conatur homines ex malicia peccare, vt venia indigni ſint

Ex incauto & leui viſu multa damna pullulant

cessum. Porrigit pomum, & surripit Paradisum.

Curiositas origo peccati est.

Dub. 32. Ad eadem verba: *Quod esset bonum adueſcendum.* Cur oculi Euæ de ſapore iudicarunt?

Reſpondetur: Quod dum oculi tam præſumptuoſe curioſitate ferebantur, vt plus attendere auderent, quam oportuit, ac extra proprium obiectum ferebantur, vt de ſapore vellent agnoſcere, inde in tantam ruinam fuit dilapſa. Igitur dum mulier oculis nimis curioſe videre affectauit, ad omnium mortalium miſeram ruinam parauit aditum, ſua curioſitate officinam efficiens originalis delicti. Curioſitas enim origo peccati eſt. Rupertus lib. 3. in Geneſ. cap. 9. *Vidit igitur mulier, id eſt, conſideravit diligenter, curioſius attendit, & iudex eorum quæ audiret, eſſe voluit.*

Iudicium bonum debet formari de rebus quæ apparent bona.

Dub. 33. Ad eadem verba: *Vidit igitur mulier quod eſſet bonum adueſcendum.* Quomodo dicitur, & vidit mulier Lignum quod eſſet bonum adueſcendum? Quia hoc non poterat illa videre, neque poterat cognoſci, niſi per experientiam: ſed ipſa non experta fuerat, quia nondum comederat de illo ligno, ergo non poterat hoc videre.

Reſpondetur: Quod pulchritudo exterior arboris atteſtabatur bonam complexionem eius, nec noxium eſſe: ex quo infero quod non ſtantibus experientijs in contrarium, ſemper exterior bona apparientia inducit bonitatem, & debet formari iudicium bonum de rebus quæ apparent bona, ſpecialiter in materia virtutis: eſſet enim valde temerarium exteriorem compoſitionem morum, atque verborum, prauum finem habere iudicare, quia dum hoc non conſtat, falſa, & vana præſumptio peccatum eſt. Abulenſ. in cap. 13. Geneſ. *Dicendum quod accipiendo hoc ſtricta, non poterat mulier videre quod Lignum erat bonum adueſcendum, quia iſtud ſine experientia non cognoſceretur plene: ſed iſta cognitio per ligna, ſcilicet pulchritudo exterior arboris, & fructuum eius erant, quæ atteſtabantur bonam complexionem eorum, & ideo non eſſe mortiferos, quia pulchritudinem illam vidit Eua, dicitur, quod vidit eſſe bonum Lignum adueſcendum.*

Operâ noſtra ex appetitu, & ratione deordinata, corruptoque affectu mala reddunturs.

Dub. 34. Ad eadem verba: *Vidit igitur mulier quod eſſet bonum.* Cum Eua multoties vidiſſet Lignum vetitum, nec peccauerit, cur quando comedere decreuit, videns illud peccauit in viſu illius?

Reſpondetur: Quod multoties vidit Lignum, ſed non appetitu deordinato: at quando de illo edere conſtituit, tunc ratio deordinata fuit, ideo in viſu illius peccauit. Multa enim ſunt quæ inquinant animam hominis iuxta intentionem, qua cor eius fertur in eas, quia vinemus multa quæ viſa modo non nocent, & in alio tempore nocenti videantur, quorum ratio diuerſitatis ex noſtra intentione originem trahit, viſa enim cum intentione peccandi maculant cor, quæ ſine illa viſa minime lædunt. Opera noſtra ex affectu deordinato mala redduntur. Abulenſ. hìc: *Ante enim bene videbat pulchritudinem ligni, ſed non alliciebatur ad comedendum de eo, quia appetitus non erat deordinatus, autem quia ratio deordinata fuerat ſuperbiendo, & dubitando, incepit appetitus deordinari male appetendo, & ſecundum exiſtimationem mali iudicando: ſicut patet in illo, qui non eſt inflammatus appetitu venereo licèat videat pulchras mulieres & pulchras eſſe iudicet non tamen iudicat eſſe concupiſcibiles ad actum venereum qui autem deordinatus eſt habens appetitum inflammatum iudicat pulchras, & conuenientes ad libidinem.*

Diabolus adeo infirmus, quod quem conſilio ad peccatum non trahit, obiecto guſtu, & delectatione peccati peg fuit.

2. Reſpondetur: Quod diabolus obiecit pulchritudinem pomi, & guſtum eius, Euæ quod nunquam guſtauerat, aut ſenſerat: vt oſtendatur debilitas, & infirmitas diaboli, qui quod conſilio non perfecit, vt eam in peccatum traheret, pulchritudine pomi conſequutus eſt. Diabolus obiecti guſtu, & delectatione peccati perficit tentationem. Oleaſter: *Attende hic ſerpentis fragilitatem, cuius ſuaſio non ſufficit, ad fœminam in peccatum deijciendam, ſed pulchritudinem fructus, guſtumque obiectauit, vt quod non faceret conſilium pulchritudo perfecerit pomi.*

Peccatum vnum alterum quaſi cõcatenatum ſecum fert.

Dub. 35. Ad illa verba, verſ. 6. *Tulit de fructu illius, & comedit.* Quot peccata comiſit Eua comedendo de ligno vetito?

Reſpondetur: Quod multa perpetrauit, ſcilicet ſuperbiam, curioſitatem, gulam, infidelitatem, & inobedientiam: ea eſt enim infœlicitas peccati, vt ex vno in alia labatur homo: habent enim quodam vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur. D. Thomas opuſ. 2. cap. 190. *Mulier repromiſſam celſitudinem ſimul, & perfectionem ſcientiæ concupiuit. Acceſſit etiam, ad hoc pulchritudo, & ſuauitas fructus alliciens, ad edendum. & ſic eius peccatum multiplex inuenitur. Primo quidem ſuperbiæ quia inordinate excellen-*

lentiam appetijt, ſecundo curioſitatis, quia ſcientiam vltra terminos ſibi præfixos concupiuit. Tertio, gulæ, quia ſuauitate permota eſt ad edendum. Quarto, infidelitatis per falſam æſtimationem de Deo, dum credidit verbis diaboli contra Deum loquentis. Quinto, inobedientiæ præceptum Dei tranſgrediendo.

Dub. 36. Ad illa verba, verſ. *Comedit; deditque viro ſuo, qui comedit.* Cur diabolus multa verborum ambage vſus fuit ad expugnandum Euam, non tamen Eua ad expugnandum Adamum, cum hic multo conſtantior in virtute fuerit, quam illa?

Peccator patientia taciturna Dei abutitur ad peccandum.

Reſpondetur: Quod Adamus vidit Euam comedentem, & non vidit morientem, audiuit Deum mandantem, ſed non audiuit obiurgantem, credidit ſibi quoque impune fore, ſi comediſſet, comedit, atque adeo ex patientia Dei ſilentis ad peccatum Euæ, auſus fuit violare præceptum ipſius Dei, quem ad ſuum quoque peccatum diſſimulaturum ſperabat. Peccator abutitur patientia Dei ad peccandum. D. Auguſtinus lib. 11. de Geneſi ad litter. cap. 30. *Non ſuaderi iam opus erat viro, quando eo cibo mortuam non eſſe cernebat.*

Fortius ſuadet malum exemplum quam verbum.

2. Reſpondetur: Quod non erat opus ſuaſione oratoria Euæ, vbi aderat malum exemplum fœminæ, Dei præceptũ tranſgredientis. Fortius ſuadet malum exemplum, quam verbum. Mendoza tom. 1. fol. 181. n. 3. *Dices quia vehementior eſt tentatio per malum exemplum, quam per verbum ſuaſorium: vnde quod diabolus perſuaſit ſubtiliter argumentando, perſuaſit Eua perperam operando.*

Dub. 37. Ad eadem verba: *Deditque viro ſuo.* Cur Eua proceſſit ad tentandum Adamum?

Ex Dei patiẽtia homines ad peccandũ effrenantur.

Reſpondetur: Quod Eua vidit patientiam Diuinam, ab ea propter tranſgreſsionem præcepti pœnam non reperentem, ex qua in prudentes homines ad peccandum æffrænantur: & hac Diuina pacientia prorepſit ad tentandum virum. Ex Dei pacientia homines in peccata laxantur. Caietanus: *Mulier nihil mortis, nihilque mali in ſe ipſa ſentiens, animæquior efficitur ad perſuadendum marito vt comedat.*

Peccator ſocios vult habere in peccando.

2. Reſpondetur: Quod Eua fecit hoc ex inuidia, & dedit pomum viro ſuo, vt ſicut ipſa peccauerat, ita faceret virum peccare, ne vilior viro videretur. Peccator enim ſocios vult habere in peccando, ne peior alijs habeatur. Oleaſter: *Hoc malum vſque hodie graſſatur in orbe, vt omnis malus velit habere conſortem, & quod deterius eſt etiam amicos. Vtinam ſic eos velimus habere ad bonum ſocios: quemadmodum ad malum. Hoc autem ex amore quem erga nos gerimus accidere reor, vt amicos in malo velimus habere conſortes, neſi contingat ex hoc malum aliquod ſine conſortio, & ſolatio in ſupplicio ſimus.*

Dub. 38. Ad eadem: *Deditque viro ſuo.* Cur diabolus non ſuaſit Adamum, vt comederet, ſed Eua perſuaſit.

Diabolus quod de ſe deſperat, confidit de muliere, & ſuis miniſtris.

Reſpondetur: Quod diabolus ſciebat vniuerſi generis humani perditionem non eſſe ſitam in eo quod Eua peccaret, ſed in eo quod Adam delinqueret: & adeo prona eſt mulier ad peccandum, & artificioſa, & efficax ad inducendos alios ad peccatum, quod ipſa efficiet, quod diabolus non conſequitur, iſque quod de ſe deſperat, confidit de muliere. Diabolus quod de ſe deffidit, confidit de muliere, & miniſtris. Abulenſis hic: *Forte, & melius dicendum quod diabolus qui vtrumque vincere conabatur, & virum per ſe aggredi non audebat per fœminam aggreſſus eſt perſuadens ei, vt viro daret.*

Dub. 39. Ad eadem verba, verſ. 6. *Qui comedit.* Cur Adamus comedit de ligno à muliere ſibi oblato? An vt ſibi aliquem honorem, vel vtilitatem obtineret?

Solent viri propter vxores peccare, & homines propter amicos, ne vir vxorem, nec amicus amicum contriſtet.

Reſpondetur: Quod Adamus non credidit aliquod iſtorum, ſed ſolum comedit, vt mulierem non contriſtaret: credidit enim quod ſi non comederet de fructu, quem ei mulier præſentabat, ipſa tædio moreretur ſolent homines propter amicos peccare, ne amicos contriſtent. Maluenda: *Serpens decepit Euam, & mulier ſerpenti credidit: at Eua nec voluit decipere Adamum, nec Adam eius, aut colubri verbis fidem habuit: ſed ſuperbia, & amore vxoris, ne contriſtaret delicias cordis ſui lapſus eſt.*

Sapiens falli ciæ expers, ſecus inſipiens.

Dub. 40. Ad eadem verba: *Et comedit.* An Adamus fuerit ſeductus?

Reſpondetur: Quod ſapientum eſt non falli, & inſipientium falli, & quia Adamus ſapiens erat, inſipiens vero Eua; ideo hæc ſeduci potuit, non ille decipi, vel non decipi ad maiorem intellectus perfectionem, & capacita-

tem, vel minorem reducitur, adeo vt fallaciæ expers sit, qui sapiens est, cuius expers non est, qui insipiens est. Sapiens expers est fallaciæ, non verò insipiens. Diuus Thomas opuscul. 2. cap. 191. *Ex persuasione autem mulieris peccatum vsque ad virum peruenit, qui tamen vt Apostolus dicit 1. ad Thimot. 2. Non est seductus vt mulier in hoc scilicet, quod crederet verbis diaboli contra Deũ loquentis. Non enim in eius mente cadere poterat, Deum mendaciter aliquid comminatum esse, nec inutiliter à re vtili prohibuisse; allectus tamen fuit promissione diaboli excellentiam, & scientiam indebite appetendo.*

Dub. 41. Ad eadem verba: *Et comedit.* An Eua dubitauit de illis, quæ sibi diabolus proposuit, vel statim, vt lenis corde credidit, & de ligno vetito comedere statim decreuit.

Quæ nobis proponuntur dicta aut nobis non cito credẽda, examinãda sunt, & de illis alios interrogare, nec ijtãdum iudicio proprio.

Respondetur: Quod potissima causa perditionis Euæ fuit credere verbis diaboli in serpente alloquentis illi, quæ cum audiret noua, & non dicta sibi à Deo, imo contradictoria illis, quæ illi præceperat, debebat non credere cito illis, sed illa examinare, & Adam eum de illis interrogare, an conuenienter dicta fuisse cognosceret, & ita non periret. Quo docemur, quod quando aliqua proponuntur nobis noua, & nunquam dicta, & quæ maximam habent difficultatem, debemus illa cum maxima diligentia examinare, nec proprio iudicio adhærendum. Abulens. in cap. 13. Genes. *Dicendum veritatem esse, quod Sacra Scriptura his verbis significauit fuisse verisimile, quod mulier vellet comedere de ligno illo, & etiam quod vellet credere verbis diaboli. Dixerat enim serpens eritis sicut Dij scientes bonum, & malum; hoc mulier credidit esse possibile quod fieret, & fieri cupiuit, sed dixerat Deus, in quocumque die comederis, morieris, diabolus dixit, nequaquam moriemini, & innuit quod Deus dixit hoc, quasi ex inuidia, ne gustando de cibo fierent sicut Dij, & ideo nunc dubitare poterat mulier, quis verum dixisset; scilicet, Deus quod morerentur si comederent, aut serpens, quod non morerentur, & ad hoc mulier stare voluit iudicio proprio.*

Dub. 42. Ad illa verba, vers. 7. *Et aperti sunt oculi amborum.* Cur dicitur, quod aperti sunt oculi eorum? Nunquid ante peccatum fuerunt cæci? Minimè; non enim si caligaret Eua, vidisset lignum pulchrum oculis, aspectuique delectabile, nec Adam animalia adducta nominaret, si non videret quid vocaret ea, quomodo ergo dicitur, quod aperti sunt oculi eorum?

Peccator confideret, quot ornamentis virtutum, & gratiæ propter peccatum nudatur.

Respondetur: Quod Cum primi parentes Sancti erant, & sub originalis iustitiæ custodia, quamuis oculos apertos haberent, non videbant tamen nuditatem, hoc est, virtutum defectum: at verò quam primum deseruerunt innocentiam, tunc continuò aperti sunt oculi eorum ad nuditatem contemplandam; nuditas autem est animæ spolium, defectusque virtutum: peccator ergo oculos mentis aperiat, & videat; quod virtutum, & gratiæ ornamentis propter peccatum nudatur: mens enim nuda est cum virtutum ornamentis caret, & vitio affluit. Diuus Ambrosius lib. de Paradiso, cap: 13. *Et ante nudi erant, se non sine virtutum integumentis: nudi erant propter morum simplicitatem, & quod amictum fraudis natura nesciret: nunc autem multis simulationum inuolucris mens humana velatur: nam quomodo clausos oculos corporis habuit Adam, qui omnia animantia ita vidit, vt ijs nomen imponeret? Quomodo cognouerunt, id est, interiore, & altiore scientia, non tunicam sibi, sed virtutum deesse velamina?*

Ex gula motus libidinis insurgunt.

2. Respondetur: Quod primi parentes postquam peccatum gulæ contraxerunt, libidinum motus experti sunt à quibus antea vacabant, ideo dicitur quod aperti sunt oculi eorum, ad motus scilicet carnis, & genitalium membrorum, quos iam sentire, & experiri cœperunt turpes, & pudendos: ex gula enim libidinum motus insurgunt. Diuus Thomas 2. 2. quæst. 164. articul. 2. ad 9. *Sicut Diuus Augustinus dicit 11. super Genesim ad litteram, cap. 31. Non est credendum quod primi parentes essent producti clausis oculis, præcipuè cum de muliere dicatur, quod vidit lignum, quod esset pulchrum, & bonum ad vescendum. Aperti sunt ergo oculi amborum ad aliquid intuendum, & cogitandum, quod antea nunquam aduerterant; scilicet ad inuicem concupiscendum, quod ante non fuerat.*

Dub. 43. Ad eadem verba: *Aperti sunt oculi amborum.* Cur Adam, &

Grauiſsimũ malum peccare præcipue peccato luxuriæ, cũ Deus punit.

& Eua, cum ſtatim, ac peccauerunt ſentierint tentationes carnis, non conſentierunt, & coierunt, maxime cum coitus ille peccatum non eſſet?

Reſpondetur: Rationem fuiſſe, quia amiſerant gratiam, & in pœnam habuerunt verecundiam nuditatis, quam cum ante peccatum non habuerant; pœnam fuiſſe datam à Deo propter peccatum cognouerunt, & tempore quo Deus eos puniebat, & ipſi hoc nouerunt, non habuerunt, animum ad delectationem procurandam, ſed quaſi abolita fuit omnis concupiſcentia, tempore, & conſideratione pœnæ, quam à Deo propter peccatum commiſſum patiebantur. Grauiſsimum malum eſt peccare, præcipuè peccato luxuriæ, cum Deus punit. Abulenſis in cap. 13. Geneſis: *Quia in Adam erat aliquid, quod ab hoc diſtraheret: nam nunc Adam, & Eua ceciderant à ſtatu bono in miſeriam, & nouiter in ſe experiebantur pœnam, ideo potius hæc conſideratio deſtraheret eos à venereis, quam impelleret eos concupiſcentia, ſicut fit generaliter quandocumque duæ paſsiones concurrunt, quæ in diuerſa trahunt, ea quæ vehementior eſt, extinguit aliam faciens non ſentire illam.*

Dub. 44. Ad eadem verba, verſ. 7. *Cum cognouiſſent ſe eſſe nudos.* Cur Sacra Scriptura ſupplicium, ac compunctionem tanti peccati à verecundia cœpit proponere?

Per quæ quis peccat per hæc torquetur.

Reſpondetur: Quod ſicut culpa peccati incepit ab immoderato appetitu intellectus: ita pœna inæpit à compunctione, & mortificatione intellectus, ex qua reſultat verecundia, vt per quæ peccauerunt, per ea torquerentur. Chriſoſtom. homil. 16. in Geneſim: *Propterea Scriptura ait, comederunt, & aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt, quod eſſent nudati: propter peccatum ſupernæ gratiæ amictu, & ſenſibilis ſuæ ſpoliationis ſenſum acceperunt, vt per erubeſcentiam, quæ inuadebat ipſos, certo ſcirent, in quantam ruinam ipſos induxiſſet mandati Dominici præuaricatio.* Vide dub. 81. & dub. 87. & dub. 108.

Dub. 45. Ad eadem verba: *Aperti ſunt oculi amborum.* Cur voluit Deus quod primis parentibus aperirentur oculi ad diſcernendum inter bonum quod amiſerant, & malum quod inciderant?

Excellentia boni tũc cognoſcitur cum amittitur.

Reſpondetur: Quod hoc forte permiſſum eſt, vt homo recognoſceret Diuinæ largitatis beneficentiam erga ſe exhibitam: nam cum homo in affluentia illorum bonorum eſſet creatus, non multum eorum excellentiam æſtimabat: fiat ergo amiſſa, vt tunc illorum valorem conſideret, videat, & appendat. Excellentia boni tunc cognoſcitur cum amittitur. D. Proſp. lib. 1. cap. 19. in vita contemplatiua: *Miſeri negligerunt quid intereſſet inter bonum quod amiſerunt & malum quod inuenerunt, quia ſi amiſſo tanto bono nullum malum incurrerent, quale peraidiſſent bonum forte neſcirent.*

Dub. 46. Ad illa verba, verſ. 7. *Conſuerunt folia ficus.* Cur vt ſuam operirent nuditatem folia ficus conſuerunt, & fecerunt perizomata?

Peccatores adeo cæci ſunt, quod ſibi poſt peccatũ diuturnã vitam promittunt.

Reſpondetur: Ideo hoc feciſſe primi parentes, vt virentibus foliis veſti, teſtificarent diu viuendi ſpem. Peccatores diuturnam vitam ſibi promittunt. Mendoz. tom. 2. num. 6. *Neſcio qua vana ſpe viuendi in æternum, mihi videntur excitati primi parentes poſtquam in peccatum inciderunt. Nam conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata: ac ſi virentibus induti foliis ſuam ſemper ætatem vernaturam eſſe teſtarentur.*

Dub. 47. Ad eadem verba: *Conſuerunt folia ficus.* Quid ſignificat hoc factum primorum parentum?

Propriũ peccatoris peccatum defendere, vel occultare, vel excuſare.

Reſpondetur: Quod primi parentes ſignificant peccatores, qui faciunt ſibi perizomata de foliis ficuum, id eſt, verbis peccatum ſuum, vel defendunt, vel occultant, vel excuſant. D. Ambroſius lib. de Paradiſo, cap. 13. *Iacit ſupra ſe folia, qui culpam velare deſiderans, aut diaboli delicti memorat Auctorem, aut carnis pretendit illecebras, aut alium quempiam perſuaſorem prodit erroris.*

Perfecti viri Deo vacantes temporalium prouidentiam non curant, à perfectione deficientes eiſdem diſtrahuntur.

2. Reſpondetur: Quod Adæ, & Euæ oculi clauſi erant rerum corporearum curæ, quo quietius Deo vacarent ante peccatum: tunc enim non cibi, non veſtis, non aliarum rerum eis cura erat, nullis ſollicitabantur angoribus ex futurorum prouidentia, quia cogitationes de cœleſtibus, & ſpeculationes æternorum habebant continuè; at ſtatim poſt eſum pomi vetiti corporis ſollicitudinibus eorum oculi aperti

sunt, quia defecerunt ab illa Dei meditatione: ita homines dum perennibus eriguntur in Deum cogitationibus excutiant sollicitudinem de humanæ indigentiæ necessitatis: at in peccatum lapsi, incipiunt continuo vestium, ciborum & rerum temporalium prouidentia occupari. Hugo Eterianus libro de Animarum regressu ab inferis, cap. 3. *Propterea nolebat Deus, vt ante perfectionem propriam, cognoscere naturam, ne se multis egere animadvertens, corporis persequeretur vsus cura animæ omissa: a perfectione decidit, se ipsum cognouit, Adam egenus vsum corporis, indumentum postulauit: scriptum est enim, quod aperti sunt oculi eorum, cum iam cognouissent se esse nudos, consuerunt folia fici, & fecerunt sibi perizomata.*

Peccata, quo occultare curat peccator, ipsa se produnt.

3. Respondetur: Quod Adam, & Eua vix deliquerunt, cum folia ficus consuerunt, vt propriam tegerent nuditatem, & sua occultarent peccatum, tamen, etsi totum studium ponerent, vt peccata tegerent, ipsa se detexerunt, & in omnium apparuerunt conspectu. Peccata quo occultare curat peccator, ipsa se produnt. Diuus Bernardus: *Friuolum nimis tegumen quæris anima misera: prorsus inutile tegumentum folia sunt ista, quæ consuis; operiunt, sed non calefiunt, celant vulnera, sed non sanant. An diu tegere poterunt? Absit fluent certe, & fluent folia. Ad primum radium Solis siccabuntur, & dispergent ea flatus tenuis auræ. Nihil enim occultum, quod non reueletur.*

Dub. 48. Ad eadem verba: *Consuerunt folia ficus.* Cur Adam, & Eua vestes ex foliis ficus, potius quam aliorum arborum fecerunt?

Deus ea quæ fuerat nostræ perditionis media, facit nostræ reparationis remedia.

Respondetur: Quod primi parentes peccauerunt in ficu, talis erat arbor vetita, de qua comederunt: inde voluit Deus, quod esset ficus remedium verecundiæ, & nuditatis, quæ ex comestione eiusdem ficus illis euenerat. Ea est enim bonitas Dei, vt non solum nostram operetur salutem, sed quod eadem quæ fuerunt nostræ perditionis media, faciat nostræ reparationis remedia. Abulensis in capit. 13. Genesis: *Aliqui dicunt, quod fuit, quia illa fuit arbor, in qua peccauerunt, & sic de illa acceperunt folia.*

Dub. 49. Ad illa verba, vers. 8. *Et cum audissent vocem Dei deambulantis.* Cur non dicitur: quod ibat, sed quod deambulabat?

Deus gyrat peccatorem veluti, vt viâ inueniat reducendi eum ad se.

Respondetur: Quod non ibat, sed deambulabat, nam abire est in vnum locum directe tendere, at ambulare est in gyrum agere: emphatice ergo dictum est, quod post peccatum primi parentis, Deus deambulabat: ita enim misericors est, vt hominem gyret ad inueniendam viam, vt hominem ad viam salutis reducat. Hugo Victorinus: *Deambulabat, non discedebat, neque abijt in directum, elanguens quasi irreuocabilis, nec reuersurus amplius; sed prope gyrans, & iuxta deambulans, abijt, & non abijt: modo vadens, & non rediens, & motu quodam incerto æstuans quasi nolens sedem suam deserere, nec valens pollutam mansionem sustinere. Quid facis Adam? Quare sides? Voca discedentem, sequere fugientem, quoniam adhuc prope est, & expectat, si forte reuocetur.*

Deus segniter, & otiose ad puniendū hominem pigrescit.

2. Respondetur: Quod deambulatio Dei significat tarditatem Dei, & moram quam trahebat, & faciebat ad hominem puniendum: Deus enim moratur, & cunctatur, moraſque nectit, vt vindicet, & animaduertat in peccatorem. Maluenda: *Seriam, spatiosam deambulationem, & instituto suscepto cursu, veluti leuandi, & laxandi animi causa designat, vt quam segniter, & otiose Deus ad puniendum hominem pigresceret, indicaret.*

Deus dat peccatori locum pœnitentiæ.

3. Respondetur: Quod deambulabat Deus ex sua intima pietate moras interponens, vt eis pœnitentiæ daret locum. Deus dat peccatori locum pœnitentiæ. Hugo de Sancto Victore: *Ecce quanta est misericordia Dei, non vult eos subito conuenire de sua culpa, ne amissa verecundia inuerecundi fiant. & pertinaces, sed dat eis locum pœnitentiæ, & consilij, vnde deambulabat, vt audiant, & sic fiant ipsius Dei memores.*

Vt reprehensio recipiatur, tēpus interponendū est inter culpam, & reprehensionem.

4. Respondetur; Hæc fuit summa Dei pietas, vt tantum tempus interponeretur. Adueniebat Deus, vt argueret hominem de peccato suo, concediturque spatium, vt ipse suam conditionem recogitet, & fœlicitatem nempe quam perdiderat, ac summam miseriam in quam lapsus erat, vt ita cum magno fructu Deum arguentem audiret. Reprehensio, vt recipiatur interponatur mora inter culpam, & reprehensionem. Diuus Ambrosius libr. de

Pa-

Paradiſo cap. 14 *Quid eſt ad veſperam, niſi quia culpam ſuam ſero cognoſcit, & ſero venit quædam erroris præteriti verecundia, quæ errorem præuenire debuerat? Nandum culpa feruet in corpore, & anima exagitatur corporis paſſionibus non cogitat Deum ſenſus e rantis.*

Dub. 50. Ad illa verba, verſ. 8. *Ad auram poſt meridiem.* Ad hæc verba referantur ad Deum deambulantem?

Homo tardus ad audiendū vocem Dei.

Reſpondetur: Quod particula illa: *Poſt meridiem.* Seu vt alij cum Septuaginta legunt: *Ad veſperam.* Non coniungitur cum Deo deambulante, ſed cum Adamo audiente, ita vt tenſus ſit, cum ad veſperam audiſſet vocem Dei deambulantis, quaſi Deus ſub auroram vocaret, & Adamus non niſi ad veſperam audiret. Tarde enim homo audit vocem Dei. D. Ambroſius iam datus: *Quid eſt ad veſperam? Niſi quia culpam ſuam ſero cognoſcit. Nandum culpa feruet in corpore Deum ſenſus errantis non audit.*

Dub. 51. A t eadem verba: *Ad auram poſt meridie.* Cur Deus puniturus parentes deambulabat ad auram poſt meridiem?

Deus tardus ad puniendū, eique proprium miſereri, & parcere.

Reſpondetur: Quod deambulabat ad auram, id eſt, contra ventum contra auram ventus flans in faciem greſſus detinet, & ambulare non ſinit: venit ergo Dominus Deus contra ventum, contra auram, eum detinentem, vt cum ad iudicandum, & puniendum veniret, haberet impedimentum retardans, & venti reflantis violentia eius impetum quodammodo retardaret. Tardus ſemper eſt Deus ad puniendum. Abulenſis: *Quid eſt ad auram? Id eſt, contra auram, quare contra illam? Quia qui contra auram, id eſt, ventum validum ambulat tardus mouetur; ſic enim Deus ad puniendum peccatum primorum parentum tardus veniebat, quia Deo miſereri proprium ſemper, & parcere.*

Iudex deferueſcente furore, conſopitoque æſtu iræ puniat.

2. Reſpondetur: Quod Deus puniturus primos parentes venit ad auram, id eſt, illo tempore quo venti flare ſolent, vt concceptum iuſtiſsimæ iræ æſtum lenis, ac refrigerans aura, aliqua ex parte conſopiret. Iudex enim furore remiſſo, & cum deferbuit iræ vis puniat. Maluenda: *Ad auram poſt meridiem, alij ad reſpirationem diei, id eſt, quo tempore eſt, reſpiratio, & refrigerium diei, ſeu aeris. Vnde nonnulli ad refrigerationem diei, nempe quando declinat dies, cum Zephyri incipiunt ſe ſe attollere; ſub meridiem enim flare ſolent.*

Vitæ occaſus à memoria non excidendus.

3. Reſpondetur: Quod per hæc verba: *Ad auram poſt meridiem.* Poſſumus intelligere Deum veniſſe ex occidente, ex qua parte aura poſt meridiem flat, vt ex occaſu Solis, Adam, & Eua, qui vana ſpe viuendi in æternum, diligebant, ſuæ vitæ occaſum intelligerent, & proſpicerent. Occaſus vitæ ſemper memoria retinendus. Mendoza, tom. 2. fol. 259. num. 6. *Neſcio qua vana ſpe viuendi in æternum, mihi videtur excitati primi parentes, poſtquam in peccatum incidernet Sed quid Deus? vt eos a ſuo depelleret errore, venit ad auram poſt meridiem, hoc eſt, ex ea parte, ex qua aura poſt meridiem flare ſolet, nempe ex plaga occidentali, vt ex Solis occaſu, illis occaſus vitæ protenderetur.*

Ab occidente ſalus venit humano generi.

4. Reſpondetur: Deum veniſſe: *Ad ſpiritum,* ſeu *vetum diei*, id eſt, ab ea parte vnde venti perflare ſolent; ſcilicet, à plaga occidentali, nec ſine miſterio: indicabat enim quod ab occidente; ſcilicet, Monte Caluariæ remedium erat ventorum generi humano. Maluenda: *Non deſunt ex Hebræis, qui reddunt aduentum diei, id eſt, ad eam partem, vbi venti in die ſpirare incipiunt, nempe ab occidentali parte horti, vbi Sol occumbebat ab ea: enim parte Zephyri conſurgunt. Miſterio id ſeruiat, quod ab occidente, nempe à Monte Caluariæ ſalus ventura erat generi humano lapſo.*

Signis præmonttat Dominus beneficium quod largiturus eſt.

5. Reſpondetur: Notatur quod venerit Dominus ad Adam poſt meridiem, ſeu vt legunt Septuaginta: *Ad veſperam.* Moyſes Barzefas: *Inclinante die.* Accurate enim huiuſmodi tempus ſcribitur, vt inclinato die miſerrima Adami conditio innuatur, quod totus erat concluſus ſub vmbra, & caligine peccati, veſperique frigus iam cor eius obtinuerat. Peccator calorem charitatis perdit, frigore peccati torpet. D. Gregorius lib. 18. Morali, cap. 2. *Quid eſt, quod ad auram poſt meridiem? Niſi quod lux feruentior veritatis abſceſſerat, & peccatricem animam culpæ ſuæ frigora conſtringebant: ad auram namque poſt meridiem primus homo poſt culpam abſconſus inuenitur; quia enim meridianum charitatis calorem perdiderat, iam ſub peccati vmbra quaſi ſub frigore auræ torpebat.*

Peccator in caliginoſa nocte verſatur calorem charitatis perdit, frigoreque peccati torpet.

Deus ante denuntiat, quã puniat.

6. Respondetur: Deum venisse ab illa parte, qua ventus consurgere, & crepitare soleat, vt vox Dei venientis, & comminantis primos parentes, ad aures eorum, vento delata, perueniret: ante enim denuntiat, & commonet Deus, quam puniat. Maluenda: *Ad auram post meridiem. Heb ab spiritum, seu ventum diei, id est, in ea diei parte, qua aura restaret, & vocem subinde ad aures eorum reportaret.*

Furari à dignitate virtuosis ab horrẽt.

Dub. 52. Ad illa verba, v. 8. *Abscondit se Adam, & vxor eius.* Cur abscondit se Adam? Ex vno modico pomo, tantus timor, & pudor, vt inter condendas arbores latere affectauerit?

Respondetur: Quod Adamus comedit fructum vetitum Auctore serpente tanquam furto sublatum, nam licet Deus omnia concesserit homini, arborem tamen illam ei intercluſit. Comedit ergo ex illa Adamus tanquam ex alieno. Cum autem ipse esset nobilissimus, & se viderit furti crimine tẽdatum, tanto pudore est affectus, vt nihil aliud cogitauerit nisi fugere, seque abscondere, & non apparere. Theodoretus quæst. 57. *Latere conatus est, quasi cognoscens furari malum esse.*

Peccatum excæcat iudicium, & discursum peccatoris.

2. Respondetur: Quod Adam multa scientia infusa erat illustratus, neque ei poterat venire in mentem, quod ipse à facie Dei se absconderet, cum Deus sit immensus, omnem replens locum: tamen sic peccatum mentem eius obnubilauit, vt omne iudicium peruerteret, omnemque discursum pertaberet, ita, vt Deum immensum tanquam limitatum hominem sibi proponeret, & omni scientem tanquam quod aliquid ignoret, inique errans sibi persuaderet. Peccatum excæcat peccatorem, iudicium, & discursum. Alcuinus: *Vnde autem à Domini præsentia abscondi posse putabant, nisi quod hæc eis insipientiæ de peccati pœna accesserit, vt hoc eum latere putent, quem latere nihil potest.*

Amicos proprio nomine declamamus.

Dub. 53. Ad illa verba, vers. 9. *Vocauitque Dominus Adam.* Cur Deus Adamum ex proprio nomine vocat?

Respondetur: Quod Deus primum hominem peccantem proprio nomine compellauit, amoris testandi gratia: appellatio enim ex nomine beneuolentiam testatur, cum amicos proprio nomine indamemus. D. Chrisost. homil. 7. ad populum: *Ex suo ipsum nomine appellans, & dicens Adam vbi es? Amorem suum & multam circa ipsum curam ostendit. Iam enim omnes nostis quod hoc est legitimæ amicitiæ indicium, sic, & mortuos reuocantes facere consueuerunt, continuo ipsorum nomina versantes: sicut vicissim odio habentes, & inimice erga quos piam affecti, nec nomina eorum, qui se læserunt, ferunt commemorare.*

Dub. 54. Ad eadem verba: *Vocauit quo Dominus Adam.* Cur Deus veniens ad iudicium faciendum de Adam, & Eua propter peccatum eorum, solum Adamum vocauit, & non Euam cum etiam ista culpam commisisset, & iudicium, & pœnam ferre meruerat?

Principalis in culpa pro omnibus cõplicibus supponit.

Respondetur: Quod solum Adam expresse nominauit, quia caput erat, & principalis in culpa, & vocando illum, quasi si nullam vocauit. Quotiescumque enim in aliquo delicto sunt multi rei, & complices in illo, vocare principalem illorum ad iudicium, est quasi vocare alios omnes, quia supponit pro omnibus. Principalis in culpa pro omnibus complicibus supponit. Abulensis: *Quia Adam erat principalis, & caput: ideo licet causa ambos concerneret, satis erat vocare Adam.*

Prælato tribuendum, si subditus labatur in peccatum.

2. Respondetur: Verum est quod Eua præuaricationi dedit exordium: attamen cum Adami caput esset huius, & præsul regimenque eius haberet, Euæ delictum attribuendum erat Adamo, qui ex proprio munere tenebatur curam eius agere, cum serpente loqui non permittere, omnem peccandi occasionem amputare, quod non fecit Adamus. Hinc vocatur Adam non Eua, licet hæc delicto ianuam aperuit. Prælato enim tribuendum est, si subditus prolabatur in peccatum. Quidam Doctor Modernus: *Merito prior vocatur in iudicium Adam, quam eius vxor. nam licet Eua peccato dedisset initium, tamen viro tribuitur, quia illud non impediuit. Hæc enim est præsulis obligatio, semper subditorum curam agere, & hoc eius discrimen, si subditi prolabantur in peccata.*

Dub. 55. Ad eadem verba: *Vocauitque Dominus Adam.* Cur Deus veniens ad iudicandum, & examinandum delictum primorum parentum, non vocauit Euam quando vocauit Adam? Si ad causam amborum examinandam, & iudicandam venerat ambos simul vocare conuenientius erat: imo etiam serpens cum illis vocandus videbatur, quia si postea iudicatus, & suam sententiam, & pœnam tulit, cum illis debebat iudicari, & ad iudicium vocari, vt omnes simul iudicarentur, qui simul peccatum commiserant, cur ergo, & solum vocauit Adam?

Respondetur: Causam fuisse quia exa-

mi-

Prius debet examinari principalis in aliquo delicto, quia ex illius examine locorum in culpa cognitio patefit

minando prius Adamum, ex confessione illius, Euæ peccatum cognosceretur, & ex confessione Euæ culpa serpentis, vt rei successus monstrauit: nam Adamus ex minatis: dixit: *Mulier quam dedisti mihi, dedit de ligno vetito, vt comederem.* Ecce declaratam Euæ culpam. Hæc etiam examinata, dixit: *Serpens decepit me.* Ecce manifestatam serpentis culpam: itaque Adamus habebat in quem sui delicti causam conijceret, scilicet, in mulierem, & hæc habebat in quem conijceret suæ culpæ causam, scilicet, in serpentem: si ergo serpens prius examinaretur, non poterat in Euam, neque in Adam culpam conijcere, quia suæ persuasionis, quæ erat suum delictum, causa non erat, & ita peccatum Euæ, & Adami ex iudicio in serpentem non cognosceretur: si etiam examinaretur Eua ante Adam, cum non posset culpam inijcere in Adamum, cum hic non dederit ei Lignum, & ad comedendum suaserit, quod erat Euæ culpa, non cognosceretur Adami peccatum: at examinato primo Adamo, omnes delinquentes cogniti sunt. Debet ergo prius examinari ille qui principalis est in delicto, quia ex illius examine, & declaratione, aliorum sociorum culpa apparetur, & cognosceretur. Abulens. in cap. 13. Genes. *Quinto, & principaliter, vt daretur occasio ad illum ordinem, quem Deus tenuit in infligendo maledictiones, & ad injungendam veritatem per confessionem peccatorum, & fuit iste ordo: serpens fuit primum mortuum decipiendo mulierem, ipsa vero seducta incitauit virum qui comedit, & in eo consumatum fuit peccatum. Ideo Deus quæsiuit primo à viro de peccato suo, vt ille quæsitus retorqueret peccatum in mulierem, & illa in serpentem, & ita ex confessione eorum appareret peccatum, & quod iuste inferebatur pœna: si autem Deus vocasset primo Euam, peteret ab ea de peccato, & illa non retorqueret aliquid in virum, sed in serpentem, & ita vir non appareret adhuc nocens: si vero ambos simul vocaret, ab ambobus simul peteret, & ideo sequeretur, quod non inueniretur ordo præcedens delicti retorquente vno in alium: ideo debuit Deus primo vocare Adam, vt quærendo ab eo se retorqueret in fœminam, & fœmna in serpentem.*

Peccata recentia facile, vetusta vero difficiliter auferuntur.

Dub. 56. Ad eadem verba. *Vocauitque Dominus Deus Adam.* Cur solus nutu oculorum Dominus Petrum in pœnitentiam mouet. Lucæ 22. n. 6. *Et conuersus Dominus respexit Petrum, & egressus foras fleuit amare.* At vox Domini Adamum ad pœnitentiam non traxit?

Respondetur: Quod intuitus Domini erga Petrum valde festinus in gallicantu manauit: *Continuo adhuc illo loquente gallus cantauit.* Voces vero ad Adamum fuerunt post meridiem circa vesperam. Non ergo mirum quod Petrus tam celeriter vocatus indilate ad contritionem rapiatur, cum Adamus post aliquam peccati moram multiplicatis in pœnitentiam impellatur. Peccata recentia facile, vetusta, & antiqua difficiliter auferuntur. D. Maximus homil. 3. de pœnitentia Adami: *Transgrediens vterque, præceptum pari modo delinquunt: tamen facilior negatio Petri, quam Adæ prænaricatio: citius enim Apostolo, quam Protoplasto subuenitur: hunc enim Deus ad vesperum requirit errantem illum Dominus pullorum cantu denegantem: ille tanquam deprehensus festinat ad latebras. Petras vero prorumpit ad lachrymas, nihil voce precatus.*

Dub. 57. Ad illa verba, vers. 9. *Vbi es?* Cur Deus proprio suo nomine non advocat, sed tantum ait: *Vbi es?* At vero postquam Adam ante Diuinum conspectum se præsentat pœnamque pro suo delicto admittit, eumque tanquam habitum pœnitentiæ indutum conspexit, ait de illo: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Cur primo loco illius nomen supprimit, quod in hoc secundo exprimitur? *Ecce Adam* item cur Eliam proprio nomine vocauit, non vero Adamum?

Nomen peccatoris delectum per peccatum, per pœnitentiã reuiuiscit.

Respondetur: Quod antea apparebit Adamus inobediens, Diuinorum mandatorum transgressor: at vero modo se exhibebat, vt obedienti sub habitu pœnitentiæ suum delictum agnoscenti: etsi delictum nomen abraserat, ne Diuina voce pronunciaretur: obedientia vero cum pœnitentia sic reuiuiscere fecit, vt ex ore Diuino aperte diceretur. D. Ambrosius lib. de Paradiso, cap. 14. *Dixit factus est Adam quasi vnus ex nobis quia aperuit oculos vt culpam suam videret.*

Ieiuni familiaritatem habent cũ Deo, saturi quasi a Deo ignorantur.

2. Respondetur: Quod Deus Adamum in Paradiso terrestri comedentem quodammodo ignorauit: at vero Heliam quadraginta diebus ac noctibus ieiunantem familiariter alloquebatur 3. *Reg.* 19. quia ieiuni intimam cum Deo familiaritatem sortiuntur, at saturi quasi ignorantur a Deo. Tertullianus lib. aduersus Phychicos cap. 6. *Cum Helias in Spelunca diuertisset quam familiari congressu Dei exceptus est? Quid tu Helia*

bies

hic? Multo amicitior ista vox, quam Adam vbi es? Illa enim pasto homini minabatur, ista ei iam blandiebatur.

Iudex nõ procedat incitato reo.

Dub. 58. Ad eadem verba, *Vbi es?* Cur Deus interrogat, *Vbi es?* Cum nosset absconditum esse Adamum inter arbores?

Resp. Quod ideo hoc interrogauit, vt iudiciario ordine procederet, eum citans, in ius vocans, & in iudicium. Caietanus: *Quamuis Deus certissime nosset, quod Adam peccauerat, & vbi tunc erat (absconditus; scilicet, inter arbores) iudiciario tamen ordine procedere volens: tanquam iudicium habens a loco occultationis, tanquam loco accusante, citat Adam interrogando: Vbi tu? Vt ex ipso loco incipiat conuinci ad confitendum peccatum suum. Exemplum proinde dedit iudicibus, vt quamuis certissimi forent, quod aliquis deliquerit, non procedant incitato reo.*

Mansuetudo, & lenitas iudicis reũ ad dolorem, & contritionẽ excitat.

2. Respondetur: Quod hæc vox: *Vbi es.* Non est nescientis, & ignorantis locum vbi esset Adam, cum nescientia in Deum non cadat, sed est doloris de miserrimo eius statu: quasi exclamaret, & diceret Deus: ò miserum Adam! Iam nõ es, quia quod antea eras amisisti, in perditione es, condoleo tuam vicem, quia dolendum est de misero statu peccantis. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, cap. 25. *Neque enim simplici modo id est, interrogatorio sono, legendum est, Vbi es, Adam? Sed impresso, & incusso, & imputatiuo, Adam vbi es? Id est, in perditione es, id est, iam hic non es, & vt increpandi, & dolendi exitus vox sit.*

Dub. 59. Ad eadem verba: *Vbi es?* An Deus iratus venerit ad Adamum?

Respondetur: Quod Deus non venit raptus iracundiæ furore, nec impetu vehementi, sed mansuetus, & lenis: vt enim resipisceret Adam, & veniam peteret, venit Deus lenitatem, ac mansuetudinem ostendens: vt doceat iudices ad puniendum progredientes, ostendere lenitatem, & mansuetudinem, vt dolorem, & contritionem causent de culpa. Abulensis: *Non apparuit immediate iratus Adæ ad eum puniendum, sed venit mansuetus vocans, quasi volens, quod Adam procederet coram ipso pro delicto veniam petiturus.*

Peccator plus dolet de malo temporali quam de spirituali.

Dub. 60. Ad illa verba, vers. 10. *Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui, eo quod nudus essem.* Cur Adamus non timuit de transgressione præcepti, sed de nuditate?

Respondetur: Quod nuditas corporis, erat corporale nocumentum, transgressio præcepti spirituale: & cum peccatores plus doleant de corporali nocumento, quam de spirituali, Adamus qui in peccatum inobedientiæ lapsus erat, plus timuit de nuditate corporis, quam de transgressione præcepti. Peccator plus dolet de damno temporali, quam de spirituali. Rupertus lib. 3. in Genes. cap. 14. *Non dixit vocem tuam audiui, & timui, eo quod præceptum præuaricatus essem: sed timui eo quod nudus essem. Peruersus timor qui non satis surgerit pœnitudinem, sed solum pœnæ suæ faciet erubescere confusionem perseuerat hæc vsque hodie in filijs Adæ.* Vide dub. 74.

Qui stimuli conscientiæ agitatur iudicem timeat.

Dub. 61. Ad eadem verba. *Timui, & abscondi me.* Cur Adam tanto timore percutitur, vt timeat, & fugiat?

Respondetur: Quod Adam delicto suo accusante, non solum ad Dei vocem fugit, vt non respondeat, sed etiam se abdit, & abscondit; conscientia pura omnes timores contemnit, si vero delicto sit coinquinatus homo, premitur, & vrgetur stimulis, flagelliisque conscientiæ, ita vt timeat, & metuat. Qui stimulis conscientiæ agitur iudicem timeat. D. Chrisost. homil. 17. in Genesim: *Propterea ploroplastus aduentum Domini secum cogitans statim se occultauit: quare dico? Quoniam videbat sibi trucem adstare accusatorem, conscientiam dico.*

Dei filius post assumptam humanitatem, non terribilis, sed benignus apparuit.

Inquires: Cur Adamus, qui semel, & ab vxore deceptus Diuinam violauit legem Diuinum præ timore fugit aspectum, & Dei vocem audire recusat: & magi idolatræ, & idolatris dediti, totque flagitijs, Christum quem habebant offensum, videre non timent, imo ad eum accedunt, & adorant?

Respondetur: Quod cum Adamus Diuinum contempsit præceptum verbum æternum nondum naturam nostram assumpserat, vnde non mirum, quod tunc Deus esset ita terrificus, & formidabilis, quod Adamus timuerit vocem eius, & absconderet se: at postquam Diuinum verbum caro factum est, non apparuit formidabilis, sed lenis, & mitis; hinc magi in altam spem, & fortitudinem excitati, non timent coram eo apparere, quem peccator Adam audire, & conspicere formidabat: Dei enim Filius post assumptam humanam naturam, non terribilis, sed benignus apparuit. D. Bernardus serm. 1. de Natiuitate Domini: *Noli fugere, noli timere, non venit cum armis, non puniendum, sed saluandum requirit: & ne forte dicas etiam nunc, Vocem tuam audiui, & abscon-*

Qui mala cõscientia vexatur, de nullare quam de timore cogitat.

condi me: ecce infans est, & sine voce. Nam vagientis vox magis miseranda est, quam timenda.

Dub. 62. Ad eadem verba; *Vocem tuam audiui, & timui.* Cur Adamus non dixit; vocem tuam audiui Domine Deus?

Qui mala cõscientia vexatur, de nulla re quam de timore cogitat

Respondetur; Quod Adamus respondit absque aliqua honoris præfatione; non ait: vocem tuam Domine Deus, creator meus audiui: sed his omissis tantum ait; *Vocem tuam audiui, & timui.* Sic enim voce, ac consideratione Dei iratis conturbatus est, vt debitæ reuerentiæ præfatione oblita, illud tantum verbum habuit in ore, quod timorem significaret. Qui mala conscientia vexatur de nulla re quam de timore cogitat. Lippomanus; *Sine honoris præfationis & cognomine, sine aliquo epitheto Deum alloquitur, veluti attonitus à voce Domini corripientis, & propria conscientia tam confusus, & accusatus, non addit: clementissime Domine Deus.*

Peccator cũ arguitur, inurbanus est in corripientẽ,

2. Respondetur; Quod Adamus à Deo obiurgabatur; ideo inurbane, rustice, & insulse Deo sine aliqua reuerentia respondit. Peccator cum arguetur, inurbanus est, & incivilis in corripientem. Mendoza tom. 1 fol. 252 num. 17. *Adamus leniter à Deo obiurgatus illis verbis: Adam vbi es? Inurbane, & inciuiliter respondit.*

Dub. 63. Ad eadem verba: *Timui, & abscondi me.* An Adamus de salute sua ipsem abiecerit?

Qui pudorẽ de peccato habet, remedium habet peccati,

Respondetur; Quod Adamus post peccatum erubuit, & pudore se abscondit, ideo certam de salute sua spem retinuit, vt discamus, quod qui pudorem retinet, quamuis grauiter delinquet, non desperare, nec de salute sua actum credere: nondum enim est omnino deploratus; qui enim pudorem habet, remedium peccati habet. Diuus Ambros. lib. de Paradiso, cap. 14. *Adhuc in his remedium sanitatis est quia audiunt Dei verbum deinde habent remedium, qui se abscondunt; nam qui abscondit, erubescit qui erubescit, conuertitur, sicut scriptum est Psalm. 6 num. 11. confundantur, & conuertantur valde velociter.*

Dub. 64. Ad eadem verba: *Timui, & abscondi me, eo quod nudus essem.* Quid timuit Adam?

Peccatum vẽ recundiã causat in peccatore.

Respondetur; Quod de peccato commisso verecundabatur homo, cum peccatum ipsum ingerat verecundiam; ideo vocatus à Domino, respondit: *Timui eo quod nudus essem.* Timor ex verecundia oriebatur, & hæc ex culpa, quia ipsa se sola verecundiam causat in peccatore. Aboulensis. *Id est, non ausus sum comparere ante te, quia nudus eram, & hac verecundia valde præmebatur.*

Dub. 65. Ad eadem verba; *Vocem tuam audiui, & timui eo quod nudus essem.* Cur Adamus non dixit, suum in hoc vel illo loco sub hac, vel illa arbore cum Dominus quærat; *Adam vbi est?* Cur vltra procedit, vt egrediatur, coramque se Deo excubet, & totum rerum ordinem exponat, dicens vocem tuam audiui, & timui, eo quod nudus essem. Cur ergo vltra interrogata loquitur?

Cum Deus vocat peccatorem vires dat, & animum veniendi

Respondetur: Quod Adamus ex suo peccato, ac inobedientia erubescens se abdiderat, sed cum Deus eum vocat, vt ex culpa reduceret ad gratiam, ac pristinum statum, ipsamet Dei vocatio dat vires, vt à loco illo exeat, verecundiam deponat, animum concipiat, totumque negocium sui aperiat, ac fateatur. Quos Deus vocat, eis vires dat, vt suæ vocationis munus adimpleant, si sequantur. D. Philippus Abbas de salute primi hominis: *Vt mihi videtur Diuinæ Scriptor Historiæ, id quod dictum est, Vocauit Deus Adam non perfunctorie attendi voluit, sed in eo piam vocantis affectum, magnum vocati profectum intelligi debere commonuit.*

Dub. 66. Ad illa verba, vers. 11. *Quis indicauit tibi, quod nudus esses nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti.* Diuus Chrisostom. sequutus Septuaginta in Bibliis Regijs, addit: *De quo præceperam solo tibi.* Cur ex violatione præcepti in leuissima materia impositi, tm grauis culpa contrahitur?

Qui facillimum præceptum violat, & in leui materia impositũ, nõ eleuat culpã, sed aggrauat.

Respondetur: Quod Adami in facillimo præcepto, & leuissima materia, offendentis non eleuatur culpa, sed aggrauatur. Et certe mirandum est ex vnico præcepto circa leuissimam materiam seruando, aut violando, totius mundi salutem, aut ruinam pependisse, quod ita voluisse videtur Deus, ne quis leuitate materiæ inductus, ad obedientiam contemnendam induceretur. D. Chrisostom. *Non caret emphasi, & latenti quadam vi, quod dixit: de quo solo; quasi diceret. Non adeo angustos fruendorum bonorum limites tibi præscripsi? Nonne omnem copiam præbui. Nonne omnium, quæ in Paradiso sunt potestatem tibi dedi, & dumtaxat ab hoc vno, vt abstineres, præcepi, vt scire posses, te sub Domino quodam esse, cui obedientiam debes? Quæ igitur negligentia illa, vt tantis fructi-*

Præceptum ex leuitate materiæ non est contemnendum.

bus

bus non contentus, ab hoc vno abstinere noluerit?

Dub. 67. Ad illa verba, vers. 12: *Mulier quam dedisti mihi sociam dedit mihi.* Quam virtutem violauit Adam his verbis?

Amicus malus propter amicũ vult Deum offendere, non tamen propter eum vult pœna affici.

Respondetur: Quod Adamus non parum charitatem violauit, qui cum Eua pomum vetitum gustare voluit, non tamen cum Eua meritum supplicium tolerare. Boni amici est non peccare propter amicum, pœnas tamen libenter dare propter ipsum: malus vero propter amicum vult Deum offendere, non tamen propter eum vult pœna affici. D. Bernardus serm. 1. in Festo Omnium Sanctorum: *Ecce scimus Adam, quia amore eius peccasti, videamus nunc quantum diligas eam, venit Dominus, ignem tenens gladium in vltionem præuaricationis: oppone te diserimini propter illam, & dic: Domine mulier infirmior est, mulier se decepta est: mea est iniquitas, meum peccatum, in me solum vindicta procedat, sed non loquitur sic: mulier, inquit, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi o peruersitas! Pœnam pro ea suscipere refugis, & culpam admittere non recusasti?*

Dub. 68. Ad eadem verba: *Mulier quam dedisti mihi.* Cur Adamus mulierem in medium adducit, quando de suo peccato, non de peccato mulieris interrogatur?

Ita perniciosum est culpam cõmissam excusare, ac non commissam committere.

Respondetur: Quod duo mala intulit nobis Adamus, alterum peccando, alterum se excusando; i primo nos obligauit ad culpam, in secundo à nobis abstulit veniam; & hæc duo sibimet infert peccator, quando comisso peccato, de illo excusationem quærit, non confessionem: ita enim perniciosum est, culpam commissam excusare, ac non commissam committere. Abul. *O prauum cor! excusando se accusat, quod si se accusaret, omnes nos ab accusatione, & iudicio liberasset.*

Peccator, vt culpam excuset in Deum coniicit.

Dub. 69. Ad eadem verba: *Mulier quam dedisti mihi.* Cur Adamus dixit Deo: *Mulier quam dedisti mihi sociam?*

Respondetur: Quod Adamus, vt à se culpam auerteret, totam culpam in Deum retulit. Peccator, vt culpam excuset in Deum coniicit. Diuus Greg. lib. 33. Moral. cap. 24. quasi vellet: *Reatum suum oblique in Auctorem relidere, qui ei mulierem dederat, quæ talia persuaderet.*

2. Respondetur: Quod quando Deus petiuit ab Adamo rationem de peccato, ipse respondit, mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi: ac si diceret: Domine tu dedisti illam in sociam, & præcepisti mihi, vt eam diligerem, vt me ipsum, & sicut carnem meam, non ergo debebam ego tristari eam, tristaretur autem valde si eius precibus non annuerem, ideo comedi, & peccaui, tu ergo culpam habes mei peccati, non ego & ita non debes mihi irasci, sed in te, quia qui dat causam peccato, in culpa est talis peccati. Abulensis in cap. 13. Genes. vers. 12. Qui dat causam peccato, in culpa est talis peccati.

Abulensis in cap. 13. Genes. vers. 12. ratione quinta: *Quinto potest intelligi quod retorqueat Adam culpam in Deum dicendo mulier quam dedisti mihi: ac si dicat: si ista mulier non fuisset à te data, ego neque diligerem eam, neque placerem illi, & non confiderem ei, sed cauerem ab eatu autem dedisti illam mihi, & ita fidebam, quod illa nihil mali induceret in me, propter quod dante illa de fructu comedi, & ideo non debes grauiter irasci.*

Dub. 70. Ad eadem verba: *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi.* Cur arguente Deo Adam de suo peccato, & isto respondente, quod comederat motus precibus Euæ, tacuit Deus? Videtur enim satisfeciisse Deo Adam, & sufficienter suum pecatum excusare.

Qui magis audit creaturã quam Deum, grauiter punitur.

Respondetur: Nullatenus Deum sibi satisfeciisse reputasse, quia non excusabatur propter instantes preces mulieris, quod patuit cum post excusationem, contemnuit illam, & grauibus pœnis puniuit. Non enim excusat hominem à peccato allectio mulieris, quia prius est parendum Deo, quam illi. Abulens. in cap. 13. Genes. vers. 12. *Ac si dicat: non est iusta excusatio, quam allegas, quia licet vxor tua, quam diligis, & dilecturus erat, daret tibi de ligno, non debuisti comedere, quia ego vetueram tibi, debuerit autem præualere imperium nostrum precibus mulieris, & quia magis audisti eam quam me, iniuste feciisti.*

Dub. 71. Ad illa verba, vers. 13. *Et dixit Dominus Deus ad mulierem: quare hoc feciisti?* Cur Eua veniente Deo ad iudicium, & vocante solum Adamum in iudicium, exiuit illa non vocata? Videbatur enim quod expectare debuerat, vt vocaretur, & quod sufficeret quod vocata exiret.

Qui peccatum suum cõfitetur antequam in iudicium vocetur, peccatum suum multum diminuit.

Respondetur: Euam non vocatam exisse, ne daret locum, vt Adam emproderet, & ideo vocaretur: tunc enim grauius esset peccatum suum, & ipsa culpabilior, vt autem culpam suam minueret, non vocata prodijt. Qui enim peccatum suum confitetur, antequam in

in iudicium vocetur peccatum ſuum multum diminuit. Abulenſis in cap. 13. Geneſ. *Si illa non exiret ſponte, quereret Deus forte ab Adam de ea, & ille eam proderet, ideo voluit potius exire, ne culpabilior videretur, ſi Adam prodeunte ipſa ſe occultaret.*

Mulieres cupiunt videre, & videri etiã ſi ex hoc illis damnum eueniat.

2. Reſpondetur: illud fuiſſe, quia videbat Adam vocari, & putauit ſibi deterius eſſe non exire cum illo, non videre quod illa videbat, & non videri à quo ille videbatur: ideo etiamſi ex tali viſione ſibi malum euenturum erat, hoc elegit potius quam occulta manere. Adeo cupiunt mulieres videre, & videri, adhuc nemine impellente, & mouente, ſeu vocante egrediantur, etiamſi ex illo damnum, vel malum aliquod illis eueniat. Abulenſis ibi: *Quia occultatio iſta fuit propter timorem, ſicut dixit Adam audiui vocem tuam, & timui, & tamen deterius ſibi futurum putabat ſine viro, quam cum viro, ideo exiuit cum illo.*

Dub. 72. Ad eadem verba: *Quare hoc feciſti?* Cur Deus interrogat: quare hoc feciſti? Cum non ignoraſſet Deus quid fecerit Eua.

Iudex incognita cauſa ſẽtentiam non proferat.

Reſpondetur: Ideo interrogaſſe, vt iudiciario more procederet, ne in dicta cauſa ſententiam ferre videretur. Iudex enim indicta cauſa ſententiam non proferat. Diuus Chriſoſt. hom. 17. *Mox aſsiſtis, & quaſi manſuetus, & miſericors iudex in tribunali terrore, & horrore pleno ſedet, & examinat diligenter: per hoc nos docendo, ne quem fratrum noſtrorum condemnaremus, niſi cauſa antea diligenter cognita.*

Deus vult quod peccator recognoſcat grauitatẽ ſui peccati.

2. Reſpondetur: Quod Deus optimè ſciebat totam rei ſeriem, quod ſerpens cum promiſiſſet Diuinitatem, eam deceperit, & etiam aperte Domino erat præſens, quod mulier in ſui facto nullam habebat excuſationem: interrogat ergo, vt eam inducat in cognitionem ſuæ miſerrimæ conditionis, vt inde doleat de ſua culpa, & eam confiteatur. Recognoſcat peccator grauitatem ſui peccati. Rupertus: *Mulierem ad conſcientiam vocare voluit, vt recogitaret, & diceret, quia feci.*

Dub. 73. Ad eadem verba: *Quare hoc feciſti?* De quo quæſiuit Deus? An quare comedit, vel quare dedit viro, vt comederet?

Maior culpa eſt inducere alios ad peccandum, quã peccatum ipſum committere.

Reſpondetur: Quod non quæſiuit de peccato comeſtionis Euæ, ſed de peccato inducendi maritum ad comedendum, & conſequenter ad peccandum, quaſi magis offenſus fuiſſet Deus, quia induxit virum ad peccatum, quam quia ipſa comediſſet, & peccaſſet. Maior enim culpa eſt inducere alios ad pecandum, quam peccatum ipſum committere, & plus debent puniri incitantes, quam peccantes. Abulenſis in cap. 13. Geneſ. *Deus adhuc non quærebat aliquid de facto mulieris, ſed de facto Adæ: & quia excuſans ſe dixerat, quod mulier dederat ei, voluit quærere a muliere, an hoc feciſſet, & quare feciſſet, ideo non quæſiuit de alio.*

Peccatum quod non ſcitur iudicialiter, iudicialiter examinãdum non eſt.

2. Reſpondetur: Quod non quæſiuit Dominus Euam de peccato comedendi, ſed de peccato inducendi maritum ad peccandum; ratio eſt, quia peccatum comeſtionis Euæ nondum ſciebatur iudicialiter, cum nec ipſa, tunc illud faſſa fuiſſet, nec Adamus illud protuliſſet, & propalaſſet, ſed ſolum arguerat eam de peccato inducendi ipſum ad comedendum: non enim dixerat. Mulier quæ comedit dedit mihi, ſed mulier quam dediſti, dedit mihi; quia ergo iudicialiter procedebat Deus, & mulieris peccatum in comedendo non conſtabat iudicialiter: ideo de illo non interrogauit. Peccatum enim quod iudicialiter non ſcitur, iudicialiter examinandum non eſt. Abulenſ. ibi: *Non habebat Deus aliquam cauſam quærendi nunc à muliere aliquid alterum, nam nihil alterum deductum fuerat coram ipſo: Adam quippè non dixerat, quod mulier comedit, & dedit ei, ſed ſolum quod dedit ei; ipſa vero nihil adhuc confeſſa erat, quia nondum fuerat locuta, ideo non peteret cauſam iudicialiter eius quod non conſtabat ſibi iudicialiter eſſe: ideo ſolum quæſiuit quare dedit viro de fructu, quia hoc Adam propoſuerat.*

Peccator plus dolet de amiſsis temporalibus quam ſpiritualibus.

Dub. 74. Ad illa verba, verſ. 13. *Serpens decepit me.* Cur Eua ſolum ſe dicit deceptam? Cur potius ait: ſerpens me delecit in peccatum, vel ſerpens extitit occaſio quod Deum offenderem? Quod Dei amorem amitterem? Quod ius ad æternam hæreditatem perderem?

Reſpondetur; Quod hæc omnia præteruit Eua, & ſolum dolet à dæmone fuiſſe deceptam, ac fruſtratam in promiſsione, ac emolumento propoſito. Magis eius mens rapiebatur, ac plus dolebat de temporali lucro promiſſo, & non aſſequuto, quam de bonis ſpiritualibus amiſsis: ac proinde magis de teſtabatur inanitatem, ac falſitatem promiſsionis, quam miſeram priuationem gratiæ, à qua erat ſpoliata. Peccator plus dolet de amiſsione temporalium, quam ſpiritualium. Arnald. Carnotenſis

sis de opere sex dierum: *Deceptam se dicit, amplius dolens, quod diaboli promisso effectu caruerit, quam quod eius suggestioni assensum præbuerit.*

Qui de sua culpa se accusat, à sua se pœna excusat.

Dub. 75. Ad eadem verba: *Serpens decepit me.* Cur Eua fatetur se deceptam?

Respondetur: Quod Eua inobedientiam confessa est, dicens serpens decepit me, quasi diceret: pœnam quam prævaricatio induxit, confessio abegit. Qui enim de sua culpa se accusat, à sua se pœna excusat. Diuus Ambros. lib. de Paradiso, cap. 14. *Veniabilis culpa quam sequitur professio delictorum. Ideo non desperata mulier, quæ non reticuit Deo, sed magis confessa peccatum est.*

Vt iudex iuste aliquem condemnet opus est, quod prius ille confiteatur suum peccatum, si testibus non est conuictus.

Dub. 76. Ad eadem verba: *Quare hoc feci sti.* Cur Deus quæsiuit Adam, & Euam de peccatis suis, cum essent manifesta, & posset illos punire absque interrogatione aliqua?

Respondetur: Hoc fecisse Deum eo quod non erant conuicti testibus, & reus non conuictus testibus non est condemnandus sine prævia confessione sua. Vt enim iudex reum aliquem condemnet opus est quod prius ille confiteatur suum peccatum, si testibus non est conuictus. Abulensis in cap. 13. Genes. *Aliqui dicunt quod Deus processit hic iudicialiter, & non potest aliquis iudicialiter de crimine condemnari nisi sit illud sponte confessus, vel conuictus, siue per euidentiam facti, siue legitimis testibus, & tamen non erant Adam, & Eua testibus conuicti: ideo debuit expectari confessionem eorum, & ad extorquendam confessionem ab eis processit Deus hoc ordine petendo.*

Iudex quam breuissimo tempore differendo iudicium, & sententiam: securius sperare potest vna monitione breui.

2. Respondetur: Id fuisse quia Deus nolebat differre iudicium Adæ, & Eua per multum tempus in quo possent resipiscere, & loco diuturnæ dilationis, vt occurreret admonitione interrogationis subrogauit, putans magis eos emolliri posse interrogatos de culpa, quod erat esse admonitos, quam si longo tempore iudicium, & sententiam dilataret. Abulensis ibid. *Tertio fuit propter Adam, & Euam, vt eis esset aliqua occasio conuersionis, & pœnitentiæ de peccato.* Et infra *Sed quia non volebat expectare Adam, & Euam, quibus per longum tempus daret spiritum compunctionis, & precum, voluit statim eis loqui, vt ista locutio esset vicæ diuturnæ expectationis.*

Dub. 77. Ad eadem verba: *Serpens decepit me:* Quid voluit dicere Eua quando interrogata à Deo de peccato suo, dixit serpens decepit me?

Respondetur: Quod cum videret mulier quod Adam interrogatus de peccato suo dedit excusationem dicens: *Mulier quam dedisti mihi.* Et quod Deus tacuerat quasi eius excusationem acceptans, ipsa quoque voluit excusare se transferens culpam suam in serpentem, dicens: *Serpens decepit me.* Vt Deus eius excusationem acceptaret, & eius peccatum, aut totaliter condonaret, vel saltem ex magna parte alleuiaret. Peccata enim, & mala omnia quæ superiores committunt, facile, & cito adiscunt, & faciunt inferiores. Abulensis in cap. 13. Genes. *Sequuta est Adam in excusatione nam ille quæsitus de peccato, transtulit illud in fœminam dicens: Mulier dedit mihi, & comedi, & Deus tunc tacuit, quasi acciperet excusationem eius: ideo ipsa similiter se excusauit transferens culpam in serpentem putans per hoc alleuiandum peccatum, aut totaliter transferendum.*

Peccata, & mala omnia quæ superiores committunt, facile, & cito adiscunt, & faciunt inferiores.

Peccator excusat suum peccatum, vt de illo non verecundetur.

2. Respondetur: Quod Eua voluit se excusare, vt à se proiiceret verecundiam de peccato contra Dei præceptum à se commisso. Peccatum enim ex se ipso verecundiam causat, & ideo quicumque qui peccat, excusat suum peccatum, vt de illo non verecundetur. Abulensis ibi: *Hoc fuit, vt se exoneraret à verecundia. Erubescebat enim fœmina quod contra Dei præceptum egisset, & vt non sustineret tam grauem confusionem, voluit illam alleuiare trasferendo causam peccati in alterum.*

Dub. 78. Ad illa verba. vers. 14. *Quia fecisti hoc maledictus es inter omnia animantia.* Cum diabolus serpentis opera vsus, malum attulit consilium, cur bestiæ pœna illi infligitur?

Peccati instrumenta puniendo.

Respondetur: Quod Deus hominis vicem miseratus, non tam diabolum tentationis Auctorem, quam serpentem tentationis instrumentum, maledictione percussit: sæuit enim Deus in instrumenta peccati. D. Chrisost. hom. 17. in Genesim; *Est, & hoc ineffabilis misericordiæ Dei opus. Nam sicut clementissimus Pater, puniens eum, qui filium suum occiderit, & gladium, & ensem per quæ filius suus occisus est, destruit, & in multas partes diuidit: eodem modo Deus egit: quippe serpens, quasi gladius quidam diabolicæ seruiuit malitiæ, vnde, & perpetua ipsi pœna intentata est.*

Complices peccatorum à Deo castigantur.

2. Respondetur: Quod licet serpens non peccauerit; neque peccandi capax sit, tamen punitur à Deo, quia non solum puniendi sunt peccatores, sed etiam complices peccatorum, adeo quod

quod, etſi culpam non habuerint, imo nec habere potuerint, eo ſolum quod in peccato inuenti fuerint, punitionem accipere merentur. Abulenſ. *Licet nihil peccauerit ſerpens cum peccatum ſolum ſit in natura rationali (non loquitur de Angelis) Deus voluit illum punire propter facti enormitatem: ſicut dicitur de iumento, vel peccare cum quo aliquis homo coiuiſſet, quod occidi mandabatur, licet nihil in hoc peccaſſet, vt patet. Leuit. 20.*

Dub. 79. Ad illa verba, verſ. 14. *Super pectus tuum gradieris.* Cur ſerpens antea erectus ſuper pedes incederet, cur modo ſuper pectus graditur?

Qui ſupra ſe extollitur, infra ſe deijcitur.

Reſp. Quod ſerpens voluit eſſe ſicut homo extollere que ſe: ideo in pœnam deprimitur, & proſternitur: debellat enim Deus ſuperbos, & arrogantes, infra ſeque ſubdit, & deijcit. Oleaſt. *Ecce quid pariat excellentiæ appetitus nempè deiectionem, & qui ſupra ſe ſine Deo extollitur: infra ſe deijcitur ſerpens voluit, eſſe, vt homo, & effectus eſt omni beſtia agri inferior, ſicuti, & homo cum vellet ad Deum aſcendere, ad beſtias deſcendit.*

Dub. 80. Ad illa verba: *Terram comedes* Cur diabolo dicitur quod terram comedet, cum diabolus, nec terram, nec quod quam comedere poteſt?

Peccator diaboli eſt cibus, & vnum cum illo corpus efficitur per peccatum.

Reſp. Quod peccatores cum diabolo incorporantur, & vnum cum illo corpus efficiunt per peccatum, ſicut iuſti cum Chriſto per gratiam. Diaboli cibus ſunt peccatores, & ſicut cũ ſtomacho cibus incorporatur: ita cum diabolo incorporantur peccatores. Oleaſt. *Adnotauit D. Auguſt. verbum iſtud: aſſerens hominem in peccati pœnam factum fuiſſe diaboli cibum. Quando enim ſerpenti dictum eſt. Terram comedes, dictum eſt etiam homini. Puluis es ſi ergo homo peccator puluis, & puluis ſerpentis cibus, ergo homo peccator ſerpentis eſt cibus.*

Dub. 81. Ad eadem verba: *Terra comedes.* Cur ſerpenti datur terra in cibum, cum herbis, & fructibus aleretur?

Peccator per ea punietur, per quæ peccauit.

Reſponderetur: Quod ſerpens decepit primos parentes ſuadendo eſum pomi vetiti: ideo licet antea herbis, & fructibus veſceretur, tamen datur ei terra quam victitet, vt cibo puniatur, qui cibo decepit. Punietur peccator per ea, per quæ peccauit. Maluend. *cibo decepit primos parentes, & cibo punitur, cum iubetur puluerem eſſe, cum antea herbis, & fructibus victitaret.* Vide infra dub. 87. & dub. 90. 2. R.

Dub. 82. Ad eadem verba: *Super pectus tuum gradieris, terram comedes.* Quid nomine pectoris, ventris & terræ ſignificatur?

Diabolus venit ad hominem tentandum ſuperbia, carnali deſiderio, & curioſitate.

Reſpondetur: Quod per pectus ſuperbia, per ventrem carnale deſiderium, per terram curioſitas intelligitur; dicitur ergo ſerpenti, quod ſuper pectus, & ventrem gradietur, & terram comedet, quia diabolus his tribus; ſcilicet, ſuperbia, carnali deſiderio, curioſitate ſerpit ad homines tentandos. Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 165. art. 2. ad 4. *Dicitur ei pectore, & ventre repes ſecundum aliam litteram. Vbi nomine pectoris ſignificatur ſuperbia, quia ibi dominatur impetus animæ, nomine autem ventris ſignificatur carnale deſiderium, quia hæc pars mollior ſentitur in corpore. His autem rebus ſerpit ad eos, quos vult decipere. Quod autem dicitur. Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ, duobus modis intelligi poteſt, vel ad te pertinebunt, quos terrena cupiditate deceperis, id eſt, peccatores, qui terræ nomine ſignificantur, vel tertium genus tentationis, id eſt, cupiditatis, his verbis figuratur, quod eſt curioſitas. Terram enim qui manducat profunda, & tenebroſa penetrat.*

Cupidi ad diaboli poſſeſſionem attinẽt.

2. Reſpondetur: Quod Deus his pœnis damnauit ſerpentem, vt in abditiſsimis terræ cauernis habitaret: qui enim alios in peccatum inducit, indignus eſt, quod in conſpectu hominum appareat. Maluenda: *Hoc loco ſuper ventrem gradi, & terram comedere, quidam figurate dictum putant, pro verſari in imis, & obſcuriſsimis cauernis terræ, angustis admodum tamen, & non altis: ſunt enim cauernæ multæ ita angustæ, & depreſſæ, vt in illis nemo erigere ſe poſſit, niſi manibus ex porrectis initatur.*

Qui alios ad peccatum inducit indignus eſt, quod in conſpectu hominum appareat nec à miſera fortuna emergat.

Dub. 83. Ad eadem verba: *Super pectus tuum gradieris, vt terram comedes.* Cur Deus non dixit ſerpenti, facio te ſuper pectus tuum ambulare, & terram comedere?

Deus benefaciendi, non vero puniendi ſe Auctorem profitetur.

Reſpondetur: Quod quamuis à Deo ſit benefaciendi, & puniendi facultas, tamen Deus non hanc ſibi attribuit, ſed illam; ſcilicet, benefaciendi: ideo non dixit ſerpenti, facio te ſuper pectus tuum ambulare, & terram comedere, ſed ſuper pectus tuum gradieris, & terrã comedes; quaſi ne illius quidem pœnæ quæ in ſerpentis caput meritiſsimo impingebatur, ſe Auctorem profiteri veller; ſed ab ipſius ſerpentis malitia profectam ſignificaret. Deus enim benefaciendi, non puni-

niendi se Auctorem profitetur. D. Ambros. *Non dixit facio te super pectus tuum ambulare, & terram manducare: sed ambulabis, inquit, & manducabis, vt prædixisse magis de serpente, quæ futura sunt, videretur, quam præscripsisse quid faceret.*

Dub. 84 Ad illa verba, vers. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem.* Hebraice habetur: *Inimicitiam.* Cur inimicitiam in singulari ponitur inter serpentem, & mulierem?

Cum Diabolo nullum fœdus sanciendum, sed continua inimicitia cum eo habenda.

Resp. Quod Deus vult inter diabolum, & hominem esse continuum, & intermissibile desidium, nullumque fœdus cum eo sanciendum, ideo inimicitia in singulari ponitur, vt continuam, & perpetuam discordiam inter eos esse debere ostendat. Mæluenda: *Hebraice singulare inimicitiam, vt æterna tot sæculorum desidia, sint vna continua, & intermissibilis inimicitia.*

Dub. 85. Ad illa verba, vers. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum.* Cur Deus dixit quod inimicitias erat positurus inter serpentem, & mulierem, cum iam essent positæ inter ambos ab initio creationis vtrorumque?

Tunc dicitur res incipere esse, quando incipit manifestari.

Resp. Verum esse quod ex inclinatione vtrorumque, & natura eorum inditæ fuerunt inimicitiæ ad inuicem, tamen executio harum inimicitiarum nondum fuerunt propalatæ, neque expertæ, modo autem cognitæ fuerunt ex Dei verbis, & quia tunc res fit quando inotescit; ideo Deus dixit tunc: *Ponam*, quasi tunc ponebantur, quando ostendebantur. Dicitur ergo positas fuisse tales inimicitias post peccatum, quia post illud notificatæ fuerunt; & scitum est positas esse à natura. Tunc enim dicitur res incipere esse, quando incipit manifestari. Abulensis: *Secundum veritatem Deus ponebat aliquid quod non fuerat à principio, nam licet principia ad inimicandum fuerat ex natura, tamen ipsum inimicari nondum fuerat, quia neque homo vsque nũc fugerat serpentem vt malum, nec nocuerat ei, neque etiam serpens aprehenderat hominem, vt malum, neque habuerat appetitum nocendi, nec nocuerat de facto: post peccatum autem cum Deus hoc dixit, secutus est actus inimicandi: ideo Deus posuit has inimicitias.*

Dub. 86 Ad illa verba: *Inimicitias ponam inter semen tuum, & semen illius.* Cur hoc dixit Deus, quod positurus erat inimicitias inter mulierem, & serpentem, & semen vtriusque?

Resp. Id fuisse, vt ostenderet magnitudinem inimicitiarum, quas inter illos ponebat, quia non tam erant inter Euam, & serpentem, qui illam tentauit, sed inter mulieres descendentes ex Eua, & inter omnes serpentes. Ita magnitudo inimicitiæ alterius ad alterum eo vsque peruenire potest, vt duret ad offensorem, & omnes ex illo descendentes: illa enim inimicitia magna est, & maior omnium, quæ non solum est, & durat contra offendentem, sed quæ est, & durat, cum omni illius progenie, & cum descendentibus ab illo. Abulens. in cap. 13. Genes. *Fuit ad ostendendum magnitudinem inimicitiæ, quia non solum durabat ad illum serpentem, qui hoc fecisse videbatur, sed etiam in perpetuum ad omnes serpentes.*

Magna est inimicitia quæ durat cũ omni progenie offendentis.

Parentes puniuntur in filijs.

2. Resp. Id fuisse ad ostendendam pœnam, & punitionem serpentis, quæ talis vt quæ non solum afflixeret serpentem tentantem, sed etiam contra omnes qui nascerentur ex illo. Parentes enim sæpius puniuntur in filijs, ideo punire filium idem est, ac animaduertere in patrem. Abulens. ibi: *Tertio ad ostendendum magnam pœnam serpentis; scilicet, quod non solum in se ipso puniretur pro eo quod erat contra mulierem, sed etiam omnes, qui nascerentur ab eo sustinerent per hoc malum, est autem pœna parentibus quod filij mala sustineant.*

Dub. 87. Ad eadem verba: *Inimicitias ponam inter te, & semen tuum.* Cur Deus discordias posuit inter serpentem, & mulierem?

Resp. Quod amicitia serpentis ad mulierem noxia fuit, & exitialis. Ideo discordias concitauit inter mulierem, & serpentem: sicut enim amicitia inter bonos amicos conseruanda est, & retinenda: ita inter malos rumpenda est, & dirimenda. Oleaster: *Vides Deum discordiæ Authorem, vt dicas non esse minoris virtutis malos amicos seu illorum amicitiam dissoluere, quam bonam fuere. Non veni ait Saluator. Lucæ 12. Pacem mittere, sed gladium.*

Prælatus amicitiam malorum, inter eosque instituram, dirimat.

Dub. 88. Ad eadem verba: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem.* An homo noxius sit serpenti?

Punitur quis per ea per quæ peccauit.

Resp. Quod sputum hominis est venenum serpenti, & illo occidi istum, cuius ratio est, vt pereat serpens, & puniatur per id per quod nocet homini: habet enim serpens venenum in ore ad occidendum hominem habeat ergo homo sputum in ore quo serpentem occidat, vt luat pœnam, & culpam quo committit culpam, & puniatur per illud per quod nocet. Abulensis in cap. 13. Genes. *De sputo etiam asse-*

runt

runt ſapientes, quod ſputum hominis ſit venenum ſerpenti: & hoc valde conueniens eſt; ſcilicet, quod ſicut ſerpens in ore venenum habet quo hominem perimit: ita homo in ore habeat, qui ſerpentem occidat. Vide ſupra dub. 81.

Dub. 88. Ad eadem verba: *Maledictus eris inter omnia animantia ſuper pectus tuum gradieres, terram comedes.* Cur ſerpens tot malis ſe ſubiecit?

Malus multis malis ſe exponit, dummodo alijs infeſtus ſit, & pernicioſus.

Reſp. Quod ſerpens tot malis, & pœnis ſe ſubdidit, vt videret hominem à ſua dignitate deturbatum. Malus enim non aduertit propria mala, quibus ſe exponit, dummodo aliis damna inferat. Oleaſter: *Conſidera quam verum ſit proverbium illud, malum; ſcilicet, velle ſibi duos oculos frangi, vt alteri frangatur alter oculorum. Expoſuit ſe ſerpens tot malis, quot illi influxit Deus, vt videret homines ſua dignitate priuatos.*

Nullum eſt peccatũ quod ſua non ſequatur pœna, inultumque maneat.

2. Reſp. Quod ſerpens in tribus peccauit: inuidit excellentiæ hominis, mentitus eſt, & decepit Euam. Merito ergo tribus pœnis punitur à Deo, quia nullum eſt peccatum, quod ſua non ſequatur pœna, inultumque maneat. Petrus Comeſtor: *Serpens in tribus peccauit, inuidit, mentitus eſt, decepit. His tribus redditæ ſunt tres maledictiones. Quia inuidit hominis excellentiæ, dictum eſt ei ſuper pectus tuum gradieris; quia mentitus eſt, punitus eſt in ore. Vnde terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ, imo abſtulit ei vocem, & poſuit ei venenum in ore. Quia decepit, accepit hoc: inimicitias ponam inter te, & mulierem.*

Inquires: Cur Deus inauditum ſerpentem puniuit, cum hominem non condemnaret, quin prius ab illo inquireret: *Quare hoc feciſti?* Nec fœminam mulctaret, quin à ſerpente deceptam ipſa pronuntiaret?

Detractor à detractione non deſiſtens inauditus debet puniri.

Reſp. Quod ſerpens, vt mulierem deciperet, ſæpius de Deo murmurabat, honorem Diuinum lingua maledica iterato carpebat, fraudem, & dolum veritati ſummæ tribuit. Merito ergo quæ à detractione non ceſſauit, inaudita mulctatur, quia detractor à detractione non deſiſtens, inauditus debet puniri. Philo Hebræus. *Itaque iure optimo non permiſſam reſpondere execratur Deus, vtpote nullum ſemen virtutis in ſe habentem, ſed ſemper vbique ſceleſtam, atque reprehenſibilem.*

Dub. 89. Ad illa verba, verſ. 16. *Mulieri quoque dixit. Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos.* Quid ſub nomine ærumnarum, & conceptus mulieris intelligitur?

Deus multis laboribus premit peccatores.

Reſp. Quod per ærumnas, & conceptus multi, & magni ſignificantur labores mulierum, quos Deus in pœnam peccati multiplicat, & cumulatiſsimè auget. Deus enim multis laboribus præmit peccatorem. Maluenda: *Noſter ærumnas labores interpretatus eſt. Aiunt propriè eſſe dolorem, mœrorem, triſtitiam, anguſtiam, compreſſionem, moleſtiam, fatigationem. Et conceptus tuos. Hac pœna comprehendi volunt, moleſtias menſtruorum, de virginationem, pudorem, dolorem, faſtidia, geſtationem veri tam diuturnam leſsitudines, pericula aborſus, anguſtias, quæ mulieres ſuſtinent à conceptione ad partum, & alia id genus.*

Punit Deus peccatorem in his quæ magis diligit.

Dub. 90. Ad illa verba, verſ. 16. *In dolore paries filios tuos.* Cur mulier punitur in fructu ventris?

Reſp. Quod Deus conſueuit punire peccatorem in ijs, quæ maximè diligit, quia vero mulier diligit vehementer fructus ventris, propter quem in honore, & æſtimatione habetur: ideo in fructu ventris punitur. Deus punit peccatorem in ijs ad quæ afficitur. Oleaſter: *Aduerte Deum communiter peccatorem punire in ijs quæ magis diligit. Nam ſerpens quoniam dilexit ſuperioritatem ad homines, infra beſtias deijcitur, mulier vero in fructu ventris propter quem ipſa in pretio habetur. Similiter in deſiderio in quo vehementiſsima eſt.*

Punitur peccator, per ea per quæ peccat.

2. Reſp. Quod mulier peccauit comedens de fructu ligni vetiti. Merito ergo in fructu punitur, vt per quæ peccauit puniretur. Petrus Comeſtor: *Quia in fructu peccauit, in fructu ſuo punita eſt, vnde dictum eſt ei in dolore paries.* Vide ſupra dub. 81. & infra dub. 105. 2. Reſp.

Inquires: Cur ſi maledicitur mulier, conceditur ei fœcunditas, quæ ad benedictionem pertinet?

Deus cum punit miſericordiæ recordatus.

Reſp. Quod in hac mulieris pœna reſplenduit Dei iuſtitia, & miſericordia: iuſtitia, cum maledicit ei propter peccatum, miſericordia cum fœcunditatem ventris dat. Deus enim cum punit miſericordiæ recordatur. Petrus Comeſtor: *Quod dictum eſt in dolore, maledictio eſt, ſed paries benedictio eſt, maledicta enim eſt ſterilis. Et ita in puniendo, non eſt oblitus miſereri Deus, quod etiam in alijs maledictionibus hominum notandum eſt.*

Dub. 91. Ad illa verba, v. 16. *Sub viri poteſtate eris.* Cur ſub poteſtate viri ſubiecit Euam?

Reſpondetur: Quod Deus, vt Euam in peccatum lapſam ad frugem miſeri-

Qui præceptum transgreditur, nouo præcepto debet astringi.

corditer reduceret, sub nouo obedientiæ iugo collocauit: itaque Eua nouo præcepto constringitur, misericorditer cogitur ad pristinum officium redire, & priorem illam inobedientiam, hac posteriori obedientia compensare. Qui enim præceptum transgreditur, nouo præcepto debet astringi. D. Chrisost. hom. 17. in Genesim: *Quasi diceret. Ego ab initio honore parem te formaui, & eiusdem dignitatis in omnibus participem: & sicut Adæ, ita & tibi omnium principatum concredi. Cæterum quia abusa es honoris dignitate, subijcio te viro, quia nescuisti imperare, disce bene regi. Melius est, vt illum Dominum habeas, quam impauide, & libere viuens, per præcipitia feraris: nam, & equo vtilius est frœno regi, & composite ingredi, quam sine illo per præcipitia ferri.*

Vtilius est homini sub potestate alterius, quam in libertate viuere.

Dub. 92. Ad eadem verba: *Sub viri potestate eris.* Quare inconueniens erat, etiam secundum naturæ merita, quod homo subditus esset mulieri?

Prælatus iustior, & perfectior debet esse subditis suis.

Resp. Id fuisse quia si mulier secundum naturam suam deberet dominari in virum, oportebat eam esse meliorem, & perfectiorem viro eo præcisse quia superior esset. Cum enim Eua iustior, & perfectior Adamo non esset, non dicebat Adamum subiectum esse Euæ. Prælatus enim iustior, & perfectior esse debet subditis tuis Abulens. in Genes. cap. 13. *Si enim fœmina secundum naturam deberet præesse, oportebat ipsam esse secundum naturam meliorem.*

Prælatio conseuit dari à Deo alicui in pœnam sui peccati.

Dub. 93. Ad eadem verba: *Sub viri potestate eris.* Cur dum supplicium promulgatur in homine, datur ei dominatus in mulierem? Hoc potius videtur honor, quam pœna, exaltatio quam depressio supplicij.

Resp. Quod in ipso dominatu mulieris includebantur curæ, & sollicitudines, quæ maxime animum torquent, & dilacerant: & ideo hoc Adamo tanquam in pœnam infigitur. Prælatio solet dari à Deo alicui in pœnam sui peccati. Petrus Dam. serm. 5. de Sancto Seuero: *Ex ea enim muliere, feriendus erat, quam errans Auctori præposuerat, vnde homo culpam non timuit superbiæ admittere, inde pœnam corrigendus inueniret.*

Dub. 94. Ad eadem verba: *Ipsa conteret caput tuum.* Cur mulier contritura caput serpentis?

Resp. Quod diabolus cum muliere agens, & immediate loquens, Diuinum ei omnino repugnantem, ac improportionatum obtulit honorem: *Eritis sicut Dij.* Optime ergo serpenti in pœnam dicitur: *Ipsa conteret caput tuum.* Nam mulier, ô diabole quam indignissimè ad actum Diuinitatis fastigium extolli, te velle in affectu declarabas: ipsa pessundauit, & conteret caput tuum: ita enim fieri solet, vt ab ipsis quos immerito sublimasti, sæpe concalceris, eorumque ascensus, tuus sit descensus, ac præcipitium. Procopius: *De viro, qui non deceptus erat, secundum Apostoli testimonium, prædicari conueniebat, ipse conteret caput tuum: vir namque fortior erat, & magis idoneus ad debellandum, ac facilius præcauere potuit, si afferret dolos. At oportebat de infirmiori dici, inimicitias ponam, ipsa conteret caput, vt fraudi, & dolo nullus daretur locus.*

Quem Prælatus indigne ad honorem promouet contra Prælatum insurget. Et subditus vexatur à Prælato, quem in Prælatione constituit.

Infirmis conseuit Deus debellare fortiores.

Dub. 95. Ad illa verba, vers. 17. *Maledicta terra in opere tuo.* Cur Deus non maledixit Adamo, Cainum vero delinquentem ita corrupuit, vt etiam maledictum appellaret: *Maledictus eris super terram.* Genes. 4. vers. 11. Cur ergo mitiorem sententiam protulit in Adamum, quam in Cainum?

Resp. Fortasse quia Adamus peccauerat in Deum, Cainus in fratrem, Deus autem mitius tolerat iniurias sibi quam fratribus illatas. Grauius enim punit Deus atrocitatem contra fraternam charitatẽ, quam peccatum inobedientiæ contra ipsum. D. Chrisost. homil. 19. in Genes. *Ex maledicti magnitudine flagitij immanitatem expende. Nam quanto maius sit peccatum hoc præuaricatione protoplasti, ex maledictionis varietate scire volenti licet: illic enim inquit: Maledicta terra in operibus tuis, & in terram effusa est maledictio, ostensa sua in hominem cura. Hic vero quia res perniciosa, facinus iniquum, & inexpiabile flagitium, ipse pœnam luit.*

Deus mitius tolerat iniurias sibi quam fratribus illatas.

Grauitas culpæ ex grauitate pœnæ expendenda est.

Dub. 96. Ad eadem verba: *Maledicta terra in opere tuo.* Cur supposito quod Deus non acceptauit excusationem Adæ de peccato suo, non statim illum puniuit, ac sententiam contra illum protulit, sed in futurum seruauit?

R. Ratione fuisse quia primus qui deliquerat fuit serpens, & quia iustum est quod qui prius peccat, prius puniatur, non puniuit Adam vsque dum prius puniuisset serpentem. Qui prior est in culpa, prior debet esse in pœna. Abulen. *Primo quia Deus voluit incipere dare pœnas, vbi inceperat malum: illud vero à serpente inceperat, in quo facta est tentatio, ideo primum debuit ei inferri pœna, vel prænuntiari.*

Qui prior est in culpa, prior debet esse in pœna.

2. Resp.

Iudex audiat à reo totam ſuam excuſationem, antequam ſententiam cõtra illum ferat.

2. Reſpondetur: Quod inconueniens eſſet, quod poſtea ſuam excuſationem non allegaret, & illam non auditam, & excuſatam culpam condemnaret, quod ſequeretur, quia ſi à Eua excuſatione Adæ, & viſo ab illa, quod Deus illam non aceptabat, erubeſceret dare ſuam excuſationem, & timeret iudicans, quod Deus non erat illam acceptaturus, qui excuſationem Adæ non acceperat, & ita condemnaretur non audita, quod maximum erat inconueniens. Debet enim iudex audire à reo totam ſuam excuſationem, antequam ſententia contra illum feratur, & pœna ſuæ culpæ debita puniatur. Abulenſ. ibi: *Dicendum quod fuit primum: quia volebat Deus relinquere illos liberos ad dicendum id quod eccleni circa peccatum ſuum, vt non dicerent aliquid quaſi inuiti, vel determinati à Domino ad dicendum: & tamen ſi Deus argueret excuſationem Adæ non recipiendo eam, Eua deinde non proponeret excuſationem, quia putaret illam repellendam ſicut excuſationem Adæ: nam illa dixit, ſerpens decepit me, etſi audiret redarguitionem quæ poſtea facta eſt contra Adam, putaret ſibi dicendum, quod debuiſſet potius audire vocem Dei quam ſerpentis, & non deciperetur, & ita putans illam excludendam, forte non proponeret eam. Deus autem voluit, vt Adam, & Eua non mouerentur ab eo ad dicendum aliud, quam quod ipſi à ſe ipſis dicturi erant, ideo non redarguit ſtatim Adam.*

Dub. 97. Ad eadem verba: *Maledicta terra in opere tuo.* Cur Cainus maledictione percutitur, Adam vero minime, ſed ſolum terra maledictioni traditur. Nonne ambo peccatores extiterunt? Vtique imo damnoſus peccauit Adamus, cum peccatum introduxerit in mundum, cur Adamus à maledictione liberatur, cui ſubijcitur Cain?

Confeſsione peccati ira Dei effugitur.

Reſpondetur: Quod Adamus cum eſſet requiſitus à Deo, ſtatim ſuum delictum confeſſus eſt: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* At vero Cainus maxime innocentem ſe intendebat probare, quia requiſitus: *Vbi eſt Abel frater tuus?* Ait: *Neſcio, num cuſtos fratris mei ſum ego, Geneſ. 4. Verſ. 10.* Igitur Adamus cum confitetur crimen, à maledictionibus liberatur, Cainus vero dum illud operit, & innocentiam vult oſtendere, in maledictionem, & iram Dei incurrit. Confeſsione peccati ira Dei effugitur. Tertulian lib. 2. in Marcion. *Ideoque nec maledixit ipſum Adam, nec Euam, vt reſtitutionis candidatos, vt confeſsione reuelatos, Cain vero maledixit.*

Dub. 98. Ad eadem verba: *Maledicta terra in opere tuo.* Cur Cainus grauiori mulctatur pœna, quam Adamus. Non enim Adamo, ſed terræ in iungitur maledictio: at filius maiori ſupplicio complectitur, eique maledictio infligitur?

Qui peccatis addit peccata, grauiſsime punitur.

Reſp. Quod pater deliquit, & filius parentis delicto ſuum proprium addidit. Ideo Diuina iuſtitia exigente grauius punitur, & in maiorem indignationem incidit. Qui peccatis addit peccata, grauiſsime punietur. Albinus: *Non timuit originali peccato fratris homicidij ſuperaddere ſcelus, ideo maiori maledictione dignus habetur.*

Duo. 99. Ad eadem verba: *Maledicta terra in opere tuo.* Cur terra maledicitur à Domino non vero aqua?

Deus iraſcitur in eos qui ſeruiunt peccatori.

Reſp. Quod terra miniſtrauit homini fructum quo veſceretur contra Dei præceptum: maledicatur ergo terra, malum ei imprecetur: iraſcitur enim Deus in eum qui miniſtrat, & ſeruit peccatori. Hugo Cardin. *Terræ maledixit non aquis, quia homo de fructu terræ contra vetitum manducauit, nec de aqua bibit. Animalia quoque terreſtria plus maledictionis habent, quam aquatilia, quia plus viuunt de maledicta terra: inde Chriſtus poſt reſurrectionem de piſce manducauit, non de terreſtri animali.*

Purus ſit à peccari maledictione, qui aliorum peccata correcturus eſt.

2. R. Quod per aquam tanquam per inſtrumẽtum peccatu n erat abluturus. Hinc aqua maledictione non execratur: qui enim aliorum peccata correcturus eſt, peccati maledictione debet carere. Alicuinus: *Et quod prædeſtinauit Deus abluere peccatum in aquis, quod de fructu terræ contraxit homo.*

Dub. 100. Ad eadem verba: *Maledicta terra in opere tuo.* Cur terra maledicitur, non Adam?

Peccator in alieno capite periculum faciat.

Reſp. Quod terra execratur à Deo, maledictioneque impetitur, vt quicumque hæc audierint in alieno capite periculum faciant, alienoque malo diſcant, & terreantur. Peccator in alieno capite periculum faciat. Strabus apud Hugonem. Cardin. *Terra maledicitur non Adam, vt cuncti propter quos hæc ſcripta ſunt terrerentur, ne ſimilia facientes, ſimili pœna plecterentur.* Vide ſupra dub. 16.

Indecens erat quod Deus naturam humanam maledictione percuſſam ſibi ſociaret.

2. Reſp. Quod Deus homini non maledixit, quia naturam humanam erat ſuſcepturus, & indicens erat, quod

naturam maledictione percussam sibi sociaret. Hac ratione probatur. Immunitas B. Virginis Mariæ à natiuo sceleratione, & prima labe. Homini non maledixit Deus, quia naturam humanam erat iuscepturus, & indecens erat quod naturam maledictione percussam sibi sociaret: ergo indecens erat, quod B. Virginis conceptus leui originis maculosæ læderetur attactu, cum ex ea esset Christus nascitutus. Oleaster: *Ad serpentem dictum est: maledictus tu: homo vero non maledicitur, sed terra propter eum. Nouerat Omnipotens Deus quod aliquando esset naturam humanam assumpturus, ideo noluit eam maledicere.*

Conceptus B. Virginis solutus, & liber ab Adam noxa.

Dub. 101. Ad illa verbi, vers. 17. *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Cum seuera pœna esset inflicta homini, quia Paradisi delitijs exulabat, Dominatumque super omnia animantia iam amisserat, ad quid additur cunctis diebus vitæ tuæ:

Respondetur: Quod vt exprimatur, quod cum homo ab honore suo in labore inciderit, iam ab eo nunquam cessabit, sed tanquam continuo motu de vno labore transibit in aliu omnibus diebus, omnibus horis, atque momentis. Homini labores succedunt assiduè laboribus. Toma. Anglic. *Quia posset aliquis dicere, quod homo debet aliquo tempore laborare, sudare, & post modum delitijs vacare subdit terminum illius laboris; scilicet limitem mortis.*

Labores laboribus succedunt continuo.

Dub. 102. Ad eadem verba, vers. 17. *In laboribus comedes ex eacunctis dibus vitæ tuæ.* Quommodo labor ille Adami pro pœnitentia reputandus est? Nam etiamsi Adam non peccasset, & in Paradiso remaneret, laboraret in eo, quoniam ad hoc Deus illum in illo collocauit, vt operaretur; scilicet, & custodiret illum.

Respondetur: Quod labor vtrobique foret ante peccatum, & post peccatum, sed diuersus valde in vno statu, & in alio futurus esse dignoscitur: in Paradiso pro libito, post peccatum de necessitate, ibi ad tollendam ociositatem, post ad satisfaciendum pro peccato, ibi ergo assumi poterat, vel relinqui, post vero non potest relinqui, & debet assumi nec sterio, vt intelligamus quod qui non deliquit potest omittere pœnitentiam, quam etiamsi tristis, & dura sit, non potest omittere qui peccauit, quia sine illa primus potest gloriam consequi: secundus vero minime: itaque qui vitam totius culpæ expertem duxit pro libito potest accipere, siue omittere pœnitentiam, qui vero Dei maiestatem grauiter delinquendo offendit, de necessitate debet pœnitentiam arripere. Abulensis: *Etiamsi non peccasset homo, coluisset terram, quod patet, quia ante peccatum posuit Deus hominem in Paradiso vt operaretur ibi, & erat illa operatio agricultura, sed illa cultura non erat laboriosa quia non erat ad necessitatem, sed tollendam ociositatem, quia in Paradiso erat multæ arbores sponte ferentes poma, de quibus homo comedere poterat, & de illis iussit Deus homini comedere. Qui corpus exercet non ad necessitatem victus, sed ad tollendam ociositatem parum exercetur; scilicet, tandiu, quandiu ei delectabile est, ante vero quam incipiat esse tristis, cessat, qui autem ob penuriam laborat, tandiu exercet se, quandiu acquisuerit necessaria, ideo si tristis sit ei exercitacio, sustinet illam propter necessitatem, quale post peccatum est.*

Qui vitam sine culpa duxit, potest omittere pœnitentiã, qui vero deliquit de necessitate debet eam arripere.

Dub. 103. Ad eadem verba: *Maledicta terra in opere tuo.* Cur Adæ pœna extrinseca Euæ vero intrinseca infligitur?

Respondetur: Quod Eua seduxit verum, & impulsu, & consilio eius peccauit Adamus: ideo Euæ pœna intrinseca, Adæ vero extrinseca ponitur. Qui enim alium ad peccatum commouet, grauiori pœna est afficiendus. Hugo Cardinal. *Notandum quod Adæ extrinseca imponitur pœna, cum dicitur. Maledicta terra in opere tuo, mulieri vero intrinseca, cum dicitur. Multiplicauo ærumnas tuas, quia seducta seduxit virum.*

Qui alium ad peccatum trahit, grauiori pœna, quam ille qui peccat, puniendus est.

Dub. 104. Ad eadem verba: *Maledicta terra in opere tuo.* Quid significat ista terræ maledictio?

Respondetur: Quod maledictio qua Deus execratus fuit terram significat sterilitatem, & in fœcunditatem fructuum, sicut benedictio terræ, eius vbertatem, & fructuum feracitatem demonstrat. Dicit ergo Deus Adæ: maledicta terra in opere tuo: quasi dicat: ægre tibi, & difficulter victum, & fructum terra suppeditauit. Terræ enim sterilitas ex peccatis nostris prouenit. Maluenda: *Maledictio hic significat sterilitatem, angustiam, & difficultatem fructuum, sicut benedictio, copiam, abundantiam, fertilitatem.*

Terræ sterilitas ex peccatis nostris d prouenit.

2. Resp. Quod homo peccauit in cibo. Hinc in cibo punitur, vt cum labore quærat edulium. Punit Deus peccatorem in his, per quæ peccauit. *Petrus Comestor: Adam quia in solo esu peccauit, in la-*

Punit Deus hominem in ij, per quæ peccauit.

labore quærendi ſibi edulij punitus eſt ſic. Vide ſup. dub. 90. 2. R & inf. d. 107. 3. R.

Labores peccatoribus ſunt ſupplicia, iuſtis vero exercitationes.

Dub. 105. Ad eadem verba, verſ. 17. *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Cum Deus has pœnas impoſuerit homini propter peccatum, cur poſt remiſſionem peccatorum hic labor, & afflictio permanet?

Reſpondetur: Quod labores poſt peccatum ſunt in vindictam peccatorum: et poſt remiſſionem ſunt in exercitationem, & vſum iuſtorum. Labores iuſtis ſunt exercitationis, peccatoribus vero ſupplicia. D. Auguſtinus lib. 2. contra Pelag. cap. 33. *Reſpondemus ante remiſſionem eſſe illa ſupplicia peccatorum, poſt remiſſionem certamina, exercitationeſque iuſtorum.*

Deus labores imo iræ peccatoribus, vt reſipiſcãt, & emendentur.

Dub. 106. Ad illa verba, verſ. 18. *Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Cur mandatur terræ quod det ſpinas, & tribulos? Nonne ſatis videbatur pro pœna peccati, quod terra infrugifera remaneret, nullumque fructum parturiret?

Inſenſibilia monent peccatorem, vt à peccatis auertatur.

Reſpondetur: Quod non abſolute hoc mandatur, ſe d dicitur germinabit tibi; ſcilicet, peccatori, & cum eo omnibus peccatoribus loquitur, quod quando terra pro voto non reſpondet, ſed profert ſpinas, & tribulos: ipſæ ſpinæ ſunt tanquam voces terræ clamantes, ac teſtificantes hominis peccatum, vt reſipiſcat, ac emendetur: inſenſibilia enim clamant, & accuſant peccatorem. Rabbanus: *Quapropter ſpinæ, & tribuli monent hominem, vt auertatur à peccatis.*

Dub. 107. Ad illa verba, verſ. 18. *Et comedes herbam terræ.* Cum creato homini præceperit Deus ex omni ligno Paradiſi comede: *Geneſ. 2. Verſ.* 17. Cur poſt peccatum, ait illi: comedes herbam terræ?

Peccatum tã graue eſt quod hominem ad ima, & inferiora deijcit.

Reſpondetur: Quod in alimento conceſſo Deus expreſsit naturam ſtatus: perſeuerante enim innocentia dantur fructus arborum, vt ex conditione innocentiæ ad ſuperna eleuet oculos: poſt peccatum vero aſsignantur fructus terræ, ac ſi peccati pondere preſſus ad alta non valeat erigi ſed ad ima dilabi. Peccatum peccatorem ad inferiora deijcit Nouarius Epiſtola de cibis Iudaicis, cap. 2. *A pomi vſu ad fruges contulit culpa conditionem conſcientiæ ipſo ſitu corporis approbante, nam, & innocentia decerpturos dimenta ex arboribus adhuc ſibi bene conſcius homines ad ſuperna ſuberexit, & commiſſum delictum ad conquirenda frumenta homines è terra ſoloque deiecit.*

Peccator iumenti ſimilitudinem refert.

2. Reſpondetur: Quod homo ante peccatum Paradiſi delicatiſsimis fructibus veſcebatur, at poſt peccatum herbam tamquam iumenti ſui tui incibum, vt intelligas quod peccator iumenti ſimilitudinem exprimit. Maiuenda: *Et comedes herbam: quaſi dicat: non amplius iam delicijs Paradiſi fueris, nec veſceris eius delicatiſsimis, & ſuauiſsimis fructibus, ſed vt iumentum herbas paſces.* Petrus Cometor: *Quaſi etiam in hoc par eris iumento.*

Peccator per quæ peccauit punietur.

3. Reſpondetur: Quod homini dicitur: *Herbam comedes.* Vt qui peccauerat in cibo edendo de ligno vetito, in cibo puniretur. Oleaſt. *Aduerte hominem in cibo puritum, quia in cibo peccauerat, vt vera ſit illa ſententia: per quæ quis peccat, per hæc torquetur.*

Dub. 108. Ad illa verba, verſ. 17. *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Cur dicitur homo in laboribus manducaturus, ſerpenti vero dicitur: *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ, verſ.* 14. Cur, & ſerpens non dicitur quod in laboribus comedet terram?

Per laborum tolerantiam tanquam per viam Regiã tenditur ad coronam.

Reſpondetur: Quod labores viæ ſunt ad coronam, ad quam non ſerpens extra viam poſitus, ſed homo adhuc in via conſtitutus adſpirabat: itaque ſerpens ſicut ad coronam non tendebat: ita à laboribus, quæ ſunt viæ ad coronam aberrabat. Homo tamen qui nitebatur ad coronam, ad labores quibus illuc itur, trahebatur. Per labores peruenitur ad coronam. D. Ambroſ. lib. de Paradiſo, cap. 15. *Ad iectio iſta.* Nempe: *In laboribus ſeu in triſtitia.* Vt ipſe legit: *Diſcretionem facit. Diſcretio quam vim habeat conſidera. Bonum eſt mihi in triſtitia magis terram manducare, quam delectatione. Nam triſtitia ſecundum Deum ſalutem operatur.*

Homo tam ad laborem quã ad quietem promptus eſt.

Dub. 109. Ad illa verba, verſ. 19. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Cur Deus ad laborandi pœnam ſemel tantum Adamum condemnauit: ad quietem vero feriandi, ſeu vacanti à labore, non ſemel tantum, ſed ſæpiſsime eum obligauit. Nam præceptum ſeruandi Sabbatum, nullumque opus ſeruile in eo exercendi frequentiſsime in lege imponitur: *Exodi* 16. *Verſ.* 23 *Exodi* 20. *Verſ.* 8. *Exodi* 23. *Verſ.* 12. Cur igitur homo tam facilis ad laborem mittitur, & à labore tam difficilis reuocatur?

Reſpondetur: Quod illa pœna ad quam homo ex ſupremi iudicis ſententia damnatur, non labor illi videtur, ſed fauor: non afflictio, ſed voluptas; non ſup-

supplicium, sed beneficium; non denique pœna, sed gloria: vnde cum illam promptissimus admiserit; ab illa non nisi difficillimus separatur. Semel enim iussus labori se subijcit, à labore tamen se non eximit, nisi sæpissime coactus. Radulphus in glos. ad cap. 23. Leuitici. *Quia homo voluptati deputat laborem, qui ex iudicis sententia laboris sustinet damnationem.*

Difficiliter separatur homo ab ijs, quibus delectatur.

In quires: Cur Adamus tot malis fuit subiectus, cum orbis dominatum obtinuerit?

Prælatus, qui subditos non arguit, multis subiacebit miserijs.

Respondetur: Quod Adamus audiuit vocem vxoris suæ, obediuit mulieri iubenti, qui tenebatur imperare, & reprehendere: merito ergo principatum amisit, & subiacet iniurijs, qui in culmine principatus sedens, à munere præsulatus declinauit. Quidam Doctor Modernus: *Quia Adam cum esset totius orbis præsul, quando audiuit vxorem prohibitum cibum persuadentem, acriter non reprehendit eam. Tenebatur homo, qui caput erat mulieris, eius redarguere cupediam, non eius assentiri blanditijs. Omisit piger, aut lenis iura Prælati, & vocem vxoris audiens, qui inuiolabiliter tenebatur legem obseruare, contempsit miserabiliter. Dignus ergo fuit tanta pœna, qui nec in se, nec in vxore, tantam impediuit culpam.*

Dub. 110. Ad illa verba, vers. 19. *Donec reuertaris in terram de qua sumptus es.* Cur nullum certum tempus reuersionis præscribitur?

Incertitudo mortis hominem sollicitum reddit.

Respondetur: Quod mortis in certitudinem primo parenti Dominus iniecit, ne quis filiorum certum aliquod viuendi spatium sibi promittere auderet. Incertitudo mortis hominem sollicitum reddit. Rupert. lib. 3. in Gen. cap. 25. *Mortis diem, vel horam homini incognitam esse voluit, vt dum nescitur quando sit, quæ sine dubio futura est, semper sollicitum reddat, semperque suspectum superbire non sinat. Dixit enim indefinite, donec reuertaris, & non dixit vsque ad tot annos, vel tot dies, quibus transactis reuerteris in terram. Ita ergo viuere hominem voluit, quasi altera die iudicandum, & rationem de proprijs factis redditurum.*

Dub. 111. Ad illa verba: *Quia pulvis es, & in pulverem reuerteris.* Cur homini non statim infligitur mors, sed tantum in futuro dicitur: *Reuerteris?*

In Prælato iustitia cum pietate fulgeat.

Respondetur: Quod homo habitibus supernaturalibus gratiæ erat spoliatus, à Paradiso expulsus, ne ergo humanum extinguatur genus, mors differtur, vt iustitia sit pietate mitigata: in Prælato enim iustitia cum pietate debet fulgere. D. Bernardus sermon de S. Martino: *Terra es, & in terram ibis: grauis sententia, sed non sine grandis misericordiæ temperamento, dura admodum, sed indulgentiæ plena: si peccatori diceretur statim morte morieris, iusta quidem esset sententia, sed sine mixtura misericordiæ donec reuertaris, inquit, in terram, vere Domine cum iratus fuisses, misericordiæ meministi.*

Dub. 112. Ad eadem verba, vers. 19. *Pulvis es, & in pulverem reuerteris.* Cur homo modo est astrictus legi mortis; nam ob primi hominis peccatum mortis sententia est damnatus: at Christus Dominus dum præciosam suam in Cruce vitam dedit, pristina omnia generis humani damna restaurauit: multo enim efficatior est sanguis Christi, quam Adami peccatum, ergo si per peccatum Adami mors est illata in mundum, per mortem Christi ablegari debuit.

Memoria mortis ad salutem, & vitam salutaris.

Respondetur: Quod Christus venit in mundum, vt hominibus salutem donaret, eisque remedia præpararet ad vitam, non fuit ergo conueniens, vt à mortis sententia genus liberaretur humanum: est enim eius memoria ad vitam, & salutem vtilis. D. Augustinus lib. 13. de Ciuitate Dei, cap. 4. *Tantam Deus præstitit gratiam, vt mors, quam vitæ constat esse contrariam instrumentum fieret per quod transiret ad vitam.*

Dub. 113. Ad illa verba, vers. 20. *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Heua. Eo quod mater esset cunctorum viuentium.* Cur Adam matrem viuentium Euam appellat? Nonne dixit Dominus Adæ: *Quia pulvis es, & in pulverē resolueris.* Quoniam per delictum mors in omnes pertransijt, cur ergo viuentium genitricem appellat, quando debuisset magis perituræ stirpis matrem vocare?

Peccatum hebetat, & confundit intellectum.

Respondetur: Quod Adæ postquam deliquerat, confusa est à peccato memoria, confusus intellectus, & quasi vertigine laborans, nescit quid dicat: ideo ex diametra significatione, quam debuerat morientium appellare genitricem, viuentium nuncupauit. Peccatum enim hebetat intellectum, & confundit. Rupert. lib. 1. in Genes. *Quid enim insanius quam in tali articulo Euam dicere eam, quæ non habet vitam? Eua namque trasfertur in vitam, dixerat namque Deus. Inquocumque die comederis, morte morieris. Et nunc in præ-*

sens,

sentiarum dicebat, puluis es, & in puluerem reuerteris. Quid ergo insanius, quam in illo talis causæ illam nuncupare Euam, id est, vitam? Dicere matrem cunctorum viuentium, eam quæ potius est mater cunctorum morientium?

Afflictis solatium adferendum, lataque cum tristibus mussenda.

2. Respondetur: Quod Eua tristitia afficiebatur, consumebaturque mœrore, eo quod Dominus prædixerat ei ærumnas labores, partusque difficultatem: *In dolore paries filios tuos.* Ideo Adamus, vt dolore afflictam excitaret, & erigeret, consolationemque illi afferret, vocat Euam matrem viuentium, vt numerositate filiorum difficultatem partus leniret. Afflictis adferendum est solatium. Oleast. *Admonet locus iste, viros debere vxores consolari in tristitia, infimiori vasculo misericordiam ostendentes, & solatur partus difficultatem, prolis numerositate.*

Dub. 114. Ad illa verba, vers. 21. *Fecitque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Cur Deus ipse eos induit, quia hoc non ignorabant, quando quidem consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, si ergo sciebant se induere, vt quid eos Deum induere opus erat?

Deus adiuuat ad castitatem conseruandam.

Respondetur: Quod perizomata, quæ sibi fecerant Adam, & Eua, & quibus suam verecundiosam tegebant nuditatem, manibus tenebant ne caderent, & discoopertum fieret, quod operiri curabant: si tamen manus ad accipiendas Diuinas tunicas, & se ipsos vestiendos extendissent, perizomata caderent in terram, & ipsi de sua nuditate verecundarentur, & pudicitia iacturam paterentur, vt ergo integra perseueret, & perizomata è manibus soluant, nec vestes in illis accipiant, neque ipsi se induant, sed totum officium Deus agat, vt indemnem conseruet castitatem. Deus amator castitatis, & pudicitiæ, quid non faciet, vt nos adiuuet ad eam conseruandam. Abulens. *Bene nouerat Adam se induere, quia sciebat tunicam subcintoriam consuere, sed Deus eos induit, quia forte tenebant manibus perizomata ne caderent, ne verecundarentur.*

Prælatus castigatis subditis signa amoris ostendat.

Dub. 115. Ad eadem verba: *Fecitque Deus Adæ tunicas pelliceas.* Cur quos puniuit Deus tunicis pelliceis induit?

Respondetur: Quod consueuit Deus in eos, quos seuere animaduertit, & vindicat, argumenta, & indicia amoris ostendere: ideo tunicas pelliceas fecit eis quibus eos induit in amoris specimen, & significationem. Oleast. *Docet locus iste Prælatos non solum castigare subditos ob peccata, sed etiam amoris signa castigatis ostendere, neque propter ea, illa quæ sibi necessaria sunt, auferre.*

Homo considerat se esse mortalem, mortemque ante oculos habeat.

Dub. 116. Ad eadem verba: *Fecitque Deus Adæ tunicas pelliceas.* Cur Deus de pellibus animalium tunicas fecit eis?

Respondetur: Quod Deus de pellibus animalium mortuorum parentes primos vestiuit, vt notaret eos iam esse mortales, quia eos mortuorum pellibus contegebat. D. Thomas 2. 2. quæst. 164. art. 2. circa finem: *In signum mortalitatis eorum, secundum quod dictum est puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Increpandus qui bonum quod obtinuit, non conseruauit.

Dub. 117. Ad illa verba, vers. 22. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est sciens bonum, & malum.* An hæc verba sint Dei insultantis, an increpantis?

Respondetur: Quod Deus his verbis increpat Adami culpam, quod perdiderat quod factus fuerat, in illo statu quo conditus fuit, erat sciens, & obtinens bonum, & sciens, & abstinens malo, nunc vero reiecto bono amplexus est malum, quod assequutus est miser. Vnde increpatur à Deo quod bonum quod obtinuit non conseruauit. Arguendus, qui bonum quod obtinuit non conseruauit. Diuus Thomas 2. 2. quæst. 164. art. 2. ad 7. *Hoc dicitur quantum ad increpationem propriæ culpæ. Sicut autem dicit D. Augustinus 11. super Genesim, cap. 39. Verba ista Dei non tam sunt primis parentibus insultantibus, quam cæteris, ne ita superbiant: deterrentis, propter quos ista conscripta sunt, quia: scilicet non solum Adam non fuit factus, qualis fieri voluit, sed nec illud quod factus fuerat, conseruauit.*

Misericordior est Deus immittendo homini mortem quam conseruando illi vitam.

Dub. 118. Ad illa verba, vers. 22. *Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.* Cur interdicitur Adæ edere de ligno vitæ? Sufficere videbatur miseris Adæ, & Euæ tot Deum pœnas inflixisse, quin adderet, id quod solamen illarum posset esse, videlicet longiorem ducere vitam eos, qui mortis subeundæ necessitatem in pœnam acceperant delictorum: sumant ergo Domine de ligno vitæ, & comedant, & viuant, vt in prolongatione vitæ solatium habeant aliæ pœnalitates.

Respondetur: Quod Deus misericorditer abstulit, quod posset vitam prolongare, quia cum vita tantis laboribus plena sit illis constituta, quanto longior fuerit, tanto plus punietur, quanto brevietur, tanto illis miseretur. Aliquando enim misericordiam suam maxi-

Dei misericordia in supplicijs reluget.

vitam. Abulens. *Respondetur quod Deus in hoc valde misericorditer punitionem inflictam temperauit. Homines enim in magnas miserias inciderant Deo infligente, si autem concederetur eis esus ligni vitæ, diuturna esset vita eorum, & tanto diutius in miserijs angustiarentur, cum ergo miseriarum tempus abbreuiauit, misericors valde fuit.*

2. Resp. Deum noluisse Adamum de ligno vitæ edere, vt pœnam mortis illi sancitam, & statutam incurreret. Exequendæ sunt pœnæ comminatæ à lege, ne leges derideantur. Oleast. *Docet Legislatores, & Iudices debere imponere reis pœnas à legibus comminatas. Deridentur enim leges cum comminantur, neque tamen imponuntur. Ideo enim noluit de ligno vitæ comedere, vt mortem comminatam incurreret. Similiter hac de causa de Paradiso eiecit, vt in sudore vultus cibum quæreret sibi.*

Imponendæ sunt pœnæ, & exequendæ quæ sanciuntur à lege, ne leges derideãtur.

Dub. 120. Ad illa verba, vers. 23. *Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis.* Addunt septuaginta: *Et collocauit eum ante Paradisum voluptatis.* Cur Adamus non longius à Paradiso submouetur.

Bonum amissum pœnam auget.

Respondetur: Vt ex illius vicinitate frequentius veniret in memoriam, quid amiserit, & ex hac recordatione acerbius torqueretur. Peccator enim ex crebra boni amissi recordatione, de præsenti calamitate grauius torquetur. Diuus Chrisost. concione 2. de Lazaro: *Adam è Paradiso eiectum è regione Paradisi habitare iussit Deus, vt assiduus conspectus renouans molestiam, exatiorem illi præberet sensum expulsionis à bonis.*

Efficax remedium ad vitanda futura peccata, præterita cũ dolore recordati.

2. Respondetur: Quod Deus non è tota circum regione Adamum expulit, nec in longius exilium amandauit, sed ante Paradisum voluptatis collocauit; quasi nullum habere posset efficacius remedium ad futura peccata euitanda, quam si præterita cum dolore recordaretur. Diuus Chrisost. hom. 18. in Genes. *Vt dolens continuo aspectu munitur, & cautior esset in alijs, ne iterum in eadem peccata incideret.* Et paulo post: *Vt, & spectando memor esset, & inde lucrum faceret.*

Dub. 121. Ad eadem verba: *Et emisit eum Deus de Paradiso voluptatis.* Vnde ortum habuit fœlicitas, & infœlicitas Adami?

Fœlicitas hominis ab abstinentia, infortunium vero à gula prouenit.

Respondetur: Quod quando Adamus abstinuit, fœliciter, & fauste vitam transegit in Paradiso: at quando pomum comedit, à loco voluptatis fuit expulsus, quia omnis fœlicitas hominis ab abstinentia, infortunium vero: & infœlicitas à gula prouenit. Hector Pintus in S. Isaiæ vers. 11. *Quando Adam ieiunauit, prius quam pabulum illud mortiferum comederet, ad quod eum Eua incitauit, in Paradiso fœliciter vixit. Postquam vero comedit, fuit eiectus. Aspicis hic Paradisi fœlicitatem absque cibi abstinentia non fuisse.*

Ieiunio beatitudo consequitur, gula amittitur.

2. Respondetur: Quod in cœlesti Paradiso primus parens ieiunandi ab vna arbore præceptum accepit, ne hoc ei ad veram beatitudinem deesset: cum autem comedit beatitudinem Paradisi amisit. D. Hieron. lib. 2. aduersus Iouiniam: *Beatitudo Paradisi absque abstinentia cibi non potuit dedicari. Quandiu ieiunauit, in Paradiso fuit: comedit, & eiectus est.*

Dub. 122. Ad eadem verba: *Emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis.* Cur hominem quam præfecit omnibus de Paradiso eiecit Deus?

Cum Deus punit non respicit peccatoris dignitatem.

Resp. Quod quando Deus pœnas vult exposcere de peccatore, non respicit dignitatem, & excellentiam eius, vt manum à vindicta retrahat, quia Diuina Iustitia non curat peccantis excellentiam. Mendoza tom. 3. fol. 414. num. 3. *Non potuit eximius ille splendor dignitatis, qua protoplastus Adamus fulgurabat, Diuinos eludere oculos, ne peccantem cerneret, nec potuit præstantissima illa hominis forma, seu augustissima illa hominis maiestas Diuinam Iustitiam excantare, ne desipientem, & insanientem à suo consortio remoueret. Emisit eum inquit Dominus Deus de Paradiso voluptatis. Quod in Hebræo significat cum ignominia, & violentia eiecit: quem enim Deus omnibus creaturis præfecerat, postea etiam vilissimis belluis exæquauit. Comparatus est, inquit, iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Psalm. 48. num. 21. Et quem creauit ad imaginem, & similitudinem suam, eundem postea abire permisit in similitudine vituli comedentis fœnum. Psalm. 105. num. 20. Ne quis temere putet, suæ patrocinio dignitatis, à Diuinæ iustiæ manibus euasurum.*

Prælatus, & iudex minima recipiens in pœnã suæ cupiditatis & dignitatẽ ruet.

2. Resp. Quod Adam cum esset omnium Dominus ab vno ligno, non suo non abstinuit, accipiẽs vetitum pomum vnde cum Præsul esset Adam ab alienis debuit abstinere, quia vero cupidus ad aliena manum extendit, Regno, & principatu priuatur. Prælati, & Iudices, qui vel minimum pomum recipiunt in cupiditatis pœnam, à Dominationis cui-

mi-

mine ruent. D. Chrisost. homil. 17. in Genesim: *Quoniam, inquit, Deus, tam negligens se isti in obseruando meo mandato, neque timor te coercuit, neque interminatio calamitatis esum consecutura. Sed in tantam malitiam peruenisti, vt nec ab vnico hoc ligno tibi temperaueris, tametsi tot, & tantis tibi frui liceret.*

Patientiam qui, frangit indignus est Prælatione.

3. Respondetur: Quod Adam vsque illuc patienter sustinuit arboris prohibitionem: postea vero, ac quiescens vxori, amisit patientiam, & arboris interdictæ pomum comedit. Merito ergo priuatur Paradiso, & Orbis imperio. Qui enim patientiam frangit, indignus est, quod aliis imperat Zeno Veronensis serm. de Patientia. *Denique Adam in aræ cum esset Paradisi constitutus, beatissimusque beati Orbis imperio potiretur, tandiu fœlix, tandiu in exterminabilis vixit, quamdiu imperata regalis edicti continuit: at vbi sinistro consensu inuidi ex lubricitate serpentis est impatientiam mutuatus, sacræque arbori pomum male dulce delibauit, lachrymas reperit, dolores, & gemitus, spinas, & tribulos sibimet comparauit: Vltimoque sudore turbatus posteris hæreditatem ingestæ mortis, quæ homicidium mox peperit: dereliquit.*

Dub. 123. Ad illa verba, vers. 24. *Collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim.* Cur Moyses sub nomine Cherubim Sanctos Angelos exprimit?

Doctor, & Prædicator capacitati audi orum se accommodet.

Resp. Quod Cherubim noti erant Hebræis, ideo, vt Moyses se accomodaret captui Hebræorum, nomine Cherubim vsus est, vt per eos populus tanquam per notos in cognitionem inuisibilium Angelorum veniret. Doctor, & Prædicator capacitati auditorum se accommodet. Maluenda: *Notant Moysem industrie Sanctos inuisibiles Angelos hoc nomine appellasse, vt se ad captum populi accomodaret, cui noti erant Cherubim arcæ, seu propitiatorij, nimirum, vt populus nomine noto, & quasi visibili melius comprehenderet Angelos inuisibiles.* Vide fol. 3. dub. 10.

Ex notis, & visibilibus ad in visibilia deueniendum.

Dub. 124. Ad eadem verba: *Collocauit ante Paradisum voluptati Cherubim.* Cur posuit Deus Cherubinorum custodiam?

Qui pluribus donis cumulati sunt, plus à peccatis abstinent.

Respondetur: Quod quidam dicunt illam custodiam ponitam fuisse, non, vt Adæ ingressus in illum occluderetur, sed ne dæmones illuc introirent, ne quando Enoch, & Elias illuc aduentassent, & in illo fuissent à Deo constituti, essent ibi dæmones, qui illos: vt in aliquod peccatum caderent, tentare possent, quod non est verum, quia Enoch, & Elias quando inter homines degebãt, dæmonem superarunt, multo magis nunc superabunt, cum vberiorem gratiam habeant: securitas enim ne peccarent in abundatiori gratia sita erat: omnes enim qui pluribus donis cumulati sunt plus à peccatis abstinent. Abulens. *Hoc non est verum, quia hoc non erat necesse istis, quod Cherubim conseruauit eos ne diabolus accederet ad tentandum, quia isti dum inter homines vixerunt, dæmonem superauerunt, quanto magis nunc, quando vberiori gratia donati sunt.*

Ob vitæ appetitum in peccata dilabitur homo.

2. Respondetur: Deum dæmonibus reclusisse aditum in Paradisum, quia si semel illuc ingrederentur, acciperent fructum de ligno vitæ, & eum ducerent ad Adamum, vt comederet, & in æternum viueret. Hac tamen ratione dæmones id efficerent: vt Adamus beneficium prolongationis suæ vitæ à diabolo datum, solueret ille in sui benefactoris adoratione: reputabat enim iam in homine lapso, adeo regnare vitæ appetitum, vt in eius prolongatione obtinenda, adorationem illi impendere non formidaret. Ob vitæ appetitum in peccata dilabitur homo. Gratus enim animus in multa peccata defluet, vt seruiat benefactori. Abulensis: *Ipsi.* Scilicet, dæmones: *Cupientes se adorari inducunt homines per diuitias, vel adiutoria ad faciendum aliqua mala, & quia nullum bonum est magis desiderabile hominibus quam vita, si dæmones possent adducere fructum ligni vitæ, vt vitas hominum prolongarent, valde inclinarent ad hoc, quod adorarentur, & ad omnia mala. Valde ergo prouidit Deus saluti spirituali humani generis tollendo, ne dæmones possent intrare ad lignum vitæ.*

Gratus ãnus in multa peccata defluet, vt seruiat benefactori.

Prælati legibus adiungant ministros, qui eas custodire faciant.

3. Respondetur: Quod Deus posuit Cherubim ad custodiam Paradisi, ne aliquis contra Dei legem locum illum ingrederetur: vt doceat Prælatos designare ministros, qui sanctas leges custodire faciant. Oleast. *Ostendit locus iste legibus adiungendos esse ministros, qui cogant nolentes eas custodire.*

Qui vult ad Deum accedere, transeat per flammam amoris, & gladium resecationis carnalium.

Dub. 125. Ad illa verba: *Et flammeum gladium.* Cur ad custodiendum aditum ligni vitæ apponitur Cherubim cum flammeo gladio, quia ad prohibendum ingressum homini, sufficiebat Cherubim, cum ille fortior sit homine. Cur ergo Angelus cum flammeo gladio deputatur?

Respondetur: Quod ille cœlestis spiritus viam ligni vitæ ita custodiebat, vt eam etiam demonstraret suo flammeo gla-

gladio, vt si quis vellet ad lignum vitæ accedere per flammam, & gladium ei transeundum erat. Per ignem, vt extingueret peccata, & ex ardoret in Dei charitate, per gladium vero, vt omnem carnis amorem rescinderet. Qui enim vult ad Deum accedere, transeat per flammam amoris, & gladium resecationis carnalium. Rabbanus: *Vt ferienda in nobis illecebras concupiscentia corporalis insinuet gladio spiritus, quod est Verbum Dei, si ad lignum vitæ, qui est Dominus Christus, penetrare concupiscemus.*

Dub. 126. Ad eadem verba: *Collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium.* Cur custodia Paradisi Seraphino non committitur, cum sit natura, ac conditione superior, sed Cherubino, qui ordine est inferior?

Cuncta disponat Prælatus, & distribuat non ex amore, sed ex rationis iudicio.

Respondetur: Quod cum gladio versatili statuitur Angelus in ingressu Paradisi; vt peccantes repellat, iustis vero viam aperiat, quod erga Enoch, & Eliam teste Strabone factum est. Non ponitur Seraphim, sed Cherubim, vt innuatur, quod huiusmodi via non ex amoris affectu, sed ex profundo iudicij, ac rationis dictamine immediate conceditur: ideo huiusmodi negotium dispensatur, non per Seraphim, in quo benevolentiæ impulsus denotatur, sed per Cherubim, in quo est plenitudo scientiæ, qua vniuscuiusque merita librantur. Rabbanus: *Cherubim scientiæ multitudo, seu scientia multiplex interpretatur: bene Cherubim collocatus esse perhibetur, quia animarum per disciplinæ nobis scientiam cœlestis reditus ad supernam patriam patet.*

Dub. 127. Ad eadem verba: *Collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium.* Cur non clauditur ostium Paradisi, vel alio custode non munitur nisi Cherubim, & flammeo gladio, & versatili?

Cœlum per pugnam, & bellam intratur.

Respondetur: Quod non clauditur, ne spes illuc ingrediendi auferatur, custoditur Cherubino, id est prudentia, & flammeo gladio, vt denotetur, quod per Paradisi portam non fit ingressus nisi prius probetur per duos bellorum conflictus, cum prudentia perpessos. Non enim Paradisum cœlestem, nisi per pugnam intratur. Diuus Ambrosius serm. 20. in Psalm. 118. *Omnes oportet per ignem probari quicumque ad Paradisum redire desiderant. Non enim ociose scriptum est, quod eiectis Adam, & Eua de Paradiso sede posuit Deus in exitu Paradisi igneum gladium versatilem. Omnes oportet transire per flammas: siue ille Ioannes Euangelista sit quem ita dilexit Dominus, vt de eo diceret ad patrem: sic eum volo manere quid ad te; siue ille sit Petrus qui claues accepit Regni cœlorum, qui supra mare ambulauit.*

Spe, & timore ad cœlum progrediendum est.

2. Respondetur: Quod ostium apertum relinquitur, vt homo quamuis eiectus adhuc habeat ingrediendi fiduciam: apponitur custos Angelus cum gladio, vt timorem incutiat: timore enim, & spe ad cœlum tendendum est. Diuus Epiphanius: *Vt Adam filios moueret exemplo sui, auerteret a peccatis ob id fulminantis gladij aspectu, & Cherubim vtilem terrorem præbuerit, quo vsque vixit Adam.*

Cœlum non perpetuo clausu peccatori.

3 Respondetur: Quod Deus non voluit Paradisi fores perpetua, & stabili custodia obserare, sed temporaria, ac mutabili ad tempus: ideo collocauit Cherubim cum gladio versatili, vt tandem suus hominibus aditus in Paradisum voluptatis panderetur. Alcuinus Gladius versatilis: *Significat illam custodiam quandoque remouendam esse a Paradisi ianuis.*

Iustitia Diuina pœnitentia nostra conuertitur in misericordiam.

4. Respondetur: Quod in gladio versatili Diuina misericordia humanis precibus flexibilis, & exorabilis adumbratur. Merito versatilis dicitur. Talis enim est Diuina ira, vt si nostra pœnitentia interponatur, statim ad misericordiam reuocetur. Rupert. lib. 3. in Genes. cap. 32. *Iræ iusti Dei est, quod ante Paradisum flammeum gladium collocauit: misericordiæ vero, quod eundem gladium versatilem esse voluit. Gladius versatilis sententia est Diuini iudicij quæ talis est, vt possit versari, id est, non semper eadem districtione claudat hominibus aditum Paradisi.*

Diuina iustitia omnes cuiuscumque conditionis personas inuadit.

5. Respondetur: Quod gladius versatilis significat Diuinam Iustitiam, quæ omnes personas, cuiusque sexus, ætates & conditionis inuadit. Ideo versatilis dicitur, quia omnes percutit, in omnes vertitur: Diuina enim iustitia sine acceptione personarum omnes inuadit. Mendoza tom. 3. f. 412. *Non solum omnes ingressus occludit, sed etiam omnes aggressores inuadit, gladius, qui cæsim, punctim ve intenditur vnum tantum, qui vero in omnes partes rotatur, atque versatur, plures sternit. Vt igitur gladius versatilis in omnes hostes impingit, ita, & Diuina Iustitia in omnes peccatores incurrit.*

6. Respondet. Quod Cherubim ante ostium Paradisi gladium flammeum tenens iram Dei significabat, at in eo tē gladio versatili misericordia Dei splen-

de-

debat. Quid est ergo quod Cherubim gladium versatilem habebat, nisi quod licet Diuina Iustitia gladium in hominem euaginet, tamen Diuina misericordia, gladium versatilem facit. Ergo cum Diuina Iustitia flammeo ense ianuam occlusit Paradisi, Diuina misericordia, quæ fecit gladium versatilem, eandem ianuam aperiebat. Deus enim vix in homines irasci nescit, quin suæ misericordiæ recordetur Rupertus: *Gladius versatilis sententia est diuini iudicij, qui talis est, vt possit versari, id est, vt non semper eadem districtione hominibus claudat ianuam Paradisi.*

CAPVT. IIII.

Impius Cain pium Abel fratrem occidit: & à Deo punitus, ac profugus vitam agens, Enoch genuit: sed & Adam Seth genauit, cui natus est Enos.

Peccator ab illicitis, & licitis debet abstinere, vt agat pœnitentiam.

DVb. 1. Ad illa verba, vers. 1. *Adam vero cognouit vxorem suam Euam.* Quanto tempore abstinuerunt Adam, & Eua?

Resp. Quod quindecim annis à copula vacauerunt, vt doceat peccatorem pluribus criminibus enodatum, non solum ab illicitis, verum, & à licitis debet abstinere, & toto tempore vitæ agere pœnitentiam. Abulensis ex Methodio Martyre: *Primi parentes Virgines de Paradiso egressi sunt: deinde anno quinto decimo vitæ Adæ natus est Cain, & soror eius Calmana, & forte tanto tempore à copula vacauerunt, quia erant dolentes de peccato, quod contra Deum egerunt, & de amissione fœlicis vitæ in Paradiso, pro se, & tota posteritate.*

Dub. 2. Ad eadem verba: *Adam cognouit vxorem suam.* Cur in Paradiso non eam cognouit?

Locis sacris magna exhibenda reuerentia.

Resp. Quod abstinentia causa ea fuit, vt Paradiso tota reuerentiam exhiberent. Loco enim sacro omnis debetur reuerentia, & in illo peccare nefas maximum est, præcipue peccato luxuriæ. Oleaster: *Credendum est tam quandiu in Paradiso fuit, non cognouisse: quoniam tum virgo tunc esset, & ambo in ætate ad generandum aptissima, & ad hoc à Deo ipso producti, genuissent: si inter eos esset ibi congressus. Quo facto docemur quanta veneratione & reuerentia à nobis habenda sunt loca sacra; vt scilicet, ibidem nullam turpitudinem operemur, qua locus sacer fœdari possit. Si enim domus Dei domum negotiationis facere prohibemur, multo magis domum turpitudinis.*

Vocabulorũ honestate in turpibus rebus nominãdis vti debemus.

Dub. 3. Ad eadem verba: *Adam cognouit vxorem suam.* Cur Moyses hoc verbo cognouit vius est?

Resp. Quod copulam, & accessum Adæ ad Euam hoc verbo, *cognouit*, nominauit, vt rem in honestam verbo honesto referret. In rebus turpibus vocabulorum honestate vtendum est. Oleast. *In verbo cognouit docemur quanta vocabulorum honestate in turpibus rebus nominandis, vti debeamus. Quare Paulus Ephesios admonens, ait: Fornicatio, & omnis immunditia, aut auaritia, neque nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet. Sanctorum enim est ab immunditiarum colluuie esse exemptos, illorum vero qui summe sunt sancti, non solum non facere, sed neque nominare talia.*

Dub. 4. Ad illa verba, vers. 1. *Possedi hominem per Deum* Oleaster: *Emi virum à Domino.* Cur dicit emi virum?

Precibus tam quam pretio Dei beneficia emuntur.

R. Quod Eua forsitam periuit à Domino filium; congrue enim ait: *Emi virum à Domino*, quasi solæ preces sint pretia, quibus à Deo beneficia emuntur. Oleaster: *Forte Dominum pro filio deprecata est, & precibus emit.*

Dub. 5. Ad eadem verba: *Possedi hominem per Deum.* Cur filij possessionibus comparantur?

Patres erudiendis filijs magnam curam adhibere debent.

Resp. Quod qui possessionem habent magna illam cura seruant, ne fur astutus eam auferat; vt sit optima cuncti moliuntur, eamque fideli viro magno cum studio tradunt: sicut ergo qui possessionem habet magnam curam habet de illa, ita patres in excolendis filijs magnam curam adhibere debent. Mendoza tom. 1. f. 277. num. 3. *Plane quia, vt homines tuendis, augendisque possessionibus inuigilant: ita, & patres debent probe erudiendis, informandisque filijs excubare.*

Dub. 6. Ad eadem verba: *Possedi hominem per Deum.* Oleaster legit: *Possedi virum, & Dominum.* Cur Eua lætabunda exclamat, quod possedit virum, & Dominum?

Natiuitas masculorum magnam adfert matribus lætitiam.

R. Quod Eua nato filio masculo læta dixit: *Possedi virum, & Dominum.* Quasi Deum sibi propitium habere videretur, quod ei prolem masculam concessisse. Oleaster: *Nec improbo eos, qui verbum, acquisiui, seu possedi virum, & Dominum, quoniam iam videbatur Domino reconciliata, cuius signum fuit dare prolem masculam illi.*

Dub. 7. Ad eadem verba: *Possedi hominem per Deum.* Cur Eua non vocauit Abelem possessionem suam?

Filius Deo emancipatus suorum parentũ possessio est.

Resp. Quod Abel totus erat Deo dicatus, & nulla res à nobis magis possidetur, quam illa in qua Deo obsequium præstamus, ac si ipsum obsequium sit ratio, ac ius possidendi. Silueira tomo 4. fol. 581. num. 19. *Abel totus consecratus, ac dedicatus est Deo, eiusque obsequio. Nullus autem filius tam intime, ac stricte à parentibus possidetur, vt ille qui totus Deo emancipatur. Cum ergo esset Deo consecratus tam euidens exinde erat, quod à suis parentibus esset possessus, vt minime esset necessarium voce, ac sermone hoc dici, & publicari.*

Dub. 8. Ad eadem verba: *Possedi hominem.* Cur Eua non dixit, accepi hominem, sed possedi?

Soboles tanti æstimãda est, ac possessio data à Deo.

Resp. Quod Eua accepto filio, ita grati animi erga Deum se exhibuit, ac si Deus amplissimam, & ditissimam possessionem ei contulerit. Soboles tanti æstimanda est, ac possessio à Deo data. Oleaster: *Admonet nos locus iste, quanti facunda sunt beneficia Dei, præsertim soboles: tanti enim Eua æstimauit hunc filium, ac si Dominus illi magnam dedisset possessionem.*

Dub. 9. Ad illa verba, vers. 2. *Rursumque peperit fratrem eius Abel.* Cur Eua nouo alterius filij partu donatur?

Gratus cumulatis beneficijs à Deo donatur.

Respondetur: Quod Eua cum primum filium suscepit, grata Deo tribuit, dicens: *Possedi hominem per Deum*, hoc est, filium, & magno Dei beneficio suscepi; ideo primum filium Deo referens, alio donatur, quia gratitudo cumulatis beneficijs à Deo rependitur. Diuus Chrisost. homil 18. *Quia pro nato puero Deo grata fuit, & prius beneficium agnouit, assecuta est aliud. Talis est Dominus noster quando in primis gratitudinem declaramus. Largius nobis sua dona erogat.*

Deus neminem affligit quin statim sequatur consolatio.

2. R. Quod Eua afflicta erat, & oppressa mœrore propter mala ei inflicta à Deo: ideo dolore afflictam, Dominus excitat, erigit, & consolatur, secundum addens filium. Deus neminem vexat, quin statim non consoletur. Oleaster: *Est aduertenda Domini conditio: vt neminem affligat, quin statim sequatur consolatio, si peccator resipiscat, quemmadmodum hic videmus. Postquam enim fœminam tam grauibus legibus adstrinxit, vt consoletur delectam, sobolem tribuit.*

Dub. 10. Ad eadem verba, vers. 2. *Rursum peperit fratrem eius Abel.* Cur tam frequenter Abel frater Cain in hoc capite appellatur? Cur cum revera essent fratres, sicut frater Cain nuncupatur vnus, quare, & non alter Abelis frater?

Solus dicendus frater, qui remittit iniurias, non vero qui vlciscitur.

Resp. Quod cum Cain aduerso animo in germanum suum esset, Abel tamen serena facie ei cuncta ignoscebat, seque ei placidum exhibebat: indeque præclare ab ortu suo vsque ad mortem fratris Cain nomine insignitur, à quo merito ipse Cain expoliatur, cum aduerso animo esset in Abel, ita vt vindictam cogitaret, illique mortem pararet. Tanta maleuolentia fratris nomen excludebat, quod in Abel gratia, & benignitas firmabat. Solus dicendus est frater, qui remittit iniurias, non vero qui vlciscitur. Diuus Ambrosius lib. 2. de Abel, & Cain, cap. 9. loquens de amore Abelis erga Cain: *Non frater clamat. Hoc innocentia, & gratia germanitatis, etiam in ipsa morte seruat. Non accusat frater, sed vox sanguinis, quem ipse effudisti.*

Dub. 11. Ad eadem verba: *Rursum peperit fratrem eius Abel.* Quæ interpretatio huius nominis Abel?

Virtuosi filij mors multo tempore deploranda.

Respondetur: Quod interpretatur luctus, eo quod Adam, & Eua centum annis mortem Abelis luxerunt. Mors enim filiorum si boni, ac virtuosi sunt, iusta causa multo tempore plorantur. Et talis fuit Abel, vt prolixum planctum mereretur. Mors virtuosi filij multo tempore lugenda. Hugo Cardinalis: *Interpretatur Abel luctus ab euentu, quia parentes pro morte eius centum annis fuerunt in luctu.*

Ignorantia ex peccato prouenit.

2. Respondetur: Quod Cain interpretatur possessus Dei, Abel vero vanitas: cum enim Eua intellectum haberet propter peccatum excæcatum, in nominum impositione aberrauit, vt Abel sanctus dicatur vanitas. Cain vero iniquus, possessus, & datus à Deo astruatur. Ignorantia ex peccato prouenit. Silueir. tom. 4. f. 97. n. 158. *Quæ nomina imponebat, erat mulier iam propter peccatum à Paradiso expulsa, indeque à vera scientia, ac cognitione rerum ceciderat.*

3. Respondetur: Quod Abel interpretatur, *Vapor*, & in nomina vaticinata fuit,

Prædixit Deus homini, quod vita eius exiguis finibus circuſcribitur.

fuit, & prædicta breuitas vitæ eius, quæ tanquam vapor cito euanuit. Denuntiat enim Deus homini, quod breui termino, & ſpatio vita eius definitur. Petrus Comeſtor: *Abel ſonat Vapor, quaſi cito tranſiturus, tanquam nomine prophetatum fuerit, quod de ipſo futurum erat.*

Nihil eſt, qui vtilis non eſt.

4. Reſpondetur: Quod Abelis Etymon eſt: *Nihil hic.* Quia filios non gignit. Hinc nihil hic interpretatur: vt innuat, quod homo qui vtilis non eſt, vel Prædicator, qui per Euangelium filios non ſuſcipit, nihil eſt hic; id eſt, in mundo. Petrus Comeſtor: *Secundum Ioſeph Abel interpretatur, nihil hic, quia non reliquit ſemen ſuper terram.*

Prædicator nihil eſt, qui per Euangelium filios non gignit.

Dub. 12. Ad illa verba, verſ. 2. *Fuit Abel Paſtor ouium, & Cain Agricola.* Cur Abel anteponitur Caino, qui fuit primogenitus?

Pauper ſpiritu omnibus anteferetur.

Reſpondetur: Quod Abel interpretatur: *Nihil habens.* Cain vero acquiſitio. Recte ergo Abel ſeniori fratri anteponitur, nam verus pauper ſpiritu, qui nihil ſuum reputat, ſed totum Deo adſcribit, omnibus antefertur. Diuus Ambroſius lib. 1. cap. 1. *Cain, id eſt, acquiſitio, Abel qui omnia refert ad Deum pia deuotus mentis intentione, nihil ſibi arrogans, ſed totum tribuens conditori.* Et Hugo Cardinalis: *Interpretatur Abel nihil habens. Ecce duorum fratrum ſtudia diuerſa: Abel Paſtor, Cain tanquam auarus, & cupidus agriculturæ operam dedit.*

Dub. 13. Ad eadem verba: *Fuit Abel Paſtor ouium.* Cur Abel hoc munus exercuit?

Illa officia ſubeunda ſunt, quibus ſecurior: conſcientia viuere poſsimus.

Reſpondetur: Quod Abel munus Paſtoris ſubijt, vt ſecurius viuere poſſet, & melius Deo ſeruire. Subeunda ſunt illa officia, quibus ſecuriori conſcientia Deo ſeruire potes. Oleaſter: *Admonet nos hic iuſtus Abel illud munus eſſe ſubeundum, quo melius poſsis ſummo Deo miniſtrare, & quo ſecuriori conſcientia viuere poſsis, quale eſt munus Paſtoris. Credidit enim Abel ideo Paſtoris ſubiiſſe munus, vt ex ouibus agnos, & ex agnis adipem, quem Deo offerre poſſet, haberet.*

Dub. 14. Ad illa verba, verſ. 3. *Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.* Cur Abel & Cain obtulerunt Deo munera?

Subditi ſenſibilibus ſignis debent manifeſtare Prælatis ſubiectionem.

Reſpondetur: Ideo eos obtuliſſe munera Domino, vt debitam Deo ſubiectionem oſtenderent, ſi nulque honorem deferrent: ſubditi enim ſenſibilibus ſignis debent manifeſtare Prælatis ſubiectionem. D. Thomas 2. 2. quæſt. 85. art. 1. *Naturalis ratio dictat homini, quod alicui ſuperiori ſubdatur, propter defectus quos in ſeipſo ſentit, in quibus ab aliquo ſuperiori eget adiuuari, & dirigi, quidquid illud ſit. Hoc autem eſt, quod apud omnes dicitur Deus, ſicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora ſuperioribus ſubduntur: ita etiam naturalis ratio dicat homini ſecundum naturalem inclinationem, vt ei, quod eſt ſuprà hominem ſubiectionem, & honorem exhibeat ſecundum ſuum modum. Eſt autem modus conueniens homini, vt ſenſibilibus ſignis vtatur ad aliqua exprimenda, quia ex ſenſibilibus cognitionem accipit, & ideo ex naturali ratione procedit, quod homo quibuſdam ſenſibilibus rebus vtatur, offerens eas Deo in ſignũ debitæ ſubiectionis, & honoris ſecundum ſimilitudinem eorum, qui Dominis ſuis aliqua offerunt in recognitionem Dominij. Hoc autem pertinet ad rationem ſacrificij, & ideo oblatio ſacrificij pertinet ad ius naturale.*

Patres ẽdoceant filios quæ ad cultũ & honorem Dei attinent.

2. Reſpondetur: Abelem, & Cainum munera obtuliſſe Domino, quia pater eos docuit offerre primitias. Patres enim edoceant filios quæ ad Dei cultum, & reuerentiam ſpectant. Hugo: *Creditur Adam docuiſſe filios, vt offerrent Deo primitias, & decimas.*

Dub. 15. Ad illa verba. verſ. 3. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui.* Cur Abel primogenita obtulit gregis ſui?

Offerendũ Deo, quod melius eſt.

Reſpondetur: Quod primogenita acceptabiliora ſunt Deo, quia ſunt primordia, & Deo, quod melius eſt, offerendum eſt, vt in gratiam eius ſit oblatum donum. Offerendum Deo, quod melius eſt. Abulenſis: *Duplici cauſa: ſecunda quia primogenita magis Deus acceptat, cum ſint primordia virtutis generantis.* Vide dub. ſequenti.

Dub. 16. Ad eadem verba, verſ. 3. *Et de adipibus eorum.* Cur Abel de adipibus munus obtulit?

Selectiſsima quæque Deo offerẽda ſunt.

Reſp. Quod adeps eſt ſelectiſsima carnis pars, & Deo quod ſelectiſsimum, & optimum eſt, offerre debemus. Maluenda. *De adipibus proprie de pinguedinibus, de omentis, de aruinis, quod hæc ſint, quaſi lac coagulatum, & congelatum: voluit eſſe figuratam locutionem, pro obtulit de primogenitis non quibuſcumque, ſed craſsiſsima, pinguiſsima optima, & ſelectiſsima, quod adeps ſit optima, & lectiſsima pars carnis.*

Dub. 17. Ad illa verba, verſ. 3. *Reſpexitque Dominus ad Abel, ad Cain, & ad munera eius non reſpexit.* Cur Abelis ſacrificium gratius fuit Deo quam Caini?

Gratissima Deo victima cruore suffusa in typum Dominicæ Passionis, seu propriæ mortificationis.

Respondetur: quod Abel obtulit sacrificium cruentum, Cain vero incruentum, & cruentum sacrificium in Christi sanguinis typum, Deo gratissimum est. Mendoza tom. 1. fol. 148. num. 6. *Abel obtulit sacrificium cruentum de gregibus; Cain autem incruentum de frugibus: cruor enim sacrificio suffusus, siue in typum Dominicæ Passionis, siue in typum propriæ mortificationis, victimam Deo effecit gratiorem.*

Sacrificium diuisum non est gratum Deo.

2. Respondetur: Quod placuit Deo sacrificium Abelis, displicuit sacrificium Caini: discriminis rationem assignare videtur ipse Deus, Cainum statim alloquutus, iuxta Septuaginta: *Nonne, inquit, si recte offeras, non autem recte diuidas, peccasti? Vers. 7.* Quasi dicat. Quid miraris tuum mihi sacrificium displicuisse, quod male diuisisti? Cain enim non recte diuisit, quia cum Deo offerret sua, se ipsum sibi retinuit, id est, cor suum, & fructus terræ obtulit Deo. Non enim placet Deo sacrificium per partes diuisum, sed quod totum, atque integrum Deo offertur. D. Bernardus serm. 24. in Cantica: *Quid miraris ô Cain si non respicit ad te, quia ita diuisus est in te: si manum deuotioni, quid animum das liuori? Non concilias Deum tibi, discors tecum: non placas, sed peccas.*

Animus in munere pensatur.

3. Respondetur: Quod vtriusque oblationes non quidem ex ipsis donis, sed ex ipsis animis à Deo pensabantur, & vnius prompta laudatur voluntas, alterius coacta reprobatur. Quam voluntatum differentiam ipsa quoque donorum genera expressérunt, nam Cain obtulit de fructibus terræ, qui per laboriosam culturam extorquentur. Abel autem de primogenitis gregis, quæ sponte sua nascentur, quasi munera sponte nata gratiora Deo esse soleant, quam munera vi extorta. Ioseph lib. 1. Antiquitatum, cap. 3. *Huius*; scilicet Abelis, *sacrificium Deo fuit acceptius, quod sponte naturæ genitis constaret, quam ea quæ homo auarus, & industrius per vim quandam à natura extorxerat.*

Gratiora munera voluntaria quam vi extorta.

Peccatores peregrinantes propriam miseriam, & aliorum felicitatem, tantum sequitur virtutem.

4. Respondetur: Quod Deus dicitur respexisse externo aliquo signo, quo vnius sacrificium approbauit, alterius contempsit. Voluit enim Deus maiorem in Abelem, quam in Cainum beneuolentiam ostendere, vt ex fratris felicitate ad illius imitationem impelleret. Nam videns Cain se humiliter contemptum, & fratrem honorifice à Deo approbatum; voluit Deus, quod ex sua miseria, & ex aliena gloria mordetur, indeque iuxta quadam inuidia excitatus, & sua à se malitiam abdicaret, & fraternam Religionem in posterum imitaretur. Oleaster: *Dominus volens prouocare Cain, vt de cætero cum illi vellet munera offerre, meliora se ligeret: non illi nocuit, sed munus fratris acceptauit, vt eum ad fratris mentem reuocaret: ipse vero vice versa in deterius mutatus est.*

Iudex non accipiat obsequia ab eo qui puniendus est.

5. Respondetur: Quod Dominus Caini noluit suscipere sacrificium. Hic miser damnandus ficto animo munus offerebat: cum ergo esset Diuina Iustitia puniendus, merito illius dissimulatum respuitur obsequium: iudex enim non debet accipere obsequia ab eo, qui puniendus est. Algerus: *Reprobus iste reprobata sacrificia offert, quæ non ad obsequium, sed ad pœnam præparabatur.*

Placebunt Domino, sacrificia Sacerdotum, si pacem seruent, non si discordias sic tenentur.

6. Respondetur: Quod Abel pacificus, & concordiam amans offerebat sacrificia: Cain inuidus rixas, & seditiones amabat. Ambo victimas offerebant, & præfigurabant ministrantes altari. Merito ergo Deus acceptauit sacrificium Abelis, & reiecit Caini, quia ille pacificus, iste seditiosus: vt inuat Deo placere sacrificia Sacerdotum pacem, & concordiam amantes, reicereque, eorum oblationes, qui discordias, & rixas sectantur. Chromatius: *Quia Abel pura, ac simplici mente munera Deo offerebat; Cain vero iram aduersus fratrem tenebat in corde. Quapropter si volumus muneribus nostris Deo placere, excludere iracundiam de corde debemus, interficere malitiam contra fratrem susceptam; tenere vero pacem fraternam, seruare charitatem, diligere vnanimitatem, custodire concordiam, vt placare Dominum mereamur.*

Deus non acceptat munera eius, qui diebolo meliora offert.

7. Respondetur: Vel male diuisit, quia se ipsum. Qui erat melior diabolo obtulit, & Deus non acceptat munera eius qui meliora diabolo offert. Petrus Comestor: *Recte obtulerat, quia Deo, quia creaturam Creatori, sed non recte diuiserat, quia se ipsum qui melior erat, obtulerat diabolo.*

Deus reijcit munera eius, qui meliora sibi retinet, & peiora Deo offert.

8. Respondetur: Vel non recte diuisit, quia quod melius erat, sibi retinuit: spicas vero tritas Deo obtulit, & Deus reijcit munera hominis, cum meliora sibi retinet, peiora vero Deo offert. Petrus Comestor: *Non recte diuisit, quia meliora sibi retinuit: spicas vero attritas, & corrosas secus viam Deo obtulit.*

Dub.

Dub. 18. Ad eadem verba : *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Cur primo narratur reſpectus Domini ad Abel, quam ad munera?

Reſpondetur : Quod primo dicit ad Abel, quia non offerens propter munera placet Deo, ſed potius è conuerſo. Deus enim non quantum, ſed ex quanto conſiderat. Diuus Thomas in cap. ad Hebr. 11. lect. 2. *Paulus ad Hebr. 11. dicit, quod Abel fide obtulit plurimam hoſtiam, non quantitate, ſed precioſitate, quam Cain; id eſt, meliorem hoſtiam obtulit, quam Cain; ſcilicet, Deo; ſcilicet, ad honorem Dei, aliter enim non placuiſſet Deo. Merito ergo reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, quia reſpectus Domini eſt ſpecialiter ſuper iuſtos. Pſalm. 33. oculi Domini ſuper iuſtos. Prius tamen reſpexit ipſum offerentem, quam oblationem eius, quia ex bonitate offerentis acceptatur oblatio quæ non eſt Sacramentalis, quia Sacramentalem bonitatem non immutat malitia miniſtri. Quantum autem ad offerentem, vt ſibi proſit oblatio requiritur bonitas in ipſo.*

Ex bonitate offerentis acceptatur oblatio.

Dub. 19. Ad eadem verba, verſ. 3. *Reſpexit Dominus ad Abel, & munera eius.* Cur dicitur, quod Deus reſpexit, non vero, quod acceptauit?

Reſpondetur: Quod Dominus valde oculatus fuit in oſtendenda familiaritate erga Abelem, ne Cainum ex manifeſta muneris acceptatione ad inuidiam prouocaret. Fauores Principis, vel Prælati publice exhibiti, alios ad inuidiam prouocant. Oleaſt. *Eſt quod hic aduertas: videlicet, quam oculate Principes, & ij qui ſeruos habent, debeant oſtendere alicui ſuam dilectionem, & quam occulte, ne; ſcilicet, alios ad inuidiam prouocent. Quare videbis Deum Geneſ. 13. cum terram Chanaam eſſet Abrahæ promiſſurus, & ipſe eſſet ſimul cum Loth, expectare, & differre hanc promiſſionem quouſque ab eo ſepararetur Loth.*

Fauores Prælati manifeſte oſtenſi alios, ad inuidiam prouocant.

Dub. 20. Ad eadem verba, verſ. 3. *Reſpexit Dominus ad Abel.* Legit Theodotus: *Inflammauit Dominus ſuper Abel, & ſacrificium eius.* Vt illo ſigno, vt ait *Caietanus.* Illud ſacrificium eſſe Deo beneplacitum demonſtraretur. Cur igne deuorante oſtenditur munus acceptum Deo, & non alia nota lucis, vel radij, vel viſionis Dei, vt Abrahamo: *Geneſ. 15. Verſ. 12. & Iacob Geneſ. 35 Verſ. 7.*

Ex nobis ipſis cognoſcere poſſumus, an opera noſtra placeant Deo, vel diſpliceant.

R. Quod Deus miſsit ignem de cœlo, qui abſumeret munus. Abelis non Caini quia ſolebat Dominus hoc ſigno oſtendere ſibi placere ſacrificia: ita in ſacrificijs à nobis Deo oblatis, hoc ſignum quærere debemus, ad cognoſcendum an Deo placeant, vel diſpliceant, ſi in nobis metipſis ignem amoris Dei, & charitatis Diuinæ, & proximorum ſentimus: quando enim flammantia corda cognoſcimus, Diuinam complacentiam iudicare poſſumus: ſi frigida, & quaſi mortua Diuinam diſplicentiam timere iuſtiſsime debemus. Ex nobis ergo metipſis agnoſcere poſſumus an opera noſtra placeant Deo, vel diſpliceant. Caietanus: *Quo autem exteriore ſigno Deus monſtrauerit, ſe animaduertere ad Abel, & oblationem eius, & non ad Cain, eiuſque oblationem, ſcriptum non eſt explicite: ex alijs autem Scripturæ Sacræ locis conijci poteſt, quod emiſerit ignem deuorantem oblationem Abel, & non Cain. Nam hoc modo reſpexiſſe legitur primam immolationem ſummi Sacerdotis Aaron Leuitici 9. & Sacrificium Gedeonis Iudicum 6. & ſacrificium primum in Templo Salomonis 2. Paralip. 7. & ſacrificium Eliæ 3. Reg. 18.*

Dub. 21. Ad iila verba verſ. 6. *Dixitque Dominus ad eum. Quare iratus es?* Maluenda legit: *Exarſit, incanduit animus, vel ira, furor ipſi Cain.* Cur Cain ira exarſit?

R. Quod Cain videns fœlicitatem Abelis, & quod Deus ſtudio, & fauore fratrem proſequebatur, hoc illi ſtomachum fecit, bilem commouit, eumque exacerbauit. Fauores enim Principis malos ad iram prouocant. Maluenda: *Ira, furor ipſi Cain; Hebraiſmus quem Hiſpaniſmus illuſtrat; quaſi dicat. Fauor Dei in Hebelem exarſit ipſi Cano,* quemole eſto a Cain, *hoc illum vrebat inuidia, ac zelotipia. Inuidia, liuor, æmulatio, fraternæ fœlicitatis, illi omnem iram, odiumque accendit.*

Fauores Prælatis alijs collati, malos ad inuidiã prouocant.

Dub. 22. Ad illa verba, verſ. 6: *Cur concidit facies tua?* Cur facies Cain concidit, demiſſoque vultu incedebat?

Reſpondetur: Quod Cain pudore ſuffundebatur videns ſe abiecto ſacrificio, deſpectum à Deo: ideo concidit facies eius: qui enim à Principe deſpicitur, quaſi pudore ſuffunditur. Et animum deicit negatus Principis fauor. Maluenda. *Vim Hebraica, & ceciderunt facies eius. Demiſſo in terram vultu incedebat. Geſtus eſt hominis pudore ſuffuſi, vel triſtitia, & mærore depreſsi, qui ſolent vultum demittere. Vtrumque Caino euenichat, & pudor, & dolor. Solet animus indicari vultu: nam abdicato ſacrificio ſuo, ſe abdicatum videbat Cain.*

A Principe deſpectus pudore ſuffunditur, & negatus Principis fauor animum deicit.

Inuidus non vult alium sibi præponi,

2. Respondetur: Quod Cain vidit fratrem sum minorem sibi antepositum, & Prælatum: ideo concidit facies eius, & feruidus ira, impos animi incedebat. Inuidus non vult alium sibi præponi. Caietanus: *Videns minorem fratrem sibi præponi inuidit, atque excanduit.*

Signis manifestatur inuidia, & odiū proximi,

3. Respondetur: Quod in demissione vultus Cain significabatur odium erga fratrem suum Abel. Signa enim certissima odij in proximum, sunt negare illi linguam, & visum. Abulensis: *Concidit vultus eius; scilicet, quod non poterat respicere rectis oculis, vel vultu placido ad fratrem suum, sed occidebat vultus, id est, humiliabatur ad terram, non respiciens ad fratrem: ita sunt signa inuidi, & non posse pacifice loqui, vt patet de Ioseph fratribus.*

Dub. 23. Ad eadem verba, vers. 6. *Cur concidit facies tua.* Cur Deus inquirit Cainum de ira eius, & demissione vultus?

Peccator, nō Deus causa est sibi suorū malorum.

Respondetur: Ideo Deum interrogasse de ira, & demissione vultus: vt intelligeret Cain, quod non Deus, nec Abel causa fuit turbationis animi, sed ipse Cain sibi perniciem accersiuit. Non Deus, sed peccator causa est sibi suorum malorum. Caietanus: *Benignus Deus ab effectibus, à turbato animo à casu vultus, tanquam inquirendo causam, procedit: manifestaturus, quod nulla est externa causa horum effectuum: hoc est, quod non ego, non Abel, sed tu ipse causa es horum effectuum.*

Boni Prælati subditos afflictos solātur.

2. Respondetur: Quod Deus inquisiuit à Caino de ira eius, & vultus demissione, vt obiectum, & mœrore oppressum solatio esset. Prælati boni subditis afflictis solatij medelam præbeant. Oleaster: *Docentur Principes seruos quos viderint tristitia affectos subleuare. Sunt multi Prælati, qui siue subditi tristes sint, siue hilares, non curant, etiamsi ipsi sint illis causa tristitiæ. Non sic Dominus Deus, sed licet videri Cain sine vlla causa iratum erga fratrem & tristem, causam tristitiæ inquirit, subleuat verbisque solatur. Pollicetur bona, si mentem, & opera emendet.*

Dub. 24. Ad eadem verba, vers. 6. *Cur concidit facies tua.* Cur Cainus non leuabat faciem ad cœlum?

Offensus non respicit à quo se offensum agnoscit,

Respondetur: Quod non audebat oculos in cœlum leuare, quia putabat, quod Deus ei offenderat. Et offensus non respicit eum, à quo se offensum agnoscit. Oleaster ad litteram: *Est autem hic vultum vel faciem cadere, dimittere caput, vt facies solito demissior terram respiciat. Et ideo forte demisit vultum, ne ad cœlum, vbi erat Deus respiceret, à quo se læsum arbitrabatur.*

Dub. 25. Ad illa verba, vers. 7. *Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* Cur dicitur Cain, quod si bene egerit, recipiet veniam, & præmium, cum non de prædestinatorum, sed reproborum numero esset?

Quilibet etiā malus bene operando potest saluari,

Respondetur: Quod licet esset reprobatus, tamen ei dicitur, quod recipiet veniam, ac in præmium vitam æternam; quia nullus est tam malus, qui bene operando, non valeat assequi salutem. Seraphinus à Porrecta Ordin. Prædicat. Concin. 6. in cap. 4. Genes. *Clarissimum est, quod Cain erat reprobatus, & tamen audit a Deo, quod sua bona si faciet, non amittet mercedem, quid apertius contra hæreticorum tentationem nunc maxime vagantem? Qui dicunt, si sum reprobatus, quantumcumque bene agam, damnabor, vnde trahunt istud? Ex officina sane diaboli patris illorum, nam ex officina Dei, vt hic ad litteram luce meridiana clarius apparet, oppositum habetur.*

Dub. 26. Ad eadem verba, vers. 7. *Nonne si bene egeris recipies, si autem male statim in foribus peccatum aderit.* Legunt Septuaginta: *Nonne si recte offeras, nō autem recte diuidas, peccasti.* Quis horum verborum sensus?

Deo nō mundo offerenda sunt meliora

Respondetur: Quod etiam cum Deo bona offeruntur, si tamen mundo offerantur meliora, grauiter peccat homo, non propter malam oblationem, sed propter malam diuisionem, cum Deus mundo, non mundus Deo anteponi debeat. Deo enim meliora non mundo sunt offerenda. Diuus Ambrosius lib. 2. de Abel. & Cain, cap. 6. *Diuisionis ordo est, vt prima secundis, non primis secunda præcurrant, & cœlestia terrenis, non terrena cœlestibus præferantur.*

Dub. 27. Ad eadem verba, vers. 7. *Nonne si bene egeris recipies.* Legunt Septuaginta. *Nonne peccati? Quiesce?* Quis horum verborum sensus?

Ad Sacram Eucharistiam in peccato non accedendum.

Resp. Quod hæc versio sic exponitur: *Nonne peccasti? Quiesce.* Quasi dicat, Quisquis in peccato es, iste potius ante aram timidus, quam ad aram irruas temerarius, ne in sanctitatis lauacro tibi facias voluptatorum impietatis, & quo intrare debueras abiectus, inde exeas sordidatus. Ad Sacram enim Eucharistiam in peccato non accedendum. D. Ambros. lib. 2. de pœnitentia, cap. 11. *Nemo in peccato positus arrogare sibi debet*

bet auctoritatem, aut vsurpationem Sacramẽtorum, quia scriptum est. Peccasti? Quiesce. Melius est tunc quiescere cum exercere non queas opera pœnitentiæ, ne in ipsa pœnitentia fiat, quod postea indigeat pœnitentia.

Peccator à peccato in peccatum fuit.

2. Respondetur: Quod Deus his verbis diligenter cauit, & prouidit, ne Cain inuidia laborans in aliud peccatum rueret. Peccator enim ab vno peccato in aliud ruit. Mendoza tomo 1. fol. 105. num. 49. *Quasi diceret: in vnum scelus incidisti, ne te in aliud præcipites, sedem fige, ne labaris. Sed tantum abfuit, vt quiesceret, vt potius a peccato in peccatum rueret, ad inuidiam addaret fratricidium.* Vide fol. 47. dub. 35.

Dub. 28. Ad eadem verba, vers. 7. *Nonne si bene feceris recipies, si autem male.* Cur pœna, & præmium his verbis indicitur Cain si bene, aut malefecerit?

Respondetur: Quod ad bonum, vel malum opus sequitur, si bonum est præmium, si malum pœna: quia Deus sicut nullum opus bonum sine præmio: ita nullum malum, sine punitione relinquit. O easter: *Quemmadmodum opus bonum suum sequitur præmium, ita malum è vestigio punitio. Nullus ergo male agens sibi promittat impunitatem, quoniam omne malum sua vindicta sequitur.* Vide fol. 57. dub. 88. 2 R.

Omne bonũ suum præmium, sicut omne malum sua punitio sequitur.

Dub. 29. Ad eadem verba, vers. 7. *Nonne si bene egeris, recipies: si autem male.* Iuxta Hebræum habetur: *Si bene facies.* Cur non dixit, si bonum facies, sed si bene facies?

Respondetur: Quod Cain licet bonum fecerit, non tamen bene fecit, & non sufficit bonum facere, nisi bene fiat. Caietanus: *Nec dicitur si bonum facies, sed si bene, vel male facies, vt intelligamus, quod non sufficit facere bonum, sed oportet bonum bene facere. Vt hinc cognosceret Cain se deliquisse in hoc, quod non bene fecerit, quamuis fecerit bonum: obtulerat enim Deo sacrificium, sed non bene, quia non elegerat.*

Non sufficit facere bonũ, sed oportet bonum benefacere.

Dub. 30. Ad eadem verba, vers. 7. *Nonne si bene egeris recipies.* Hebraice habetur: *Si bene facies, leuare.* Quis huius sermonis sensus?

Per bona opera condonatur peccatũ.

Respondetur: Quod hæc verba Hebræa sic exponuntur: vt leuare sit idem, quod condonare peccatum, & sic est sensus, quod si bene feceris, venia erit tibi. Per bona enim opera, & bene facta consequitur peccatorum remissio. Dicit ergo Dominus Caino. *Si bene facies, leuare.* Id est, bonum opus condonauit tibi peccatum. Malueuda: *Nonne si bene feceris leuatio, id est, condonatio, remissio, indulgentia, venia peccati, hoc est, remittet, & condonabit tibi peccatum.*

Qui bene agit, hilaritatem animi, qui vero male, mœstitiam consequitur.

2. Respondetur: Quod horum verborum sensus hic esse potest: *Si bene facies, leuare.* Id est, eleuatio animi erit tibi: depressus siquidem fuerat vultus Cain, tenuis internæ depræsionis, vnde si bonum benefeciſſet, consequuturus erat hilaritatem animi, leuantem animum ad bonum, ad maiora, ad Deum. Malueuda: *Nonne si bene egeris, leuare, seu leuatio, id est leuabis, attolles vultum. Nonne incedes recto vultu, viuesque in gaudio, & lætitia, sine pudore, & mœstitia. Cum nunc quia male egisti, incedas vultu demisso præ pudore & dolore?*

Dub. 31. Ad illa verba, vers. 7. *Statim in foribus peccatum aderit.* Cur dixit, quod peccatum in foribus cubabit?

Peccator ob verecundiam peccati, emẽdatur.

Respondetur: Quod Deus his verbis præmouit peccati futuri cognitionem ab omnibus, vt vel saltem, sic ne in verecundiam caderet, emendaretur: magna misericordia vtitur Deus cum peccatore, pandens eius crimina, vt illis cognitis verecundetur, & resipiscat. Abulensi: *Id est, statim peccatum tuum manifestum erit.*

2. Respondetur. Quod vbi nos legimus: *In foribus peccatum tuum aderit,* in Hebræo est: *Peccatum tuum excubabit,* ducta metaphora à satellitibus, & lictoribus, seu carcerum custodibus; qui olim simul cum malefactoribus colligati excubabant, ne possent effugere, vt *Lorinus Act. 12. vers. 6. ostendit:* Quemmadmodum igitur satelles perpetuo aderat malefactori, quousque illum in extremum supplicium præciptaret, ita & peccatum insequitur peccatorem, donec ipse in barathrũ miseriarum deuoluatur. Hugo Cardinalis: *Peccatum, id est, pœna pro peccato vicem tanctoribus obtinebit, quia semper concomitabitur te, siue introeas siue exeas: iuxta quod dicitur in Psalm. 120. Dominus custodiat, id est, custodiet introitum tuum, & exitum tuum.*

Peccatum insequitur peccatorem, donec in multa mala eum dejiciat.

3. Respondetur: Quod hæc verba *In foribus peccatum tuum aderit,* sic intelliguntur: *In foribus,* id est, in voluntate, inde ad actum, quasi per ianuam egressurus. Cogitationes enim pessimę statim ac venerint in mentem, reprimendæ sunt, & eijciendæ, ne ad opus, & consensum deuenire possint: dicit ergo Dominus Caino: si male egeris, *statim in foribus peccatum tuum aderit,* id est, ex deuderio occidendi Cain, statim vo-

Cogitationes pessimæ reprimendæ, ne ad opus perueniant.

lun-

luntas ad actum occisionis perueniet cogitationes malę reprimendæ, ne ad opus perueniant. Abulensis: *Statim veniet, & tibi desiderium occidendi illum, quasi staret præsto ante iantam tuam, quod magnum peccatum est. Si enim laborasset Cain, vt diligeret fratrem suum, nunquam ei praua cogitatio insurrexisset, sed si laxaret frænа odij, perueniret vsque ad desiderium occidendi fratrem.*

In manu peccatoris est pœnam si velit, effugere.

Dub. 32. Ad illa verba, vers. 7. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Quis sensus horum verborum?

Respondetur: Quod quidam de pœna peccati intelligunt, id est, cupit te iam iam aprehendere, appetitque tibi inhærere punitio: verum si velis, dominaberis illi pœnæ, effugies pœnam. In manu peccatoris est si velit pœnam effugere. Hugo Cardinalis: *Quasi dicas in te est vt cohibeas si vis.*

Res tristes, & auditui iniucundæ, non sunt exprimendæ.

Dub. 33. Ad illa verba, vers. 8. *Dixitque Cain ad Abel fratrem suum. Egrediamur foras.* Notat Diuus Ieronimus in quæstionibus Hebraicis, quod in Hebræo non sunt illa verba: *Egrediamur foras.* Sed tantum illa: *Dixit Cain ad Abel.* Cur tacentur verba quæ dixit Cain ad Abel?

Respondetur: Quod Cain dixit aliquas iniurias in Abelem, & aliquas blasphemias in Deum, & res tristes, & auditu iniucundæ, insinuari possunt, non exprimi. Lyranus: *Dicunt Hebræi, quod Cain dixit Abel fratri suo verba iniuriosa quærens occasiones occidendi eum, licet non sunt expressa in textu illa verba: itaque Hebraico textu non exprimitur, quid dixerit Cain ipsi Abel, sed secundum istam translationem subintelligitur. Egrediamur foras, & ideo illud expressit. Secundũ autem D. Hieronymum in libro de Hebraicis quæstionibus subintelligitur, quod Cain dixit Abel ea quæ Dominus sibi dixerat eum increpando, secundum Hebræos subintelligitur verbum iniuriosum, vt prædictum est.*

Homines lata via gradientes, ad mala præcipitantur.

Dub. 34. Ad eadem verba, vers. 8. *Egrediamur foras.* Septuaginta habent: *Transeamus in campum.* Cur Cain secretam in domum, aut inclusum in hortum, eum non induxit, sed in campum?

Respondetur: Quod campus latus est: ideo in campum latissime patentem eum extrahit, quia in lata via certissima est calamitas. D. Augustinus: *Campus est lata via, quæ ducit ad interitum, & in campo Abel occiditur.*

Peccatores opportunitatẽ malis operibus quærũt.

2. Respondetur: Quod Cain opportunum tempus requirebat ad fratricidium, ideo in campum eum induxit, vt nullus qui mortem prohiberet, adesset. Peccatores enim opportunitatem malis operibus quærunt. Oleaster: *Obseruauit ne quam iste Cain tempus, quo fratrem solum inueniret in agro incautum, vbi qui prohiberet non inueniretur, neque qui accusaret, adesset.*

Ad damnum inferendum alteri arma ministrat furor.

Dub. 35. Ad eadem verba, vers. 8. *Et interfecit eum.* Quo instrumento Cain interfecit Abel?

Respondetur: Quod Cain forte occidit fratrem lapide, fuste, gladio, aut armis consimilibus. Nunquam enim desunt, sed semper ad damnum, & perniciem inferendam, abundant instrumenta. Oleaster ad litteram: *Non constat quo instrumento eum occiderit, & quia non videtur adhuc fuisse armorum vsus, arma ministrauit furor: vnde de ligno aliquo, aut pertica crediderim eum occidisse.*

Patientia vltio dex est iniuriæ.

Et nota, quod vbi nos habemus, & *interfecit eum.* Philo Hebræus legit: *Et occidit se ipsum.* Cur dicit quod Cain se ipsum occidit, cum constet Genesis 4. vers. 23. quod Lameth occidit Cain: ergo Cain non interfecit se ipsum, sed Abelem.

Qui alteri damnum infert, sibi damnum infert.

Respondetur: Quod Cain interfecit Abelem, sed nece fratris se ipsum interemit, non fratrem, id est, quia Cain liuore fratrem occidit, sibi vitam ademit. Cain offendebat, Abel erat offensus, sed patienter sustinebat mortem. Meritò ergo ille viuens est interfectus, & hinc interemptus viuit, tolerantia iniuriæ sumpsit vltionem de fratricida. Patientia enim vindex est iniuriæ, & mors passa, insurgens contra inferentem eam, fratricidam interfecit. Philo Hebreus: *Insurrexit Cain, & occidit se ipsum, non alterum. Et merito quidem. Anima enim quæ ex se ipsa tollit dogma pium, & virtutis amicum, virtuti est mortua. Itaque Abel, quod vix credas, interemptus viuit. Exemptus enim ex insipientis mente, viuit in Deo vitam fœlicissimam.*

Diabolus gratius per homines quam per se ipsum homines impugnat.

Dub. 36. Ad eadem verba: *consurrexit aduersus fratrem suum Abel.* Cur diabolus hoc homicidium manu propria non perpetrauit, cum ab initio sit homicida? Cur mentem fratris excitauit?

Respondetur: Quod diabolus aptius ministerium ad necem hominis, in homine sibi præparauit, quam si ipse exiret in bellum. Maius enim bellum diabolus per manum hominis excitat in hominem, quam dum ipse per se solum in apertam pugnam descendit. Diuus Hila-

Hilarius in Pſalm. 139. *Omnes inſidias, quaſcumque nobis ſpirituales nequitiæ prætendunt. Maxime per homines aptantur: & occaſiones vitijs noſtris alienæ naturæ peruerſitas ſubminiſtrat.*

Dub. 37. Ad eadem verba: *Conſurrexit aduerſus fratrem ſuum Abel.* Cur Abel iuuenis ante nuptias interficitur? Nonne conuenientius erat, vt ipſe ſeruaretur ad virilem ætatem, vt poſt multam filiorum propagationem, quæ tunc maxime pro mundi propagatione exigebatur, ipſe obiret?

Virgines Chriſti figurã exprimunt.

Reſpondetur: Quod Abel deſtinatus erat, vt primus poſt apſum in ſe imaginem Chriſti paſſuri exprimeret: ideo Virgo eligitur, quia ſolus Virgo Chriſti figuram adumbrat. D. Auguſtin. lib. 1. de Mirabilibus Sacræ Scripturæ. *Primus poſt delictum Saluatoris noſtri geſtauit figuram qui Virgo, Sacerdos, & Martyr.*

Dub. 38. Ad eadem verba: *Conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel.* Cur Cain non potius iram concipit aduerſus gregem, ex quo arietes, ac adipes fuerunt deſumpti, vt vel gregem perdat, vel cum ſibi furto compararet, vt ex eo poſſet ſacrificia offerre, ſed tantum extremum malum parat, fratrem, ſcilicet, occidere?

Peccator damnatus ſumma, & maiora peccata inijt.

Reſpondetur: Quod reprobus, ac damnatus animus vile putauit minoribus ſe immiſcere criminibus, & ſummis inijt: ideo non gregis, ſed fratris mortẽ, & cum inſidijs meditatur, vt in ſummo facinore ſe exerceret. Peccator damnatus non infima, ſed ſumma peccata committit. Diuus Chriſoſt. *O audacem mentem, & abominabilem, & quidquid dici poteſt, non ſatis dicetur, quommodo non obduruit manus! Quommodo potuit tenere gladium, & intentare plagam? Quommodo non auolauit a corpore animæ? Quommodo voluit operari tam nefandum facinus? Quommodo non inflexa eſt.*

Dub. 39. Ad eadem verba: *Conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel.* An Abel lederet cum interfectus fuit à Caino?

Peccator cum alteri damnum vult inferre, timeat detrimentum proprium.

Reſpondetur: Quod Abel tunc ſedebat cum fratre, & Cain inopinatus, & inexpectatus, ſurrexit aduerſus fratrem, vt ſine læſione ſui cum occideret. Malus enim cum damnum alteri vult inferre, timet detrimentum ſuum. Caietanus: *Dicendo enim ſurrexit inſinuat, quod ex improuiſo, cum iaceret, aut ſederet, ſurrexit, & vt textus Hebræus habet, non aduerſus, ſed ad Abel fratrem ſuum proculdubio agrediendum & forte apprehendendum ſedentem, vt facilius, & omnino illæſus occideret eum.*

Deus vindex eſt iniuriarũ, quæ iuſtis inferuntur.

Nota ex Diuuo Ambroſio lib. 2. de Abel, cap. 8. quod ager ille, vel locus in quo tantum ſcelus patratum fuit, nullo ornatu arborum, vel florum eſt conſitus: *Locus nudus gignentium eligitur.* Cur terra illa caruit ornatu?

Reſpondetur: Quod Abel iuſtus iniuſte occiſus habuit Deum vindicem iniuriæ, & ſanguinis effuſi. Hinc Deus tantum nefas præſagiens, loco in quo fuit commiſſum fratricidium denegauit flores, arbores, & ornatum vegetatiuum, vindicans ſanguinem iuſti. Deus enim vindex eſt iniuriarum, quæ iuſtis inferuntur. Diuus Ambroſius: *Præſagiens natura tanti ſceleris loco germina denegauerat.*

Dub. 40. Ad illa verba, verſ. 9. *Vbi eſt Abel frater tuus?* Cur Deus à Caino delictum querit? Cur parentes non vocantur in teſtes?

Quod datum eſt ad ſalutẽ, non ſit ad interitum.

Reſpondetur: Quod noluit Auctor naturæ, vt parentes, qui ad propagationem naturæ, ac ſuorum filiorum ordinabantur, ſuo teſtimonio, ad interitum filij conducerent, nec illi qui dati erant ad filij vitam, ad eius perniciem, & necem inſeruirent. Nequiſſimus erat Cain, tamen non vult Deus, vt in eo etiam toto remedij natura ſuas leges deperdat, vt parentes qui dati ſunt ad ſalutem ſint ad interitum. Diuus Ambroſius lib. 2. de Abel, & Cain, cap. 9. *Parentes tui accuſatores eſſe non poſſunt, ò Cain, nolo enim vt ea neceſſitudo, quæ eſt Auctor ſalutis, fiat Auctor periculi! In te ſolo natura ſuas leges amiſerit.*

Dub. 41. Ad eadem verba: *Vbi eſt Abel frater tuus?* Cur Cainum interrogat Deus?

Deus peccatorem mouet ad pœnitentiam.

Reſpondetur: Quod cum Cain Deum familiariter interrogantem audit, non potuit non ſperare benenole iudicantem, atque adeo ex Diuina indulgentia potuit ad pœnitentiam prouocari. Mouet enim Deus ad pœnitentiam, & confeſsionem. Diuus Chriſoſt. homil. 19. *Fiduciæ occaſiones illi præbens.*

Dub. 42. Ad eadem verba: *Vbi eſt Abel frater tuus?* Cur Dominus à loco inquiſitionem inchoat?

Nullum peccatum occultum, ita est, quod non deprehendatur.

Reſpondetur: Quod Dominus de loco interrogauit, vt ſciret, quod peccatum, quod ei videbatur, eſſe occultum, fuiſſe manifeſtatum, & deprehenſum. Nullum enim eſt peccatum occultum, quod non deprehendatur. Caietanus: *A loco inquiſitionem inchoat: vt ex hoc, quod nuſquam apparebat Abel, inci-*

pere

peret Cain agnoscere crimen suum deprehensum.

Iudices contumelijs non afficiãt reos.

Dub. 43. Ad eadem verba: *Vbi est Abel frater tuus.* Cur Deus Cainum contumelia non affecit?

Respondetur: Quod Deus iniurioſe, & pessime non tractauit Cainum, vt instruat Iudices, ne iniurij: & iniqui in reos existant. Caietanus: *Nec aliqua vtitur contumelia: non inquit ò sceleste, sed absolute inquirit, ad instruendum etiam humanos Iudices, vt abstineant a contumelijs.*

Prælati in iudicio reddent rationem de subditis suis.

Dub. 44. Ad eadem verba: *Vbi est Abel frater tuus?* Cur Dominus rationem petit de fratre?

Respondetur: Quod hæc interrogatio fiet in iudicio Prælatis, quibus mandauit Deus de subditis suis, de eisque in iudicio reddent rationem. Prælati in iudicio rationem reddent pro subditis suis. Hugo Cardinalis: *Hæc quæstio proponitur Prælatis & Clericis omnibus negligentibus in correctione minorum, quasi dicat: attendite, Vbi est Abel, id est anima subditi tui per negligentiam tuam damnata, in luctu æterno, maxime cum vexeris de decimis & eleemosynis eius.* S. Bernardus. *Venient ante Tribunal Christi, & audietur pupillorum querela grauis, & accusatio dura contra eos, quorum vixere stipendijs, nec diluerunt peccata.* Vide dub. 53.

Inquires: Cur Deus Abelem post mortem requirit, cum dum viueret, à Deo non fuit quæsitus?

Labores patienter tolerati, magis augent Diuinũ amorem.

Respondetur: Quod Abel dum viueret pacato animo vacabat Deo, & nullam expertus fuerat persecutionem, vsque dum vitam amisit. Hinc Abel non exquiritur à Deo cum vitam degeret, at cum passus fuit mortem, & interemptus à fratre, protinus inquiritur à Deo diligenter, insignum, quod post mortem perpessam amplioribus à Deo honorabatur affectibus: labores enim patienter tolerati magis Diuinum augent amorem. Diuus Chrisost. tomo 5. *Fratrem enim quem Deo gratum spectasset interemit, existimans hoc pacto, Diuinum illum amorem quem auxit, magi intercludere: siquidem mortuum Deus diligentius conquirebat dicens, Vbi nam Abel frater tuus? Non enim Dei desiderium extinxit inuidia, quin potius auctum reddidit: non enim tua hac cæde, Cain, sunt Abel honores imminuti, sed aucti magis, & ampliati.*

Peccatori peratum impro perandum.

Dub. 45. Ad illa verba, vers. 10. *Quid fecisti?* Cur Dominus interrogat à Cano quid fecerit?

Respondetur: Quod non ignorans interrogat, sed quærit, fratricidium improperans. Peccatori improperandum est peccatum. Oleaster ad litteram: *Emphasi omnia verba hæc plena sunt, & cum maxima indignatione a Deo dicuntur: ac si dicat. Quare tam graue facinus perpetrasti?*

Cum peccator peccatum excusat, eum mouet Dominus ad confessionem.

2. Respondetur: Quod Dominus interrogauit à Caino, quid fecerit, vt hac excitatus interrogatione, ad peccati confessionem moueatur. Mouet Deus ad peccati confessionem. Oleaster: *Exigit Dominus ab eo peccati confessionem, ipse vero excusationem, & ignorantiam prætendit.*

Dub. 46. Ad illa verba, vers 10. *Nescio.* Cur Cain respondit: *Nescio?*

Peccator manifestus peccatum suum defendit, & abscondit.

Respondetur: Quod naturali lumine notum est omnia esse aperta, manifestaque Diuinis oculis: tamen scelestus homo audacia sua credebat propria facinora non posse reuelari. Peccator enim inter manifesta sui peccati insignia, se vult abscondere, & defendere, Victor Mauritanus lib. de Pœnitent. apud Diuum Ambrosium: *O insaniam detestabilem, ò audaciam singularem, & credidit sine conscio crimen publicari non posse.*

Dub. 47. Ad illa verba, vers. 10. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Iuxta Hebræum habetur: *Voce sanguines fratris tui clamantes.* Cur dicit voces sanguinum clamantes? Quorum? Solus enim Abel fuit occisus, solus ergo eius sanguis vocem emittere poterat contra Cainum:

Non solum offensus, sed tota eius familia in illa offensa vindictam postulat ab iniuriante.

Respondetur: Quod non solum sanguis Abel clamabat, sed etiam tota posteritas Abel clamabat, quia peribat patre pereunte: damna enim facta vni personæ, cædunt in perniciem totius eius familiæ: vnde non solum offensus, sed tota eius familia, vt in illo offensa, vindictam postulat ab iniuriante. Caietanus: *Dicit sanguinis in numero plurali propter multos filios, quos productus erat Abel longo tempore victurus, tanquam omnes fuerint simul occisi cum eo.*

Quodlibet damnũ illatum proximo ad Deum clamat.

2. Respondetur: Quod dicit In plurali sanguines Abelis clamantes propter vulnerum multitudinem, quæ Cain Abel inflixit, & imposuit. Quod libet enim damnum proximo illatum ad Deum clamat. Caietanus: *Dicit sanguines in numero plurali, propter multa vulnera Abelis, ex quibus multi sanguines fluxerunt.*

Dub. 48. Ad illa verba: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Cur

non

non dixit, quod loquitur, sed quod clamat?

Grauia peccata clamant ad Deum: leuia vero loquuntur.

Respondetur: Quod peccatum Caini fuit grauissimum: ideò dicitur, quod clamorem edit, emittit, & fundit sanguis Abel, non quod loquitur: leuia enim peccata loquuntur, grauia autem vociferantur, & clamitant. Oleaster ad litteram: *Nota quod grauia peccata clamare dicuntur in punitionem; leuia vero loqui: ita quod qualia sunt peccata: sic clamare, aut loqui dicuntur.*

Sancti Martyres lætantur de vindicta qui eos occiderunt, propter Diuinam Iustitiã

Dub. 49. Ad eadem verba: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me.* Cur sanguis Abelis effusus clamat ad Deum?

Respondetur: Quod sanguis effusus clamare videtur, & petere vltionem aduersus Cainum: iusti enim petunt vindictam de peccatore propter Dei iustitiam. Diuus Thomas 2.2. quæst. 83. artic. 8. ad 2. *Sicut dicitur in libro Veteris, & Noui Testamenti quæst. 68. Postulant se vendicari, non voce, sed ratione, sicut sanguis Abel clamauit de terra. Lætantur autem, scilicet, Sancti Martyres, de vindicta non propter eam, sed propter Diuinam Iustitiam.*

Inquires: Cur sanguis Abel in venis detentus non clamat, sed solum effusus? Nonne sanguis inclusus in venis, erat Abelis cruor? Cur ergo non ille, sed iste effusus petit vindictam?

Infecti sanguinis est, petere vindictam.

Respondetur: Quod sanguis in venis illustrior erat, quàm effusus (licet idem esset sanguis) cum effusus, vi potè terræ admixtus, iam amiserit puritatem, & venarum splendorem. Merito ergo sanguis venarum tacet, terræ perfusus vindictam clamat, ille silet, quia illustris, iste vltionem postulat, quia impurus: vindictam enim de iniurijs sumere est argumentum infecti sanguinis. Diuus Ambrosius: *Vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti,*

Dub. 50. Ad illa verba, vers. 11. *Nunc igitur maledictus eris super terram.* Cur Cain maledicitur, non verò Eua?

Veniabilis est culpa, quã sequitur confessio: qui vero à confessione abstinet damnationi subiacet.

Respondetur: Quod Eua confessa est peccatum, & pœnam, quam præuaricatio induxit; confessio abegit: at verò Cain culpam negauit, vt temporariam pœnam euaderet, ideò remissus est diabolo, vt simul cum eo pœna torqueretur æterna. Noluit Cain se accusare, ne pœnæ quam timebat subiaceret: itaque qui à confessione abstinet, damnationi subiacet, qui verò de sua se culpa accusat, à sua se pœna excusat. Diuus Ambrosius lib. de Parradiso, cap. 14. *Veniabilis culpa, scilicet Euæ, quam sequitur professio delictorum. Ideo non desperata mulier, quæ non reticuit Deo: sed magis confessa peccatum est;* de Caino verò inquit: *Ideo accusatori diabolo eius accusatio reseruata est, vt cum Angelis flagelletur, qui cum hominibus noluit flagellari.*

Grauiori culpæ, sæuetior pœna respondet.

2. Respondetur: Quod Cain plus peccauit, quam parens eius Adamus, cum viderit pœnam patri propter peccatum inflictam, quam sciens à peccato, & fratricidio debuit abstinere, quia ergo plus peccauit quam Adam, seuerius debuit vindicari. Hugo Cardinalis: *Merito maledicitur Cain, & non Adam quia sciens pœnam primæ præuaricationis, tamen fratricidium addidit. Vnde plus peccauit quam Adam.*

Grauiter punitur, qui in alieno capite periculũ non facit, nec alieno malo edocetur.

Dub. 51. Ad eadem verba, vers. 11. *Maledictus eris super terram.* Cur Cain maledicitur sicut serpenti, cui dixit Deus Genes. 3. vers. 14. *Maledictus es inter bestias terræ.*

Similes in culpa, similes in pœna erunt.

Respondetur: Quod diabolus ex inuidia motus fuit ad tentandum, & Cain ex inuidia processit ad fratrem interficiendum: ideò vtrique infligitur maledictio, & eadem est serpentis, & Caini damnationis maledictio propter inuidiam, vt qui similes fuerunt in culpa, similes essent in pœna. Diuus Chrisostomus Homil. 19. in Genesim: *Sicut diabolus, qui odio, & inuidia mouetur, ferre non potuit tot ineffabilia beneficia, quæ in hominem ab initio collata sunt, & inuidia ad deceptionẽ stimulatus est, quæ mortem induceret: ita & hic Deum erga fratrem suum videns beneuolentia magna affici, ex inuidia ad homicidium prosilijt.*

Sæuerius punitur peccatum contra fraternam charitatem quam contra Deum.

Dub. 52. Ad eadem verba: *Maledictus eris super terram.* Cur Deus mitiorem sententiam protulit in Adamum, quam in Cainum? Adamum grauiter peccantem increpuit, ita vt à maledicti nomine abstineret: non enim illum, sed terram maledictam appellauit. *Genes. 3. vers. 17. Maledicta terra in opere tuo.* At verò Cainum atrociter delinquentem maledictum appellauit; cur ergo seueriorem legesit in Cainum, quam in Adamum?

Respondetur: Fortasse quia Adamus peccauerat in Deum, Cainus in fratrem; Deus autem mitius tolerat iniurias sibi, quam fratribus illatas. Vbi vides quanta sit atrocitas peccati contra fraternam charitatem, cum à Deo grauius, quam peccatum inobedientiæ contra ipsum Deum punietur. Diuus Chrisostomus Homil. 19. in Genes. *Ex maledicti magnitudine, flagitij immanitatem expende. Nam quanto maius*

sit

sit peccatum hoc præuaricatione protoplasti, ex maledictionis varietate scire volenti licet. Illic enim inquit. Maledicta terra in operibus tuis. Et in terram effusa est maledictio, ostensa sua in hominem cura. Hic vero, quia res perniciosa, facinus iniquum, & inexpiabile flagitium, ipse pœnam luit.

Dub. 53. Ad eadem verba, vers. 11. *Maledictus eris super terram.* Cur Cain maledicitur.

Negligentes, & impij Prælati, vel de vnius subditi nece puniendi sunt.

Resp. Quod Cain vnum tantum agniculum occidit, & quidem non æterna, sed temporaria tantum morte, & agniculum rursus cuius ipse custos non erat: *Nunquid*, inquit, *custos fratris mei sum ego.* Vnde ea culpa latis fuit, vt æterna maledictione percuteretur, vt doceat Prælatos, quod grauissimas pœnas dabunt, qui Caino negligentiores, plures agnos sibi comissos æternum in exitium præcipitant. Diuus Bernardus sermon. de triplici Aduentu: *Quid ego infelix, quo me vertam si tantum depositum contigerit negligentius custodire? Non est mihi dicere cum Cain. Nunquid custos fratris mei sum ego.*

Inuidia ita obdurat inuidum, vt eam reddat venia indignum.

2. Respondetur: Quod Cainus peccauit inuidiæ malo: & turpe, & obduratum inuidiæ scelus, nec excusationem admittit, nec ob nimiam duritiem, ac impœnitentiam cordis indulgentiam obtinet. Inuidia ita obdurat inuidum, vt eum reddat venia indignum. Diuus Chrisostom. Homil. 36 in Ioann. *Id circo omnis venia inuido desperanda est: nam scortator voluptatis stimulos in excusationem affert, fur paupertatem, homicida furorem, friuolas quidem neque admittendas, qualescumque tamen excusationes, tu vero inuide quam affers, quæso? Nullam profecto nisi animi prauitatem atque malitiam.*

Dub. 54. Ad eadem verba, vers. 11. *Maledictus eris super terram.* Cur maledictio Cain non fuit extensa ad alium, sicut maledictio inflicta Adæ extensa fuit ad omnes; scilicet, ad omnem posteritatem?

Malus damnum infert Reipublicæ peccatum superioris, quã inferioris.

Respondetur: Quod peccauerunt Adam, & Cain, & propter amborum peccata, terræ maledixit Deus, sed cum hac differentia, quod maledictio propter peccatum Cain in eum solum peruenit, & ibi stetit: at maledictio propter peccatum Adam totam eius posteritatem infecit, vtique quia caput erat. Maius enim nocumentum inferunt communitatibus peccata superiorum quam inferiorum. Abulensis: *Prima maledictio inflicta Adæ extendebatur ad totam naturam, quia ille continebat totam naturam in se ista tamen maledictio inflicta Cain non fuit extensa nisi ad solum Cain, quia fuit peccatum personale.*

Dub. 55. Ad illa verba, vers. 11. *Maledictus eris super terram.* Septuaginta legunt: *Maledictus a terra.* Cur Cainus maledictus describitur potius à terra, quam à cœlo, vel aere?

Omnes creaturæ contra peccatorem pugnant.

Respondetur: Quod terra infima est pars mundi, ab ea potius dicitur Cain maledictus, quam ab alia quacunque parte, vt agnoscat peccator vniuersum orbem aduersus eum insurrecturum: si enim abiectior pars, vtpote terra, quæ tanquam communis omnium parens debebat ei esse benignior, tamen non finit deliquentem esse pacificum, sed maledictionibus eum prosequitur, qualibus nam execrationibus in eum insurgent superiores creaturæ? Omnes creaturæ contra peccatorem pugnat. Diuus Ambrosius lib. de Cain & Abel, cap. 9. *Huiusmodi peccator à terra maledictus est, quæ infima, & postrema pars mundi: superius vtique cœlum. & quæ in cœlo sunt Sol, Luna, Stellæ, Throni, Dominationes, Principatus, & potestates, Cherubim, & Seraphim: non est ergo dubium, quod eum, & superiora damnauerint, quam inferiora damnauerunt.*

Dub. 56. Ad eadem verba, vers. 11. *Maledictus eris super terram.* Hebraice habetur: *Maledictus tu de humo.* Quommodo Cain describitur à terra maledictus? In quo ista consistit maledictio?

Qui proximum, & suos lædit, ab alijs destituitur.

Respondetur: Quod tanta est peccati grauitas, quod terra nolit sustinere super se peccatorem, sed ex se quantum potest, eijciat. Hinc dicit maledictus tu de humo id est, hac erit maledictio tua, quod terra quasi te non sustinebit, imo eijciet. Qui proximum lædit, suisque damnum infert, ab alijs destituitur. Maledicenda. *Tibi ægre fructus proferet, & te nutantem, & tremebundum vix sustinebit.*

Qui alteri perniciẽ adfert, diris infectatur ab eo.

2. Respondetur: Quod cum homo alium interficit, terra perdit lucra multa quæ ab illo homine occiso ei prouenire possunt, amittit habitatorem, qui eam inhabitet, colonum qui eam excolat: ideo exetatus à terra dicitur Cainus. Qui alteri perniciem adfert, diris infectatur ab eo. Oleaster ad litteram: *Tantum enim terra execratur homicidium, vt ex se eijcere videatur homicidam, & causa est: quia cum quis hominem occidit, perdit terra vnum habitatorem, & cultorem, & filium, quia homo vnus est.*

Dub. 57. Ad illa verba, vers. 12. *Cum ope-*

operatus fueris eam non dabit tibi fructus ſuos vagus, & profugus eris ſuper terram. Septuaginta vertunt: *Gemens, & tremens eris ſuper terram.* Cur Cain totius corporis tremore quaticbatur?

In alieno capite periculũ faciat peccator, alienoque diſcat periculo, & malo.

Reſponder. Vt illud manifeſtum tremoris ſignum, eſſet continuum aliorum documentum, ne quis ſimile in poſterum machinari facinus auderet, certus non eſſe impune abiturum. Peccator in alieno capite periculum faciat. Diuus Chriſoſt. Homil. 19. in Geneſim. *Continuum tremorem, & motum tibi infero; vt non ſolum ipſe habeas tugem admonitionem, & memoriam huius nefaſti ſceleris: ſed vt omnes, qui te vident, viſo te, quaſi clara illius voce annuntiaretur, diſcant, ne talia audeant, & pœna tua alios doceat omnes, ne vltra tali ſanguine terram inceſtent.*

Pœna prõportionata culpæ.

2. Reſpondetur: Quod Cain miro corporis tremore quaticbatur, vt proportionata culpæ pœna reſponderet, & qui corporis viribus abuſus violentum ſe in fratrem exhibuerat: iiſdem viribus deſtitutus, toto corpore tremulus redderetur. Sic illam Deus præ poteram animoſitatem, hac iuſtiſsima timiditate compenſauit. Pœna enim debet æquari culpæ. Diuus Chriſoſt. Homil. 19. in Geneſ. *Quia abuſus eſt robore corporis, & membrorum viribus; propter hoc continuum tremorem, & motum tibi infero.*

Dub. 58. Ad eadem verba, verſ. 12. *Cum operatus fueris eam non dabit tibi fructus ſuos: vagus, & profugus eris ſuper terram.* Cur Cain multiplici pœna mulctatur?

Reſpondetur: Quod quatuor mala communiter peccatum homicidij ſequuntur; eſſe ſcilicet, maledictum ſuper terram, penuriam fructum terræ pati, agere in continuo timore, & eſſe vagum, ita vt nuſibi requieſcat: ideo dicitur Caino, quod cum operatus fuerit terram non dabit ei fructus ſuos, magna pœna profecto, quod non parſit fortuna labori: Alia pœna illi dicitur ei, quod erit vagus, & profugus ſuper terram; id eſt, dimotus, iactatus ex terris, & exul. Grauiſsima pœna reſpondeat grauiſsimo peccato. Caietanus: *Cum operatus fueris eam non dabit tibi fructus ſuos: iuſta Hebræum habetur: vim ſuam. Ecce primum factum, ex quo conſtat maledictio: quod videlicet terra non reſpondebit ſecundum vim ſuam fructificando Cain colenti illam. Quæ non parua pœna eſt agricolæ. Vagus, & profugus eris ſuper terram Ecce alia factum, ex quo conſtant maledictio, & in hoc clauduntur duo mala incertæ; ſcilicet, vagationis, & longæ fugæ.*

Grauiſsimo peccato grauiſsima pœna reſpondet.

Dub. 59. Ad eadem verba, verſ. 12. *Vagus, & profugus eris ſuper terram.* Chaldæus legit: *Inſtabilis, & tranſmigraueris in terra.* Quale ſupplicium eſt vagari in terris, in hanc, & in illam partem tendere, cum hoc libertatis, ac magnæ facultatis ſit, namſi in vno loco concluderetur, tanquam in carcere detineri videretur.

Aſperitas facit hominem inſociabilẽ.

Reſpondetur: Quod in maledictione Caini denotabatur hominis vita, & conditio. Nam Cainus genio ſuo auarus deteriora Deo obtulit, eratque etiam truculentus, aſper, & ſilueſtris, fratrem ſuum occidit, indeque peccato creuit multum eius auaritia, ac aſperitas, vnde intractabilis factus, omnibus hominibus odioſus euaſit, vt cum nullo poſſet degere, ac habitare, ſed omnes illius conſortium fugientes, cogebatur ipſe in nullo loco conſiſtere, ſed vnum inter diu, alium noctu perpetua inſtabilitate quærere. Aſperitas facit hominem inſociabilem. Lyranus: *Vagus, & profugus, quia omnibus odioſus eris ideo in nullo vno loco ſecurus eris.*

Dub. 60. Ad illa verba, verſ. 13. *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Cur iniquitas Caini recogitata eum ad deſperandum traxit?

Peccator peccatorum memoria trahitur ad deſperandum.

Reſpondetur: Quod peccator magnitudinem ſui ſceleris expendens, à tanta fæce triſtitiæ abſorbetur, vt in extremam deſperationem adigatur: ideo Cain magis reſpiciens malitiam propriam, quam miſericordiam Diuinam, deſperans dixit. Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear. Peccator peccatorum recordatione trahitur ad deſperationem. Lyranus: *Ponitur ipſius Cain deſperatio dicentis. Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear, quod exponunt Catholici Doctores deſperatiue, & affirmatiue dicentes, quod Cain deſperans dixerit quod tantum erat peccatum ſuum, quod non cadebat ſub Dei miſericordia: vnde dixit. Diuus Auguſtinus. Mentiris Cain, maior eſt Dei miſericordia, quam omnium peccatorum miſeria.*

2. Reſp. Quod Scriptura hic depinxit in pœnitentem hominem, cuius conditio eſt cogitare punitionem, pœnamque illi inflictam, ſuperare mala quæ fecit: ideo dixit Cain, quaſi interro-

Peccator conqueritur se plures dare pœnas, quam mereatur.

gando: *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear?* Conqueritur se plures dare pœnas, quam mereatur. Peccator conquæritur, quod maior sit pœna quam patitur, quam culpa quam comisit. Lyranus: *Doctores Hebræi exponunt prædictum verbum interrogatiue, & negatiue, ac si diceret Cain. Est ne peccatum meum tantum, quod non possim mereri veniam; ac si diceret non, per hoc indicans, quod Deus puniebat eum vltra condignum.*

Dub. 61. Ad eadem verba, vers. 13. *Maior est iniquitas mea, quam, vt veniam merear.* Iuxta Hebræum habetur: *Magnum peccatum meum de leuari.* Vel, vt legit Maluenda: *Magna est iniquitas mea ad condonandum.* Quis sensus horum verborum?

Vbi magna miseria est, & culpa, necessaria est magna misericordia, & venia.

Respondetur: Quod hæc verba: *Magnum peccatum meum de leuari,* seu: *Magna est iniquitas mea ad condonandum.* Sic exponuntur: quasi dicat Cain; Magnum peccatum meum magna indiget venia ad condonandum, quia vbi est magna miseria, & culpa, necessaria est magna misericordia, & venia. Caietanus: *Magnum peccatum meum de leuari. Est itaque sensus, quod peccatum meum magnum relatiue est ad hoc, vt leuetur, hoc est, vt condonetur. Et verum dixit, quoniam magna venia eget, magna pœnitentia eget, vt condonetur.*

Dub 62. Ad eadem verba, vers. 13. *Maior est iniquitas mea quam, vt veniam merear.* An peccator qui grauissima commisit peccata posset dicere hæc verba?

Misericordia Dei peccatori, per pœnitentiam veniam præbet absque vllo termino.

Respondetur: Quod licet peccator perpetrauerit fœdissima, teterrima, indignissimaque homine facinora, non posset dicere, quod maior est iniquitas sua, quam vt veniam mereatur; impius esset, & effrenis in Deum, cum honori Diuino, eiusque misericordiæ calumniam ingerit, quia Dei misericordia omnem superat malitiam. Diuus Thomas 3. part. quæst. 84. art. 10. in corpore: *Maior est iniquitas mea quam, vt veniam merear. Blasphemia est maxima contra infinitatem Diuinæ misericordiæ, quæ superat omnem numerum, & magnitudinem peccatorum. Secundum illud Psalmi 50. vers. 1. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam: vnde reprobatur verbum istud Cain dicentis. Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Misericordia enim Dei peccantibus per pœnitentiam veniam præbet absque vllo termino. Vnde dicitur 2. Paralipom. vltimo. Immensa, & inuestigabilis misericordia promissionis tuæ super malitiam hominum.* Hugo quoque Cardinalis ait: *Nota quatuor sunt quæ aggrauant peccatum. Qualitas generis, frequentia, diuturnitas, impœnitentia, sed quantumcunque magnum sit, maior est misericordia Dei. Quod si vis scire pone peccata in stathera Crucis. Iob. 6. Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior in stathera, quasi arena maris hæc grauior appareret. Peccata trahunt ad infernum, sed calamitas pœnitentiæ præponderans eleuat ad cœlum. Non igitur te deijciat qualitas peccati; id est, noua ad inuentio peccati: nouior enim Domini pœnitentia. Ierem. 31. Nouum faciet Dominus super terram. Isaiæ 12. Notas facite in Populis ad inuentiones eius. Item non te deijciat peccati frequentia: pronus est enim Dominus ad remittendum. Ierem. 3. Fornicata es cum amatoribus multis. Item non te turbet peccati diuturnitas. Nullum enim peccatum æternum est, sed misericordia Domini ab æterno, & vsque in sæculum sæculi. Psalm. 102. Ne memineris iniquitatum nostrarum. Item non te turbet, quod aliquando diffidentiam habuisti, confidentiam habe, & veniam. Consequeris* Hebr. 4. *Accedamus ad Thronum gloriæ eius cum fiducia, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in tempore opportuno.*

Quatuor aggrauãt peccatum.

Peccata in stathera Crucis appensa minora apparent.

Deus pronus ad remittendum.

Confidentia in misericordia Dei veniam consequitur.

Dub. 63. Ad illa verba, vers. 14. *Ecce eijcis me hodie à facie terræ.* Cum Cain propter peccatum damnationem animæ, & æternam pœnam promeruit, cur de his non dolet, sed solum, quod eijciatur à facie terræ, ne terrenis bonis perfruatur?

Respondetur: Quod Cain cum impius esset temporalia bona saluti animæ præferebat, & plus bonorum terrenorum amissione, quam animæ iactura percutiebatur. Peccatores enim plus dolent de malo temporali, quam de spirituali. Rupertus lib. 4. in Genes. cap. 7. *Quid deprehensus timet! Incultus ipse agricola ecce inquit, me eijcis hodie à facie terræ, hoc timet, ne agricolari sibi non liceat, ne terram quam solum amat, vel præsentem vitam pro admisso facinore perdat.*

Peccatores plus dolent de damno temporali quam spirituali.

Dub.

Dub. 64. Ad illa verba, vers. 14. *Ecce eïcisme hodie à facie terræ, & ero vagus, & profugus.* Cur Cain nihil agit de culpa, sed tantum de pœna curat?

Peccator culpa contempta fugit pœnam non vero vitat culpam.

Respondetur: Quod Cain cum esset iniquus, culpa contempta solum pœna effligebatur: ideo nulla culpæ facta mentione pœnam refugit, magnoque eius dolore afficiebatur. Peccator curat vitare pœnam, non culpam. Diuus Augustinus tract. 49. in Ioannem: *Mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci, pro morte carnis, quæ sine dubio ventura est, curant omnes ne veniat, non laborant, ne peccet homo in æternum moriturus.*

Dub. 65. Ad illa verba, vers. 14. *Ero vagus, & profugus in terra.* Cur Cain vagus in terra, cum primus omnium ædificasset sibi Ciuitatem, vt patet in hoc cap. vers. 17. Si habebat Ciuitatem, cur nos quieuit in ea? Quis eum coegit exire extra eam?

Peccator instabilis est mutabilis, in nullo quietus permanens.

Respondetur: Quod Cainus cum esset peccator, bene de se ait: *ero vagus, & profugus*, seu, vt habet Chaldaicus: *Ero instabilis, & transmigrans in terra.* Peccator enim semper inconstans est, & in nullo scit quietus permanere. Philippus Abbas de silentio Clericorum, cap. 107. *Vagus, & profugus, miser misserime tunc habetur, cum vndique desertus à gratia, solo vitio non tenetur, sed habenis solutis per multa, & varia circumfertur, nullis valens resistere, cunctis persequentibus antefertur, induratus nequitia, ad omne reuocantis consilium obstinatus: non recordans veniæ, morti perditæ destinatus, ad omnem flatum, vel impulsum cuiusque prauitatis fertur, vt stipula raptatur, vt palea suo vitio leuitatis.*

Dub. 66. Ad illa verba, vers. 14. *Omnis igitur qui inuenerit me occidet me.* Vnde Caino tam dira cogitatio venit, vt esset occidendus à quolibet qui eum inuenisset? Nonne solum inter viuentes in hoc sæculo erant eius pater, mater, fratres, consobrini, filij, ac nepotes eius: si ergo omnes in terra degentes, sanguinis nexu erant astricti, à quibus mors inferenda timebatur?

Peccator ex suo animo de alijs iudicat.

Respondetur: Quod Cain extitit crudelis homicida, in Abelem cruentas manus inficiens: inde existimabat, quod etiam pater, mater, fratres, filij, ac nepotes, eandem cruentatem in eum exercerent, suasque manus in eius sanguine fœderant. Peccator enim ex se de alijs iudicat. Diuus Chrisostomus Homil. de Dauid, & Saul: *Plerumque vulgus hominum ex suo animo de alijs iudicat, velut qui sæpe inebriatur, haud facile credere possit esse quempiam hominem sobrie, frugaliter viuentem: qui scortis indulget, etiam pudice viuentes habet pro incontinentibus.* Vide Dom. 1. Quadr. n. 22.

2. Respondetur: Quod Cain timebat, ne omnes contra illum creaturæ dimicarent ad fratricidium, quod commisit vlciscendum: ideo in illa hominum solitudine eum perterruit: omnis enim creatura ad homicidium vindicandum in homicidam insurget. Procopius: *Accedebat metus virtutum cœlestium, quæ nefandi sceleris vltrices sæues fore præsagiebat animus. Præterea timebat insidias ex mundi partibus, quæ quamuis admodum viles sint mortalibus, & in hunc finem sint extructæ, attamen malos quoque lædere norunt. Metuebat insuper insidias ferarum, & reptilium, quæ Deus ad vindictam impiorum creauit.*

Omnes creaturæ in peccatorem ad peccatum vlciscendo insurgent.

Dub. 67. Ad illa verba, vers. 15. *Nequaquam ita fiet.* Cur Dominus meritissimum mortis reum morte absoluit?

Peccator diu viuit, vt vita prorogata grauius puniatur.

Respondetur: Quod atrox illa culpa fratricidij, atrociorem pœnam, quam mortem merebatur. Id circo illi Dominus vitam conscientiæ terroribus obnoxiam prorogauit, vt non vnam tantum Crucem semel moriendo, sed infinitas prope modum diu viuendo sustineret. Vita prolongata peccator grauius punitor. Philo Hebræus lib. de Profugis: *Cain impudentes fratricidæ mors nunquam in lege inuenitur: imo extat de illo hoc oraculum, ne quis eum inuentum interimeret. Cur ita? Opinor, quia impietas malum est infinitum, quod semel accensum nunquam extingui potest.*

Dub. 68. Ad illa verba, vers. 15. *Posuit Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum, omnis qui inuenisset eum.* Cur Adamus paulo ante iudex omnium constitutus, modo depellitur à iudicio, & à cognoscenda causa sui subditi prohibetur?

Qui iudicem non colit, indignus est iudicis officio.

Respondetur: Quod Adamus peccando paulo ante contra Deum, innocentiam, & iustitiam amiserat, sine qua indignus erat, qui iudicis officium

cium exerceret: indignus enim est iudicis officio, & quod potestatem in alios præferat, qui non præfert sanctitatem. Mendoza tomo 1. fol. 64. num. 8. *Qui enim iustitiam non colit, non potest alios iniustitia continere.*

Iudices flexibiles, & de iustitia suspecti á munere arcendi.

2. Respondetur: Quod iustitia Adami poterat flecti, & parcere Caino, cum eius pater esset, & ille cuius iustitia flexibilis est, prohibendus à munere, & officio iudicis est. Mendoza ibidem: *Adamus non solum erat iudex, sed pater, cuius esse poterat in filium suspecta conditio, & flexibilis iustitia, vepote humana: sola enim Diuina Proprio filio non pepercit. Rom. 8. Vers. 32.*

Dub. 69. Ad eadem verba, vers. 15. *Posuit Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum.* Cur tam execrabilis homicida, vitæ fidem accepit à Deo, ac etiam illius signum, vt non esset interficiendus?

Afflicto non est addenda afflictio.

Respondetur: Quod Cain erat maxime afflictus, & cum tantis pœnis esset affectus, maledictus; scilicet, & vagus super terram, noluit Dominus ei afflictionem super afflictionem addere, vt si vexabatur maledictione, ne etiam torqueretur timore proximæ mortis irruentis. Non enim est addenda afflictio afflicto. Diuus Thomas: *Vt sciretur à Domino punitus, & iudicatus, & ita non occideretur ab aliquo: in humanum enim est afflicto afflictionem addere.*

Dub. 70. Ad eadem verba, vers. 15. *Posuit Dominus in Cain signum.* Quod signum posuit Dominus in Cain, vt non interficeretur? Et vbi posuit signum?

Peccato publico, publica debetur pœna.

Respondetur: Quod signum teste Malvenda cum pluribus, fuit tremor horribilis omnium membrorum, quod sumitur ex verbis Cain: *Ero*, inquit, *vagus, ac profugus super terram*, seu, vt habent septuaginta, *gemens, ac tremens.* Tremore autem non immerito afficitur, quem si abscondere vellet, non valeret, quia publici homicidij in agro, publicum esse debebat, & supplicium in toto corpore. Pœna publica debetur peccato publico. Diuus Chrisostomus Homil. 4. de verbis Isaiæ: *Circumibat Cain omnibus loquens, silentio vocem edens, silentioque erudiens. Lingua tacebat, & cætera membra clamabant.*

2. Respondetur: Quod Deus posuit signum; id est, tremorem in capite Cain, quia Abelem caput Ecclesiæ læsit. Merito ergo qui Ecclesiæ caput læsit, & offendit tremore capitis afficitur, innuat Deus, quod subditus, qui Prælatum violat, grauissimas luet pœnas. Petrus Comestor: *Posuit Deus signum in Cain, tremorem capitis: quia fratrem suum, qui erat caput Ecclesiæ occiderat, vt sic sciretur, à Domino punitus, excomunicatus, & indignus misericordia nec interficeretur.*

Qui Prælatũ lædit grauissimas luet pœnas.

Dub. 71. Ad illa verba, vers. 15. *Omnis qui occiderit Cain septuplum punietur.* Cur maior pœna statuta fuit in eum qui occidisset Cain, quem dicunt fuisse Lamech, quam in ipsum Cain occisorem Abelis?

Qui peccat pœnæ grauitate ob peccatum admonitus, grauissime punietur.

Respondetur: Quod quidam dicunt, quod per septuplum punitionem significari punitionem septuplo maiorem: & ideo Lamech grauius Caini quam Cain Abelis mortem luit propter quatuor rationes quas ponit Mendoza tomo 1. fol. 174. *Prima, quia Cain peccauit nondum expertus, quas pœnas homicidium meruerit. Lamech autem ne ipsius quidem pœnæ grauitate admonitus, voluit ab homicidio abstinere.* Inobedientiæ peccatũ grauissime punitum. *Secunda quia Cain solum homicidium commisit, Lamech autem insuper, & expressam Dei obedientiam violauit, prohibentis ne quis occiderit Cain, vnde vides quantum sit in obedientiæ peccatum, cui tantus pœnæ excessus debeatur. Tertia, quia Cain occidit hominem iustum; Lamech hominem sceleratum, & quamuis grauior culpa sit occidere hominem iustum ratione personæ, quæ est dignior vita: vita nihilominus grauior culpa est occidere peccatorem, ratione damni illati, quia, & temporali, & æterna vita priuatur.* Peccator secundum damnum, quod proximo infert, grauiter, vel leuiter punietur. *Quarta ratio addi potest grauiorem fuisse hanc pœnam licet pro culpa leuiori, ne dari videretur libera omnibus licentia occidendi peccatorem. Nam leuiora etiam peccata, in quæ tamen periculum est frequentius incidendi, maioribus debet supplicijs coerceri.* Leuiora peccata cum possunt vitari, & non vitantur grauissimo supplicio punientur.

Dub. 72. Ad eadem verba: *Septuplum punietur.* Id est Cain pro septem peccatis punietur vsque ad septimam generationem; id est, punitio de ipso fiet per septem generationes, & septima occidetur, quia Lamech qui fuit septimus ab Adam interficit eum, vnde alia translatio habet: *Septem vindictas exoluit.* Cur Cain dicitur puniendus vsque ad septimam generationem?

Resp.

Reſpondetur: Quod Cain ſeptem peccata commiſerat, & iuſtum erat, quod numerus pœnarum, æquaret cum numero peccatorum. Pœna enim debet eſſe æqualis culpæ. Hugo Cardinalis: *Septuplum punietur, id eſt, pro ſeptem peccatis punietur vſque ad ſeptimam generationem. Septem enim peccata fecit, non recte diuiſit, fratri inuidit, doloſe eum in agrum duxit procaciter occidit, negauit, deſperauit, pœnitentiam agere noluit.*

Dub. 73. Ad eadem verba, verſ. 15. *Omnis qui occiderit Cain ſeptuplum punietur.* Cur interfector Caini erat puniendus?

Non publicæ perſonæ, ſed priuatæ inhibetur punire peccatorem.

Reſpondetur: Quod perſona priuata non habet licentiam liberam occidendi peccatorem, ſed qui poteſtatem habet publicam: ideo dicit Dominus, quod qui occiderit Cain, priuata; ſcilicet, authoritate, punietur. Priuatæ perſonæ, non publicæ inhibetur occidere peccatorem. Caietanus: *Punietur quidem, ne licitum putaretur cuilibet occidere hominem fratricidam. Quamuis enim fratricida mereatur occidi, non tamen a quolibet poteſt licite occidi: ſed tantum modo a publica poteſtate, cuius eſt ius in huiuſmodi dicere, & facere. Propter, quod Deus non inhibuit Adæ, qui tunc erat Princeps occiſionem Cain, ſed inhibuit cuilibet priuatæ perſonæ in genere, dicendo, omnis qui occiderit Cain.*

Dub. 74. Ad illa verba, verſ. 16. *Egreſſuſque Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Edem.* Cur Deus permiſit hominem tam impium in illa Regione Edem, in qua Paradiſus terreſtris erat conſtitutus manere? Cur non in aliam plagam expellitur, ſed ad illam?

Amiſſa fœlicitas maxime torquet.

Reſpondetur: Quod illam ad plagam Edem manſit Cain, vt ex tam præclara fœlicitate ante oculos obiecta, grauiori dolore vulneraretur. Amiſſa enim fœlicitas maxime torquet. Lyranus: *Per Edem intelligitur Paradiſus terreſtris: in pœnam enim Cain factum eſt, vt expelleretur verſus illam Regionem delectabilem, & fœlicem, quam per peccatum patris amiſſerat, vt inde haberet materiam doloris, quia illuc accedere non audebat.*

Dub. 75. Ad illa verba, verſ. 16. *Egreſſuſque Cain à facie Domini.* Cur dicitur Cain egreſſus à facie Dei?

Facies Dei iuſtis iocunda, peccatoribus terribilis.

Reſpondetur: Quod ſicut pijs, probiſque viris, chara eſt, iocundaque Domini facies: ſic & impijs, atque improbis eſt illa terribilis, atque nimium triſtis, tanquam deploratis, deſperatiſque; quid mirum Cain à Domino procul abeſſe. Facies Dei iuſtis iocunda, iniuſtis terribilis eſt. Hugo Cardinalis: *Nota ſicut lux infirmis oculis odioſa eſt, ſanis autem delectabilis, & ſano palato panis ſuauis, & infecto amarus: ita facies Domini ſanæ menti delectabilis eſt, infirmæ autem offendiculum.*

Peccator propter abominabile peccatum deſtituitur à Deo.

2. Reſpondetur: Quod Cain à facie Dei egreſſus eſt, quia propter peccatum ſuum peculiari Dei patrocinio deſtitutus eſt. Peccator propter abominabile peccatum deſtituitur à Deo. Honcala: *Sane intelligitur Cain egreſſus à facie Domini, quia propter abominabile, & perniciſioſum facinus, Dei præſidio fuit nudatus, & habitauit in terra profugus.*

Peccatores propter grauiſſima peccata excommunicatur, quia indigni, quod inter bonos habitent.

3. Reſpondetur: Quod facies Dei dicitur locus ille vbi eſt cœtus, & congregatio honorum, vbi Deus fauorabilis, & beneuolus ſuis ſe manifeſtat: ab illo ergo loco egreſſus dicitur Cain, in quo Deus præſens erat, bonitque beneuolentiam exhibebat: quia Cainus indignus erat propter peccatum ſuum inter bonos habitare. Ideo quaſi excommunicatus à cœtu piorum electus fuit Malu enda: *Obſeruant facies Dei dici locum illum, ſeu cœtum piorum, vbi verbum Dei, & promiſſio de ſemine benedicto venturo ſonabat, vbi erat vera Eccleſia, Sacramenta, ſacrificia, verus Dei cultus, Religio, pietas, & aliæ cœremoniæ, res externæ Sanctæ Religionis, quæ ſunt tanquam viſibiles Dei facies, in quibus Deus ſe exhibet, & præſens eſt, & vult ſe conſpici: vbi fauorem ſuum, & beneuolentiam erga ſuos oſtendit, eos alloquitur, oracula edit.*

Dub. 76. Ad illa verba, verſ. 17. *Cognouit autem Cain vxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Henoc.* Cur Deus impio viro dedit prolem?

Deus in media ira, miſericordiæ recordatur.

Reſpondetur: Quod Cain multis flagellis fuit ob peccatum à Deo percuſſus: ideo ſolatij medelam ei præbuit, & præſtitit, dando ei filium. Deus enim cum iraſcitur homini, miſericordiæ, & conſolationis recordatur. Oleaſter: *Benedictus Dominus qui etiam in media ira miſericordiæ recordatur, nam quia puniuerat Cain quodammodo ipſum conſolatur, dando prolem.*

Dub. 77. Ad illa verba, verſ. 17. *Et ædifi-*

ædificauit Ciuitatem. Cur Cain ædificauit Ciuitatem?

Peccator timidus est, & humanum refugium quærit

Respondetur: Quod quia Cain fratrem suum occiderat, & ob hoc ab omnibus odiosus vagusque, & profugus super terram erat: id circo Ciuitatem qua tutaretur, ædificauit, vt illo muro inclusus, ab ijs quos lædebat, fieret inaccessus. Peccator enim timidus est, & refugium quærit humanum. Hugo Cardinalis: *Ciuitates murauit ob timorem eorum quos lædebat.*

Dub. 78. Ad illa verba: *Ædificauit Ciuitatem.* Iuxta Hebræum habetur. *Et fuit ædificans Vrbem.* Et quidam legunt: *Quamobrem studebat ædificare Ciuitatem.* An Cain cœpit ædificare, & non consumauit?

Peccatore opera sua non perficiunt

Respondetur: Quod cœpit extruere Ciuitatem, sed opus non confecit, nec absoluit: peccatores enim opera sua non perficiunt. Maluenda: *Cœperat quidem summo studio, & contentione ædificare Ciuitatem, sed vi maledictionis Dei subinde ad errandum impulsus, opus intermittere cogebatur.*

Dub. 79. Ad illa verba, vers. 17. *Vocauitque nomen eius ex nomine filij sui Enoch.* Cur Cain non potius de suo nomine nuncupauit Ciuitatem quam ædificauit?

Respublica ex impiorum factis redditur omnibus odiosa

Respondetur: Quod Cain noluit extructam à se Ciuitatem ex nomine suo vocare, ne pessimi Auctoris nomen ad posteros transmitteretur: ex impiorum enim factis Ciuitas redditur odiosa. D. Thomas: *Quia ex maledictione Dei, & infamia facti sui, erat mundo odiosus, ne ex infamia eius Ciuitas odiosa redderetur.*

Parentes magis solliciti de filijs suis quam de se ipsis

2. Respondetur: Quod Cain valde amabat filium Henoch; ideo maluit sui filij nomen, quam suum apud posteros viuere, & vigere. Vnde nomen filij suo ante posuit. D. Thomas ibi: *Quia parentes sunt magis solliciti de filijs, quam de se ipsis, ideo Ciuitatem à filio denominauit.*

Peccator in operibus suis gloriam huius mundi ambit

3. Respondetur: Quod Cain ex nomine filij vocauit Ciuitatem, quia humanam gloriam ambiebat: & peccatores, in operibus suis gloriam huius mundi quærunt. Honcala: *Ab Enoch enim Enochiam appellauit. Ambitiosa quippe de nominatio, & hominis, qui gloriam mundi mallebat quam eam quæ ex Deo est. Hinc præterea exemplum illi sumpsere quos è latere Diuinus ille psaltes percutit dicens Psalm. 48. Vocauerunt nomina sua in terris.*

Dub. 80. Ad illa verba, vers. 18. *Enoch genuit Irad.* Cur Moyses memoriam fecit harum generationum quæ diluuio perituræ erant?

Doctorum memoria æterna colenda sunt

Respondetur: Quod isti inuenerunt artem, quæ ad vitæ humanæ cultum necessaria erant: Iabel enim inuenit artem faciendi tentoria, vt Pastores haberent domos portatiles, quia oportet eos frequenter transire de loco ad locum. Tubal primo adinuenit instrumenta musica, Tubal Cain fuit malleator qui artem ferrariam adinuenit. Licet enim isti diluuio perituri essent recensentur tamen à Moyse, quia cum essent Principes artium, quibus homines docuerunt necessaria, suarum artium vestigia, non pressa leuiter adexigui prædicationem temporis, sed fixa oportebat esse ad memoriam nominum eorum sempiternam. Doctores enim memoria æterna colendi sunt. Honcala: *Ne mireris has omnes generationes diluuio totas, delendas recensseri nunc diligentissime. facit enim hoc mirabilis hic Vir, vt ostendat qui fuerunt Principes earum artium, quæ ad vitæ humanæ cultum percommodæ sunt, & necessariæ. Nam ab his inuentoribus per manus filiorum Noe in futura post Vniuersale orbis excidium sæcula fuerunt traductæ, quibus, & posteriores gentes Vsæ sunt; eas denique nouis inuentis auxerunt, & expolierunt.*

Iustis cura rerum temporalium oblita totus virtuti intendit

Dub. 81. Ad eadem verba: *Enoch genuit Irad.* Cur inuentores harum artium non fuerunt ex progenie iusto-

Respondetur: Quod iustorum stu-

rum?

dium erat colere virtutem, nutrire pietatem: ideo artes quæ ad temporalium rerum vsum deseruiebant, non excogitarunt. Iustus enim cura rerum temporalium oblita, totus virtuti intendit. Honcala: *Mirum autem illud videri debet, quod nullus earum artium Auctor è iusterum progenie, & numero fuisse describitur: tanto maius erat illis colendæ nutriendæque pietatis, quam talium artium excogitandarum studium.*

Non vult Deus artes & doctrinas vtiles perire

Inquires: An ars quam inuenit Tubal; scilicet, musica consonantiarum perierit tempore diluuij?

Respondetur: Quod Tubal ne ars inuenta periret, scripsit eam in duabus columnis, vna lateritia contra diluuium ignis, altera marmorea contra diluuium aquæ: ideo per diluuium non perijt, sed incolumis seruata fuit. Non vult Deus artes, & Doctrinas Reipublicæ vtiles perire. Petrus Comestor: *Tubal pater canentium in cythara, & organo, qui inuentor fuit musicæ; id est, consonantiarum, & quia audierat Adam prophetas-*

se de duobus iudicijs, ne periret ars inuenta, scripsit eam in duabus columnis, in qualibet totam, vt dicit Iosephus, vna marmorea, altera lateritia, quarum altera non dilueretur diluuio, altera non solueretur incendio. Marmoream dicit Iosephus adhuc esse in terra Syrica.

Ex malo patre peruersus filius.

Dub. 82. Ad eadem verba: *Enoch genuit Irad.* An qui descenderunt ex Cain, fuerunt mali?

Resp. Quod fuerunt peruersi, & Caini imitatores: filij enim mores prauos parentum referunt. Liranus. *Dicunt Hebræi: quod Sella adinuenit arma ad occidendum, in hoc fuit imitator patris sui Cain, qui fuit occisor. De Abel fratre suo ex patre, dicunt quod fecit tentoria ad ponendum Idola. Et de Tubal dicunt, quod canebat instrumentis musicis coram Idolis, ea venerando. Ex quo patet, quod isti qui descenderunt ex Cain, fuerunt mali, & peruersi.*

Dub. 83. Ad illa verba, vers. 20. *Genuit Ada Iabel, qui fuit pater habitantium intentorijs.* Cur Iabel dicitur pater. Cum pater non fuerit?

Qui aliorum est Doctor, pater appellari potest.

Respondetur: Quod Iabel fuit primus Author inuentor, & Doctor, qui Pastores docuit sua tuguriola statuere, & qui alios docet, & eorum est Magister, & Doctor, pater eorum appellari potest. Oleaster ad litteram: *Fuit pater habitantis tabernaculum: id est, primus qui docuit rem pecuariam curare, vel quod verius puto docuit intentorijs habitare Pastores. Iam enim antea Pastores erant, vt patet de Abele, sed nondum erat vsus habitandi intentorijs Pastoribus, sed iste inuenit. Et etiam fuit pater pecudis: id est, magnus Artifex in re pecuaria.*

Dub. 84. Ad illa verba, vers. 23. *Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum.* Quis intelligitur per virum, & adolescentulum occisum à Lamech?

Homo ætate senex, prauis moribus iuuenis est.

Respondetur: Quod sunt qui dicant virum, & adolescentulum, fuisse diuersos homines occisos à Lamech: alij dicunt fuisse eundem, non tamen explicant, qui nam fuerit, cæterum Hebræi, eumque fuisse Cain, qui dici potest adolescentulus, licet fuerit quintus auus Lamech, seu auus proaui Lamech vt ex Genesi constat, quia quamuis iam esset maturus annis, erat tamen moribus immaturus, & adolescentulus vocandus erat, non tam ætate quam pro vitio, & morum indignitate. Qui senex est ætate, & praue viuit, iuuenis est. Rupertus lib. 4. in Genes. cap. 9. *Sciendum virum ipsum Cain, adolescentulum autem dici florem eius frustra à quibusdam intelligi, cum vnus idemque Cain, vir pariter, & adolescentulus, recte possit accipi: Vir scilicet, per ætatem, adolescentulus autem per eius stultitiam.*

Dub. 85. Ad eadem verba, vers. 23. *Occidi virum in vulnus meum.* Cur Lamech prodit homicidium suum?

Peccatores sua conscientia accusat, & prodit.

Respondetur: Quod Lamech proauum suum Cainum per imprudentiam interuenandum occidit, & nemine prodente, se prodit, nemine condemnante se condemnauit, quia peccatorem sua conscientia accusat, & condemnat. Peccator se ipsum prodit. Diuus Chrisost. Homil. 20. *Simul ac in peccatum declinarat, statim insurrexit conscientia, inclamansque, & ostendens peccatorum magnitudinem, omnibus se ipsam pœnis obnoxiam fecit. Ita enim se habet peccatum, vt priusquam fiat, obtenebret, ac decipiat mentem, postquam autem consummatum fuerit, manifeste suam nobis absurditatem proferat, & ostendat.*

Dub. 86. Ad illa verba, vers. 23. *Septuplum vltio dabitur de Cain: de Lameth autem septuagies septies.* Cur Lameth timet fore, vt septuagies septies puniatur? Nonne occisor Cain prædicitur à Deo septies tantum puniendus: *Omnis*, inquit Textus, *qui occiderit Cain, septuplum punietur*, supra vers. 15. Si igitur Cainum occidit, septies tantum punietur, iuxta latam à Deo sententiam, cur ergo timet, quod septuagies septies puniatur?

Mala conscientia grauiora timet pati, quam patiatur.

Respondetur: Quod licet minor pœna Lameth decerneretur, tamen maiorem formidabat: id est, multo grauius quam Cain puniri timebat, quia mala conscientia præsaga est maioris mali, quam re ipsa patiatur: ideo Lameth septenis addictus flagris iuxta verbum Domini, adhuc vlterius septuagena perhorrescit: mala enim conscientia grauiora timet, quam patiatur. Diuus Chrisost. Homil. 20. *Peccator habens acrem illum accusatorem conscientiam; nunquam sic in solitudine versatur, quin suspiciones timeat, vmbras tremiscat, & eas qui conscij sunt, & qui non sunt. Perpetua in animo eius tempestas est, & reciprocantes, & contrarij fluctus. Insuper neque somnus ei suauis, sed terrore, & formidine plenus, neque cibus voluptatem præbet, neque amicorum colloquia talem refocillare, vel liberare ab vrgente anxietate possunt, sed tanquam carnificem circumgestat, se lancinatem, & flagellantem continuo: ita post absurdum facinus obambulat, nullo conscio, sustinens intolerabilis*

biles pœnas illas, & iudex sui factus, & accusator.

Dub. 87. Ad eadem verba, vers. 23. *Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech autem septuagies septies.* Cur nequitia Lamech ita multiplicatur super flagitium Cain, nam septies pœna adscribitur Caino: at in Lamech ita excreuit vltio, vt septuagies septies ei infligatur?

Timor pœnæ peccatores retrahit à culpa.

Respondetur: Quod Lamech dixit vxoribus, quod de illo, qui eum occideret, septuagies septies vltio sumenda erat: timebat enim occidi à mulieribus, vt autem eas ab occisione retraheret, pœnam pro occisione proposuit. Timore enim pœnæ peccatores retrahuntur à culpa. Hugo Cardinalis: *Septuplum vltio dabitur de Cain; id est, grauius vltio sumetur de illo, qui occidit Cain, id est, de me, sed septuagies septies, id est, multo grauior sumetur de illo, qui occiderit Lamech. Hoc dicebat timens, ne vxores suæ occiderent eum.*

Peccata parentum puniuntur in filijs.

2. Respondetur: Quod, vt dicit Iosephus Lamech habuit filios, & filias septuaginta septem: ideo dicit, quod puniendus erat septuagies septies; id est, in septuaginta & septem filijs. Patres enim puniuntur in filijs. Hugo Cardinalis: *Lamech dicitur punitur septuagies septies, quia septuaginta septem animæ egressæ de illo, diluuio perierunt, in quo ipse adhuc viuens puniebatur. Forte sciens hoc per reuelationem sibi factam propter peccatum suum.*

Dub. 88. Ad eadem verba: *De Lamech autem septuagies septies.* A quo fuit occisus Lamech? Quodque eius peccatum propter quod tam grauem pœnam passus est?

Per quæ quis peccat, per ea punitur.

Respondetur cum Abulensi: Plures sensisse Lamech occisum fuisse à duabus mulieribus quas habuit, quæ illum male tractando occiderunt, & referunt sic eum de illis fuisse conquæstum: vos me occidistis male tractando. Permisit autem Deus Lamech à suis vxoribus occidi, quia fuit primus qui duas vxores accepit contra Dei mandatum, ideo punitur per mulieres suas qui in suis deliquit mulieribus. Per ea enim per quæ quis peccat per ea punitur. Oleaster: *Sunt peccata quædam, quæ pœnam perpetranti imponunt. Quia iste non fuit vnica coniuge contentus, voluit Dominus, vt illæ sibi graues essent.*

Pœnas grauissimas repetet Deus ab adultero.

2. Respondetur: Quod Lamech primus contra naturam, & contra mores adulterium commisit, vt dictum est hic in 1. responsione. Merito ergo Deus in eum seuere animaduertit, & vindicauit. Pœnas enim grauissimas repetet Deus ab adultero. Petrus Comestor: *Lamech, qui septimus ab Adam, & pessimus, quo primus bigamiam introduxit, & sic adulterium contra legem naturæ, & Dei decretum commisit. In prima enim creatione vnica vnico facta est mulier, & eius per os Adæ decreuerat: erunt duo in carne vna.*

Dub. 89. Ad illa verba, vers. 25. *Cognouit quoque adhuc Adam vxorem suam.* Cur Adam cognouit vxorem suam post centum annos, quibus luxit mortem filij sui Abel secundum Abulensem, & alios.

Respondetur: Quod duæ vxores Lamech noluerunt reddere viro suo debitum coniugale, de quo conquæstus, adduxit vxores ad Adam, vt eas de crimine reprehenderet, & debiti solutionem eis præciperet. Quæ cum essent in conspectu Adam, & eas reprehenderet, ipsæ Adamo simile crimen obiecerunt, dicentes ei, quid criminaris nobis, quod vero nostro debitum per paucum tempus nos non reddamus, si tu per centum annos vxori tuæ Euæ debitum non soluisti? Quo audito Adam tacuit, & Euam cognouit, ne reum illius criminis se deinceps ostenderet, & suo exemplo ad illud committendum incitaret, & ne propagationi humani generis obstitisset. Ex quo duo deducuntur, quod peccata superiorum ad malum exemplum cæteros inducunt, & quod non debet esse aliorum reprehensor, qui in eodem crimine meretur, vt ipse reprehendatur. Abulensis: *Quando vxores Lamech nolebant coniungi vero suo Lamech, duxit eas coram Adam, qui pater erat omnium, & vt reuerendus iudex increpauit eas, mandans quod redderent debitum viro suo. Tunc ipsæ responderunt Adæ dicentes, iudica prius tibi ipsi, quia multis annis segregasti te ab vxore tua Eua quantum ad thorum. Adam ne exemplo suo induceret alios ad cessandum à multiplicatione generis humani accessit tunc ad vxorem suam.*

Peccata superiorum ad malum exemplum alios inducunt.

Non reprehendat alios, qui in eodem crimine meretur reprehendi.

2. Respondetur: Quod alij dicunt, Adam insensum nece Abel à generando destitisse, admonitumque deinde Oraculo Diuino, de fœliciſsimo prolis successu, quod ex ea Christus esset nasciturus, qui mortem penitus vinceret, rursum generationi operam dediſſe. Noluit enim Dominus de progenie Cain, qui maledictus erat, nasci. Hinc astruitur immunitas Beatæ Virginis Mariæ à labe originalis culpæ. Si enim

Chri-

Christus noluit per lineam Cain, qui erat maledictus nasci: ergo congruum erat, quod Beata Virgo nullo in instanti maledicta fuisset originali peccato, vt Christus de ea nasceretur. Lyranus: *Dicitur communiter, quod Adam interfecto Abel, proposuit continere de cætero, & diu continuit, sed postea ex Dei reuelatione admonitus, cognouit vxorem suam, vt per illam lineam nasceretur Christus, & non per Cain, qui erat a Domino maledictus.*

Immunitas B. Virginis Mariæ à culpa originali fuit conueniens, & quare?

Dub. 90. Ad illa verba, vers. 25. *Posuit mihi Deus aliud semen pro Abel.* Cur non dixit illum filium positum fuisse pro Cain.

Respondetur: Quod Cain peccator fuit: & filius malus quasi non filius sui patris computatur, nec eius pater, talis filij, vt pater habetur. Abulensis: *Dicitur esse positus pro Abel, quia Adam videns Cain pessimum, & a Deo reprobatum non reputabat eum filium.*

Filius malus, quasi non filius sui patris habetur.

Dub. 91. Ad eadem verba: *Posuit mihi Dominus semen aliud pro Abel.* Cur Dominus dedit Euæ alium filium pro Abele?

Respondetur: Quod priuata fuit optimo filio: ideo pro illo alium dedit Dominus. Non enim Deus priuat iustum aliquo bono, quin pro illo aliud substituat. Oleaster: *Non permittit Dominus aliquod malum fieri, nisi ob aliquod bonum, neque priuet bonum aliquo bono, nisi loco eius melius subroget. Perdidet enim Eua Abel iustum, & Sanctum, sed acquisiuit eius loco Seth, qui pater fuit Populi sui: in quo diuisa est generatio electorum, a generatione reproborum.*

Deus non permittit malum fieri nisi ob aliquod bonum.

Dub. 92. Ad eadem verba, vers. 25. *Vocauitque nomen eius Seth.* An Adam imposuit filio Seth nomen?

Respondetur: Quod verbum *Vocauit* referendum est ad Euam: ipsa enim imposuit nomen filio suo, insignum, quod B. Virgo Maria nomen erat impositura filio suo Iesu. Non enim tantum nomen nisi ore tantæ Virginis erat pronendum. Honcala: *Vocauit Eua nomen pueri Seth: idque iuxta mysticum sensum. Mariam beatissimam illam, scilicet, Deiparam Virginem proculdubio respicit: quippe quæ ipsa etiam aliquando Filio suo de Spiritu Sancto concepto salutare nomen erat impositura secundum illam Isaiæ 7. Prophetiam: ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabit nomen eius Emanuel. Et reuera nomen Iesu gloriosum, omnique cultu dignissimum, quod est super omne nomen, non debuit primum ab hominibus appellari, nec ab eis afferri in mundum, sed a Spiritu Sancto aditum per nuncium cœlestem ad humanas aures in primis deferri decuit.*

Deus eum iustum priuat aliquo bono loco eius melius subrogans

Nomen Iesu non decuit ad humanas aures nisi per Beatam Virginem deferri.

Dub. 93. Ad eadem verba, vers. 25. *Vocauit nomen eius Seth.* Quommodo interpretatur Seth?

Respondetur: Quod Seth significat, *positum, repositum*, vt exponunt sequentia: *Posuit mihi Deus semen aliud.* Quia enim poluerat eum Deus pro Abel, propterea Seth; id est, *positio* appellatur: vt in nomine filij, memoriam accepti à Deo beneficij perpetuo retineret. Oleaster ad litteram: *Sonat Seth positionem, & causam subdit, quare sic eum vocauerit, quod videlicet posuisset ei Dominus semen aliud pro Abel occiso a fratre.*

Beneficium acceptū perpetua memoria, & gratitudine colendum.

Dub. 94. Ad illa verba, vers. 26. *Seth natus est filius quem vocauit Enos.* Quid sonat nomen Enos?

Respondetur: Quod Enos perpetuam hominis ærumnam ob peccatum primi parentis denotat incurabilem, & insanabilem: vnde ab ærumnis, & miserijs, quibus fuit propter peccatum parentis mox obtutus, nomen adeptus est, vt doceat, hominem tot infestum ærumnis, doloribusque non gaudere, sed perpetuo dolore. Oleaster ad litteram: *Sunt qui dicant Enos sonare dolorem, & exinde hominem, quod omnibus diebus vitæ suæ doleat.*

Homo non gaudeat, sed semper in dolore sit propter peccatum primi parentis.

2. Respondetur: Quod Enos significat verum hominem: ipse enim cœpit inuocare nomen Domini seu colere: & ille verus homo dicendus est, qui Deum vere, & sincere colit. Eusebius Cæsariensis lib. 7. de Præparatione Euangelica: *Enos interpretari verum hominem, quod soluis, verus sit homo, qui Deum agnoscit, & in spiritu, & veritate inuocet nomen Domini.*

Verus homo est, qui Deum in spiritu, & veritate colit.

3. Respondetur: Quod Enos interpretatur homo, vel vir fortis, quia inuenit verba precatoria ad Deum, quibus homo fortis efficitur contra inimicos quoslibet: & significat Enos B. P. N. Dominicum, qui inuenit verba deprecatoria, seu modum orandi Beatissimam Virginem per cultum Sacratissimi Rosarij complectentis potissima vitæ, & mortis Filie Dei, & ipsius Matris Misteria, quibus homines viriliter, singulari animo, & virtute debellant hostes visibiles, & inuisibiles. S. enim P. Dominicus instituit cultum, docuit modum singularem deprecandi oratione Rosarij, vt homines resistant, imo vincant inimicos. Petrus Comestor: *Enos sonat homo, vel vir, quasi rationalis, & fortis,*

S. P. N. Dominicus præbuit hominibus arma per institutionē Rosarij ad vincendum inimicos.

fortis, quia primus cœpit inuocare nomen Domini. Forte inuenit verba de precatoria ad inuocandum Deum.

Dub. 95. Ad illa verba, vers. 26. *Quem vocabit Enos.* Cur cum Enos interpretetur homo, commune nomen vni tamquam proprium accomodatur?

Respondetur: Quod commune nomen hominis adeo est honorificum, vt illis tantum debeatur, qui altiorem viuendi rationem ordiuntur, cæteri qui belluinos mores imitantur, belluinis tantum nominibus appellantur: vnde cum Enos, non secundum hominem in re terrenæ fœlicitatis, sed secundum Deum vixerit in spe fœlicitatis æternæ, huic proprie tribuitur nomen, quod piorum omnium intelligitur esse commune. Eusebius vbi supra: *Apud Hebræos Enos verus homo interpretatur. Neminem enim putant verum esse hominem, præter eum, qui verum Deum, & cognoscit, & pie colit: alios vero nihil a pecoribus differre arbitrantur quia velut i bestiæ ad terram proni, ventri, & veneri obediant; quorum alios lupos, alios cæ, ri obediant; quorum alios lupos, alios cæ, ri obediant; quorum alios lupos, alios cæ,

eat tunc ſub Enoſo cœpit iam ſublimior quidam Dei cultus, nempè monaſticum, & aſceticum vitæ genus, Diuinis contemplationibus, meditationibus, & alijs pijs, & Religioſis, perfectioribuſque exercitationibus debitum. Enos typum geſsit S. P. N. Dominici Fundatoris Sacri Ordinis Prædicatorum. Hic ordo præſtat inter alios ordines, ratione maioris arctitudinis, & aſperitatis. Eſt enim arctior omnibus Religionibus Mendicantium, propter parcitatem cibi, & longioria ieiunia. Non enim comedunt carnes, & ieiunant à quarta decima die Septembris, vſque ad Feſtum Paſchæ Reſurrectionis, & alia plura in conſtitutionibus præſcripta ieiunia obſeruant: Chorus, & ſtudium mutuo interſe reſpondent, & ita mutuis officijs certant, quod vix vacant fratres à choro, vel ſtudio. Vnde hic Ordo arctior quam appareat eſt, & eius auſteritates magis in exiſtentia quam in apparientia conſiſtunt. Qua propter Clemens IIII. interrogatus à quodam milite, vt ſibi conſuleret, quem Ordinem deberet intrare, an Prædicatorum, an minorum? Sic reſpondit: *Sciſcitaris quem tibi ex fratrum Prædicatorum, vel Minorum Ordinibus præeligendum eſſe declarem. Id præcipue conſcientiæ tuæ relinquimus. Magis enim tu ſcire poteris vtriuſque Ordinis obſeruantias, quæ non ſunt pares in omnibus, & in diuerſis articulis excedentes ſunt, & exceduntur. Alterius quidem iſtorum Ordinum lectus eſt durior, nuditas grauior, & vt nonulli iudicant paupertas profundior. Et alterius cibus eſt parcior, longiora ieiunia, & vt nonulli arbitrantur ſanctior diſciplina. Neutrum ergo alteri præferimus, ſed in vna, & arctiſſima paupertate fundatos, ad vnum tendere finem credimus, ſalutem videlicet animarum. Et ideo ſiue hunc, ſiue illum elegeris, arctam viam ingredieris, & per portam intrabis anguſtam ad terram melliſluam, & præcæteri ſpecioſam. Sic ergo vni iſtorum ad hæreas, vt amore ab altero non diſcedas. Frater enim Prædicator reprobatus eſt, qui Minores non diligit, & Frater Minor eſt execrabilis, qui Ordinem Prædicatorum odit, vel contemnit.*

CAPVT. V.

Propagatio Adæ, ac poſteriorum; Annique vita ipſorum vſque ad Noe.

DVb. 1. Ad illa verba, verſ. 1. *Hic eſt liber generationis Adam.* Cur Deus voluit illuſtria opera quæ in Deitate fecit miſſa facere, hominum vero generationem, litterarum monumentis commendare?

Deus omnibus operibus ſuis hominẽ præferendum duxit.

Reſpondetur: Quod Deus voluit oſtendere hominem magno in honore, exiſtimationeque apud eum eſſe: ideo voluit opera quæ in Deitate fecit ſilentio præteriri, hominum vero hiſtoriam ab obliuione in lucem, & memoriam vindicare ſempiternam; quaſi hominem omnibus operibus ſuis præferendum, ante ponendumque ducat. Oleſter, *Expende quanti Deus faciat hominis generationes; ſcilicet, Velit earum librum ſcribi: ſic etiam voluit quatuor Chronographos ſumma cum diligentia generationem humanam ipſius enarrare, præclara vero geſta ſua quæ in Deitate operatus eſt, voluit perpetuæ oblioni tradi. Vbi enim libri bellorum Dominis, & alij quibus geſta quæ fecit ad Mare rubrum, & ad torrentes Arnon? Omnia perire voluit, ſolius vero humanæ generationis librum ſeruari.*

Dub. 2. Ad illa verba, verſ. 1. *Hic eſt liber generationis Adam.* Cur brebis ſeries eorum quorum hic meminit Moyſes, appellatur liber, cum decem tantum Patriarchæ recenſeantur: at *Exodi 1. verſ. 1.* nomina filiorum Iſrael qui ingreſsi ſunt in Ægyptum, cum fuerint in multo maiori numero ſine vllo titulo, ac libri ornatu recenſentur?

Hiſtoriographi minima geſta Principum magna faciunt.

Reſpondetur, Quod decem Patriarchæ hic numerati erant Principes, illi qui recenſentur in Exodo ſub ſeruili iugo iacebant: inde iſti in ſeruitutem redacti licet fuerint in maiori numero ſine aliquo inſcripto recenſentur; Patriarchæ vero, & Principes licet decem tantum cum ornatu, & inſcriptione libri numerantur: ſolent enim quæ Principum atque magnatum minima ſunt præclaris titulis inſigniri. Silueſtra

tom. 1. fol. 46. quæst. 1. num. 5. *Illi decem numerabantur tanquam totius orbis Principes, ac Domini, vt notant. Diuus Chrisostomus Homil. 21. in Genes. & Philo Hebræus lib. de Abrahamo, & patet ex ipso textu, & ideo eorum breuis scriptura splendide liber dicitur in Exodo vero sub dura captiuitate, & afflictione apprimebantur omnes, & ideo sine vllo titulo, & ornatu recensentur.*

Dub. 3. Ad eadem verba, vers. 1. *Liber generationis Adam.* Cur D. Mathæus loquens de Christi generatione vtitur eisdem terminis, quibus Moyses narrat generationes Adam? Moyses sic incipit: *Liber generationis Adam.* D. Mathæus sic exorditur: *Liber generationis Iesu Christi.* Cur vterque scriptor eisdem verbis historiam suam instituit?

Humilis Doctor aliorum Doctorũ terminos, & modos loquendi imitatur.

Respondetur. D. Mathæus adeo fuit humilis, quod non erubuit à Moyse discere, Moysisque terminis in sua historia vti: inde cum Moyses exorditus fuerit historiam suam generationum Adam his verbis: *Liber generationis Adam.* D. Mathæus idem dicendi exordium sumpsit dicens: *Liber generationis Iesu Christi.* Ne humilis in oculis suis Euangelista terminos, & modos loquendi Moysis transgredi videretur. Humilis Doctor aliorum loquendi modos imitatur. Mahuenda: *Hunc locum videtur Mathæus imitatus, cum suum Euangelium ita orditur: liber generationis Iesu Christi.*

Nouum Testamentum congruit cũ veteri.

2. Respondetur: Quod Nouum Testamentum congruit cum veteri: inde D. Mathæus locum Moysis imitatus est initio Euangelij sui, vt vtraque testamenta ab eisdem verbis initium instituant quorum est inter se mirificus consensus. Nouum Testamentum congruit cum veteri. Hugo Cardinalis, cap. 1. in Math. *Liber generationis Iesu Christi, vt ostendat concordia veteris, Noui Testamenti. In veteri enim Testamento, scilicet, in Genesi agit de generatione cœli, & aliorum elementorum; in principio noui de generatione Christi, & aliorum.* Math. 1. *Liber generationis Iesu Christi Genes.* 5. *Hic est liber generationis Adam.*

Sancti Doctores in sua doctrina inter se conueniũt.

Dub. 4. Ad eadem verba, v. 1. *Liber generationis Adam.* Cur generatio bonorum terminatur in decem, malorum vero in vndecim?

Studium bonorum est Diuina præcepta obseruare, malorum vero per fringere.

Respondetur: Quod boni qui hic numerantur ad impleuerunt decem Diuina præcepta, vndecim vero qui recensentur sacra iura labe factarunt: inde generatio iustorum in decem finitur: malorum vero in vndecim absoluitur. Cura enim iustorum est ne transuersum quidem vnguem à Diuinæ Legis præscripto discedere, studium vero malorum Diuinas leges peruertere. Hugo Cardinalis: *Nota quod generatio bonorum terminatur in decem propter obseruantiam Decalogi, malorum vero in vndecim propter transgressionem eiusdem.*

Dub. 5. Ad eadem verba, vers. 1. *Liber generationis Adam.* Cur in generatione iustorum nulla fœmina numeratur, in malorum vero fœmina; id est, Noema recensentur?

Iustorum est viriliter operari, malorũ molliter agere.

Respondetur: Quod in iustis nihil muliebre inuenitur, omnia viriliter operantur, in malis vero rorum fœmineum est, nec fortiter agunt: ideo in generatione bonorum nulla fœmina numeratur, in generatione malorum Noema recensentur: sicut enim iustorum est viriliter agere, ita malorum molliter operari. Hugo Cardinalis: *Nota in generatione bonorum nulla fœmina numeratur, quia nihil in bonis fœmineum inuenitur generatio malorum in fœmina terminatur, quia quod in eis est, molle, & fœmineum est.*

Dub. 6. Ad illa verba, vers. 1. *In die qua creauit Deus hominem.* Cur dicit Moyses, quod Deus, non elementa, non corpora cœlestia, creauit hominem?

Deus vult agnosci Auctor beneficiorum suorum.

Respondetur: Quod Deus vult agnosci Auctor beneficij creationis hominis, & quod hominis primordia ab vno conditore Deo emanarunt: ideo cum de creatione hominis Moyses sermonem instituit, non de elementis, non de corporibus cœlestibus mentionem facit, ne creationis beneficium hominis alijs præter Deum attribuant. Deus vult agnosci Author beneficiorum suorum. Caietanus: *Auertit Moyses omnes ab inquirendo generationem hominis (vel quando inceperit, vel si fuerit æterna) proponendo quod hic est liber ad quem recurrendum est pro veritate: quoniam hic est liber generationum hominis, non ab alijs hominibus in infinitum præcedentibus, non à corporibus cœlestibus, & elementis, sed à Deo in die creationis hominis.* Vide fol. 17. dub. 53.

Dub. 7. Ad eadem verba, v. 1. *In die qua creauit Deus hominem.* Cur Sacra Scriptura in Paradiso Deum duplici nomine nominauit, & Dominum, & Deum appellans: at post egressum hominis è Paradiso, ipsum Deum appellauit, sed non Dominum, & Deum?

Respondet. Quod Dei nomen generalem dicit curam erga omnem creaturam. Nam Deus quatenus Author naturæ

Singularis vigilantia Dei erga Eccleſiam, & eos qui intra Eccleſiam ſunt.

turæ ſufficientem concurſum præbet omni cauſæ ſecundum actum cuilibet eique exigentiam, rationali quoque creaturæ, quam ad finem ſupernaturalem euehuit, auxilia ſuggerit, quibus ſaluari poſsit, ſed Domini vocabulum peculiarem denotat vigilantiam Dei ſingulariter incumbentis, ne aduerſarius præualeat, ne homo tentationi ſuccumbat: inde Creator poſt expulſionem Adami è Paradiſo dicitur ſolum *Deus* qui prius dicebatur Dominus Deus, vt diſcas quod homo cum moratur intra Eccleſiam Deum ſentit peculiariter fauentem, ſiue egreſſo, ad ſtatum etiam, ſed generali quodam patrocinio ſolum. Deus habet ſingularem vigilantiam erga eos, qui intra Eccleſiam ſunt. Anaſtaſius Sinaita lib. 7 Hexamer. *Vt tu diſcas quod Eccleſiæ eſt proprius Dominus, & Deus, & non ſimiliter eorum, qui ſunt extra Eccleſiam. Nam hominum quidem qui ſunt extra Deus eſt: Eccleſiæ autem ſpectator eſt, & Deus, & Dominus, & dominans, eiuſque curam gerens, eamque ſuſcipiens, tuens atque defendens.*

Dub. 8. Ad illa verba, verſ. 1. *Ad ſimilitudinem Dei fecit illum.* Cur homo ad ſimilitudinem Dei factus eſt?

Homo bono ſemper intẽdat.

Reſpondetur. Quod homo debet per intellectum bonum a malo diſcernere, per voluntatem bona intellecta diligere, per memoriam intellecta bona, & dilecta iugiter memorare: inde ad ſimilitudinem Dei factus eſt quantum ad intellectum, voluntatem, & memoriam, vt homo imaginem Dei in ſe exprimens, per intellectum, voluntatem, & memoriam ſemper bono intendat. Hugo Cardin. *Nota quod factus eſt homo ad ſimilitudinem Dei in tribus in intellectu, ſine errore, in voluntate ſine contrarietate, in memoria ſine oblitione, vt per intellectum bonum a malo diſcerneret, per voluntatem intellecta bona diligeret, per memoriam intellecta, & dilecta bona bona iugiter memoraret.*

Dub. 9. Ad illa verba, verſ. 2. *Vocauit nomen eorum Adam.* An Adam ſit nomen proprium primi parentis?

Prælatus obliuioni nõ tradat ſubditos.

Reſpondetur. Quod Adam non habuit proprium nomen, ſed commune totius ſpeciei, quam in ſe vno continebat: merito ergo non nomine proprio, ſed appellatiuo totius ſpeciei inſignitur, vt quotics nominis recordaretur omnium individuorum, ſubditorumque qui in eo continebantur, memor eſſet. Prælatus obliuioni non tradat ſubditos. Maluendi: *Alij volunt primum hominem, nullum habuiſſe proprium nomen, ſed appellatiuum nomine totius ſpeciei, quam ipſe totam in ſe vno continuerit.*

Dub. 10. Ad eadem verba, verſ. 2. *Vocauit nomen eorum Adam.* Cur hoc nomen Adam, cum ſit commune, appropriatum eſt primo parenti?

Gloriantur parentes, quod ſint multorum filiorum patres.

Reſpondetur. Quod Adam Auctor fuit, Princeps, Forma, & Dux totius generis humani; inde nomen commune ſibi aſſumpſit, & vindicauit, quaſi glorietur Adamus quod caput ſit generis humani, totque filiorum pater. Maluendi: *Hæſit nomen Adam tanquam proprium primo parenti, quod is ſator, & proauctor totius humani generis fuerit.*

Præſtantiſſimis viris, nomina communia ob eorum ſuper alios excellentiã attribuuntur.

2. Reſpondetur. Quod Adam inter alios eiuſdem ſpeciei eminebat, primaſque ferebat: hinc licet Adam ſit nomen commune, ei propter eius ſuper omnes eminentiam appropriatur nomen: præſtantiſsimis enim viris nomina communia ob excellentiam quam ſuper alios obtinent, attribuuntur. Liranus: *Quod appropriatum eſt primo homini, hoc eſt, propter eminentiam ipſius ad alios homines, ſicut hoc nomen Philoſophus appropriatur Ariſtoteli ad denotandum eius excellentiam ſuper alios Philoſophos.* Vide in feſto S. Ioannes Euangeliſtæ, num. 1.

Dub. 11. Ad eadem verba, verſ. 2. *Vocauit nomen eorum Adam.* Cur mulier vocatur Adam, cum ſic non fuerit vocata?

Homo ſuæ fragilitatis memoriam fixam in animo habeat.

Reſpondet. Quod nomen Adam ductum eſt ab *Adamah*, quæ eſt terra humus: inde nomen à terra ſortita eſt, ab humoque traxit, vt quoties ſui nominis recordaretur, toties ei ſua memoranda fragilitas in mentem veniret. Hugo Card. *Vocauit nomen eorum Adam non quod mulier ſic vocata fuerit, ſed quia res nominis conuenit ei, ſicut, & Viro Adam enim interpretatur homo, vel terra.*

Qui beneficium accipit, benefactoris nunquam obliuiſcatur.

2. Reſpondetur. Quod Eua de Adamo ſumpta eſt, de coſtaque Adami ædificata: inde nomine Adami inſignitur, in nomineque benefactorem ſuum inſcalpſit, ne videretur beneficium accepiſſe, & benefactoris ſui obliuiſci. Hugo Cardin. *Ideo quia de Viro ſumpta eſt mulier: Vnde quaſi vnum nomen imponitur Viro, & fœminæ.*

Dub. 12. Ad illa verba, vers. 2. *Ad similitudinem Dei fecit illum.* An mulier facta fuerit ad similitudinem Dei quantum ad dominium in omnia?

Respondetur. Quod mulier in subiectione est creata: inde non fecit eam ad similitudinem suam, vt dominetur omnibus; quæ enim in subiectione est, à dominatione excluditur. Mulier à regimine, & dominatione excludenda. Oleaster ad litteram: *Quia dicit Textus, ad similitudinem Dei fecit illum, & nos illos; multi dixerunt fœminam non esse ad imaginem Dei, quod B. Augustinus sæpius inculcat, sed quantum ad animam, indubie fœmina est imago Dei. Dicit tamen Augustinus fœminam non esse ad imaginem Dei quantum ad præsidentiam omnium rerum, quem admodum vir, cum fuerit in subiectione creata.*

Mulier à præsidentia excludenda est, & à regimine.

Dub. 13. Ad illa verba, vers. 3. *Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filium ad similitudinem, & imaginem suam.* Cur Sacer Textus dicit, quod Adam genuit Seth ad similitudinem, & imaginem suam, cum sufficeret dicere ad similitudinem suam.

Respondetur: Quod similitudo ad originem naturæ refertur, imago vero ad corruptionem, vitiositatem, peccatum, & mortalitatem quæ ab ipso Adamo contracta per defectionem, ad omnes posteros defluxit: inde Sacra Scriptura dicit, quod Adam genuit Seth ad similitudinem, & imaginem suam, ad similitudinem secundum originem naturæ, ad imaginem secundum peccatum, & mortalitatem, vt intelligeret Seth, quod peccatum, & mors hæreditario iure fuit ei relicta. Peccatum enim, & mors relicta fuerunt nobis hæreditario iure. Hugo Cardin. *sicut Adam factus fuerat à Deo innocente, & immortali innocens, & immortalis; id est, potens non mori, ita ipse factus, & mortalis genuit peccatorem, & mortalem, & hoc, est ad similitudinem, & imaginem suam,* & Petrus Comestor: *Ad imaginem mortalis mortales. Vnde qualis terrenus, tales, & terreni.*

Peccatum, & mors hæreditario iure nobis relicta.

Dub. 14. Ad eadem verba, vers. 3. *Genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam.* Cur non Cain, sed Seth dicitur genitus ad similitudinem Adam?

Respondetur: Quod Adam post peccatum in magno Dei timore vixit, Seth autem non Cain referebat patrem, non solum in corporis specie, verumetiam in omni animi virtute: inde Seth non Cain genitus dicitur secundum similitudinem, & vmbram Adam, quasi solus ille dicatur filius patris, qui per bona opera intendit se proportionari ad similitudinem patris. Diuus Crisostomus Homil. 22. in Genes. *Seth secundum speciem, & secundum imaginem suam, hoc est eorum morum, quibus ille que genuerat, & qui seruat paternos caracteres, operibusque paternos mores exprimat.*

Solus dicitur filius patris, qui per bona opera exprimit patrem.

2. Respondetur: Cæteri filij Adam inundatione aquarum, diluuioque perituri erant, progenies vero Seth nequaquam abluuio interitura, sed in Noe saluanda: inde Moyses recensendo generationem reliquorum filiorum, & filiarum Adæ, nequaquam dicit, quod genuit ad similitudinem suam, nisi cum genuit Seth: non enim Deus neque iustus numerant inter filios qui pereunt, sed qui saluantur. Caietanus: *Delendum siquidem erat humanum genus vniuersum in diluuio, & tantummodo progenies Seth in Noe saluanda erat: & propterea Moyses ad impletum hoc sciens in sola generatione Seth pinxit imaginem Adæ.*

Deus neque iustus non numerant inter filios, qui pereunt, sed qui saluantur.

Dub. 15. Ad illa verba, vers. 3. *Vocauitque nomen eius Seth.* Cur Adam filium vocauit Seth, cum Eua hoc nomen imposuerit ei, *Genes. 4. vers. 25. Peperit filium, vocauitque nomen eius Seth*, quod secundum, *Maluendam*, ad Euam referendum videtur; scilicet, quod Eua imposuit ei hoc nomen.

Respondetur: Quod vir, & vxor eodem animo, & voluntate coniunctissimi erant: hinc nomen, quod Eua imposuit filio, Adam confirmauit, ne qui concordes erant animis, in nominis impositione desiderent. Inter virum, & vxorem summa sit concordia, vnio, & vna voluntas, vnum velle. Oleaster: *Nomen quod vxor imposuerat, vir confirmauit: sic cum cognati Ioannis Baptistæ eum Zachariam vocare propter patrem voluissent: ait mater eius nequaquam, sed vocabitur Ioannes: innuebant vero patri quem vellet eum vocari, qui postulato pugillari, scripsit dicens*

Magna concordia inter virum, & vxorem debet esse.

cens Ioannes eſt nomen eius, vt oſtenderet quanta concordia eſſe, & vxor eius prædita eſſent: vt vxoris ſanctæ ſententiam, vir etiam iuſtus comprobaret.

Dub. 16. Ad illa verſ. 4. *Et facti ſunt dies Adam poſtquam genuit Seth octingenti anni.* Cur patres huius ſæculi tanto tempore vixerunt, noſtro autem tam parum?

Reſpondetur: Quod oportebat genus humanum multiplicari tunc: hinc in mundi principio plus viuebant homines quam modo: Deus enim vitam dat iuſtis, ſecundum quod conuenit vtilitati, & bono communi. Diuus Thomas de Malo, quæſt. 4. articul. 8. ad 11. *Quomodo minus viuunt homines quam in principio mundi, non eſt propter aggrauationem originalis peccati, neque propter continuam debilitationem naturæ, vt quidam dicunt, alioquin per proceſſum temporis ſemper magis, & magis vita hominis breuiaretur, quod patet eſſe falſum, cum modo tantum homines viuant ſicut & in tempore Dauid: qui dicebat, dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Illa ergo diuturnitas vitæ fuit ex virtute diuina, vt genus humanum multiplicaretur.*

Deus dat vitam iuſtis ſecundū, quod conuenit vtilitati, & bono communi

2. Reſpondetur: Quod tum temporis cibi erant magis ſalutares quam nunc: hinc vita hominum illius temporis in plures annos protrahebatur; huius verò ſæculi breuiori termino, & ſpatio diffinitur. Cibo enim ſalubri in multos annos vita ducitur, alimento verò minus ſalutari exiguis finibus vita circunſcribitur. Oleaſter ad litteram: *Quidam hoc ad cibos referunt, quod illo eſſent tempore ſalubriores.*

Cibo ſalubri in multos annos vita ducitur, alimento minus ſalutari exiguis finibus vita circunſcribitur.

3. Reſpondetur: Quod homines illius ætatis ſibi in cibo parcebant, parſimonia, & frugalitate erant laudibiles, vtpote tenui victu contenti: & abſtinentia tantum abeſt, vt vitam tollat, quinimo illam faciat longiorem. Abulenſis: *Secunda cauſa eſt, quia temperate viuebant ſolum fructibus arborum, & herbis.*

Abſtinentia vitam facit longiorem.

Dub. 17. Ad illa verba, verſ. 4. *Genuitque filios, & filias.* Cur nomen filiorum, & filiarum quis genuit Adam non enuntiatur, ſicut nominatur Seth?

Reſpondetur: Quod filij, & filiæ inundatione aquarum in diluuio perierunt. Hinc filij, & filiæ nomine ſuo non vocantur: vt doceat, quod peccatores peccatorum vnda ſubmerſi, nomine carent. Maluenda: *Qui illorum omnis ſoboles diluuio extincta.*

Peccatores nomine carent.

Dub. 18. Ad illa verba, verſ. 5. *Et factum eſt omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta.* An vita Adam longior fuerit quam vita Mathuſalem?

Reſpondetur: Quod Deus formauit Adamum, & finxit: at Mathuſalem genitus fuit ab Henoc: hinc diuturnior fuit vita Adam, quam vita Mathuſalem: quem enim ſemel Deus aliquo ſingulari beneficio affecit, & alio honeſtat. Caietan. *Vixit Adam anni nongenti, & triginta, ſi his annis adiungantur anni, quos naturali curſu vixiſſet Adam, vt perueniret ad ætatem, qua creatus eſt (creatus ſiquidem eſt vir perfectus) apparebit quod longiori tempore vixit Adam, quam Mathuſalem, & quicunque alius: nullus enim ab ætate virili ſupputando vixit nongentis, & triginta annis. Nam cum ætas virilis hominum viuentium annos centum ſit ætas triginta annorum, conſentaneum rationi eſt, vt ætas virilis hominum viuentium ferè mille annos fuerit: ad minus ſexaginta annorum, poſtquam ætatem ſolus Adam vixit nongenti, & triginta annis Et quadrat rationi, vt primus vir à Deo formatus, plus vixerit quam quicumque alius.*

Quem Deus ſemel aliquo ſingulari beneficio affecit, & alio honeſtat.

Dub. 19. Ad illa verba, verſ. 5. *Et mortuus eſt.* Cur Moyſes primorum hominum qui ante diluuium floruerunt, vitas ac mortes enarrat. At verò eorum qui poſt diluuium vixerunt ſcripſit vitas, mortes non memorauit? Ante diluuium vita, & mors Patriarcharum narratur: *Vixit Adam anni nongenti triginta, & mortuus eſt*, & verſ. 11. *Factique ſunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus eſt*, & verſ. 5. *Et facti ſunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus eſt.* Poſt diluuium vero ſola vita refertur. *Geneſ.* 11. *verſ.* 11. *Vixit Sem quingentis annis*, nec tamen addit, *& mortuus eſt*, & verſ. 13. *Vixit Arphaxad trecentis tribus annis*, nec de morte eius quidquam additur: & verſ. 15. *Vixit Sale quadringentis tribus annis*, & ne verbum quidem vllum fit de morte eius. Cur ergo ante diluuium mors narratur, poſt diluuium tacetur?

Certissima est mors post diluuium.

Respondetur: Quod ante diluuium non erat mortis imperium tam certa experientia confirmatum, vt non posset de aliquo dubitari an mortuus fuerit, præsertim quia de Enoch scriptum fuerat: *Genes. 5. vers. 24. Non apparuit, quia tulit eum Deus*, seu, vt est in Hæbræo: *quia non mori fecit eum Deus.* Vnde de singulis exprimere oportebat, quod mortui fuerint, ne adhuc superstites putarentur: at post diluuium omnes palam in omnium oculis passim extinguebantur, vnde opus non erat eorum mortes scriptis commendare. Hinc ante diluuium vita, & mors Patriarcharum narratur, post diluuium sola vita: satis enim erat dicere eos natos fuisse, vt statim certissimum haberetur, eosdem, & obisse. Liranus in cap. 11. Geneseos: *Notandum est, quod descriptauita cuiuslibet istius generationis, non dicitur hic in fine, & mortuus est, sicut supradictum est describendo generationem ipsius Seth ante diluuium: cuius ratio est, quia in illa generatione vnus; scilicet, Enoch fuit sublatus de medio hominum, non per mortem, sed quia translatus est in Paradisum; hic autem nullus est excipiendus à morte per talem modum, & ideo non dicitur in fine alicuius, & mortuus est, quia hæc est lex communis, & certa de omnibus.*

Dub. 20. Ad illa verba, vers. 22. *Et ambulauit Enoch cum Deo.* Cur postquam Sacer textus narrat, quod Enoch genuit Mathusalem, refert, quod Enoch ambulauit cum Deo, placuitque Deo?

Coniugium non est obstaculum virtutis.

Respondetur: Quod voluit significare nuptias in causa non esse, quominus quis placeat Deo. Hinc postquam Diuina Scriptura dixit, quod Enoch qui fuit coniugatus genuit Mathusalem, ait quod ambulauit coram Deo, placuit Deo, illique gratus fuit, & grat otius, ne quis arbitretur obstaculum virtutis esse coniugium. Diuus Greg. Homil. 15. in Ezechielem: *Mentis munditia cum coniugali copula eligitur? Henoc debet imitari, qui, & in coniugio positus ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia transtulit illum Deus.*

Dub 21. Ad eadem verba, vers. 22 *Ambulauit Enoch cum Deo.* Cur de Enoch bis dicitur ambulasse cum Deo, semel, vers. 22. sub initium vitæ eius, iterum vers. 24. cum refertur eius in cœlum raptus?

Iusti continuum habent processum in perfectionis studio.

Respondetur: Quod Moyses Enoqui in virtute progressum, & constantiam commendabat, continuumque profectum in perfectionis studio. Hinc bis dicitur ambulasse cum Deo: sicut enim in iustitia cœpit, ita vsque ad finem perseuerauit. Iusti continua proficiunt in virtute. Caietanus: *Bis de Enoch dicitur, & ambulauit cum Deo, semel narrando vitam eius vsque quo genuit Mathusalem, & iterum narrando reliquum vitæ eius: ad explicandum, quod ab ineunte ætate profecit in via Dei, & perseuerauit proficiendo in eadem semper.*

2. Respondetur: Quod Enoch non, vtcumque sancte vixit, sed sanctiorem quandam atque eximiam, & perfectissimam seu heroicam præ cæteris vitam instituit, arctiusque, & familiarius Deo inhæsit, atque cum Deo versatus, quem Deus singulari gratia, sanctitate, virtutibus, donis, fauoribus ornauit, & auxit. Hinc singulariter Scriptura de Enoch, dicit bis, quod ambulauit coram Deo, quasi dixisset, fuit vir sanctissimus, & absolutissimus, licet eo tempore alij fuerint in cœtu piorum viri iusti, & probi, qui rectè, & pie Deum coluerint. Iusti enim sanctiorem quandam præ cæteris vitam instituunt. Maluenda: *Quod bis id de Enoch Scriptura pronuntiet, satis arguit excellentem, & heroicam in Enoch fulsisse virtutem.*

Dub. 22. Ad eadem verba: *Ambulauit Enoch cum Deo.* Quid est ambulare cum Deo? Cur de Enoch dicitur, quod cum Deo ambulauit?

Cum Deo ambulat, qui ad Dei voluntatem se conformat.

Respondetur: Quod Enoch animum suum, & voluntatem ad Diuinam aptauit, & non renuenti passu Diuinæ cursum dispensationis sequabatur. Hinc ambulasse Enoch cum Deo dicitur: vere enim cum Deo ambulat qui ad Dei se voluntatem conformat. Oleaster ad litteram: *Admonui idem esse ambulare cum aliquo, & conformare se illi, & velle, quod ille vult.*

Cum Deo ambulat qui immunis culpæ est, & secundum eius legem vitam instituit.

2. Respondetur: Quod Enoch sanctimonia, integritate, innocentia vitæ, pietate, & Religione coram Deo vixit: inde cum Deo ambulasse narratur: cum Deo enim ambulat, qui immunis culpæ est, labeque omni caret. Maluenda: *Ambulauitque Enoch cum Deo; id est, ne hominum sui sæculi corruptelis ab duceretur, habuit vnius Dei respectum, vt pura conscientia, tamquam sub oculis eius, pro-*

probitatem, & innocentiam coleret quaſi dicat: pie, iuſte, ſanctè in culpatè, Religioſe vixit, ex Dei præſcripto vitam inſtituit, mores conformauit.

Dub. 23. Ad eadem verba, verſ. 22. *Ambulauit Enoch cum Deo.* Cur Enoch, non tribuitur niſi ambulatio, & curſus? Quare non in tecto, non in poſſeſſione, non in vrbe ſedens, & requieſcens, ſtabilis, & perſeuerans deſcribitur?

Iuſti in hoc ſæculo hoſpites ſunt, & aduenæ, & futuram patriam inquirunt.

Reſpondetur: Quod Enoch erat Sanctus, Deoque placebat, in mundo erat hoſpes, & aduena; inde non dicitur, quod ambulabat in poſſeſſione, nec in vrbe manens, ſed cum Deo: iuſti enim non eſt Ciuitatem habere, & fixa loca, quia peregrini ſunt, & properant ad Regionem viuorum. Rupertus lib. 4. in Geneſ. cap. 10. *In generatione iuſtorum, qui ſeptimus naſcitur, Enoch nuncupatur, idemque ambulans cum Deo, non inueniebatur, quia tulit eum Deus, ſiquidem iuſti per fidem in ſeptima mundi ætate dedicatam ſibi ſperant requiem, & eorum ſpes in illud proficiſcitur, quod in præſenti non videtur: non enim habemus, inquiunt, hic manentem Ciuitatem ſed futuram inquirimus.*

Dub. 24. Ad eadem verba, verſ. 24. *Ambulauitque cum Deo, & non apparuit.* Ex Greco legitur: *Placuitque Henoch Deo, & non apparuit.* In quo Enoch placuit Deo?

Valde placet Deo, qui à conſortio malorum fugit.

Reſpondetur: Quod Enoch totam vitam ſuam Deo conſecrauit, Deo pie viuebat, ſequeſtrabatur ab hominum comertio, non apparebat, inter homines degens ita ſe abſcondebat, & ſeparabat ab eis, vt non appareret, ne ex conſortio malorum deprauaretur. Hinc dicitur, quod Enoc placuit Deo, cum Deo ambulans, cætum, & conuerſationem malorum fugiens. Quomodo ergo non placeret Deo, qui in tanta morum corruptione ita ſe ab hominibus ſeparabat, vt non appareret. Valde placet Deo, quia conſortio malorum fugit. Philo Hebræus lib. de Abrahamo: *Henochus latere ignotus cupiens, non humanæ ſocietatis odio, verum quia fugitat vitia, quibus vulgus delectatur.*

Dub. 25. Ad eadem verba, verſ. 24. *Non apparuit quia tulit eum Deus.* Paraphraſtes Chaldæus ſic habet: *Quia non mori fecit eum Deus.* Cur de Enoch non dicitur, quod fuit mortuus, ſicut de alijs mors eorum narratur?

Reſpondetur: Quod Enoch ambulauit cum Deo, verſabaturque ante oculos eius: inde non eſt mortuus, ſed à Deo ſublatus, vt oſtendatur Dei præſentiam hanc viuendi longitudinem illi contuliſſe. Mendoza: *Non mori fecit eum Deus, quaſi ex præſentia Dei cum quo ambulauit, non ſolum vitæ diuturnitatem, ſed ipſam quodammodo immortalitatem aſſequeretur.*

Qui iuſtè, & pie cum Deo ambulat, & viuit, ex præſentia Dei diuturnam vitam hauriet.

Dub. 26. Ad illa verba, verſ. 24. *Non apparuit quia tulit eum Deus.* Iuxta Hæbræum habetur: *Ambulauit Enoch cum Deo, & non ipſe.* Quibus verbis ſignificatur, quod Enoch non eſt mortuus, & ad ſignificandum, quod non eſt mortuus, dicitur, *& non ipſe.* Cur de alijs qui mortui ſunt, dicitur, & *non tuus eſt*; ſcilicet, corpore, de Enoch vero dicitur, *& non ipſe*; ſcilicet, non remanſit corpore?

Qui ſingulariter Deum attendit amplißimo honore præ cæteris decoratur à Deo.

Reſpondetur: Quod Enoch præcæteris non fuit ſequatus malitiam huius ſeculi, aut corrupto Dei cultu cum cæteris deprauatus, ſed certa fide, cordis integritate, & vitæ innocentia Deum coluit, ex præſcripto eius, eumque ducem ſequutus eſt, cum Deo ambulauit, ante conſpectum, & clariſſimam Dei lucem ſemper inceſſit. Hinc de Enoch dicitur, quod ipſe non manſit in mundo ſecundum corpus, ſed integer traslatus, & aſſumptus à Deo, vt Deus Enochum qui ſemper Deum attenderat, hoc amplißimo honore præ cæteris decoraret. Qui ſingularis vitæ eſt, ſingulari honore honeſtabitur à Domino. Caietanus: *Vide differentiam; de alijs qui mortui narrantur, dicitur, & mortuus eſt proculdubio corpore, ita quod ipſe remanſit ſecundum corpus: de Enoch vero dicitur. Et non ipſe, quia nec ſecundum corpus remanſit, ſed omnino non ipſe. Et ratio ſubiungitur, non quia mortuus fuerit, non quia in nihilum redactus fuerit: ſed quia tulit ipſum Deus. Integer ergo ipſe ſublatus ſignificatur à Deo.*

Dub. 27. Ad eadem verba, verſ. 24. *Tulit eum Deus.* Iuxta Hebræum habetur: *Et non ipſe, quia accepit eum Elohim; id eſt, iudex.* Cur Deus cum integrum aſſumpſit Enochum, inducitur ſub nomine iudicis?

Deus ex iure honorat iuſtos ob præclariſſima merita ſingulari honore.

Reſp. Quod Moyſes voluit ſignificare Enochum ex iure translatum, & à Deo aſſumptum integrum, vtpote qui fuit inter omnes vir perfectiſ-

simus, & absolutissimus: inde Moyses introducit Deum honorantem Enoch sub nomine iudicis, & quasi ex iustitia: ex iure ergo ob præclarissima merita integer à Deo fuit vocatus, hocque singulari honore præcæteris affectus. Deus ex iustitia honorat iustos ob præclarissima merita. Caietanus: *Et quoniam Deum introducit sub nomine iudicis quemmadmodum nominauerat in distributione rerum in Vniuerso, significatur, quod hæc ablatio Enoch ad distributionem humani generis spectat: Vt distributiuæ iustitiæ actio insinuata sit in huiusmodi ablatione.*

Dub. 28. Ad eadem verba, vers. 24. *Tulit eum Deus.* Cur Deus Enochum, & Eliam assumpsit?

Homo in quolibet statu potest saluari.

Respondetur: Quod Enoch in coniugio, Elias in cælibatu vitam duxit: inde transtulit eos Dominus, vt significet hominem inquolibet statu siue in coniugio, siue in cælibatu posse saluari. Oleaster: *Audis ad quem perfectionis gradum ascendere possit homo coniugatus, Vt Dominus eum de medio tollat, & apud se condat. Duos in Veteri testamento sic sublatos legimus, quorum prior; scilicet, Enoch coniugatus fuit, alter vero; scilicet Elias cælibem duxisse vitam creditur, Vt in duobus nobis adumbraret coniugatos, & cælibes saluandos à Domino esse. Ambula cum Deo, fac quod vult ipse, sequere eum cum Enoch, & saluus eris.*

Dub. 29. Ad illa verba, vers. 29. *Vocauit nomen eius Noe dicens: iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum.* Septuaginta transferunt: *Iste requiescere nos faciet ab operibus nostris.* Quæ fuit ista requies, & non potius pernicies, cum sub Noe vniuersum hominum genus effuso diluuio interierit?

Solo vera requies illa qua bonam conscientiam habentes perfruuntur, & qui puræ est conscientiæ nihil timet.

Respondetur: Quod fuit requies non corporum, sed conscientiarum. Namsi illata per diluuium pœna defatigauit corpora, tamen ablata per idem diluuium culpa, exonerauit, & quietas reddidit conscientias. Hinc non immerito debuit Noe; id est, requies nuncupari, qui veram requiem mundo intulit, conscientias à peccato expiando, licet extrema pernicie mundum labe fecerit: corpora diluuij fluctibus obruendo: sola enim vera requies illa est, qua bonam conscientiam habentes perfruuntur. Diuus Ambrosius lib. 1. de Noe, cap. 1. *Si ad ea quæ facta sunt referendum putes: cum diluuium sub Noe factum sit, non requies hominibus, sed interitus videatur illatus, nec remissio malorum, sed cumulus miseriarum: Verumsi iusti Viri mentem consideres, aduertes iustitiam solam esse, quæ nos requiescere facit ab operibus iniquitatis: quia dum ea quæ iusta sunt gerimus, nihil timemus puræ conscientiæ securitate.*

Dub. 30. An illa verba, vers. 29. *Vocauitque nomen eius Noe.* Cur Lamech hoc nomen imposuit filio suo?

Iusti à futuris euentibus denominantur.

Respondetur: Quod Noe interpretatur requies, quia in eo ira Dei in genus humanum feruescens cessauit. Hinc Lamech filium suum hoc nomine Noe vocauit, vt à futuris euentibus eum denominaret. Iusti à futuris euentibus nomen accipiunt. Maluenda: *Noach proprie quietem, pausam significat; quod in ipso ira Dei diluuio super infusa mortalium generi quieuerat.*

Dub. 31. Ad illa verba, vers. 29. *Iste consolabitur nos ab opere nostro.* Iuxta Hæbreum habetur: *Facto, factura nostra.* Id est, *à peccatis nostris*, vt exponit Maluenda. Cur dicitur de Noe, quod attulit solatium peccatis nostris?

Iusti solatio sunt peccatori cum irâ Dei flectunt.

Respondetur: Quod quando terra propter hominum peccata operta fuit fluctibus inundante diluuio, Noe iram Dei flexit. Hinc dicitur de illo, quod consolatus est nos, solatiumque attulit peccatis nostris: iusti enim solatio sunt peccatori cum iram Dei flectunt. Maluenda: *Iste consolabitur nos ab operibus, à facto factura nostra, à peccatis nostris: nam Noe in diluuio, sedauit, & requiescere fecit iram Dei: & fuit vnica spes generis humani.*

Dub. 32. Ad eadem verba, vers. 29. *Iste consolabitur nos.* Cur dicitur de Noe, quod consolaturus erat homines illius temporis?

Magni faciendi sunt inuentores artium, quibus homines à suis laboribus subleuantur.

Respondetur: Quod Noe inuenit artem, seu instrumenta quibus terra minori labore coleretur quam antea. Nam antea lignis, & manibus, aut ligonibus colebatur; Noe forsitam inuenit aratrum, quo boues ad iugum tracti proscinderent terram, & sic cessauit manuum labor vnde Genes. 9. dicitur Noe fuisse cultorem terræ: Hinc Lamech dicit de eo, quod consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum, vt discas quanti faciendi sunt inuentores artium, quibus homines à suis laboribus subleuantur. Inuentores artium in magna æstimatione habendi. Caietanus: *Littera siquidem memorando opus, & dolorem manuum circa terram maledictam à Deo, testatur, quod de agricultura est semo, sed non explicat de*

de quo opere agriculturæ. Aiunt autem Noe inuenisse artem arandi. & propterea consolationem attulisse mundo hominibus, vtendo animalibus ad culturam terræ: sic enim sublenauit a dolore manuum, & ab opere manuali ad fodiendum terram.

Filij labore manuũ suarum debent parentes leuare, & nutrire, eisque subuenire.

2. Respondetur: Quod Noe tanquam optimus filius suis bonis artibus, & laboribus, & moribus conatus fuit imbecillium parentum leuare labores, & eos suo artificio nutrire. Hinc dicit Lamech, quod Noe leuamen præbiturus erat eis. Filij enim labore manuum suarum debent parentes leuare, & nutrire. Filij consolantur patres, cum eis subsidia temporalia præstant. Marginalis Caietani: *Quod autem hic Noe in parentum subsidiam natus dicatur, simplicissime accipio infirmiores suos parentes erant, filij opera indigentes. Hic legimus Noe vsque ad 500. annum in nullo seculo cœlebem fuisse, nimirum vt parentum imbecillitati succurreret.*

Deus propter iusti virtutem terram facit copia fructuũ affluere.

3. Respondetur: Quod Deus propter Noe iustitiã pietatem, & innocentiam benedicturus erat terram maiori vbertate, & fructuum feracitate, quam habuit maledicta terra à Deo propter peccatum Adæ, & Caini: inde dixit Lamech: *Iste consolabitur nos*, solatioque erit nobis: Deus enim propter merita iusti terram facit abundantia fructuum affluere. O caster ad litteram: *Est, & alius sensus non contemnendus, quod scilicet, ideo pater hoc dixerit, quod tanquam Propheta nosset Deum terræ, cui propter Adæ peccatum maledixerat, propter Noe iustitiam benedicturum, & tunc eam minori negotio colendam, vtpote benedictam de cætero maiori copia fructuum edituram, quam antea a Deo maledictam non solum propter Adæ peccatum, sed propter Cain homicidium.*

Prædicator solatij est, cũ mala malis ad eorũ pœnam bona bonis ventura ad eorum consolationẽ annuntiat.

4. Respondetur: Quod Noe denunciauit miram proluuiem, inundationemque aquarum, quæ mundo imminebat, in limineque aderat, vt terrentur mali, consolarentur iusti: inde dicit Lamech iste consolabitur nos, solatiique medellam præstabit nobis. Prædicator consolatur homines cum mala malis, bona bonis, ad pœnam illorum, consolationem horum ventura annuntiat. Hugo Cardinalis: *Iste consolabitur nos quia prædicabat diluuium imminere ad pœnam malorum, & solatium bonorum.*

Dub. 33. Ad illa verba, vers. 31. *Noe vero cum quingentorum esset annorum.* Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit Noe filius quingentorum annorum.* Cur Noe in illa tam prouecta ætate dicitur filius? Et cur de solo Noe hoc dicit Moyses, quod fuerit filius, & non pater.

Religiosus ætate senex obediat Prælato sicut filius patri.

Respondetur: Quod Noe ætate grandis, multosque numerans annos, voluntari, & imperio Deiste attemperabat, sicut filius patri obsequitur. Hinc filius vocatur ætate confectus, vt instruat Religiosos quantuncumque senio, & natu grandes, voluntarem sui Prælati sequi, sicut filius obtemperat patri. Mendoza: *Referri potest ad obedientiam Noe Patriarchæ quam Deo præstitit in ea ætate, tam syncerus, & simplex, & humilis, vt præstare solet puer filius familias parenti.*

Continentiã semper placuit Deo.

2. Respondetur: Quod Noe quingentis annis cœlibem vitam duxit, castitatem, & continentiam coluit, nec fuit pater: ideo dicitur filius, nondum pater tandiu generationem differens, placuit enim Deo semper continentia. Caietanus: *Et fuit Noe filius quingentorum annorum. Non forte sine mysterio de solo Noe dicit Moyses, quod fuit filius tot annorum. Et intelligo, quod hoc dixerit ad significandum abstinentiam Noe à generando vsque ad quingentesimum annum: acsi apertius dixisset; quod Noe fuit tantum modo filius, & non pater, vsque ad quingentesimum annum suæ ætatis, in cuius quoque signum subiungit ipsum exinde patrem trium filiorum.*

Non est iustus qui in aliqua virtute singulari inter alios nõ emineat.

Dub. 34. Ad illa verba, vers. 31. *Noe vero cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iaphet.* Cur cum alij ante centesimum annum generauerint. Noe quingentis annis natus genuit?

Respondetur: Quod Noe fuit egregius cultor castitatis: inde licet alij ante centesimum ætatis annum filios susceperint: Noe generationem distulit vsque ad quingentesimum ætatis annum, castitate inter alios eminens: non enim est iustus qui in aliqua virtute singulari inter alios non emineat. O caster ad litteram: *Aduerte maximam ipsius Noe continentiam, qui alijs incipientibus generare ante centesimum annum, ipse ad hoc quingentissimum expectauerit.*

Dub. 35. Ad eadem verba, vers. 31. *Genuit Sem, Cham, & Iaphet.* Cur Sem hic præponitur cum non fuerit primogenitus?

Respondetur: Quod Sem natus fuit circuncisus, circuncisio excluso originali, reddit hominem gratum, & iustum

Gratia, & virtus quæ ab illa procedit facit, vt iustus peccatori ante ponatur.

sum: at Cham, & Iapheth in peccato nati sunt: inde Sem peccatoribus fratribus, & in peccato natis anteponitur cum in gratia, & Dei amicitia natus sit. Gratia enim, & virtus quæ ab illa procedit facit, vt iustus peccatori anteponatur. Abulensis: *Respondet Rabbi Salomon, & aliqui iudæi, quod ideo sit, quia natus fuit circuncisus, & dignitas circuncisionis fecit eum præponi.*

Dub. 36. Ad illa verba, vers. 31. *Et mortuus est.* Cur hæc clausula frequenter recitatur in fine vitæ omnium?

Respondetur: Quod mortui clamitant ad nos, quod non longe absumus à Sepulchro, sicut illi vocati sunt adexitum vitæ inde frequenter ponitur hæc clausula in fine vitæ omnium, quia oportet frequenter cogitare de discessu. Hug. Card. *Hæc clausula frequenter recitatur, & in fine vitæ omnium apponitur, ad significandum, quod omnes illi clamant ad nos, vt memores mortis simus. Eccles. 38. Memor esto iudicij mei, sic enim erit, & tuum, mihi heri, & tibi hodie.*

Frequenter cogitandum de morte, & de discessu.

Explicit liber primus Historiarum Sacrarum ex Genesi ad Mores Pro virtutibus, & Vitijs.

CONCEPTVS PRAEDICABILES DE VIRTVTIBVS, ET VITIIS,

EX SACRA SCRIPTVRA AD MORES.

CAPVT PRIMVM.

De Abstinentia.

Cibus necessarius sumendus est post culpam, superfluus vitandus.

DVB. 1. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 16. *De omni ligno Paradisi comede.* Cur esus de omni ligno conceditur Adamo, cum Ecclesiastici 29. vers. 29. legatur quod *initium vitæ hominis aqua, & panis*, si panis, & aqua initium fuit vitæ hominis, cur Deus de omni ligno Paradisi iussit comedere.

Respondetur: Quod ante peccatum concessum est Adamo de omni ligno Paradisi comedere: post peccatum verò, vt pane tantum victitaret, quia post culpam cibus necessarius sumendus est, superfluus vitandus, ad ingluiem, & insaturabilem satietatem relegandam. Hugo Cardinalis: *Initium vitæ hominis, id est, substantialis, & principalis sustentatio hominis est aqua, & panis post peccatum, vnde post peccatum dictum est homini, Genes. 3. vers. 19. In sudore vultus tui vescéris pane tuo.*

Castitas naturaliter petit abstinentiam.

Inquires, cur à multitudine ciborum abstinebant antiquitus homines?

Respondetur: Quod abstinentia necessaria est ad conseruandam castitatem: ideò primi illi homines parcissimi erant in cibo, à multitudine que abstinebant, ne si pluribus escis victitarent, castitate periculum immineret. Castitas enim naturaliter petit abstinentiam. Vnde Abulensis in cap. 2. Genes. fol. 90. lit. F. Postquam dixerat semen hominis esse necessarium ad conseruationem speciei; superfluum autem indiuiduo, huius vltimi dicti rationem assignans, ait: *Illa enim dicuntur necessaria indiuiduo quæcumque faciunt ad eius conseruationem in esse proprio; & sic semen non est necessarium, quia materia seminalis nunquam transit in substantiam rei habentis, imò si non emittatur per coitum, vel alias, putrefit, & gignit magnos morbos, quare oportet habentes propositum castitatis conseruandæ, abstinere à multitudine ciborum generantium materiam seminalem.*

Homines istius temporis, non possunt ita abstinere sicut antiqui, cum natura sit debilior.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 9. vers. 3. *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum.* Cur esus carnium nunc conceditur post diluuium, cum ante esset prohibitus, nec indigeret ali carnibus?

Respondetur: Quod quanto natura debilior est, tanto plus eget de alimento, vel in quantitate, vel in qualitate nutritiua, vt abundans cibus naturalium iurium defectum suppleat. Vnde his temporibus sine speciali gratiæ auxilio nequeunt homines ita abstinere, & ieiunare, sicut de Sanctis antiquis legitur. Igitur ante diluuium vetitum erat hominibus carnes manducare, quarum tamen vsus permissus fuit post diluuium, cuius diuersitatis causa est. Prima, quia terra nimis aquis diluui madefacta, solata, & deteriorata remansit, ita vt fructus tam robustos, sicut antea getminare non poterat, nec homines cum illis sicut antea sustentari. Secunda causa est, quia natura humana erat fragilior quam antea, ideo indigebat cibo substantialiori, & magis nutritiuo huiusmodi sunt carnes. Homines ergo huius temporis non possunt ita abstinere, sicut antiqui cum natura modo debilior sit. Caietanus: *Necessitas explicatur vescendi carnibus*

bus: hoc est, quod ante diluuium poterat quidem homo vesci carnibus ex naturali dominio, sed non indigebat alimento carnium: post diluuium vero indiguit alimento carnium: tum ex parte terræ, quæ ob aquas diluuij reddita est minoris roboris ad productionem vegetabilium, tum ex parte hominum, quos debiliores post diluuium fuisse, minor eorum ætas testatur.

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 12. vers. 9. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni.* Cur agnus elixus prohibetur Hebræis, assus vero conceditur?

Victu simplici, non cõdito vtendũ.

Respondetur: Quod agnus elixus, & aqua coctus pro cibo condito habebatur apud veteres, non autem caro assa: ideo Dominus prohibet Hebræis comedere agnum elixum, & aqua coctum; assum vero, & mitigatum igni edere concesit, quia à conditis cibis voluit eos abstinere, & simplici victu, & mensa contentos esse. Maluenda: *Homerus Heroibus, & Regibus pariter, ac priuatis victum simplicem tribuit, nempè carnes assas, & Seruius in 1. Æneidos. Heroicis enim temporibus carne non vescebantur elixa.*

Dub. 4. Ad illa verba 1. Reg. 1. vers. 7. *Anna non capiebat cibum.* Cur dicitur de Anna, quod cibum non capiebat, cum vers. 9. dicatur de ea, *surrexit autem Anna postquam comederat, & biberat in silo?* Si comedit, & bibit in silo, cur narratur, quod cibum non sumebat?

Iusti ita perfectissimi, quod quasi non comedere reputantur.

Respondetur: Anna parum comederat: ideo dicitur, quod non capiebat cibum, iusti ita temperatissimi fuit in cibo, quod parum comedentes quasi non comedere reputantur. Maluenda: *Auctores sic conciliant dictas auctoritates; scilicet, Annam non comedisse nisi parum, & ægre, vt afflicti solent, quod pro minimo reputatur.*

Dub. 5. Ad illa verba 1. Reg. 1. vers. 15. *Vinum, & omne, quod inebriare potest non bibi.* Cur dixit Anna, quod vinum non biberat, cum vers. 9. dicat textus, quod *comedit, & bibit?*

Abstinentia vini cum abstinentia à potu debet concordare.

Respondetur: Quod sicut dicitur de illa, quod non comederat, licet comedisset, quia parum comederat, ita dicit, quod non biberat vinum, licet bibisset, quia parce bibit. Abstinentia vini cum abstinentia à potu debet concordare. Maluenda: *Quidam intelligunt illa die non bibisse, vel certe parum. Alij bibisse, & alias, sed non nisi raro.*

Dub. 6. Ad illa verba 4. Reg. 4. vers. 39. *Inuenitque quasi vitem siluestrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & reuersus concidit in ollam pulmenti.* Cur minister Elisei simul cum pulmento concidit colocynthidas?

Iusti austeritate in cibo delect.

Respondetur: Quod colocynthidæ sunt cucurbitæ agrestis gustui amaræ, vtpote fel terræ appellatæ: has puer Elisei iniecit in ollam pulmenti filiis Prophetarum, vt pulmento fellè pollutò, non delicarum cibum, sed austerum, & insipidum sumerent: delectantur enim iusti austeritatibus in cibo. Maluenda: *Fructum colocynthidis esse vehementer amarum Dioscorides tradit, vnde Persæ teste Mesue colocynthidam fel terræ appellauere.*

Intemperatissimus est, qui vulgaribus cibis non cõtentus, exquisitos exquirit.

Dub. 7. Ad illa verba, Math. 3. vers. 4. *Esca autem eius erat mel siluestre.* Cur Sanctus Ioannes melle siluestri vtebatur, & non alio dulciori?

Respondetur: Quod mel erat veluti quædam resina, quæ in arborum truncis, vel herbis reperiebatur in deserto illo, vbi erat Sanctus Ioannes, ac proinde erat mel commune, vulgare, parabile, minime exquisitum, tenue, obuium facileque inuentu: ideo siluestri, & communi melle vescebatur, non exquisitos cibos exquisiuit, sed communes, & vulgares, ne si appeteret exquisitissimum mel, & delicatissimum, intemperatissimus haberetur. Hugo Cardinal. *Mel siluestre de truncis, vel herbis, mel siluestre inueniebat in truncis, & in arundinibus: sunt enim quædam arundines plenæ melle naturaliter.*

Dub. 8. Ad eadem verba. Math. 3. vers. 4. *Esca autem eius erat mel siluestre.* An D. Ioannes Baptista comedebat mel defecatum?

Iusti cruciatum gustus potius, quam delectamentum quærunt in cibis.

Respondetur: Quod Sanctus Ioannes ad austeriorem abstinentiam mel comedebat, non purgatum à cera, sed simul cum cera, & fauo, ne mel suaue esset ad gustum, sed palato austerum, & insipidum; iudi cruciatum gustus potius quam delectamentum appetunt in cibis. Abulensis: *Vocatur mel siluestre; id est, rude ad differentiam mellis nostri, quod defæcatum est, & purgatum à cera; illud autem mel, quod Ioannes comedebat, erat simul cum cera; scilicet fauus sicut ipse inueniebat in deserto in aluearijs apum; nam illæ in diuersis locis in deserto mellificabant, etiam in locis, vbi nulla hominum de eis cura erat, & illi faui erant adhuc rudiores.*

Vide ieiunium.

CA-

CAP. II.

De acceptione personarum.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 21. vers. 12. *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua, omnia quæ dixerit tibi Sara audi vocem eius*: illam; scilicet quam dixerat Sara Abrahamo, vers. 10. *Eijce ancillam, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isac* Cur Dominus confirmauit iudicium Saræ, quod Ismael excluderetur à paterna domo, & Isac hæreditatem haberet, cum Isac esset iunior, & Ismael ætate grandior?

Deus non respicit personas, sed merita, vel demerita.

Respondetur: Quod Sara pro iustitiæ rectitudine protulit illud iudicium. vt Ismael quamuis senior pro suis demeritis à paterna domo excluderetur, & Isac quamuis iunior pro suis virtutibus totam hæreditatem haberet: ideo Dominus confirmauit iudicium Saræ, & sententiam, ne Deus si hæreditatem daret Ismaeli, quia senior erat, excluso Isac, quia iunior, acceptor personarum appareret, nec respiciens merita, vel demerita, sed personas. D. Ambros. lib. 7. de Abrahamo, cap. 7. *Eijce ancillæ filium. Nusquam alibi dixit, audi vocem vxoris tuæ, nisi hic eijce ancillæ filium, vt non habeat hæreditatis consortium, qui non habet originis priuilegium.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 11. vers. 5. *Et morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius vsque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam.* Cur filius Regis non reseruatur in illa strage?

Iudex non accipiat personas in supplicio æque delinquentium.

Respondetur: Quod æque delinquerunt Rex, & populus: inde nihil tam magnum, nihil tam paruum, vel abiectum cui pepercerit in illa strage Dominus, filius Regis perditur æque, ac filius ancillæ. Non enim debet esse in iudice acceptio personarum in supplicio æque delinquentium. Malunda: *Quidam nomen relatiuum anceps reddunt, qui sedet in solio suo, vt ad Pharaonem referatur, ac si dicat: quamuis Pharao maiestate Regia polleat, ac Regio solio insideat eius tamen filius interficietur nullo respectu Regij fastigij.*

Dub. 3. Ad illa verba, Leuitici 10. vers. 3. *Sanctificabor in ijs qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor.* Cur dicit Dominus, quod sanctificabitur puniendo proximos sibi; scilicet Sacerdotes?

Respondetur: Quod Nadab, & Abiu erant proximi, propinqui Deo; id est, aliquid Dei, vtpote Sacerdotes eius; & ne aliquis existimaret, ea ratione impunitos euasuros, occidit illos Deus, quia sacra non legitime, & iusta verbum Dei non administrabant, puniuit ergo illos, vt non appareret acceptor personarum, & hoc dixit esse manifestatiuum gloriæ suæ. Vnde qui in hoc illum imitantur, gloriam propriam Dei quasi suam efficiunt, & vices Dei in terris agentes inuenientur, & prædicabuntur. Qui enim acceptor personarum non est, neque puniendo neque præmiando, velut Deus in terra reputari debet. Abulensis: *Et sensus, quod Deus sanctificabitur in ijs qui appropinquant sibi; id est, apparet Sanctus, vel mirabilis, aut terribilis in ijs, qui appropinquant sibi; id est, in Sacerdotibus. Intendit enim, quod Deus punit peccata, & in puniendo apparet nobis mirabilis, & iustus, in quo à nobis glorificari dicitur: sed non facit ipse sicut Principes terreni, quoniam quamuis aliquo modo appareant mirabiles puniendo eos, qui ad illes non pertinent, tamen cum aliquerint illi, qui eis specialiter adhærent, non puniunt eos in hoc fauorem obseruantes. Deus tamen dicit se non sic facturum, quoniam glorificabitur, aut sanctificabitur in ijs qui appropinquant sibi; id est, etiam puniet pro peccatis illos qui sunt sibi contuncti, sicut illos qui nullo modo accedunt. In quo monstrat se iudicem iustum esse nullatenus aliquid fauore addito agentem.*

Qui acceptor personarum non est, neque puniendo, neq; præmiando, velut Deus in terra reputari debet.

Iudex æque puniat appropinquantes sibi, sicut illos, qui ad eum non pertinent.

Dub. 4. Ad illa verba, Leuici 19. vers. 15. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis.* Cur Dominus præcipit iudicibus, quod non considerent personam pauperum, nec honorent vultum potentis, cum multa sint in quibus diuitum, & pauperum ratio habenda est?

Respondetur: Quod in ijs quæ misericordiæ sunt, ad pauperes habendus est respectus, vt elemosynas illis largiamur: in ijs autem quæ iustitiæ sunt, non est attendendum ad personam pauperis, vel diuitis, sed potius merita debent iudices spectare quam personam. Oleaster: *Multa sunt in quibus pauperum, & diuitum ratio habenda est, sed non in iudicio. Nam in operibus misericordiæ ad pauperes respiciendum est, vt scilicet illis subuenias, in honore etiam exhibendo potentium habenda est ratio. Deus enim, vt habet. Iob. 36. potentes non obijcit, cum ipse sit potens, in iudicio tamen horum nihil considerandum est.*

In ijs quæ misericordiæ sunt, respicienda sunt pauperes, in ijs quę honoris, diuites spectandi: in ijs vero quę sunt iustitiæ, non est considerandus pauper, vel diues, sed iustitia.

Dub.

Dub. 5. Ad illa verba, Iudic. 5. vers. 14. *Ex Ephraim deleuit eos in Amalec, & post eum in Beniamin in populos tuos ò Amalec, de Machir Principes descenderunt, & de Zabulon qui Exercitum ducerent ad bellandum.* Cur Debora laudat tribus quæ ad bellum contra Regem Chananæorum non sunt egressæ, cum tantum debet efferre tribum Neptalim, & Zabulon, & ex ijs tribubus decem millia peditum, qui primo congressu victores euaserunt?

Acceptio personarum in laudibus decantãdis, desidiæ causa est & inuidiæ radix.

Respondetur. Quod Debora erat Iudex, & persona communis Populi Israelis, ad eam pertinebat Populum in pace conseruare, ac tueri: ideo pro bono pacis non solum tribus Neptalim, & Zabulon commendauit, sed, & alias tribus scilicet, Ephraim, Iliacar, Ruben, Galaad, Aser pluribus exornauit encomijs: commoneretur enim populus præ inuidia, & perturbaretur pax, si Debora in laudibus decantandis acceptaret personas, & tribus, & in laudes aliarum tribuum non erumperet. Caietanus: *Rationi consentaneum est, vt Debora Iudex, ac persona communis vniuersso Israeli in publica laude, illarum tribuum quæ affecerunt, ne inuidiam excitaret in alijs tribubus, ac per hoc dissensionem, laudes aliarum tribuum pro bono pacis inseruerit.*

Dub. 6. Ad illa verba, 1. Reg. 16 vers. 7. *Dixit Dominus ad Samuelem: ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, neque iuxta intuitum hominem ego iudico.* Cur Dominus dixit Samueli electuro Regem in Israel, quod non respiceret vultum Eliab, cum eligendus deberet ab eligente agnosci?

In electionibus faciendis non est spectanda corporis species, sed animi virtus.

Resp. Quod Samuel videns Eliab procerum corpore, & elegantem speciem, putauit quod electus esset à Deo in Regem: Dominus autem dixit Samueli, quod aspectum, & altam staturam non spectaret, vt Eliab Regem constitueret: ne in electionibus faciendis acceptio esset personæ, & speciei excluso merito, & virtute. Malueuda: *Non enim spectat quod spectare solet homo, nam homo spectat quod est ob oculos, sed Iehoua spectat, quod est in animo.*

CAP. III.

De adulatione.

DVb. 1. Ad illa verba, Leuitici 2. ver. 11. *Nec quidquam mellis adolebitur in sacrificio Domino.* Cur Dominus sic abhorret à melle in sacrificio? An quia mali odoris est si cremetur?

Deus à se longè reijcit, adulatores.

Respondetur. Quod verba adulatoris vocantur verba dulcia: dulcescunt enim ei cui adulatur: hinc mel in sacrificijs reiecit Deus, & à se abiecit. Adulatores enim Deus à se longè reiecit. Abulensis: *Signat mel dulcedinem verborum in adulantibus, quod Deo valde odibile sit, ideo sacrificijs suis distare oportet.*

Dub. 2. Ad illa verba, Numer. 22. v. 6. *Noui quod benedictus sit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congesseris.* Cur Balac dixit Balaam, quod nouerat, benedictum esse, à Balaamo benedictum, & maledictum ab eodem maledictus? Non enim ars magica scit benedicere.

Homo cui ita adulatum videt, promptissimus ad quæcunque mala agenda.

Resp. Quod Balac voluit his verbis extollere artem magicam Balaami, vt adulatus in populi maledictionem prorumperet, & promptior fieret, vt deris deuoueret Israelem. Hinc licet ars magica, sit vt nec diabolus sciant benedicere, dixit Balac blandiendo Balaamo quod sciebat, quod quibuscunque benedixerit Balaam, benedicti erunt, & maledicti, quibus malediceret. Homo enim cum se adulatum videt, promptissimus est ad quæcunque mala agenda. Hugo Card. ex Gloss. Origenis: *Non credo eum scire, quod quibuscunque benedixisset Balaam benedicti essent, sed adulandi gratia hæc dicere, vt artem eius extollens promptiorem sibi faceret: ars enim magica nescit benedicere, nec dæmones. Scit benedicere Isaac, & Iacob & omnes sancti, impiorum nullus benedicere nouit.* Hac ratione dixit Ioram Eliseo, 4. Reg. 6. vers. 31. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat si sterit caput Elisei super ipsum hodie.* Cur Ioram minatur mortem iniuste Eliseo viro iusto, quique non erat in culpa famis, quam pariebatur populus?

Respondetur. Quod Ioramus verborum lenocinijs, ac blantitijs demulcebatur à populo: inde in mortem iniustam Elisei paratus erat, caputque illi abscindere promptus, quasi qui assentatus, & adulatus erat, promptus, & expeditus esset ad malum patrandum. Malueuda: *Quidam notant, Regem Iehoramum fretum tuba assentantis populi, ista minari Prophetæ.*

Dub. 3. Ad illa verba, 2. Reg. 16. vers. 16 *Salue Rex, salue Rex.* Putat Caietanus quod verba quæ hic loquutus fuit geminate Absaloni sunt adulantis, *Viuat Rex, Viuat Rex, adulantis sunt geminata hæc verba.* Quæres cui adulatur Chusai, Dauidi, vel Absaloni?

Respondetur. Quod hæc verba ambi-

gua

Adulator mẽdax fũa verborum ludit, & fraudat

gui erant ad Dauidem, & Absalonem, Chusai ea intelligebat de Dauide, Absalon de se ipso, Chusai adulatorie ludificabat Thecna, & mendacio artificio pleno: non enim desiderabat vitam, & Regnum Absaloni, sed Dauidi, & loqui ad Absalonem viuat Rex, viuat Rex, fuit adulatorie illudere Absaloni ambiguitate verborũ. Hic est enim mos adulatoris ita verba componere, quod Principibus eludant. Maluen. *Recte obseruant, Chusai hic toto suo sermone Hebraico cum Absalomo habito, ex ambiguo iudificari ei: sic enim verba componit, vt Absalom ad se trahat, cum ipse de patre Dauide intelligat viuat Rex, viuet Rex, Absalon de se capiebat: at Chusai de Dauide intelligebat.*

Dub. 4. Ad illa verba, Psalmi 5. vers. 10. *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Cur adulatores qui blande loquebantur Dauidi Sepulchro comparantur patenti, non vero clauso?

Respondetur: Sepulchrum patens paratum est ad recipiendum mortuum, nec opus est fodere illud, sed proijcere mortuum: quod bene congruit adulatoribus Dauid, qui parati erant ad eum occidendum, nihilque eis deerat nisi executio operis: cum enim ei blandiebantur, & dicebant, quod placebat Regi, illa fututiloquentia prope occisores, & homicidæ reputabantur à Dauide: adulator enim prope homicida est, nec aliud illi deest nisi executio. Caietanus: *Per assimilationem gutturis ad Sepulchrum patens seu apertum, aptius intelligitur parata voracitas ad deglutiendum Dauidem: ita quod præparatio eorum ad necem eius erat sicut præparatio Sepulchri patentis ad sepeliendum vbi nihil deest nisi proijcere hominem in sepulturam: non enim oportet laborare ad fodiendum Sepulchrum, aut ad operiendum illud. Linguam suam lenificabant. Crimen fictæ sermonis significatur, blande, scilicet, loquentium & ad malum tendentium quæ patent in libro Regum, quando blande loquebantur Dauid super filia Saulis, & præputijs Philistinorum: ecce plazes Regi* 1. *Reg.* 18. *Vers.* 22.

Adulator prope homicida est, nihil deest ei, nisi executio operis.

Dub. 5. Ad illa verba, Psalmo 140. vers. 5. *Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Hebræorum nonulli ita exponũt: *Percutiat me iustus pietate, & increpet me oleum autem pretiosum non frangat caput meum.* Cur petit Dauid, quod oleum pretiosum, id est, falsa laus adulatorum non frangat & perdat eum?

Respondetur: Quod adulatio frangit hominem, destruit virtutem eius cui blanditur, quemque verborum lenocinijs demulcet: ideo dicit Dauid, quod maluit à iustis cædi, quam ab adulatoribus blandiri, quod iustus retundat, benignitas erit, & pro magno beneficio habendum, quod adulator blandiatur, crudelitas est, & pro maximo damo puranda adulatio, cum ad hoc tendat, vt virtutes destruat, & bona animi perdat. Maluenda: *Ac si dicat: malo vt me cædant iusti, quam vt improbi primario, ac suauissimo vnguento me delibitum reddant, hoc est, omni genere beneficiorum, ac deliciarum perfundant: nam verba piorum mihi beneficio sunt: blanditiæ autem, & deliciæ impiorum caput mihi frangunt, id est, bona animi perdunt.*

Adulator virtutis eius, cuius adulatur destruit.

Dub. 6. Ad illa verba, Prouerbior. 11. vers. 9. *Simulator ore decipit amicum suum, iusti autem liberabuntur scientia.* Quomodo scientia iusti liberat eum à blando amico?

Resp. Quod adulator blandis verbis amicum, cui adulatur euertit, & pertrahit in exitium: at cum iustus blanditur à scientia sua liberatur, & cognitione falsitatis, cautioneque prudente se ipsum à corruptione, quam infert adulatio seruat, cum ipse cognoscat intrinsecus, & extrinsecus veritatem: qui enim se ipsum cognoscit liberatur à corruptione adulationis. Caiet. *Efficacia simulationis adulatorum hypochritarum & aliorum eiusmodi manifestatur, attribuendo illis, quod homo simulator destruit socium suum quo ad facultates, & quandoque quo ad personam: quo contra scientia iustorum tantæ est efficaciæ, vt euadere faciat iustos à laqueis simulationũ.* Vnde Socrates cuidam adulanti sibi resõdit: *Nihil proficis adulator, cum te intelligã.*

Iustus quia se ipsum cognoscit, liberatur à corruptione, & laqueis adulatorum.

Dub. 7. Ad illa verba, Isaiæ 36. vers. 4. *Et dixit ad eos Rabsaces: dicite Ezechiæ: hæc dicit Rex Magnus, Rex Syriorum.* Cur Rabsaces Ezechiam non appellat Regem, Sennacheribum vero semel atque iterum Regem nominat?

Resp. Quod Rabsaces suum Regem Sennacheribum multis quidem flagitijs arguendum, tamen vt cœleste quoddam numen ad eius gratiam captandã venerabatur: inde Ezechiam ne semel quidem Regem appellat: at vero Sennacheribum semel, atque iterum Regem nominat blandiens ei, quasi præ Rege suo neminem Regia dignitate, vel Regio nomine dignum censeret. Hic est adulantium mos, vt gratiam Principum adulationibus aucupent,

Adulator, vt gratiam Principum veneretur, eos laudat eum aliorum contẽptus.

illos laudare cum aliorum contemptu. Hugo Card. *Dicite Ezechiæ, non dicit Regi, sed Ezechiæ, quasi contemnens eum, & indignum Regio nomine iudicans.*

Dub. 8. Ad illa verba. Matth. 21. vers. 17. *& relictis illis abijt foras extra Ciuitatem in Bethaniam.* Cur Christus post tantam turbarum acclamationem, & honorem in die palmarum nullum habuit hominē, qui cū hospitio exciperet?

Adulator ab omnibus excipitur, qui adulator non est, ab omnibus deseritur.

R. Quod Christus in Ierusalem non assentatus, fuit auribus alicuius, nec arrogantiæ hominum velificatus, nec verborum blanditijs aures demulsit: inde post tantum honorem in Ierusalem, diuersorium non habuit in Ierusalem, sed extra Ciuitatem in Bethaniam diuersatus est, vt innuat, quod adulatores porrecta fronte ab omnibus excipiuntur, qui vero adulator non est, ab omnibus deseritur. Peraldus tom. 2. de peccato linguæ, cap. 7. *Dicit Glossa, quod relictis illis abijt foras extra Ciuitatem, quia pauper erat, nulli adulatus nullum in tanta Vrbe inuenit hospitem, sed apud Lazarum receptus est.*

CAP. IIII.

De Aduersitate.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 18. vers. 17. *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum.* Cur Dominus noluit celare cladem quam missurus erat Sodomæ, & Gommorrhæ igne conflagrandis? Cur consilium suum Abrahamo patere voluit?

Aduersa non à casu, sed ex Dei prouidētia nobis accidunt.

R. Quod Deus amico Abrahæ detegit gerenda, Sodomorumque excidium manifestat, vt sentiret Abraham, quod aduersitates à Deo immissæ, non temere, nec casu accidunt, sed speciali adhibita à Deo cogitatione, singulaque diligentissime perpendente. Ioachimus Abbas lib. 1. concordiæ veteris, & Noui Testamenti cap. 18. *Prædixerat autem hoc ipsum Dominus Abrahæ ne quis forte accidisse casu, & non magis Diuinitus causaretur, quasi respiciat Deus de cœlo super filios hominum, & videat si sit intelligens, & requirens Deum.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 19. v. 1. *Veneruntque duo Angeli Sedon vespere.* Cur Angeli venerunt Sodomam sero? Cur mane, vel meridie non venerunt?

Deus signa dat aduersitatis imminentis, & futuræ.

Res. Quod Dominus voluit signa dare Sodomæ calamitatis, & grauis casus, & infortunij, quod imminebat Ciuitati, aduersitatisque quam immissurus erat Sodomitis: ideo Angeli non venerunt Sedon mane, vel meridie, sed vespere, inter solis, scilicet, occasum, & noctem, vt ex occasu dici, Ciuitatis intelligerent casum. Caietanus: *Venerunt autem Sodomam sero eiusdem diei, quo pransi fuerant apud Abraham, vt etiam extrema diei pars congrueret occasui Ciuitatis.* Vnde Genes. 15. vers. 11. volucres solitæ vesci carnibus cadauerum venerunt ad cadauera animalium quæ diuisit Abraham per medium: *Descenderunt que volucres super cadauera.* Nota Caiet. *Sic fuit res gesta in figuram futurorū.* In quorum figuram? Quid significabant volucres cœli venientes super cadauera?

Respondetur: Quod animalia quæ sumpsit Abraham, significabant semen Abrahæ, quod futurum erat peregrinum in terra non sua, volucres autem quæ venerunt ad cadauera animalium, præmonstrabant aduersitates, & afflictiones seminis Abrahæ, quas passuri erant: ideo descenderunt volucres super cadauera animalium, quæ diuisit Abraham: vt hoc signo futuras prænosceret seminis sui aduersitates. Caietanus: *Aues quæ ad cadauera venerunt, signa sunt seruitutis, & afflictionum seminis tui.*

Dub. 3 Ad illa verba, Exodi 3. vers. 3. *Videbo visionem hanc magnam.* Cur visionem vocat magnam? An quia flamma acuminata erat in modum gladij? An quia in virentia folia perflasit?

Aduersitas non mutat fortis viri animum, sed in eodē statu permanet iustus.

Respondetur: Quod viderat Moyses flammam aduersantibus, & resistentibus ventis, nec huc deflectentem, nec illuc inclinantem, sed rectam permanentem: inde vocauit visionem magnam, mirum valde erat, quod persistente aduersitatis vento, in nullam partem declinaret, sed in eodem statu permaneret: ita iustus in aduersitate, turbidaque fortuna, non mutat animum sed idem inqualibet calamite permanet. Maluenda: *Flamma non dissipata, aut sparsa ventis erat, sed recta.*

Dub. 4. Ad illa verba, Exodi 5. vers. 9. *Opprimantur operibus, & expleant ea.* Cur Deus tantam oppressionem in populo suo permisit, cum facile posset eum liberare?

Aduersa dat nobis Deus in hac vita, vt auidius ad æternam tendamus.

Respondetur: Quod duritia, qua tam acriter Hebræos tractabat Pharao, à Deo ordinabatur, vt videntes miseram, quam degebant vitam, tantis laboribus plenam, amplius cum exissent de illa, ad illam redire non cuperent, sed auidius ad terram Promissionis tendere aspirarent. Aduersa enim dat nobis Deus in hac vita, vt auidius ad æternam eamus. Abulensis: *Hæc autem permittebat Deus fieri populo suo, vt magis desiderarent exire de Ægypto, ne vnquam desiderarent illuc redire, sicut fecerunt postea*

stea resipiscentes, quare exierant de Ægypto. Erat etiam hoc admatus desiderium terræ Promissionis, quia sicut quando aliquis fessus est, vmbra sibi est gratior, & quando siti consumitur, aqua fluminis salientis, dulcior: ita & quando alicuius labor fuit multum pro aliqua re desiderabilius eam accipit.

Dub. 5. Ad illa verba 2. Reg 13. vers. 39. *Cessauitque Rex Dauid persequi Absalonem, quod consolatus esset super Amnon interitu.* Cur Dauid consolatus fuit de morte Amnon quam intulit ei Absalon? An pater de morte filij mœrore non consumitur?

Iusti consolantur in aduersitate siue sua, vel proximi, quod Iusto Dei iudicio euenit.

R. Quod Dauid nouerat filium Amnon flagitiosum fuisse, morteque dignum propter incestum cum sorore Thamar, & iusto Dei iudicio ab Absalone de medio sublatum: ideo Dauid in maximo suo dolore, hoc solatio vsus fuit, quod aduersitas illa à Deo immittebatur. Deique permissu, & libente Deo obueniebat: iusti enim hoc habent oblectamentum in aduersitate, quod iusto Dei iudicio accidunt. Lyran. *Consolatus est super Amnon interitu, eo quod reuoluerat in animo Amnon flagitium, & sic iusto Dei iudicio eum fuisse occisum.*

Dub. 6. Ad illa verba 4. Reg. 13. v. 7. *Interfecerat enim eos Rex Syriæ.* Cur dicitur, quod Rex Syriæ afflixit Israelitas, eosque interfecit, cum in eodem cap. v. 10. legatur, quod *dedit Dominus Saluatorem Israeli, & liberatus est de manu Regis Syriæ?* Si ergo liberati fuerunt à Rege Syriç, ô fuerunt à Rege Syriç interfecti.

Aduersitate affliguntur peccatores propter suam malitiam, nõ vero cum iuste viuunt.

R. Quod quando Israelitæ pie, & iuste, secundum præscripta legis vexerunt, per Saluatorem, quem eis dedit Dominus liberati fuerunt à Rege Syriæ: at postquam in mala fuerunt lapsi, à Rege Syriæ interfecti fuere, & redacti quasi puluis intritura areæ: vt edocerentur, quod propter eorum malitiam aduersitate premebantur. Hugo Card. *Non est contrarium, quia primo liberauit eum, sed postea propter malitiam eorum permisit eos sic affligi.*

Dub. 7. Ad illa verba, Psalmi 33. v. 21. *Custodit Dominus omnia ossa eorum.* Cur dicit Dauid, quod cum Deus aduersis premit iustos, custodit eorum ossa, cum multorum iustorum ossa confracta sint.

Deus ad custodiam virtutum ordinat tribulationes iustorum.

R. Quod ossa iustorum sunt virtutes eorum, quas Deus cum iusti affliguntur conseruat, licet corpora vexentur. Hinc dicit Dauid, quod Deus custodit omnia ossa eorum cum corpora aduersa sustinent, nec vna virtus confringitur. Aduersa conseruant omnes virtutes iustorum. Caiet. *In tribulatione iustorum ad similitudinem naturæ agit Deus: natura enim in ægritudinibus non mortalibus, custodit ossa non carnes ægri. Vnde efficitur (macer defectu carnium) sed postea carnes restaurat: ita Deus in tribulationibus iustorum custodit omnia ossa iusti, omnes virtutes animi, quæ sunt velut ossa sustentantia iustum, nec vna quidem virtus confringitur. Et ad hoc (scilicet ad custodiam virtutum) ordinat tribulationes iustorum.*

Dub. 8. Ad illa verba, Psal. 44. v. 3. *Speciosus forma præ filijs hominum* Isaiæ 53. v. 2. *Et ascendet sicut virgultum coram eo.* Cur Dominus Iesus de speciositate commendatur, cum Isaiæ 53. vers. 2. dicatur, *quod non est species ei neque decor?*

Delectatur Deus cum iustus sustinet patienter aduersa.

R. Quod vtraque recte dicuntur de Christo: speciosus enim erat, & sine specie, sine specie opinione crucifigentium Iudæorum, cum decore vero sicut virgultum in oculis Patris: cum enim videret filium æquo animo aduersa, & acerbissimam sufferre Passionem, delectabilis fuit Patri sicut virgultum: delectatur enim Deus cum iustus sustinet patienter aduersa. Hugo Card. *Christo patienti non erat species, neque decor Diuinitatis secundum opinionem Iudæorum, sed coram Deo Patre fuit delectabile virgultũ.*

Dub 9. Ad illa verba, Psal. 117. v. 6. *Non timebo, quod faciat mihi homo.* Cur Dauid dicit, quod in periculis positus non timuit hominem, cum 1. Reg. 21. vers. 12. legatur, quod *extimuit valde à facie Achis Regis?*

Aduersa non faciunt iustũ à virtute cadere.

R. Quod Dauid timuit quidem coram Achis in illo discrimine, non tamen à virtute declinauit in periculo, & aduersitate constitutus: inde dixit, quod non timebit quidquid faciat ei homo, quia in illo periculo non fuit à virtute deiectus: non enim cadere faciunt iustum à virtute infortunia. Lyranus: *Non timebo quid faciat mihi homo, scilicet, timore deficiente à virtute. Aliquando enim Dauid in periculis positus timuit, sicut quando mutauit os coram Achis 1. Reg. 21. sed ille timor non fuit vitiosus deficiens in desperationẽ de Deo.* Vnde Seneca lib. de Prouidentia: *Sicut amnes imbres, & fontes non mutant saporem maris, nec remittunt: ita aduersarũ rerũ impetus fortis viri nõ mutat animum, sed manet in statu suo, & quidquid euenit in sui colorem mutat.*

Dub. 10. Ad illa verba, Iob 1. vers. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Iob.* Noster Maluenda hoc nomen deducit ab Hebraico *Ajab*, quod interpretatur *inimicari.* Cur Iob habet scriptas in nomine

inimicitias, & aduersitates à diabolo, & amicis inferendas?

Aduersitatem præuisæ minus sustinentem laedunt.

Resp. Quod in nomine scribuntur futuræ calamitates, quas subiturus erat, vt in nomine præuisæ, minus eum ferirent: aduersitas enim quæ subito venit, nimis grauis est, quæ vero prænoscitur, & spectatur leuior inuenitur: ideo nomen Iob deducitur *aiab*, quod est inimicari, vt quotiescumque nomen suum in memoriam reuocauerit, præcognitas habeat imminentes aduersitates, ne si in expectatæ aduenirent, grauius cor eius sauciarent. Maluenda: *Inclitum, & æternum nomen, quod nulla delebit oblivio, rectius deducunt ab aiab inimicari, quasi præsagio nomen acceperit, quod grauissimas inimicitias in eum diabolus exercuerit, & amicos inimicissimos expertus sit.*

Dub. 11. Ad illa verba, ad Hebræos 12. vers. 6. *Quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* An qui à Deo non flagellatur possit dici Filius Dei?

Deus speciales amicos suos aduersis exagitat

Resp. Quod Deus amicos suos, quos benevolentia, familiaritate maxima, amicitiaq; nõ vulgari sibi coniungit, præmit aduersis: prædestinati familiarissimi sunt Deo, vnde Filij Dei vocantur; reprobi vero exosi, vnde inter amicos Dei sors illorum non est: nec inter Filios Dei non computantur: si enim filij, & amici Dei essent, à Deo flagellarentur. D. Thomas lect. 2. *In hoc autem castigat, quia flagellat, non quidem ad condemnationem, sed ad salutem, & ideo qui non flagellantur, non sunt de numero filiorum Psal. 72. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, vnde est signum quasi æternæ reprobationis. Ezechiel. 16. vers. 42. auferetur zelus meus à te.* Vnde Hugo Cardin. ibi: *Illi enim quem Dominus corripit, offert, & familiari dilectione suum calicem in quo bibit.*

CAP. V.

De Amore.

Vbi amor est, dolus nõ est.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 3. vers. 6. *Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo.* Dicunt aliqui, quod Eua dedit viro suo de ligno vetito, vt comederet, quia voluit fallere illum, & fefellit dicens, aliam esse arborem, quam vetitam à Deo, cuius eum illi offerebat, sed hoc esse falsum asserit Abul. in cap. 3. Genes. sed vnde probatur, quod Eua non fefellit Adamum, cum mulier fraudum sit fabricatrix?

R. Quod Eua maxime diligebat virum suum. Hinc ostenditur falsitatem non fuisse in Eua erga virum suum, quia in amore non compatitur dolus, & fallacia. Vbi amor est, dolus non est. Abul. *Si fœmina vellet decipere Adam, vellet ei nocere, sed falsum est, quia fœmina non oderat virum, sed diligebat, ideo, & si posset, nollet nocere decipiendo.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 15. vers. 9. *Sume mihi vaccam trientem, & capram trimam.* Cur Abraham obtulit Deo animalium sacrificia, cum ad Dei amorem ex parte Abrahæ erga Deum ostendendum, sufficeret, quod in corde amaret Deum?

Verus amor siue Diuinus siue humanus non solũ verbis, sed operibus ostendendus

Resp. Quod non sufficit cordis amor, sed est necessarius amor operis, quia ille sine isto, nec verus esse potest, nec creditus: ideo licet in corde Abraham amaret Deum, animalium sacrificia Deo obtulit. Verus enim amor siue Diuinus, siue humanus, non solum verbis sed operibus comprobandus. Abulens. *Quia adhuc honor Dei non est completus, donec extra ad maiorem extensionem laudum Dei cultus eius manifestetur, vt omnia quæ in nobis sunt, suo deseruiant creatori, oportebat istum cultum manifestari in quodam signo exteriori, scilicet, in oblatione, sacrificio, & similibus, & quia maximum demonstratiuum Diuini cultus est sacrificium, ideo mandauit offerri animalia ad immolandum.*

Amorem gignunt munera.

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 25. vers. 28. *Isac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur.* Cur ponitur pro ratione amoris Isac erga Esau, quod Esau patri de venatione ministrabat?

Resp. Quod munera amorem gignunt, & aumentant etiam inter parentes, & filios: vnde vulgatum illud prouerbium: *Matrem, & filiam mutuis donarijs amicas fieri.* Ideo Isac amabat Esau, quia de venatione sua quam capiebat, cibos patri suo ministrauit. Munera enim amorem gignunt. Maluenda: *Id circo diligebat Esau, quod is solitus esset de venatione sua, id est, de ferina carne, quam venatione sua capiebat, cibos patri suo ministrare, qui eorum gustu afficiebatur.*

Dub. 4. Ad illa verba. Genes. 29 vers. 31. *Videns autem Dominus quod despiceret Liam.* Notat Maluenda, ex Hebræa radice, quod Iacob odio habebat Liam, quia eam contemnebat, & negligebat, & ea quæ odimus, negligimus, & contemnimus. Quæres an verum sit, quod Iacob oderat Liam, cum nulla esset ratio eam odio prosequendi?

Respondetur: Quod Iacob amabat Liam, nec aliquo modo odio habebat eam: quia autem plus diligebat Rachelem

Subditus quia minus præ alijs amatur à Principe, vel Prælato, credit se à Principe, vel

chelem quam Liam, dicitur quod eam despiciebat, & consequenter, quod odio prosequebatur Liam: cum enim Princeps, vel Prælatus minora signa dilectionis exhibet vni subdito quam alteri, putat subditus, quod odio habetur à Principe, vel Prælato. Maluenda: *Videns autem Dominus, quod despiceret Liam, quod odijt, odio habuit: aiunt esse contemptus, & negligetus, quia ea quæ odimus, negligimus, & contemnimus. Dici autem interdum notant per comparationem alterius, quod magis amatur, non quod proprie odio habeatur, vt hic: non oderat Iacob Liam, sed præ Rachel, quam vnice amabat, vt etur odio habuisse, quod eam negligeret & despiceret, nec erga eam eam amoris vim exerebat vt erga Rachelem.*

Dub. 5. Ad illa verba. Numer. 12. vers. 1. *Loquta que est Maria, & Aaron contra Moysen propter vxorem eius Æthiopissam*: Iuxta Hebræum habetur: *Super causam mulieris Æthiopissæ*. Cur Maria causam agit Æthiopissæ contra Moisem? Nonne sat erat loqui Aaronem pro Æthiopissa contra Moysem, quia à consortio maritali eam rejiciebat propter crebra quæ cum Deo habebat colloquia? Cur ergo Maria loquitur in fauorem Æthiopissæ?

Verus amicus causam agit sui amici

Respondetur: Quod Maria diligebat Æthiopissam vxorem Moysis: ideo loquita est super causam eius, causamque mulieris egit contra Moysem, dicens quod Moyses, quia accepit Æthiopissam tenebatur non deserere eam quo ad thorum licet Propheta esset: verus enim amicus patrocinium sui amici suscipit, & causam eius agit. Caiet. *Subiunctis verbis consonat occasionem fuisse murmuris amorem Mariæ erga Æthiopissam vxorem Moysis, eo quod deserta erat a viro suo quo ad thorum, quia Propheta erat. Nec aliena est littera ab hoc sensu, & quadrat, vt mulier mulieris causam ageret.*

Dub. 6. Ad illa verba 1. Reg. 18. vers. 1. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Cur inter Ionatham, & Dauid animorum fuit tanta coniunctio? Cur Ionathas non ita dilexit alium è populo sicut Dauidem?

Amor est inter in moribus aquales.

R. Quod Ionathas fuit acer, & pugnax, & Dauid vir bellicosus: inde Ionathas summo Dauidem prosequebatur amore, vt quem similem viderat in moribus, sibi conglutinaret amicitia. Hugo Cardin. *Ionathas dilexit Dauid, vir bellicosus videlicet iuuenem aptum pugnis. Vnde Poeta: Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem, Rectorem dubie nauta puppis amat.*

Dub. 7. Ad illa verba. 4. Reg. 10. vers. 15. *Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo.* Cur Iehu interrogat an Ionadab haberet cor rectum ad eum sicut Iehu ad Ionadab? Quo interrogatio tendit?

Amici mutuo inter se debent respondere,

R. Quod Iehu volebat experiri an Ionadab ei in animo responderet, eique optime cuperet, sicut Iehu bona omnia secunda, prosperaque cupiebat Ionadab. inde scisitatur Iehu à Ionadab, an rectum cor haberet ad eum sicut Iehu ad Ionadab, parem gratiam, & beneuolentiam mutuo, & vicissim in eso amoris certamine ad invicem referentes. Amici enim mutuo inter se debent respondere. Maluenda: *Alij sic reddunt: an ineſt cor dit tuo, seu animo tuo, rectum erga me quemmadmodum animo meo erga animum tuum? Quasi dicat; an æque mihi ex animo bene cupis, vt ego tibi beneuolo.*

Dub. 8. Ad illa verba 4. Reg. 17. vers. 41. *Fuerunt igitur gentes istæ timentes quidem Dominum.* Putat Maluenda, quod istæ gentes fuerunt Chutæi, siue Assyrij Coloni Samariæ. Quæres qualiter istæ gentes segerebant erga Iudæos?

Homo in amore instabilis, in prosperitate permanent, in aduersitate recedit.

R. Quod Samaritæ instabiles erant in amore erga Iudæos, quando eos videbant in prosperitate, & fœlicitate eis adhærebant, & sanguine illis coniunctos dicebant: cum vero os spectabant in aduersitate, & in fortunio, nullam exhibebant eis beneuolentiam, nec aliquomodo ad Iudæos pertinere asserebant. Tempore enim fœlicitatis multos habet homo amicos, tempora vero si fuerint nubila, & aduersa solus erit. Iosephus apud Maluendam ibi: *Permanent nunc quoque in ea Religione, Chutæi vocati Hebræis, Grecis vero Samaritæ. Qui propræsenti semper conditione temporum mutabiles, quoties fœliciter degere Iudæos viderint, cognatos se eorum appellant, vtpote à Iosepho oriundos, & hac ratione sanguine illis coniunctos: quando vero in rebus aduersis eos aspiciunt nihil ad se eos pertinere aiunt, nec illis quidquam debere beneuolentiæ, cum ipsi ex remotis gentibus ad ea loca venerint.*

Dub. 9. Ad illa verba, Psalm. 100. v. 3. *Non proponebam ante oculos meos rem iniustam.* Cur Dauid dicit, quod ante oculos non proponebat rem iniustam? Cur non de se asserit, quod non deligebat rem impiam, sed quod non proponebat ante oculos eam?

Amor occultari non potest, sed signis exterioribus manifestatur.

Respondetur: Quod in oculo corporali manifestum signum datur amoris, vnde si aliquis frequenter oculorum aciem in rem aliquam dirigit, signum est, quod eam diligit: si autem ab ea oculos auertit, signum est, quod eam odit: ideo dicit Dauid, quod ante oculos non proponebat rem iniustam, ostendens si eam odio habere: si enim intentos oculos in eam conijceret, signum erat, quod eam diligeret. Amor enim ad aliquem occultari non potest, sed exterioribus signis manifestatur. Incognitus: *In oculo corporali signum datur amoris, quia si aliquam rem frequenter oculus videre cupit, signum est, quod illam diligit: vnde dicit Philosophus de Regimine Principum ad Alexandrum: si videris hominem frequentantem in te visum, & suspirantem, hic te diligit, sic, & eodem modo qui delectabiliter, & frequēter aliquid ponit ante oculos mentis, signum est, quod illam rem diligit, & per oppositum, illud quod ante oculos mentis non disponere, illud odio habes, & ideo Psalmista ait: non proponebam ante oculos meos rem iniustam.* Vnde idem Incognitus: *Dicunt naturales, quod quando quis est amore alicuius personæ inflammatus, ex velocitate pulsus percipitur ad quam personam talis sic afficitur: nam pluribus personis sibi nominatis audita persona ad quam afficitur cuius præsentia caret, statim pulsus fortius mouetur, & ratio est, quia tunc spiritus descendit ad cor ratione amoris, & cor sic magis inflammatum, magis mouet partes exteriores.* Non enim amor dissimulari potest, & occultari, sed signis se ipsum manifestat, & prodit.

CAPVT VI.

De amore Dei, & proximi.

Amor verus plus timet offensā amati, quam damnum proprium.

Dvb. 1. Ad illa verba, Exodi 17. vers. 4. *Adhuc, & paululum, & lapidabit me.* Quod Domine succure eis, imo subueni vitæ meæ, quia si non das illis aquam, lapidabunt me. Cur Moyses æmulator Dei, & honoris eius, tantum mori timet? Melius illi erat mori, quam petere contra voluntatem, nolentem illis aquam dare.

Respondetur: Quod non fuerunt voces illæ ortæ ex timore mortis, sed ex amore perfecto Moysis erga Deum, & proximum: videbat enim, quod si aquam non haberent, ad idolatriam conuertendi essent, & damnarentur, ne ergo illi perirent, & Deus offenderetur, mortem suam voluit excusare: amor verus plus timet offensam amati, quam proprium damnum. Abulensis: *Potest dici, quod Moyses dixit ista ardens amore proximorum, scilicet, quod non principaliter timebat mortem suam, sed timebat, quod si eum Israelitæ occidissent postea ad idolatriam sine rectore manentes, confluerent, & morte æterna omnes morerentur.*

Deus eo modo se gerit erga nos in necessitatibus nostris, sicut nos erga proximū in necessitatibus eius.

Dub. 2. Ad illa verba. Deuteronom. 29. vers. 29. *Abscondita Domino Deo vestro, quæ manifesta sunt nobis, & filijs nostris.* Quommodo potest aliquid esse absconditum Deo, præcipue cum notum sit nobis?

Respondetur: Quod Israelitæ videbant proximi necessitates, tamen erant tanquam non videntes, quia non subueniebant eis: ideo necessitates eorum absconditæ dicuntur Deo, quasi Deus non videret eas: eo enim modo se gerit Deus erga nos in necessitatibus nostris, sicut nos erga proximum in necessitatibus eius. Abulensis: *Id est, quia Deus vester non considerat, ita quod licet videat vos mala pati, auertit oculos dissimulando, & non liberando, quæ manifesta sunt vobis.*

Homo diligat proximū sicut se ipsū.

Dub. 3. Ad illa verba 1. Reg. 18. vers. 4. *Expoliauit se Ionathas tunica qua erat indutus, & dedit eam Dauid.* Cur Ionathas dedit tunicam suam Dauidi, vestes, gladium, & arcum? Si Ionathas volebat ostendere amorem suum erga diuidem, alia largiatur munera, nec vestibus propijs Dauidem induat.

Respondetur: Quod Ionathas diligebat Dauidem sicut se ipsum; inde expoliauit se Ionathas pallio, quo erat indutus, & dedit Dauidi, & vestes vsque ad gladium, baltheum, & arcum, nec alia dona largitus est, quasi videretur non diligere Dauidem sicut se ipsum, si non daret vestes quibus induebat se ipsum. Caietanus: *Ad tollendam admirationem, quod Regis filius fœdus iniisset cum Dauide, subiungitur pro ratione facti ingens amor Ionathæ erga Dauidem, tanquam se ipsum. In cuius signum vestiuit eum tanquam se ipsum, dum proprias exuit vestes, & arma, deditque Dauidi.*

Confunditur charitatē qui dilectionem proximi dilectioni Dei præponit.

Dub. 4. Ad illa verba, Cant. 2. vers. 2. *Ordinauit in me charitatem.* Quis est hic ordo charitatis? Charitas ne est inordinata? Quommodo deordinatur?

Respondetur: Quod in amore hic ordo debet esse, vt prius diligatur Deus, deinde proximus: inde dicit sponsa, quod sponsus in ea charitatem ordinauit: inordinata enim esset charitas, si dilectio

Peccatū contra amorem proximi specialiter vindicabitur à Domino in die iudicij

lectio proximi dilectioni Dei anteponeretur. Diuus Thomas: *Charitas ergo in Ecclesia ordinatur, quia non temere, non confuse, sed ordinate tenenda est omnis Dei, & proximi dilectio. Deus enim est diligendus super omnia toto corde, tota anima, omnibus viribus, omni mente. Proximus diligendus est, sicut se vnus quisque diligit. Nam confundere vult charitatem, qui proximi charitatem dilectioni Dei præponit. De quibus Dominus in Euangelio ait: Mathæi 10. qui amat patrem, aut matrem plus quam me non est me dignus.*

Dub. 5. Ad illa verba Ioelis 3. vers. 3. *Puellam vendiderunt pro vino, vt biberent. Nunquid vltionem vos reddetis mihi?* Cur in hic iudicij condemnabuntur Tyrij & Sidones, eo quod vendiderint puellas pro vino? Nonne pro alijs peccatis condemnabuntur? Vtique: cur ergo de isto peccato venditionis puellarum pro vino, facit mentionem specialiter?

Respondetur: Quod licet pro alijs peccatis condemnandi sint in iudicio Tirij & Sydones, tamen specialiter vlciscetur de illis Dominus pro hoc peccato venditionis puellarum pro vino, qui hoc peccatum est contra naturalem amorem, & compassionē quam debemus habere ad proximum. Et peccatum contra amorem proximi specialiter in die iudicij vindicabitur à Domino. Lyranus: *Sciendum quod non solum pro istis peccatis condemnabuntur impij in vltimo iudicio, sed pro alijs omnibus. Ista tamen specialiter exprimuntur, quia sunt contra naturalem amorem, & compassionem, quæ inter omnes homines debet esse: illa enim quæ sunt eiusdem speciei naturaliter ad inuicem compatiuntur. & hoc modo Mathæi 25. saluator loquens de condemnatione impiorum, & remuneratione iustorum, solum fact mentionem de operibus charitatis, & eorum contrarijs: quamuis respituri sunt vniuersaliter pro omnibus operibus bonis, & malis.*

Dub. 6 Ad illa verba ad Galatas 5. vers. 14. *Omnis enim lex in vno Sermone impletur: diliges proximum sicut te ipsum.* Cur dicit Apostolus, quod omnis lex in vno præcepto dilectionis proximi impletur, cum Mathæi 22. vers. 40. legamus, quod, *in his duobus mandatis*, scilicet, de dilectione Dei, & proximi, *tota lex pendet, & Prophetæ*, non ergo in vno præcepto tantum impletur.

Totam legē implet qui proximum diligit.

Respondetur: Quod dilectio proximi ad charitatem pertinet, & legem implet, qui proximum diligit propter Deum, & ita in dilectione proximi includitur dilectio Dei: ideo omnis lex impletur in vno præcepto dilectionis proximi. Diuus Thomas: *In dilectione Dei includitur dilectio proximi 1. Ioann. 4 vers. 21. Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat, & fratrem suum, & è conuerso proximum diligimus propter Deum, impletur ergo tota lex in vno præcepto charitatis. Nam omnia præcepta, vel sunt moralia, vel cæremonialia, vel iudicialia, moralia quidem sunt præcepta Decalogi, quorum tria pertinent ad dilectionem Dei, alia septem ad dilectionem proximi: iudicialia autem sunt, vt quicumque furatur aliquid reddat quadruplum, & his similia, quæ similiter ad dilectionem proximi pertinent. Cæremonalia vero sunt sacrificia & huiusmodi, quæ reducuntur ad dilectionem Dei, & sic patet, quod omnia in vno præcepto charitatis implentur diliges proximum sicut te ipsum.*

CAPVT. VII.

De amore Dei, erga iustos?

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 19. vers. 29. *Liberauit Loth de subuersione vrbium in quibus habitauerat.* Cur Abrahim non orauit pro Loth, quod liberaret nepotem ab incendio?

Deus ita amat Iustos, quod gratia iustorum cō sanguineos eorum omissis precibus à malis liberat.

Respondetur: Quod Abraham nouerat Diuinum ingenium, & conditionem, quod non est opus orare eum pro amicorum consanguineis, cum Deus diligentissime curet consanguineos amicorum: ideo non legimus Abraham pro nepote orasse, & legimus Deum eius gratia Loth ab incendio liberasse: Deus enim ita diliget iustos quos eorum gratia consanguineos eorum omissis precibus à malis liberat. Caietanus: *Ad commendandum autem meritum Abrahæ, nominatur Deus recordatus Abrahæ: insinuando, quod Abraham merebatur, vt Deus propter ipsum misereretur Loth.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 6. vers. 3. *Nomen meum Adonai non indicaui eis.* Cur dicit Deus, quod nomen Adonai, seu Iehouah non indicauit patribus, cum Geneseos 15. vers. 7. dicat Dominus Abrahæ iusta Hebræum: *Ego Iehouah qui eduxi te de vr Chaldæorum*, & Genes. 4. vers. 26. dicitur de Enos: iste cœpit inuocare nomen Domini, iuxta Hebræum: *Tunc cœptum fuit aduocare in nomine Iehouah*, nomen ergo Iehouah notum fuit patribus.

Respondetur: Quod Deus paulatim, &

Deus amicis suis manifestat paulatim magnalia sua, confuse alijs, alijs distincte.

& successu tẽporis amicis suis suo magnalia indicauit, Abraham, & Enos notitiam huius nominis Iehouah manifestauit quo ad ipsam vocem, & quid nominis; habuerunt enim confusam nominis notitiam; at distinctam notitiam huius nominis docuit Moysem, & per eum filios Israel: docuit ergo Patres attributa, non essentiam, manifestauit communia, non propria, Moyses vero plenius fuit instructus de simplicitate Diuinæ essentiæ, cum dictum est ei: *Ego sum qui sum*, quod quidem nomen significatur à Iudæis per hoc nomen Adonai seu Iehouah: sensim ergo, & pedetẽtim amicis suis magnalia sua Deus patefecit. Caietanus: *Hic non est sermo de notitia nominis quantum ad ipsam vocem, & quid nominis, & confusam notiam, quod est proprium nomen Dei: quo ad hoc enim notum fuisse patribus nomen Iehouah non aduersatur præsenti textui, sed hic est sermo de notitia distincta rationis nominis Iehouah: talem enim notitiam Patres non habuerunt sed illam docuit Deus Moysem, & per Moysem filios Israel, quando è rubo dixit. Ero qui ero. & consistit sententia in hoc, quod Patribus manifestauit attributa sua, fortitudinem sapientiam, bonitatem, & huiusmodi, & non manifestauit essentiam Patribus, manifestauit communia sibi, & creaturis, & non manifestauit, quod proprium est, nam tam El quam Sadai attributa sunt communia Deo, & alijs, nomen vero meum Iehouah mihi Deo proprium est, & propterea meum.*

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 32. vers. 10. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.* Cur Dominus permissum petit à Moyse, vt exardeat contra populum? Cur petit ab eo irascendi copiam, quam non habita à Moyse facultate in iras non exardesceret?

Deus tanti facit amicos suos, quod non nisi eorũ permissu in peccatores irascatur.

Respondetur: Quod Deus existimatione maxima habebat Moysem, magnique illum faciebat, vtpote familiarissimũ amicum suum: inde dicit ei, *dimitte me, vt irascatur furor meus*, id est, fac mihi irascendi contra eos copiam, facultatem da, & potestatem erumpendi in iras: tanti enim Deus amat amicos suos, quod non nisi eorum permissu in peccatores insaeuiat. Malueda: *Magna dignatio Dei erga seruum suum Moysem, vt non nisi eius permissu velit irasci in populum, quasi ab eo postulans irascendi copiam, licentiam facultatem. Tanti Deus facit amicos suos.*

Dub. 4. Ad illa verba, Deuter. 2. v. 25 *Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam in populos.* Cur dicit Dominus, quod tunc primo immittet terrorem filiorum Israel super omnes populos commisso aduersus Amorrhæos prælio, cum prius immisserit terrorem eorum super omnes populos, Nam Exodi 15. vers. 16. dixit Maria in Cantico: *Irruat super eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui*, ergo Dominus prius fecerat alios populos timere Israelitas audita punitione, qua castigauit Ægyptios.

Deus quæ pro amicis suis fecit, pro nihilo habet respectu eorũ quæ pro eis facturus est.

Respondetur: Quod Dominus prius immisit terrorem filiorum Israel in Ægyptios tam longe, quàm prope existentibus Hebræis: modo autem initio prælio aduersus Amorrhæos dicit, quod incipiet immittere terrorem, territurumque populos sub omni cœlo, qui audient nomen Israel, quasi antea non immisisset terrorem eorum in populos: ita Dominus diligebat Israelem, quod timor eius prius immissus pro nihilo reputabatur à Deo respectu timoris quem postea immissurus erat. Deus quæ pro amicis suis fecit, pro nihilo habet, respectu eorum quæ pro eis facturus est. Hugo Cardinalis: *Licet prius immisserit terrorem in hoc facto, tamen ille timor siue terror nihil fuit respectu illius. Vnde modus loquendi est, qui frequens & in vsu haberur multum. Dicit enim sæpe aliquis modo incipiam benefacere, quasi prior a pro nihilo reputo, respectu eorum quæ faciam.*

Dub. 5. Ad illa verba, Deuteronom. 33. vers. 3. *Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt.* Maluenda exponit, quod omnes Sancti populi Israelis sub manu Dei fuerunt, scilicet, sub eius protectione. Cur dicit Moyses, quod sub protectione Dei fuerunt Sancti populi Israel, cum omnes Sancti cuiuscumque gentis sub tutela eius sint?

Deus quos singulariter amat, singulariter tuetur.

Respondetur: Quod licet omnes Sancti cuiuscumque nationis sub manu eius, & protectione sint; tamen Sancti populi Israel sub manu, & protectione Dei singulari erant, vtpote singulariter à Deo dilecti, inde dicit Moyses, quod omnes Sancti illius populi sub manu Dei erant: quos enim singulari amore prosequebatur, singulari tutela protegebat. Maluenda: *Omnes Sancti in manu illius sunt, exponunt omnes Sancti, id est, populi Israelis in manu tua, id est, sub cura, & protectione tua qui illos protegis, ac tutaris.*

Dub. 6. Ad illa verba, Iosue 21. vers. 41. *Deditque Dominus Israeli omnem terram quam traditurum se patribus eorum*

rum iurauit. Cur dicitur, quod Dominus dedit Israeli omnem terram possidendam, cum *Genesis* 15 *Vers.* 18. legamus, quod terram Promissionis habitabant vndecim gentes, & in alijs locis legimus, quod septem gentes habitabant eam, & *Iosue* 23. *Vers.* 4. dicitur, quod adhuc supererat non acquisita si ergo adhuc supererant multæ nationes defendæ, non dedit eis omnem terram à principio possidendam.

Deus consulit vtilitati temporali amicorũ suorum, multaque eis largitur cum commodo eorum coniuncta.

Respondetur: Quod licet Israelitæ essent tunc sexcenta millia, adhuc erant in minori numero ad habitandum terram Promissionis, quæ erat valde spacioſa: vnde non dedit illam totam eis in primo ingressu, sed paulatim: si enim omnem terram statim occupassent, cum non possent inhabitare eam donec essent in maiori numero, terra redigeretur in solitudinem, & crescerent contra eos bestiæ, quæ grauiter infestarent eos, ne ergo vrbes exterris noctuis redderentur infestæ, non eiecit à facie Israelitarum omnes inimicos eorum, Hebræos, Chananæos, Hethæos vno anno, sed paulatim, & processu temporis, vt commodo, & vtilitati Israelitarum, quos diligebat consuleret. Multa enim Deus largitur amicis suis cum vtilitate, & commodo eorum coniuncta. Maluenda: *Aliqui optima ratione factum putant, vt Israelitæ non statim omnem terram, sed paulatim occuparent: ne si in ipso primo terræ ingressu hostes ex omnibus locis eliminassent, & ipsi haud numero pares fuissent ad loca omnia implenda creuissent bestiæ, & feræ, & vrbes desertas infestas Israelitis reddidissent.*

Dub 7. Ad illa verba, Prouerb. 8. vers. 17. *Ego diligentes me diligo.* Cur Deus dicit, quod diligit diligentes eum, cum 1. *Ioann.* 4 *Vers.* 10. dicat Ioannes, quod Deus prius dilexit nos, quam nos Deum: *In hoc est charitas Dei, non quasi nos dilexerimus eum, sed quoniam ipse dilexit nos.* Non ergo prius diligimus Deum, quam Deus diligat nos.

Deus expectat amorem nostrum, vt eum multo cumulo repẽdat amorem.

Respondetur. Quod dilectionis Dei multiplex est effectus: diligentibus enim infundit gratiam, conseruat gratiam, augmentat gratiam, consummat in gloria gratiam, isti sunt effectus quos causat dilectio Dei, qua nos diligit extempore, scilicet, dilectio iustificationis præter alios qui sequuntur ex dilectione Dei ab æterno, quæ est dilectio prædestinationis. Dilectione ergo prædestinationis prius dilexit nos Deus, quam Deum nos, dilectione vero iustificationis, & quæ est ex tempore, amor Dei supponit nostrum: non enim Deus dilectione sua augmentaret gratiam, & consummaret in gloria, qui sunt effectus qui ex dilectione iustificationis procedunt, nisi prius diligeremus eum. Expectat enim Deus amorem nostrum, vt eum multo cumulo rependat amorem. Hugo Cardin. *Duplex est dilectio Dei æterna, & temporalis, siue dilectio prædestinationis, & iustificationis, prima dilexit nos ab æterno, & de illa dicitur. Matth.* 1. *Vers.* 1. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui, secunda diligit nos ex tempore, & huius dilectionis multiplex est effectus, vnus infusio gratiæ, secundus gratiæ conseruatio, tertius gratiæ augmentatio, quartus gratiæ consummatio, quod erit in gloria. De prima dilectione non potest dici, quod diligimus Deum ideo ipse diligit nos, sed potius à conuerso. Item de secunda quo ad primum effectum, non potest dici, quia nos diligimus, ideo dilexit nos, sed potius è conuerso: & de illa loquitur Ioannes in prædicta authoritate: quo ad alios effectus secundæ dilectionis vere potest dici, quia diligimus Deum, ideo diligit nos, & de hac potest intelligi, quod hic dicitur.*

Dub. 8. Ad illa verba, Cantic. 2. vers. 4. *Ordinauit in me charitatem.* Iusta Hebræum habetur: *Et vexillum eius super me amor.* Cur sponsa amorem sponsi comparat vexillo militari? Quid cum illo amor?

Deus amore trahit homines ad se.

Respondetur: Quod milites vexillo attahuntur a Duce, conuocantur: ita sponsus amore suo erga sponsam, velut insigni ob oculos posito animum sponsæ ad se pertrahit: ideo sponsa congrue comparauit vexillo amorem sponsi, scilicet Dei, Deus enim amore suo erga hominem eum trahit ad se. Maluenda: *Solent Duces exercitum erecto vexillo milites trahere, ac cõgregare, instruere. hinc Latinis. habere exercitum seu milites sub signis, id est, paratos, & instructos: sic Christus amore trahit, congregat, instituit, ordinat Ecclesiam* 2. *Timoth.* 1 *v.* 7.

Amor Dei magis eminet erga amicos suos, quã erga peccatores.

2. Respon. Sicut vexillum in exercitu eminet: ita amor Dei erga iustos magis viget, quam erga peccatores: inde vexillo assimilauit sponsa amorem sponsi seu Dei, quia amor eius magis eminet erga iustos, & amicos suos. Maluenda: *Vexillum eius super me amor. Nonnulli exponant: amor eius erga me eminet, & est maxime conspicuus vt vexillum in exercitu, quasi dicat clara, & illustria amoris sui erga me documenta edidit, maxime eius erga me amor viget.*

CAP.

CAP. VIII.

De Amore erga Deum.

DVb. 1. Ad illa verba, Exodi 11. vers. 3. *Fuit Moyses vir magnus valde in terra Ægypti coram seruis Pharaonis, & omni populo.* Cur Moyses appellatus est magnus coram populo Ægyptiorum? An quia mitissimus? An quia mirabilium patrator?

Cum amore Dei damus petita à nobis, Deum magnum putamus, & apud alios magnum putari facimus.

Respondetur: Quod Iudæi nomine Moysis petebant ab Ægyptijs vasa aurea, & in tanto honore erat apud eos, quod Ægyptij dabant petita nomine Moysis. Hinc magnus dicebatur coram seruis Pharaonis, & omni populo: ita honore, & amore Dei dare debemus quidquid à nobis petitur propter illum, alias neque nos illum magnum esse putabimus, nec ab alijs magnum esse putare faciemus. Abulensis: *Forte, vt vult Auenezrra, aliqui de Iudæis videntes Moysem tantum ab Ægyptijs honorari, in nomine ipsius petebant ab Ægyptijs vasa aurea, & argentea dicentes. Date hoc nobis amore Moysis, & dabantur petita, quod multum extollebat Moysem apud seruos Pharaonis.*

Dub. 2. Ad illa verba, Leuitici 24. vers. 14. *Lapidet eum omnis populus vniuersus.* Cur omnes de populo lapidaturi erant blasphemum, cum sufficeret, quod lapidaretur à Ministris iustitiæ?

Amor verus Dei iniurias Deo illatas habet proprias.

Respondetur: Quod omnibus concessum erat reum illum lapidare: cum enim omnes, Deum quem ipse blasphemauerat, in Deum suum haberent, illum colerent, & amarent, ratione coniunctionis vnitiuæ cum Deo, Dei offensa, erat offensa cuiuslibet illorum, & ideo quilibet Dei offensam vindicans, debebat illum blasphemum lapidare. Amor enim verus Dei iniurias Deo illatas habet proprias. Abulensis: *Causa quare omnibus concedebatur lapidare blasphemum erat, quia omnibus iniuriam fecerat, qui Deo omnium qui ab omnibus colitur, maledixerat contemnendo illum, quem cæteri adorant.*

Inquires: Quid auferebat blasphemus à quolibet Israelita, vt sic posset se vindicare?

Qui Deum amat, honore Deo ablatum, quasi sibi ablatum putat.

Respondetur: Quod blasphemus cuilibet auferebat suum honorem, quia auferebat a Deo honorem suum, & quia honor Dei, est honor iusti amantis Deū, quando à Deo auferebant honorem, à quolibet amante Deum auferebant illum. Qui Deum amat honorem Deo ablatum, quasi sibi ablatum putat? Abulensis: *Erat hic quidam cultus quem Deo imperdebant. Nam erant omnes subditi Deo, & tenebantur honorare eum, ideo ad omnes pertinebat vlcisci iniurias Deo illatas: & tamen qui blasphemabat inferebat iniuriam Deo, ideo ad omnes de populo pertinebat, quod eum lapidaret.*

Dub. 3. Ad illa verba, Numerorum 6. vers. 14. *Offeret oblationem eius Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum.* Cur Sacrificium holocausti gratius erat Deo quam cætera Sacrificia; scilicet, hostia pacifica, vel hostia pro peccato?

Respondetur: Quod Sacrificium holocausti offerebatur Deo tantum ad honorem Dei, nec propter aliquem finem: hostia vero pacifica tantum ad pacificandum Deum nobis, hostia pro peccato ad emundationem delicti, vtraque hostia respiciebat vtilitatem propriam offerentis, holocaustum vero honorem Dei: hinc gratius, & acceptius erat holocaustum Deo, quam hostia pacifica, & pro peccato. Summa enim amoris nostri erga Deum in hoc consistit, vt amemus, & velimus ipsum propter ipsum solum, & non propter aliquam vtilitatem nostram. Abulensis: *Nam istud est ad laudem Dei totaliter non habens alium aliquem finem principalem: si autem consequenter inde fiat expiatio sicut patet Leuitici 1, vbi dicitur, quod holocaustū prodest in expiatione, non est hoc ex prima intentione offerentis, sed solum laudare, & honorare Deum: alia autem sacrificia quanquam sint ad honorem Dei generaliter sicut sunt omnes cæremoniæ tam noui quàm veteris Testamenti, tamen in speciali pro quibusdam alijs causis fiunt, scilicet, hostia pacifica ad pacificandum nobis Deum, vt aliquid tribuat, quod optamus, vel ad reddendum ei gratias, quia fuit nobis pacificatus, reddendo quod petebamus, vt fuit declaratum. Leuit. 3. & 7. hostia autem pro peccato quanquam ad laudem sit, tamen in speciali est ad emundationem delicti, vt patet Leuit. 4. & 5. ergo cum ad honorem Dei aliqua Sacrificia facimus, maxime debet fieri holocaustum, quia directius proficit in laudem Dei, quam cætera.*

Amor verus, & perfectior in Deum in nobis ille est qui facit nos operari propria virtutū opera solum propter ipsū, & amorem eius.

Dub. 4. Ad illa verba, Deuteronom. 13. vers. 3. *Tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat vtrum diligatis eum, an non.* Cur Deus tentauit Israelitas, de dilectione erga eum, cum *Iacobi* 1. dicatur, quod *Deus neminem tentat?*

Deus amicos suos aduersis vexat, vt exploret an diligant eum.

Respondetur: Quod D. Iacobus loquitur de tentatione, qua quis inducitur

tur in peccatum, & hac non tentat Deus, ne quis ita tentationis Authorem Deum faciat, vt suam in ipsum culpam reiiciat: at vero Moyses loquitur de tentatione, qua multoties solet suos defide, & dilectione tentare: & hoc modo tentauit Deus Israelitas affligens eos, i. est, Deus admodum tentantis, seu experientis se habuit, vt explotaret, an eum toto corde diligerent, an aliqua portione cordis eorum, Deos alienos diligerent. Solet Dominus aduersis affligere amicos suos, vt comprobet experimento amorem eorum erga Deum. Pagnious in Isagoge cap. 59. *Dicendum dixisse Iacobum Deum neminem tentare tentatione, qua quisque peccato implicatur, vnde Apostolus dicit: ne forte tentet vos, is qui tentat. Quod vero scriptum est: tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligatis eum, perinde est, ac si diceretur, probat vos, vt scire vos faciat, quoniam vires dilectionis suæ hominem latent, nisi Diuino experimento etiam eidem innotescat.*

Deum qui amat, in aduersitate debet voluntatem suã, Dei voluntati cõformare.

Dub. 5. A d illa verba, Iob 1. vers. 21. *Sicut Domino placuit, ita factum est.* Vnde tanta conformitas Iobi cum Dei voluntate in amissione temporalium?

Respondetur: Quod Iob Deum amabat, sum mque amore prosequebatur: inde dixit bonis omnibus spoliatus, quod sicut Domino placuit, ita factum est, conformans se beneplacito Diuinæ voluntatis. Qui enim Deum amat, in aduersitate Diuinæ voluntati se conformat. Diuus Thomas: *Est autem amicorum idem velle & nolle, vnde si ex beneplacito Diuinæ prouidentiæ procedit, quod aliquis bonis temporalibus spoliatus, si Deum amat, debet voluntatem suam Diuinæ voluntati conformare.*

Dub. 6. A d illa verba, Sapientiæ 3. vers. 5. *In paucis vexati.* Cur dicitur, quod Sancti in paucis tribulationibus fuerunt vexati: cum ad *Hebræos* 11. *vers.* 36. dicat Apostolus: *Alij ludibria, & verbera experti sunt, insuper, & vincula, & carceres lapidati sunt, serrati sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt.* Sancti ergo in multis tribulationibus fuerunt vexati.

Sancti præ amoris magnitudine erga Deum, multos labores quos sustinuerũt pro paucis reputarunt.

Respondetur: Quod licet sancti multis tribulationibus fuerint afflicti, vt S. Laurentius, S. Vincentius, & alij quam plurimi, tamen præ amoris magnitudine, multæ tribulationes, paucæ illis videbantur: inde dicit, quod Sancti in paucis fuerunt vexati. Propter dilectionis enim vim, multi labores Sanctorum pauci reputantur. Hugo Cardinalis: *In paucis sunt vexati sua reputatione: parum enim reputabant Sancti quidquid pro Christo patiebantur præ amoris magnitudine: sicut legitur de Iacob Genes. 29. quod dies laboris sui videbantur pauci præ amoris magnitudine.*

Dub. 7. Ad illa verba, Ieremiæ 1. vers. 6. *Ecce nescio loqui.* Cur Ieremias renuit officium prædicationis sibi à Deo iniunctum, cum *Isaiæ* 6. *vers* 6. dixerit Isaias *Ecce ego mitte me.* Si ille non renuit officium, cur Ieremias refutauit.

Curant iusti, ne aliquo modo ab amore Dei distrahantur.

Respondetur: Quod Isaias officium prædicationis recipere non timuit, quia vitæ actiuæ deditus prodesse proximis cupiebat: at vero Ieremias per vitam contemplatiuam Dei amori adhærere desiderabat: inde delatum ei prædicationis officium refutauit: ne tali munere implicatus, ab amore Dei abduceretur. Curant enim iusti ne aliquo modo ab amore Dei distrahantur. Hugo Card. *Non sunt contrarij secundum. D. Gregorium, quia ille per actiuam vitam prodesse proximis cupiens officium prædicationis appetit: iste autem per contemplationem Dei amori inhærere desiderans, mitti ad prædicandum renuit.*

Dub. 8. Ad illa verba, Ieremiæ 7. vers. 22. *Quia non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die quæ eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocaustorum, & victimarum.* Cur dicit Dominus, quod non dedit Hebræis præcepta Sacrificiorum, cum *Ezechiel* 20. *vers.* 11. dicat Deus: *dedi eis præcepta,* quæ secundum Glossam fuerunt *multiplices legis cæremonias.* Dedit ergo eis præcepta Sacrificiorum.

Deus vult solus diligi.

Respondetur: Quod Dominus dederat Hebræis præcepta Decalogi, Diuina legis iura, ne transversum quidem vngue à legis præscripto recederent: at postquam egressi fuerunt de Ægypto, videns eos idola colere, & venerari, dedit præcepta de Sacrificijs, & victimis soli ei offerendis, vt Diuino amori se totos deuinctos sacrarent, nec alios Deos prosequerentur amore: vult enim Deus solus diligi. Hugo Cardin. *Non dedit eis hæc præcepta in die qua eduxit eos de Ægypto, sed post, & hoc innuitur hic per textum, & Glossam. Vnde non præcepi eis, scilicet, primo, modo dedi eis Decalogum præceptorum Exodi 20. sed mandatum de cæremonij, & Sacrificijs faciendis, non dedit eis nisi post peccatum idolatriæ eorum, quod commiserunt in vitulo, occasione cuius tantum dedit eis præcepta Sacrificiorum, malens sibi ea offerri, quam idolis.*

Dub. 9. Ad illa verba, ad Romanos 1. vers.

vers. 1. *Seruus Iesu Christi.* Cur Apostolus se nominat seruum Iesu Christi, cum *Ioannes* 15. *vers.* 15. dicat Christum dixisse Apostolis: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos,* non ergo Apostolus debuit se nominare seruum Christi, sed amicum.

Iusti Diuino obsequio se sacrant, non timore, sed amore propter ipsum.

Respondetur: Quod seruitus timoris non competit Sanctis, sed seruitus amoris reperitur in eis erga Deum, quia benefaciunt, & obsequuntur Deo propter ipsum: inde Apostolus se seruum Christi nominat non seruitute timores, quo cogitur quis operari contra suam voluntatem, sed seruitute amoris, quo quis benefacit, & obsequitur amico propter amicum: iusti enim Diuino obsequio se sacrant non timore, sed amore propter ipsum. Diuus Thomas: *Duplex est seruitus, vna timoris, quæ non competit Sanctis: Roman. 8. vers. 15. Non accepistis spiritum seruitutis: alia humilitatis & amoris, quæ Sanctis conuenit, secundum illud Lucæ 17. vers. 10. dicite serui inutiles sumus. Cum enim liber sit qui est causa sui, seruus autem qui est causa alterius, sicut ab alio mouente motus: si quis sic agat causa alterius sicut ab alio motus, sic est seruitus timoris, qui cogit hominem operari contra suam voluntatem: si vero aliquis agat causa alterius sicut propter finem, sic est seruitus amoris, quia amicorum est benefacere, & obsequi amico propter ipsum, vt Philosophus ducit nono Ethicorum.*

Dub. 10. Ad illa verba 1. Ioann. 5. vers. 3. *Et mandata eius grauia non sunt.* Cur dicit D. Ioannes, quod mandata eius grauia non sunt, cum *Actor.* 14. *vers.* 22. dicatur: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum cœlorum,* & Matth. 7. *vers.* 14. *Arcta est via quæ ducit ad vitam,* grauia sunt ergo mandata eius.

Amore Dei omnia reddit suauia, & leuia.

Respondetur: Quod licet mandata Dei in se considerata grauia sint, tamen ex amore impleta leuia sunt, & alleuiantur: inde dicit Diuus Ioannes, quod mandata eius grauia non sunt, licet arcta sit via quæ ducit ad vitam, & per multas tribulationes oporteat nos intrare in eam: omnia enim suauia, & leuia reddit amor Dei. Hugo Cardinalis: *In se, & materialiter sunt grauia, sed formaliter sunt leuia, quando scilicet, ex amore implentur: & hoc est, quod dicit Glossa: quæ enim natura sui dura sunt, & aspera amor Dei facit leuia.*

CAP. IX.

De Amore Amicorum.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 21. vers. 19. *Deditque puero bibere.* Cur Dominus non deprecatus subuenit puero Ismaeli, & de aqua prouidit? Cur non expectauit precibus deuincì?

Bonus amicus non rogatus, cura, & studio rebus amici nõ debet deesse.

Respondetur: Quod Deus propter meritum amici sui Abrahæ preces pueri anteuertit, exaudiuitque Ismaelem, & curauit non rogatus subuenire: inde Ismaeli sitibundo, præsertique pereunti concessit vndam. Bonus enim amicus non precatus, cura & studio rebus amici non debet deesse. Oleaster: *Est hic, quod aduertas qualiter bonus amicus non rogatus rebus amicorum suarum subueniat. Nam quia puer erat semen Abrahæ, periclitanti subuenit Deus.*

Dub. 2. Ad illa verba, Leuitici 21. vers. 13. *Virginem ducet vxorem, viduam autem non accipiet.* Cur Sacerdoti prohibetur ducere vxorem viduam?

Respondetur: Quod semper quæ primo amantur atrahunt corda in sui amorem, adeo vt difficile sit alium habere amorem, vnde vidua recordata prioris viri in eius dilectionem fertur, & nihil præsentem virum diligit. Non ergo Sacerdos ducat vxorem viduam, ne eius obliuiscatur, & prioris viri recordetur. Amor enim primus semper est firmior, & stabilis, & plus cor ad se attrahit quam cæteri subsequentes. Abulensis: *Amplius autem fœminæ quæ ab alijs in vxores ductæ sunt, & postea rius in vxores accipiuntur, non habent cor perfectum cum viris suis eos integre diligentes, nam si prior vir bonus fuerit, fœmina secundo viro alligata, frequenter illius recordabitur, & quantum cum dilexerit tantum dilectioni præsentis viri subtrahit, quoniam potentia dilectiua finita est. Fiet autem interdum, vt fœmina dulciter recordata prioris viri in eius delectationem feratur, vnde nihil præsentem virum diliget. Potissime autem hoc eueniet, si viro, & vxori non sit perfecta concordia: tunc enim fœmina transacta vita quam cum priori viro habuit, recordata eum quem habet, incipit fastidire, vnde nec verus amor, nec concordia in eis erit.*

Amor primus ergo amicum semper est firmior, & stabilis.

Dub. 3. Ad illa verba, Numer. 12. vers. 1. *Locutaque est Maria, & Aaron contra Moysem propter vxorem eius Æthiopissam.* Hæc mulier Æthiopissa vxor Moysis fuit Tharbim filia Regis Æthio-

Æthiopum quam Moysem vxorem duxisse Auctores sunt *Iosephus*, *Cedrenus*, *Zonaras*, & *alij*. Moyses dum esset in Æthiopia voluit redere in Ægyptum, ipsa in Æthiopia manente, permissus fuit in Ægyptum reuerti. Quæres quommodo vxor potuit à Moyse separari, cum Æthiopissa magno amore eum prosequeretur (etenim amore Moysis fuit capta, & illecta.)

Amici nisi deponant amorem, separari non possunt

Respondetur. Quod Moyses fecit duas imagines in gemmis, quarum vna conferebat memoriam, altera obliuionem: imaginem quæ obliuionem conferebat, dedit vxori Tharbim anulo insertam, vt vxor amorem, quem erga eum habebat obliuione deleret, & depositio de memoria amore, quem erga Moysem habebat, permisit vxor quod Moyses separaretur ab ea, ea remanente in Æthiopia, Moyse vero reuertente in Ægyptum: hoc facto inuenis Moyses quod diiungi non posset vxor ab eo stante erga eum vxoris amore, obliuiscatur ergo vxor amoris, quem habuit ad Sponsum, & facile separabitur ab eo: vbi enim est inter amicos summa animorum coniunctio diuelli non possunt nisi deponant amorem. Hugo Cardin. Exodi 2. vers. 10. *Dum redire vellet Moyses*, scilicet, in Ægyptum, *non acquieuit vxor: proinde Moyses tanquam vir peritus Astrorum duas imagines sculpsit in gemmis huius efficaciæ, vt altera memoriam, altera obliuionem conferret. Cumque paribus anulis eas inseruisset, alterum scilicet obliuionis anulum vxori dedit, alterum sibi retinuit, & ita mulier obliuisci cœpit amoris Moysi, & permissus est in Ægyptum reuerti.*

Dub. 4. Ad illa verba, Deuteronomij 6. v. 15. *Quoniam Deus æmulator Deus tuus.* Cur Deus æmulator erat Hebræorum, non vero aliarum gentium, quæ idola colebant?

Amor increpat quos diligit.

Respondetur. Quod Deus amicos suos magis zælat, & ideo propter maiorem amorem acrius eos increpat, & punit quando peccant. Ideo cum Hebræos maiori prosequeretur dilectione, quam alias gentes, plus zelauit illos, quam alias gentes, ne idola colerent. Amor enim increpat quos diligit, & quos plus diligit plus increpat. Abulensis: *Deus tuus solum est zelotes respectu vestri, non autem respectu aliarum gentium, quia etiamsi aliquis de gentilibus idola colat, non irascitur, nec zelat eum Deus, quia permisit eos ambulare in concupiscentijs suis, si tamen aliquis vestrum, alios Deos colat, Deus zelat, quia vos populus eius estis, sicut vir zelat vxorem suam, & irascitur ei si fornicetur, alijs autem non.*

Dub. 5. Ad illa verba, Iudicum 6. vers. 18. *Non recedas hinc, donec reuertar ad te portans sacrificium, & offerens tibi.* Legit Caietanus: *Ne quæso recedas hinc, donec veniam ad te, & educam munus meum, & ponam coram te.* Cur Gedeon munus obtulit Angelo; scilicet, hædum, azimos, & carnes? Cur cibos exhibet, cum Angelus cibo inuisibili vtatur?

Non est credendum omni amico, nisi signis amicitiæ, amicitiam ostendat.

Respondetur. Quod Gedeon nesciebat quis esset ille, qui ita amice, & familiariter loquebatur cum eo, vt autem hoc sciret munus cibarium illic parauit, quo virum illum voluit excipere: quasi diceret Gedeon: si vir iste munus probat, beneficentiam meam suscipit, nec renuit humaniter à me tractari, hoc signo cognoscam amicum esse qui amicabiliter, & benevole loquitur mecum, cum munus benevole acceptet. Non enim credendum est omni amico, nisi signis amicitiæ amicitiam firmet, & ostendat. Caietanus: *Signum firmi, ac beneficij sermonis petit sibi fieri expectando prandium de manu ipsius Gedeonis. Quemadmodum igitur Angeli apud Abraham, & apud Loth signum familiaris, firmi, ac beneficij colloquij exhibuerunt facto comedendi, & bibendi: ita Gedeon incertus adhuc quis ille esset Diuino nomine tanta promittens, petit pro signo familiaris firmi ac beneficij colloquij, vt expectat prandium de manu sua.*

Amicitiæ signum acceptio muneris ab amico.

Dub. 6. Ad illa verba, 1. Esdræ 5. vers. 3. *Quis dedit vobis consilium, vt domum hanc ædificaretis, & muros eius instauraretis? Ad quod respondebimus eis.* Ex quo videtur quod Esdras tunc erat Ierosolimis quando ædificabatur Templum, quia connumerat se alijs dicens: *Ad quod respondebimus eis.* Quæres cur Esdras adscribit se numero ædificantium Templum Ierusalem; cum *cap. 6. vers. 6.* legitur, quod longè post; scilicet, septimo anno Artaxerxis venit Ierusalem de Babilone: *Ipse Esdras ascendit de Babilone.*

Resp. Quod licet Esdras non esset Ierosolimis quando extruebatur Templum,

Amicus quasi suum habet quidquid amici agũt, gesta q; amicorum tanquam sua reputat, & tuetur.

plum, tamen adnumerat se Templum ædificantibus, ac si esset Ierosolomis, & quod alij faciebant in extructione Templi, & ipse fecisse dicit, quia amore prosequebatur eos: amicus enim quasi suum habet quidquid amici agunt. Glossa: *Se ædificantibus iungit, quasi suum sit quod ipsi agunt.*

Dub. 7. Ad illa verba, Matthæi 9. vers. 18. *Domine filia mea modo defuncta est.* Cur Diuus Matthæus dicit quod quando Archisinagogus loquebatur Christo, filia eius defuncta erat; cum *Marci 5. Vers. 23.* legatur: *Deprecabatur eum multum dicens, quoniam filia mea in extremis est.* Si ergo in extremis erat filia: cur dicit Archisinagogus quod defuncta erat?

Quos maximè amamus, eorum mala grauiora quã sint, iudicamus.

Respondetur. Quod Archisinagogus omnia dixit, vt narrant Sacri Euangelistæ, nec nulla est discordia inter eos, nam quando è domo egressus est, reuera filia erat in extremis, & ita in itinere accepit nuntium de eius morte, & addidit *modo defuncta est*, quia ita existimabat, cum eam vltimum spiritum agentem reliquisset: ideo licet esset filia in extremis, pro defuncta tamen habebat filiam quam ardenter amabat. Quos enim maximè amamus eorum mala grauiora quam sint indicamus. Hugo Cardin. *Quando primo venit Iairus ad Dominum non erat mortua sed postea erat mortua antequam Dominus venisset ad domum Iairi: Matthæus autem non scripsit verba patris, sed cogitationem: cogitabat enim quod esset mortua.*

Dub. 8. Ad illa verba, Matth. 8. vers. 5. *Cum autem introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio.* Cur Diuus Matthæus dicit quod Centurio accessit ad Iesum rogaturus pro seruo: cum *D. Lucas cap. 7. Vers. 3.* dicat de Centurione, quod *cum audisset de Iesu misit ad eum*, non ergo Centurio accessit in propria persona ad Christum.

Per nos possumus, quod per amicos possumus.

Respondetur. Quod Centurio per internuntios amicos suos accessit ad Iesum: vt narrat *D. Lucas*: inde in propria persona accessisse dicitur, & salutem quam amici rogauerunt pro seruo, & Centurionem rogasse affirmandum. Per nos possumus, quod per amicos possumus. Hugo Cardin. *Accessit per amicos, qui enim per amicos accedit, satis dicitur accessisse.*

Dub. 9. Ad illa verba, Matth. 11. ver. 16. *Mittunt ei Discipulos suos cum Herodianis.* Cur Palatini, & domestici Herodis appellabantur Herodiani, cum omni ex parte essent Iudæi?

Amor parit facit amicos

Respondetur. Quod aulici, seu milites Herodis eum vehementer diligebant, & vt Christum ab probabant: in de licet Iudæi essent, nomen accipiunt ab Herode, & Herodiani appellantur, vt nomine essent pares, quos amor astrinxerat. *Euthymius apud Maluendam tomo 1. de Antichristo, cap. 1. Herodiani & ipsi genere quidem erant Iudæi: Vehementer autem Herodem colebant & ipsum esse dicebant Christum à Prophetis promissum, & quia Herodem plurimum amabant, Herodiani cognominati sunt.* Vide in Indice *Amor.*

CAP. X.

De Ambitione.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 11. v. 8. *Cessauerunt ædificare Ciuitatem.* Cur Dominus impediuit operis consumationem, & quod vnus alium intelligeret, & aliud adiuuaret?

Ambitiosis tollit Deus occasiones consequendi quod ambiunt.

Respondetur. Quod ædificantes Ciuitatem, & turrim erant ambitiosi glorioſi nominis, & famę, quam in vniuerso appetebant celebrari: ideo Deus impediuit, quod alter alterius sermonem perciperet, non alter alterum adiuuaret ad operis consumationem: consueuit Dominus ambitiosis resistere, tollens eis occasiones consequendi illud, quod ambitio eorum intendebat, vel auferendo eis fauores, & auxilia in quibus confidebant, vel salutem corporalem, sicut Deo volente euanuit ex oculis ædificantium turris Babel, prosecutio operis, consumatio Ciuitatis. Ambitiosis enim tollit Deus occasiones consequendi illud, quod ambitio sua intendebat. Abulensis: *Videbat enim Deus in promptu, quod isti consumarent, quæ inchoauerant, quia erant viri fortes robore, & tenaces propositi, & quod omnia quæ volebant prompta erant: ideo nisi Deus eos impediret, completuri erant, quæ incœperant; voluit ergo Deus eis magnum præstare impedimentum, vt in opere nullatenus proficerent.*

Dub. 2. Ad illa verba, Num. 16. v. 1. *Ecce autem Corè filius Isaar.* Iuxta Hebræum habetur: *Et tulit Chorath, filius Ishar, filij Cehath, filij Leui, & Datham, & Abiram, filios Eliab, & On filium Peleth, filios Ruben.* Cur Corè ambiebat Sacerdotium, & filij Ruben ducatum Populi?

Resp.

Dignitati proximiores, ardentius dignitatem ambiunt.

Respondetur. Quod Corè parum deerat ad Summum Sacerdotium, cum esset de Tribu Leui, Dathan vero, & Abiron, & Rubenitis parum defuit ad ducatum populi, quia propter primogenituram quia fuerant de Ruben primogenito, Principatum eis deberi dicebant: ideo Corè ad Sacerdotium, Dathan, & Abiron, & On filij Ruben ad Principatum aspirabant, quia proximiores erant dignitatibus, quas ambiebant. Qui enim sunt proximiores dignitati, ardentius dignitatem ambiunt. Oleaster: *Periculosa res valde, proximum esse rebus quas possis male concapiscere. Non solet rusticus concupiscere, aut ambire Regnum alicuius Regis, neque simplex Sacerdos Summum Pontificatum, sed Dux, & Cardinalis ambiunt, quæ sibi videntur proxima esse. Sic, & Pharisæi videntes Ioannis parum à Messia distare, offerunt ei, aut potius tentant, an nomen Messiæ desideret. Sic, & diabolus de Monarchia Christum tentat, quia putauit eum magnum virum, qui facile Monarchiam ambire posset. Sic, & isti quorum alteri ad Summum Sacerdotium paulum deerat, alteri vero ad Principatum cum primogenitus esset. Hinc fatè filij Regum post primogenitum occidi solet ne Principatum ambire contigat.*

Dub. 3. Ad illa verba, Numer. 16. v. 7. *Multum erigimini filij Leui.* In quo se erigebant?

Respondet, Quod Corè, & filij Leui seruiebant in cultu Tabernaculi, & stabant coram frequentia populi ministrantes Deo, & sufficiebat illis, quod essent in Sanctuario in aliquo officio ministrantes, vnde non debebant ita ambitiosè se erigere, vsque ad ambitionem Sacerdotij: ideo rectè arguit Moyses filios Leui, quod nedum officio contenti, in illo insurgunt in desiderium, & ambitionem alterius. Ambitiosus nunquam satiatur, sed vno obtento aliud cupit vsque ad vltimum consequibile. Abulensis: *Hic conuincit rationabiliter Moyses ipsum core, quod male ambiuisset Summum Sacerdotium: satis enim esse debuisset, quod fuerat segregatus in ministerium Sanctuary cum alijs Leuitis, ideo non debebat ambire Sacerdotium.*

Ambitiosus nunquam satiatur.

Dub. 4. Ad illa verba, Iudic. 16. vers. 19. *Rasit septem crines eius, & cœpit abigere eum, & à se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit.* Cur Dalila spoliauit Sanſonem à viribus naturalibus, faciens tonsorem radere septem crines eius, in quibus erat fortitudo Sanſonis?

Respondetur. Quod Dalila, vtpote Philisthæa volebat Regnum Israel transferri ad Philisthæos: cum iactura, & detrimento Sanſonis, qui in Saluatorem Populi Israel fuit destinatus: cum ergo ambiret Regnum pro Philisthæis, fecit tonsorem radere Sanſonis septem crines in quibus vis naturalis vigebat, vt Sanſone manente inermi, impotenteque ad populum liberandum, Imperium Israel transferretur ad Philisthæos. Ambitiosus enim dignitates ambit cum iactura alterius. Mendoza ex Lirano: *Dalila genere Philisthæa, vt Israeliticum Imperium ad suos Philisthæos transferret, non dubitauit coniugem Sanſonem naturalibus viribus exarmare.*

Ambitiosus ambit dignitates cum iactura alterius.

Dub. 5. Ad illa verba, 2. Reg. 3. vers. 21. *Imperes omnibus sicut desiderat anima tua.* An Dauid fuit ambitiosus desiderans omnibus imperare?

Respondetur. Quod Dauid Regnum obtinuit contra Spiritus Sancti, & Imperium eius consilio desiderauit: inde excusatur ab ambitione, nec pro ambitioso fuit habitus: iussus enim ad dignitates non ascendit, quin à Deo in honoris gradu constituatur. Hugo Cardinalis: *Excusatur hic Dauid de ambitione consilio Spiritus Sancti: non enim Regnum desiderasset, nec accepisset, nisi Dominus dixisset: Amice, ascende superius. Vtinam tales essent Prælati nostri temporis, quod nullus vellet ascendere, donec diceretur: Amice, ascende superius.*

Iussus ad dignitates nõ ascendit, quin à Deo in honoris gradu constituatur.

Dub. 6. Ad illa verba, 2. Reg. 3. vers. 27. *Percussit illum ibi in Inguine, & mortuus est in vltionem sanguinis Asael fratris eius.* An vero sit hæc causa, quod Ioab occidit Abner, eo quod Abner percussit hasta Asael frarrem Ioab? Quod hæc non fuerit vera causa ad occidendum Abner, patet ex eo quod *cap.* 2. dimisit Ioab ipsum Abner, & Exercitum ad primum verbum dicens vers. 27. *Viuit Dominus si locutus fuisses, mane recessisset populus persequens fratrem suum.* Cum ergo petente Abner, quod desisteret Ioab à persecutione, Ioab annuerit, non fuit vera causa occisionis Abner, quod ille occiderit Asael fratrem Ioab.

Respondetur. Quod Ioab timuit

Ambitiosus ardenter appetit honores, nec pro ambitioso vult haberi, & excusat suam ambitionem, & palliat.

quod Dauid constituceret Abner Principem Militiæ eo repulso; ideo eum occidit studio, & immoderata cupidine honoris: & cum hæc sit vera causa quare occidit Ioab Abner, tamen dicit Ioab quod eum occidit vindicans sanguinem fratris sui Azael, quem occidit Abner percutiens hasta, vt sic prætenderet excusationis velamen suæ ambitioni, qua principatum in exercitu appetebat. Ambitiosi ardenter appetunt honores, nec tamen volunt pro ambitiosis haberi. Hugo Cardinalis: *Iosephus dicit quod eum occidit propter ambitionem; timebat enim ne Da id faceret ipsum Principem Militiæ eo repulso. Ipse vero dixit se eum occidisse in vltionem fratris, sic excusans se de ambitione.*

Dub. 7. Ad illa verba, 3. Reg. 2. vers. 23. *Contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc*, id est, contra vitam suam, vt exponunt *Hugo Card. & Maluenda.* Cur dicit Salomon quod Adonias petens Abisag in vxorem contra vitam propriam petiuit: cum verbum Adoniæ nulla ex parte inueniatur esse contra vitam propriam; nam petitio eius nec contra legem erat, quia Abisag adhuc erat virgo, & poterat licite nubere filio Danidis; non enim erat sub lege veteri impedimentum quod vocatur *publicæ honestatis iustitia*, quod Pontificio iure introductum est inter Christianos: nec contra Regem erat, quia non per extraneas vias, sed ex gratia ipsius Regis rem licitam petebat. Cur ergo dicit Salomon quod verbum Adoniæ erat contra vitam propriam petens Abisag in vxorem?

Ambitiosus contra se, & in damnum proprium ambit honores.

Respondetur. Quod Adonias ambiens nuptias Abisag affectabat Regiam celsitudinem, & honorem, & intulit Salomon, quod idem erat petere Adoniam Abisag in vxorem, ac petere Regnum, cum nuptiæ istæ speciem Regni præferrent: ideò dicit Salomon quod verbum Adoniæ erat contra animam suam, id est, contra vitam Adoniæ, & verè sic fuit, quia Banamas missus à Salomone interfecit eum. Ambitiosus enim contra se, & in damnum proprium ambit honores. Caietanus: *Verba hæc verificari intelliguntur ratione eleuationis in quasi Regiam celsitudinem concomitanter affectatæ per nuptias Abisag, quæ fuerat vxor Regis, quamuis incognita: ita quod Salomon non iudicauit cor Adoniæ (soli Deo cognitum) sed cor eius, vt affectans speciem celsitudinis Regiæ: testatur enim littera, quod contulit rem hanc petitam, tum cum ætate maiori fratris petentis, tum cum brachijs Principis Sacerdotum, & Principis Exercitus: & ex his omnibus intulit perinde esse petere hoc, ac si peteretur Regnum, quæ nihil aliud sonat, nisi quod nuptiæ istæ adiunctæ alijs conditionibus Adoniæ, speciem Regni præseferrent: & propterea contra vitam propriam locutus dicitur Adonias, non quia contra legem, nec ex modo quærendi has nuptias, sed ex ipsa repetita adiuncta alijs Adoniæ partibus.*

Dub. 8. Ad illa verba, ad Roman. 13. vers. 1. *Non est enim potestas nisi à Deo.* Cur dicit Apostolus, quod potestas non est nisi à Deo: cum Dominus dicat *Osee* 8. *vers.* 4. *Ipsi regnauerunt, & non ex me. Principes stiterunt, & non cognoui*, potestas ergo est ab homine.

Ambitiosus licet promoueatur ad dignitatem, non habet eam, cum non habeat à Deo.

Respondetur. Quod quando potestas ordinate conseguitur, sicut Aaron qui vocatus fuit à Deo, in potestatem dignitatemque à Deo electus, talis potestas à Deo est, quia Deus constituit hominem in dignitate: quando vero dignitas adipiscitur modo illicito ambitiosè ascendendo, non est à Deo: Ambitiosus enim licet promoueatur ad honorem, & dignitatem, non habet eam, cum non habeat à Deo. Diuus Thomas: *Regia potestas, vel cuiuscunque alterius potestatis, potest considerari vno quidem modo quantum ad ipsam potestatem, & sic est a Deo per quem Reges regnant: alio modo potest considerari quantum ad modum adipiscendi potestatem, & sic quandoque potestas est à Deo; quando scilicet, aliquis ordinate potestatem adipiscitur, secundum illud ad Hebræos 5. vers. 4. Nemo sibi honorem assumit, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: quandoque vero non est à Deo, sed ex peruerso hominis appetitu, qui per ambitionem, vel quocumque alio illicito modo potestatem adipiscitur. Amos 6. vers. 13. Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?*

Dub. 9. Ad illa verba, 1. ad Timoth. 2. vers. 6. *Doctor gentium in fide, & veritate.* Cur Apostolus se vocat Doctorem: cum *Matth.* 23. *vers.* 7. dicat Christus: *Nolite vocari Rabbi*, non ergo Apostolus debuit vocare se ipsum Doctorem.

Respondetur. Quod Dominus prohi-

Iustus fugit non solũ honorem, imò voluntatem, & affectum ad dignitates, & honores.

hibet ambitionem magisterij, non autem honorem, vel nomen, sed nequis indebitum sibi nomen magisterij velit vsurpare per ambitionem, prohibet ergo Dominus affectum, & voluntatem ad gloriam nominis ambitiosè obtenti, quod Pharisæi appetebant. Apostolus autem conuenienter vocat se Doctorem gentium, quia electus fuit à Domino ad hoc ministerium, nec doctoratum ambitiosè obtinuit; inhibet ergo Dominus ambitionem, & affectum magisterij in Discipulis suis, non vero ministerium doctrinæ quod habuit Diuus Paulus. Iustus enim non solum fugit honores, sed & ambitionem quantum ad affectum, & voluntarem ad honores. Diuus Thomas: *Non prohibet ministerium doctrinæ, sed ambitionem officij. Actor. 9. vers. 15. Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum. Isaiæ 49. vers. 6. Dedi te in lucem gentium.*

CAP. XI.

De Auaritia.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 24. vers. 59. *Dimiserunt ergo eam, & nutricem illius, seruumque Abraham.* Cur Laban sororem Rebeccam dedit Eleazer seruo Abrahæ, vt duceret ad Isaac, & in sponsam Isaac eam duceret, filiam vero Rachel non statim dedit Iacobo in vxorem cum nepos esset Abrahæ quo ad vsque seruiret Iacob in domo Labam, *Genes. 29. à vers. 20?* Cur ergo Labam prius famulo quam Domino, prius alieno homini morigeratur, quam Iacobo sibi consanguineo, & quod maius est, Iacobum seruire coegit, Eleazer vero honorifice dimisit?

Auarus plus honorat diuites, quam nobiles, si sunt inopes.

Respondetur. Quod Eleazer seruus Abrahæ ditissimus erat, & camelos decem, & de pretiosissimis quibusque Domini sui Abrahæ asportauit secum in domum Labam: at Iacob inops, & pauper erat, neque secum deferebat munera in domum Labam. Hinc Labam contempsit Iacobum, licet nepos esset Abrahæ, & nobilis, Eleazer vero licet obscurus esset, honorifice dimisit, quia Labam auarus erat, & opum auidus. Auarus enim plus honorat diuites quam nobiles si sunt inopes. Mendoza: *Eleazer ditissimus accessit ad Labam; profectus enim fuerat ex domo Abrahæ cum magno virorum, & camelorum apparatu. Genes. 24. vers. 10. Ex omnibus bonis eius portans secum: at vero Iacob inops, & peregrinus, & omnium egenus ad mesopotamiam accessit, quia nihil amplius ex paterna domo dicitur detulisse, quam paternam benedictionem, & paterna mandata. Genes. 28. vers. 1. Quibus ille pro magno viatico amplius quam muneribus vtebatur: hinc igitur effectum est vt natus nobilitas contemptibilis, illius obscuritas illustris admodum apud Labam redderetur: nam homines auari non tam sanguinis quam auri splendore capiuntur.*

Vnde auari vrbane fegerunt erga diuites. Hinc Laban festinus egressus est ad Eliezer. Genes. 24. vers. 29. *Laban festinus egressus est ad hominem.* Cur Laban vir nobilis & dives egressus fuit in occursum viri ignotæ qualitatis, quem tanquam amicum nouerat, nec viderat?

Respondetur. Quod Laban auaritiam munerum, & bonorum nouerat: viderat enim donaria, & munera quæ Eliezer dederat sorori suæ Rebeccæ, & cupiditate ductus, vt etiam sibi similia darer, exiuit Labam in occursum eius ad excipiendum eum: auaritia, & cupiditas recipiendi, & habendi diuitias facit hominem vrbanum, adhuc & humilem etiam coram illis, quibus talis vrbanitas non debebatur. Auaritia enim facit homines erga diuites vrbanos. Caietanus: *Contextus debuisset fieri: cum enim vidisset, nam ratio festinationis Laban describitur, tum visus armillarum, & circuli: tum auditus relatorum à Rebecca verborum. Prius enim Moyses describit rem gestam, deinde rationem rei gestæ.*

Auarus erga diuites vrbanus est.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 33. vers. 10. *Habeo plurima frater mi, sint tua tibi.* Cur Esau diuitiarum cupidus noluit acceptare munera Iacob?

Respondetur. Quod licet Esau insatiabili opum auaritia feruerer, noluit tamen acceptare munera Iacobi, quæ ei deferebat, quia illis non egebat: hinc non accepit munuscula de manibus Iacob proprijs opibus contentus: cum enim auarus ardenter incubet diuitijs, mirum valde est quod plura non appetat, & proprijs bonis sit contentus. Hugo Cardinalis: *Notabile est contra plurimos cupidos, & illos qui libenter accipiunt munera: Esau malus erat, & tamen quia abundabat, nolebat recipere munera Iacob. Quis est hodie, qui hoc faciat, & laudabimus eum. Immo qui amplum pa-*

Mirabile est quod auarus plura non appetat, & proprijs opibus sit contentus.

trimonium habent, insuper res pauperum sibi vendicare contendunt. D. Bernardus: res pauperum res Ecclesiæ sunt, & sacrilega eius crudelitate surripitur, quidquid Ecclesiæ dispensatores præter victum retinent, & vestitum.

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 16. vers. 3. *Cur eduxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame.* Cur Israelitæ murmurant in Sin pro cibo, cum possent mactare oues, & armenta quæ secum afferebant, vt patet *Exodi* 12. *vers.* 32. eisque facile suam auiditatem explere possent, famemque depellere?

Auari malẽt famescere, quam opes suas consumere.

Respondetur: Quod Israelitæ valde erant auari, parci, & tenaces: ideo licet fame premerentur in Sin, noluerunt armenta mactare, vt amorem comprimerent edendi, tamique supplementum quærent; auari enim malunt famescere, quam gregem, & opes consumere. Mendoza: *Ita miseri erant, & auari, vt malent esurire, quam suos greges consumere.*

Dub. 4. Ad illa verba, Psalmi 96. vers. 5. *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini*, per montes intelligit *Incognitus* auaros. Cur auari montibus comparantur, & non vallibus?

Auaritia habitis rebus crescit.

Respondetur: Quod mons superius angustus est, inferius vero dilatatus: sic auari ad bona hæc temporalia quanto his abundant, magis dilatantur. Auaritia enim habitis rebus crescit. Incognitus: *Docet experientia quod mons inferius dilatatur: sic peccatores terrena diligentes, & solum in terrenis affectionem ponentes in istis inferioribus maxime dilatantur. Quoniam, vt docet experientia quanto quis temporalibus intentus, illis magis abundat: tanto circa illa suus magis dilatantur affectus.* Vnde *Ambrosius*: *ô diues nescis quam pauper sis, quam inops tibi videaris qui te diuitem dicis, quanto plus habueris, tanto amplius requiris, & quanto plus acquisieris, tanto plus affectu indiges. Inflammatur lucro auaritia, non restringitur. Achab Rex in Israel erat, & pauper Naboth: ille Regni opibus affluebat: hic angusti soli possidebat cespitem. Nihil pauper de possessionibus diuitis concupiuit, Rex autem egere visus est, quia vineam habebat pauperculus vicinus. Quis igitur tibi pauper videtur, vel qui contentus est suo, an qui concupiuit alienum? Alter scilicet pauper censu videtur, alter affectu, affectus diues egere non nouit. Census abundans auari pectus explere nequit.* Licet hæc vera sint de omni auaro, qui quo plus habet tanto plura appetit, tamen maxime verificatur doctrina de senibus, qui in senectute incredibilem habent opum auiditatem. Vnde Hugo Card. in Isaiam cap. 54. vers. 6. ait: *Nota quod multi homines adolescentiam dant luxuriæ, progressum ætatis dant superbiæ, vltimum autem ætatis, id est, senectutem dant auaritiæ; tunc enim maximè inhiant temporalibus acquirendis, & domibus ædificandis, & postea moriuntur: vnde communiter dicitur, quod homo senex quando domos ædificat, quod statim postea sit moriturus sicut diues de quo dicitur Lucæ* 12. *qui horrea ampliauerat, & fructus congregauerat, audiuit: stulte hac nocte repetent animam à te, quæ autem parasti cuius erunt: è contra dicitur. Threnor.* 3. *bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.*

Homines in senectute magis inhiãt tẽporalibus acquirendis.

Hac ratione auarus nunquam saciatur. Vnde Deuteronomij 17. vers. 17. prohibitum fuit Regibus auri, & argenti pondera immensa habere: *Neque habebit argenti, & auri immensa pondera.* Cur prohibetur Regibus multiplicatio argenti, & auri, cum hæc sit necessaria, ne opprimatur populus tempore publicæ necessitatis?

Auarus nunquam saciatur diuitijs.

Respondetur: Quod auiditas pecuniarum simul cum Regia potestate totius populi diuitias exhaurit; inde prohibitum est Regibus immensa pondera argenti, & auri habere, ne cupiditas diuitiarum subditos spoliet; auarus enim nunquam diuitiis saciatur. Abulensis: *Diuitiæ ergo auri, & argenti in magna copia vetantur hic Regibus propter malum quod sit ipsis acquisitis, quia si Rex intendat toto animo replere animam suam thesauris, nullam quantumcumque improbam atque violentam extorsionem, iniustam putabit, & sic miseros subditos omnibus bonis spoliabit, inquo, & ipse malum agit, & subditi durissima patiuntur.*

Dub. 5. Ad illa verba, Matth. 4. vers. 5. *Statuit eum super pinnaculum Templi.* An diabolus prius statuit Christum super Pinnaculum Templi quam ostenderit ei omnia Regna mundi: nam *Lucæ* 4. dicitur, quod prius ostendit ei mundi Regna, & post statuit supra Pinnaculum Templi, si ergo hæc vera sunt, vt narrat *D. Lucas*. Cur post ostensionem Regnorum statuit supra Pinnaculum Templi? Vel cur secundum *D. Matthæum* prius statuit eum supra Pinnaculum Templi, & postea ostendit ei mundi Regna.

Respondetur: Quod innanis gloria, &

Auaritia, & inanis gloria ad inuicē se gignunt.

& auaritia ad inuicem se gignunt, de inani gloria oritur aliquando auaritia: quandoque vero ex auaritia nascitur gloria inanis: hinc D. Matthæus prius narrat, quod diabolus prius statuit Christum supra Pinnaculum Templi, deinde quod ostendit ei omnia Regna mundi, quia ex inani gloria, quam habent homines videntes se in alto constitutos, gignitur auaritia qua appetunt temporalia, D. Lucas prius refert Christo ostensa mundi Regna, quam quod statueretur supra Templi Pinnaculum, quia ex auaritia temporalium, quibus abundant auari procedit inanis gloria: auari enim ex hoc, quod diuites sunt gloria falsa, & inani ducuntur. Vnde non contrariantur Euangelistæ referentes prius, vel posterius rem gestam, quia inanis gloria gignit auaritiam, & auaritia inanem gloriam. Antonius Gistandis: *D. Maximus quem sequitur Lyra dicit, quod Euangelistarum hanc iste, illam Verus ille præmittit quia inanis gloria, & auaritia ad inuicem se gignunt.*

Dub. 6. Ad illa verba 1. ad Timoth. 6 vers. 10. *Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Cur dicit Apostolus, quod cupidas est radix omnium malorum, cum Ecclesiastici 10. vers. 15. dicatur, quod *initium omnis peccati est superbia.*

Auaritia omnibus peccatis exhibet facultatem.

Respondetur: Quod ex auaritia procedit in homine superbia, gula, luxuria, & alia mala: hic Apostolus cupiditatem seu auaritiam vocat radicem omnium malorum, quia auaritia omnibus peccatis exhibet facultatem. Hugo Cardin. *Dicitur radix quia sicut radix ramis ministrat humorem, vt crescant: sic auaritia luxuriæ, gulæ, & superbiæ exhibet facultatem, quia non habet vnde suum paupertas pascat amorem.*

B

CAP. XII.

De Beatitudine.

Dub. 1. Ad illa verba Genes. 2. vers. 3. *Et benedixit diei septimo.* Cur Moyses non fecit mentionem de die octauo? An dies octauus laude, & memoria indignus?

Gaudia Beatitudinis ex cogitari non possunt, nec explicari.

Respondetur: Quod dies octauus significat ætatem octauam in qua gaudia æterna expectantur, quæ nullomodo ex cogitari possunt ab homine, nec in cor eius ascendunt: hinc licet Moyses de aliis diebus creationis mundi mentionem fecerit, de octauo tamen die memoriam non facit, quia si dies octauus representat gaudia, quæ in octaua ætate in illa æterna fœlicitate expectantur, gaudia illa æterna ex cogitari non possunt. Hugo Card. *De die octaua nulla fit mentio, quia gaudium æternum, quod in octaua ætate expectamus, tantum erit, quod ex cogitari non potest. Isaiæ 64. vers. 4. oculos non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.*

Mali prius bona deinde mala experientur. boni vero prius mala sustinent, postea bona possidebunt.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 9. *Lignumque scientiæ boni, & mali.* Cur lignum scientiæ prius dicitur boni, & post mali? An erat arbor mala?

Respondetur: Quod arbor non erat mala, sed dicta est scientiæ boni, quia ligno illo tacto per experientiam scitur, quid sit inter bonum, quod relinquitur, & malum, quod sequitur, quasi dicat: qui bonis delectatur, sequitur, quod mala experitur, per quod significatur quod mali, qui hic bonis iucundantur, in futuro mala patientur, & eis lignum vitæ prius est bonum, postea vero erit malum: at Sanctis prius est mali postea boni, quia qui hic mala sustinent, postea in æterna beatitudine bonis fruentur. Hugo Cardin. *Signanter prius dictum est boni, & post mali, quia qui hic bonum experiri volunt, in futuro malum experientur: vnde mali comedunt lignum scientiæ boni, & mali: sed Sancti viri è conuerso comedunt lignum scientiæ mali & boni 1. Petri 1. Prænuntians eas quæ in Christo sunt Passiones, & posteriores glorias. Vnde Marci 15 signanter dicitur, & dabant ei bibere vinum myrratum, & noluit bibere, quia Christus hic myrram bibit, vt postea vinum biberet.*

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 23. vers. 20. *Et introducat in locum quem paraui.* Cur non dicit Dominus, quod Angelus ductor introducet in locum quem paruit Angelus? Cur dicitur locus ille paratus à Deo pro homine?

Beatitudinis locus non ab alio quam à Deo parari potuit propter sui nobilitatem.

Respondetur: Quod beatitudinis locus, cuius figura est terra Promissionis, adeo excellens est, tot ac tantis bonis abundans, tot delectamentis iucundus, quod non Angelus, sed solus Deus parare potuit, & condere: ideo Angelus destinatur, vt introducat in locum illum, non vt paret, quia non ab alio quam à Deo parari potuit. Oleaster ad Mores: *Expende quod non dicit ad locum quem tibi parabit Angelus ductor, sed quem ipse parabit tibi. Tantæ enim nobilitatis est locus, qui tibi à Domino promis-*

missus est, vt ab alio quam ab eo parari nequeat: oculus aut Isaias non vidit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Est enim Ciuitas illa, cuius vt ait Paulus Artifex, & conditor Deus.

Dub. 4. Ad illa verba 2. Paralim. 4. vers. 3. *Decem cubitis quædam extrinsecus cœlatura.* Cur dicitur, quod mare æneum habebat decem cubitos: cum ibidem vers. 2 scribatur, quod *funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum eius.* Si funiculo triginta cubitorum ambiebatur, cur asseritur habuisse decem cubitos.

In beatitudine dilatabuntur Sancti præ gaudio, qui in hoc sæculo arctam duxerunt vitam.

Respondetur: Quod mare æneum inferius erat angustum, & habebat decem cubitos: superius vero erat latum, & habebat triginta cubitos per gyrum: inde non contrariatur, quod narratur in secundo versu ei quod refertur inferius: si enim mare æneum consideretur à parte superiori, funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum eius, si à parte inferiori, cœlaturæ decem cubitorum circuibant mare: ita Sancti qui fuerunt mare æneum propter amaritudinem laborum in inferiori parte est, in hoc mundo arctam, & per angustam vitam duxerunt: at in superiori, id est, in æterna beatitudine lati erunt, quia dilatabitur cor eorum præ lætitia, & gaudio bonorum cœlestium, quæ possidebunt. Hugo Cardin. *Mare latius erat in summo, & angustius in imo in summo triginta cubitorum, in imo decem cubitorum.*

Dub. 5. Ad illa verba, Ecclesiastici 35. vers. 25. *Oblectauit iustos misericordia sua.* Interlinealis: *Vita æterna misericorditer data.* Cur dicit Glossa, quod vita æterna dabitur iustis ex misericordia: cum Apostolus 2. *ad Timoth.* 4. *vers.* 8. dicat: *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Cum ergo nulli adulto detur nisi ex meritis, datur ex iustitia, & non ex misericordia.

In beatitudine misericordiam, & iustitiã Deus ostendit Sanctos beatos iuste, & misericorditer.

Respondetur. Quod Deus dat Sanctis suis vitam æternam iuste, & misericorditer. Hinc Apostolus dicit, quod datur ex iustitia, & *Glossa*, quod ex misericordia. Ex iustitia ergo datur, quia pro meritis, ex misericordia, quia supra meritum lucet ibi, & splendet Iustitia Diuina, & misericordia erga Sanctos, cum iuste, & misericorditer vita æterna donantur. Hugo Cardin. *Vita æterna datur iuste, & misericorditer, iuste quia pro meritis, misericorditer, quia supra meritum. Roman. 8. vers. 18. non sunt condignæ Passiones huius temporis ad futuram gloria quæ reuelabitur in nobis. Misericorditer etiam ratione iudicis, quia misericorditer datur ante omne meritum.*

Dub. 6. Ad illa verba, Ecclesiastici 42. vers. 26. *Et quis satiabitur videns gloriam eius.* Quasi dicat nullus, cur dicit Ecclesiasticus, quod nullus satiabitur videns gloriam Dei: cum Dauid dicat *Psalm.* 16. *vers.* 26. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Non ergo videtur verum, quod dicit Ecclesiasticus, quod nullus satiabitur videns gloriam Dei.

In beatitudine quanto magis Sancti Deum vident, tanto plus rapiuntur desiderio eo fruendi.

Respondetur: Quod fames est duplex, vna defectus, & huic respondet satietas, quia in patria nullus erit defectus: alia est fames desiderij, qua Sancti, quod habent: amplius desiderant, & huic fami non respondet satietas. Hinc dicit Ecclesiasticus, quod nullus satiabitur videns Dei gloriam, quia quanto magis Deum vident, tanto plus tenentur desiderio eum videndi. Hugo Cardin. *Duplex est fames defectus, scilicet, & affectus, siue desiderij, & vtriqus fami respondet sua satietas. Quæ respondit priori fami, erit in patria, quia nullus erit defectus ibi, & de illa dicit Psalmus: Satiabor cum apparuerit gloria tua: satietas quæ respondet secundæ fami, non erit in patria, quia affectus siue desiderium nunquam satiabitur, quin desideret, quod habet. Vnde Ecclesiastici 24. vers. 29. Qui edunt me adhuc esurient.*

Christus quos habuerit laborum socios, habebit beatitudinis consortes.

Dub. 7. Ad illa verba 2. ad Timoth. 2. vers. 12. *Si sustinebimus, & conregnabimus*, id est, si sustinemus, vt exponit *Caietanus.* Cur Apostolus appropriat vitam morti, & Regnum tolerantiæ?

Respondetur: Quod qui socij fuerint Christi in laboribus, beatitudinis consortes erunt: ideo dicit Apostolus, si commortui sumus Christo, conuiuemus Christo; si sustinemus toleranter afflictiones, conregnabimus simul cum ipso peruenientes ad Regnum: eodem cum Christo donabuntur Regno, qui eosdem cum Christo tolerant labores. Caietanus: *Considera appropriationes, si commorimur conuiuemus, si sustinemus, conregnabimus sicut vitam morti, ita Regnum tolerantiæ appropriat.*

CAP. XIII.

De Beneficium Petente.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 15. vers. 4. *Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem.* Iusta Hebræum habetur: *Quid, si qui exibit de visceribus tuis ipse hæ-*

hæreditabit te? Cur Dominus interrogatiue proponit Abrahamo, quod filius ex eo nasciturus hæreditabit eum? Cur sicut dixit ei, quod Eliezer non hæreditabit eum, non dixit filius tuus hæreditabit te? Cur post negatiuam, non posuit affirmatiuam, sed cum interrogatione proponit dicens *quid, si qui exibit de visceribus tuis, ipse hæreditabit te?*

Dispositione egetque beneficia Dei petiit

Responderur: Quod Deus promisit Abrahæ filium, quem petebat cum dixit: *Mihi non dedisti semen*, prius tamen quam hoc beneficium præstaret ei, voluit Dominus sensim, & gradatim eum disponere, vt credendo aptior esse ad inperatum beneficium suscipiendum: ideo non dixit ei affirmatiue, quod daturus esset filium, sed sub interrogatione proponit, ac sub conditione, vt paulatim disponat Abraham ad credendum insperatum nouum.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 19. vers. 18. *Quæso Domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum.* Cur Loth, vt peteret liberationem Ciuitatis Segor commemorat sibi beneficia collata? Melius videbatur esse seruitia sua allegare, quod Angelos hospitio exceperat, cibarat, & defenderat?

Flectimus Deum, & Angelos ad misericordiam, referendo beneficia ab eis accepta, non vero seruitia eis facta.

Respondetur: Quod magnanimum Dominum non decet rogare seruitijs illi factis, sed beneficijs ab illo receptis. Hinc Loth petens liberationem Ciuitatis Segor, non retulit Angelis, quod Angelos cibauit, defendit, sed beneficia ab eis recepta, & misericordiam quam cum eò fecerunt. Qui enim ab alio petit beneficium, non debet allegare seruitia illi facta, sed dona ab eo recepta. Abulensis: *Ecce qualiter Loth, licet perturbatus esset, tamen rethorice persuadebat, scilicet volens obtinere aliquam gratiam ab Angelis, non referebat beneficium, quod eis impenderat eos hospitando, sed retulit beneficium, quod ab eis receperat, scilicet, liberationem quia secundum Philosophum 4. Ethicorum cap. de magnanimitate, magnanimi non libenter audiunt beneficia, quæ passi sunt, sed quæ fecerunt Deus autem, & Angeli maxime sunt magnanimi, præcipue cum non indigeant bonis nostris, & ideo beneficia ab eis suscepta enarrare debemus, vt eos flectamus ad misericordiam, & non beneficia aut seruitia, quæ eis fecimus.*

Dub. 3. Ad illa verba Genes. 23. vers. 7. *Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ filios videlicet Heth.* Cur Abraham adorauit filios Heth: cum *Deuteronomij* 10. dicatur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, cum ergo solus Deus sit adorandus, non benefecit Abraham adorando filios Heth. Dicit Caietanus, quod *hic non adoratio, sed honoratio scribitur*, sed quare Abraham honorauit filios Heth, & veneratus est?

Beneficium qui ab alio petit, valde vrbanus, & comis est erga eum.

Respondetur: Quod Abraham petiuit à filijs Heth, vt darent ei ius Sepulchri apud eos, vt sepeliret Saram mortuam. Inde filios Heth adorauit Abraham honorauit, & reuerentiam detulit eis. Qui enim beneficium ab alio petit valde vrbanus, comis, & per honorificus est ei, à quo petit. Lyranus: *Adorauit populum terræ, id est, fecit eis reuerentiam, vt impetraret locum sepulturæ.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 10. vers. 12. *Sol contra Gabaon ne mouaris, & Luna contra vallem Aialon.* Cur Iosue petiuit beneficium à Deo de cœlo sidereo, quod Sol non moueatur contra Gabaon, & Luna contra vallem Aialon?

Qui semel vnum beneficium accepit, magna fiducia, & spe accedat aliud petens.

Respondetur: Quod Iosue acceperat à Deo beneficium de cœlo aereo, quando misit super Gabaonitas lapides magnos de cœlo, quibus multo plures mortui fuerunt, quam quos gladio perfuderant filij Israel: modo fretus, & confidens petit a Deo aliud beneficium de cœlo sidereo, scilicet, quod Sol, & Luna starent, donec vlciscetur se gens de inimicis suis. Qui enim semel vnum beneficium accepit, magna fiducia, & spe accedat, aliud petens. Lyranus: *Videns enim primum signum à Deo datum de cœlo aereo, ex hoc confidens petiuit secundum de cœlo sidereo dicens: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon.* Vnde Exodi 33. vers. 19. dixit Moyses ad Dominum *ostende mihi gloriam tuam.* Cur ostentionem gloriæ Dei petit? Nonne sufficiebat, quod petierit à Domino, quod præcederet populum, cui primæ petitioni, & obtentæ iungit secundam?

Respondetur: Quod qui aliquod beneficium impetrauit sufficientem habet occasionem, vt confidenter aliud beneficium

ficium petat ab eo, qui largitus est beneficium: ideo cum Moyses impetrasset à Deo, quod præcederet populum, immediatè petiuit, quod ostenderet ei gloriam suam. Qui beneficium accepit, confidentiam accipit petendi vlteriora. Abulens. *Gradatim tendit Moyses in petitionibus, quia antea petierat, & impetrauerat, quod Deus præcederet populum, nunc autem petit, quod demonstret ei essentiam suam, quod est maximum bonum, & in qua visione consistit beatitudo, licet non in tali modo, quali vidit eam Moyses, & facit hic Moyses sicut faciunt serui Dominis suis: cum enim petunt aliquid, & vident eos gratos sibi atque faciliter concedentes, petendi vlteriora accipiunt confidentiam.*

Dub. 5. Ad illa verba 1. Reg. 1. vers. 2. *Annæ autem non erant liberi.* Cur Anna non habebat filios sicut Phenena? Cur distulit Dominus Annam sobole donare?

Beneficium desideratum, post multum tempus obtentum, magni æstimatur.

Respondetur: Quod beneficium quo magis desideratur, eo acceptius est à petente: ideo Dominus prorogauit, & distulit Annæ dare semen, vt quanto filios auidius desiderabat: postea cum suscepcerit liberos, in maiori æstimatione haberet beneficium. Desideratum beneficium in magna estimatione habetur post multum tempus obtentum. Hugo Cardinalis. *Annæ autem non erant liberi: ita voluit Dominus, quia quanto partus magis fuit desideratus, tanto gratior habitus fuit.*

Dub. 6. Ad illa verba 1. Reg. 8. vers. 9. *Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis constitue nobis Regem, vt iudicet nos sicut, & vniuersæ habent nationes* In hac petitione peccauerunt Israelitæ petendo supra se Regem vnde 1. *Reg* 12. *Vers* 19. dixerunt: *Addidimus enim vniuersis peccatis nostris malum, vt peteremus nobis Regem.* Cur peccauerunt in hac petitione, cum bonum peterent constituti legi? Cæteræ gentes à filijs Israel, non peccauerunt petendo, vel constituendo super se Regem: cur ergo dicunt Israelitæ malum egisse petendo sibi Regem?

Offendit Deum, vel Principē qui beneficium contra voluntatem Dei, vel Principis petit, licet bonum sit, quod petitur.

Respondetur: Quod Israelitæ bonum absolute petebant, petentes sibi constitui Regem, sicut cæteræ nationes: at non petierunt bonum, stante dispositione Diuina de se ipso Rege Israelis: voluit enim Deus esse Rex immediatus illius populi: inde peccauerunt, & in offensa magna fuerunt apud Deum petendo Regem contra Dei voluntatem, ordinationem, & dispositionem. Valde enim Deum offendit, qui licet bonum absolute petat, beneficium tamen contra Dei voluntatem, & ordinationem petit, Lyranus: *Deus populum Israel elegit sibi specialem, & peculiarem præ cæteris populis, & ideo voluit esse Rex immediatus illius populi, propter quod, & legem dedit ei in monte Sinai per se ipsum, id est, per Angelum in persona illius loquentem, & non per hominem mediatorem, propter quod voluit homines gubernatores illius populi ab ipso immediatè institui, tanquam eius vicarij, & non Reges, vel Domini, vt patet in Moyse, & Iosue, & de iudicibus sequentibus, de quibus dicitur in lib. Iudicum: suscitauit eis talem, vel talem iudicem, propter quod filij Israel fecerunt contra ordinationem Domini petendo super se Regem hominem mortalem, cum Dominus hoc sibi reputuisset.*

Dub. 7. Ad illa verba Psalm 42. vers. 2. *Quia tu es Deus fortitudo mea quare me repulisti.* Cur dicit Dauid, quod cum reputauit Deus in tribulatione positus, & afflictus à ministris Saul: cum *Psalm.* 93. *vers.* 14. dicat Dauid: *Quoniam non repellet Dominus plebem suam.* Cur ergo Dauid à seruis Saulis persequutus, non fuit exauditus à Domino?

Beneficium petenti, melius est aliquādo, quod ei negetur, quam quod concedatur.

Respondetur: Quod melius erat Dauidi à ministris Saulis insectari, quam ab illa vexatione liberari: inde licet peteret hoc beneficium à Deo, scilicet, à persecutoribus in columen, & saluum seruari, non fuit exauditus pro voto, & desiderio, quia melius erat ei ab illis vexari, quam ab illis euadere. Qui enim beneficium petit, aliquando non exauditur à Deo, pro bono petentis. Incognitus: *Ideo sic nunc loquitur Psalmista, dicens: quare me repulisti, cum sis fortitudo mea, quia omnis aliquid petens putat se repulsum statim cum non habet, quod petit: cum tamen ex hoc, quod non exaudiatur ad votum, magis sit acceptus: sicut patet de infirmo sanando, quem Medicus non exaudit ad votum, & concedendo petita, sed magis ad vtilitatem ipsum exaudit illa prohibendo.*

CAP. XIIII.

De Beneficium Largiente.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 5. *Appellauitque lucem diem.* Cur Deus luci indidit hoc nomen dies?

Benefactor à beneficio, quod confert nomen sibi assumit.

Respondetur: Quod lux pellebat obscuritatem, vnde lux dicitur à luendo, quia luitet purgat tenebras: hinc indidit luci nomen dies, id est, talem fecit,

fecit, vt conueniret ei hoc nomen dies, scilicet, clarum, & dies dicitur à Dan, quod est claritas hoc ergo beneficium contulit lux mundo, obscuritatem; scilicet, expellere, & à beneficio, quod contulit, appellata fuit dies, id est, clarum. Benefactor a beneficio, quod contulit nomen sibi acquirit. Maluenda: *Et vocauit Elochim luci dies, & sic idem valet, quod dare, imponere, indere nomen: indidit nomen luci, dies Hoc est statuit, & sanciuit, vt diu luxobtineret esset dies.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 2. *Requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat.* Cur Moyses, dicit quod Deus requieuit septimo die ab opere: cum Ioannis 5. *vers.* 17. dicat Christus: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Non ergo Deus supersedit ab operando.

Benefactor incipiens benefacere manum non tollat, nec supersedeat à beneficijs conferendis.

Respondetur: Quod Deus absoluit die septimo exclusiue opus suum, id est, cessauit die septimo ab vniuerso opere, scilicet, creationis, distinctionis, & ornatus, non tamen cessauit ab opere propagationis, conseruationis, & gubernationis: inde licet dicat Moyses, quod requieuit Deus ab vniuerso opere, tamen Christus, dicit quod pater suus vsque modo operatur, scilicet, propagando, conseruando creaturas, & gubernando, vt assiduus sit in beneficijs conferendis. Benefactor manum non tollat, nec supersedeat à beneficijs. Caietanus: *Requies ab opere cessatio est ab operando, vnde non dicitur requieuit absolute, sed adiungit ab omni opere suo aperte significando, quod non requieuit simpliciter, sed adiungit quod fecit, ne errares intelligendo, quod Deus cessando ab vniuerso, cessauerit ab operando. Ad hunc enim erroneum sensum excludendo, adiungitur, quod fecit, cessauit siquidem Deus ab efficiendo nouas creaturas, non tamen cessauit ab operando tum actione conseruatiua, tum actione gubernatiua, iuxta Verbum Domini in Euangelio. Pater meus vsque modo operatur.*

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 28. *Crescite, & multiplicamini & replete terram, & subijcite eam.* Iuxta Hebræum habetur: *Fructificate, & multiplicate, & implete terram, & acquirite terram.* Cur solis hominibus dixit Deus quod acquirerent terram, non vero hoc ad alia animalia dixit?

Benefactor conferat beneficia illis qui sunt capaces beneficij.

Respondetur: Quod solus homo terram excolit, & in ea habitacula erigit: inde non animalibus, sed hominibus hoc contulit beneficium, quod acquirerent terram, quia non animalia, sed homines huius beneficij erant capaces. Benefactor conferat beneficia illis, qui sunt capaces beneficij. Caietanus: *Dicitur ad solos homines acquirite eam, scilicet, terram proculdubio ad fructum, & habitationem: quia solus homo terram, & colit ad fructum, & in habitacula ædificat.*

Dub. 4. Ad illa verba, Genes. 28. vers. 12. *Viditque in somnis scalam stantem super terram. Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam.* Cur Angeli ascendebant, & descendebant per scalam? In quem finem ascensus, & descensus Angelorum respiciebat? Hucusque non audiuimus Angelos descendisse ad nos.

Benefactoris serui, propter benefactorē, beneficia exhibent, cui beneficia benefactor largitur.

Respondetur: Quod scala significabant Christum, qui coniunxit ima summis, cœlum terræ, solusque mediator est inter Deum, & homines, & per ipsum omnia bona ad nos descendunt: ex hoc Christi beneficio factum est, quod Angeli, quoque ascendant, & descendant ad nos tanquam ministri beneficientiæ Dei erga nos, multa nobis præstantes beneficia. Hinc dicit Iacob, quod vidit scalam stantem super terram, & cacumine tangens cœlum, Angelos quoque ascendentes, & descendentes per eam, vt in homines conferant sua beneficia, quod de illis hucusque non legimus, nisi postquam manifestata est beneficientia Christi erga nos: cum enim benefactor alicui beneficia largitur, serui, & ministri eius benefactores erga eum se exhibent. Maluenda: *Scala symbolum est Christi, qui solus cœlum terræ coniungit, ipse solus mediator, qui pertingit a cœlo vsque ad terram, & ille per quem bonorum omnium cœlestium plenitudo deorsum ad nos descendit, nosque vicissim ad Deum conscendimus. Idem cum sit caput Angelorum efficit, vt illi membris suis terrenis adsint, & ministrent vt ipse dixit Ioannis 1 vers. 51. Amen amen dico vobis videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis. Nimirum hunc sibi honorem proprie vindicaturus erat, quod postquam manifestatus esset mundo, Angeli ascenderent, & descenderent ministri beneficientiæ Patris erga nos propter ipsum Christum Hebræorum 1 vers. 14. Nam ad scalam Iacob Christum illis verbis respexisse non dubito.*

Dub. 5. Ad illa verba, Deuteronom. 2. vers. 29. *Sicut fecerunt filij Esau.* Cur filij Esau Idumei, scilicet, & Moabitæ

cibaria vendiderunt Israelitis, cum transitum denegassent eis per Regionem suam?

Benefactores multi, beneficiũ quod largiuntur, in suam vtilitatem referunt.

Resp. Quod filij Esau commodum, vtilitatem, & lucrum quærebant; hinc licet transitum denegassent eis per terram suam, tamen alimenta concessêrunt eis pro magno beneficio, pretio tamen: sunt enim multi qui cum benefaciunt alijs, beneficium vertunt in suum commodum, & lucrum. Lyranus ex Rabbi Salomone: *Licet filij Esau denegassent filijs Israel transitum per terram suam, tamen portabant eis cibaria venalia vbi transibant filij Israel iuxta extremitates Regni Edon magis propter lucrum suum quam propter sustentationem filiorum Israel.*

Dub. 6. Ad illa verba, Deuteron. 33. vers. 3. *Dilexit populus: omnes Sancti in manu illius sunt, & qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* Oleaster sic vertit: *Abscondit populos.* Cur Deus daturus legem in Sinai abscondit populum Israel ab alijs populis? Si apparuit sub Deo multitudo populorum, tanquam sub pedibus eius manens, cur celauit populum Israel ab alijs, ne viderent legem dantem?

Benefactor eam contulerat beneficijs suis.

Resp. Quod Deus pro magno beneficio dedit legem populo Israel: inde licet diuersarum Nationum innumerabile vulgus mixtum esset Israelitis ad pedes montis, populum Israel abscondit, & tegit ab alijs populis. Benefactor beneficium suum abscondite, & latenter largiatur. Oleaster ad litteram: *Si autem legas abscondit populos: sensus est: abscondit populum suum in monte Sinai ab alijs populis, vt illi daret legem.*

Dub. 7. Ad illa verba, 1. Reg. 16. ver. 13. *Directus est spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps:* scilicet, spiritus ille qui recessit à Saule. 1. *Reg.* 10. *vers.* 6. directus est in Dauid. Alij legunt: *Et prærrupit spiritus Iehoueh in Dauidem.* Dicunt Hebræi quod gratia illa qua hucusque Saul victor hostium extitit, recessit à Saule, & data est Dauidi? Cur illa gratia data est Dauidi? Nonne sat fuit vngi à Samuele in Regem? Cur ergo gratia illa donatur?

Benefactor obstringat hominẽ suis beneficijs, vt ardua coepta.

Respondet. Quod Dominus volebat Dauidem his beneficijs obstrictum, magna aggredi facinora, difficillima, & ardua moliri, quod & fecit, nam in ingentia opera prorrupit, magnasque victorias de hostibus reportauit: hinc vnctus fuit in Regem, & gratia quæ erat in Saule ad subigendos hostes data est ei, vt similia conetur. Beneficium enim acceptum obstringit hominem ad ardua aggrediendum. Maluenda: *Quod hic dicitur, & prærrupit spiritus Iehoueh in Dauidem, significat, Dauidem magna spiritus vi, atque efficacia, in prima sua vnctione donatum, statim in heroica, & ingentia opera prorupisse, & pulcherrimas de Goliath Gigante, deque hostibus alijs victorias reportasse.*

Dub. 8. Ad illa verba, 4. Reg. 9. ver. 2. *Introduce in interius cubiculum: tenensque lenticulam olei fundes super caput eius.* Cur Eliseus mandat ministro suo, quod in loco secreto vngat Iehu in Regem Israel? Cur in publico non concessit vngere Regem?

Qui alteri benefacit in damnum alterius, sibi iniurius est, & malum sibi acquirit.

Respond. Iehu postquam vnctus fuit in Regem, percussurus erat domum Achab, & vlturus sanguinem Prophetarum, & omnium seruorum Domini de manu Iezabel: ideo mandat Ministro suo Eliseus, quod vngat Iehu in Regem in interiori cubiculo, in abstrusissimo, & secretissimo aliquo loco, nec concessit vnctionem fieri in publico, ne domus Achab contra quam agebatur in hac vnctione Iehu, videns beneficium quo minister Eliseus decorabat Iehu vngendo eum in Regem, damnum aliquod inferret ministro Eliseæi. Qui alteri benefacit in damnum alterius, malum sibi comparat. Caietanus: *Et introduces ad cubiculum in cubiculo: consulit suo nuncio Eliseus mandando, vt non publicè, sed in loco secreto vngat in Regem Iehu, ne videlicet, aliquid nocumenti inferretur illi, vtpote contra domum Regiam agenti.*

Dub. 9. Ad illa verba, 4. Reg. 9, vers. 1. *Tolle lenticulam olei hanc in manu tua.* Iuxta Hebræum habetur: *Accipe phialam olei istius in manu tua.* Cur Eliseus mandat seruo suo, quod vngat Iehu in Regem oleo illo singulari? Cur non vngitur Iehu oleo ordinario, sicut alij Reges?

Beneficium quo singulare, eo in maiori pretio habetur.

Resp. Quod beneficium quo vnicum est, & singulare, eo in maiori pretio habetur: ideo Eliseus præcepit seruo suo vngere Iehu in Regem non oleo vulgari, quo alij Reges Israel vngebantur, sed illo raro, & singulari; scilicet, opi balsamo ab Eliseo parato. Beneficium enim quanto est singulare, tanto in maiori æstimatione habendum est. Maluenda: *Tolle lenticulam olei hanc olei istius, vel vnguenti, seu opobalsimi huius, quod ego tibi trado: non enim erat vnguentum illud ordinarium, quod adhibebatur ad vngendos Reges Israel: sed aliud singulare à Propheta confectum, & paratum,*

Dub.

Dub. 10. Ad illa verba, Isaiæ 42. v. 2. *Nec audietur vox eius foris.* Cur dicit Propheta quod vox prædicationis Christi non audictur foris: cum *Ioannis 7. Vers. 37.* dicat D. Ioannes, *quod in nouissima magnæ festiuitatis die stabat Iesus, & clamabat dicens: Si quis sitit veniat ad me.* Si clamabat ergo audita est foris eius prædicatio.

Beneficium personaliter largitū magni pendendū est.

Respondetur. Quod Christus personaliter, & in persona propria non prædicauit nisi Iudæis: ideo dicit Isaias quod vox prædicationis Christi non erat audienda foris; scilicet, extra Iudæam, in qua in nouissima magnæ festiuitatis die clamauit, vt dicit Ioannes, vt sic Iudæi audientes Christum in propria persona eis prædicantem, & non alijs magni penderent beneficium prædicationis Christi. Magni enim pendendum est beneficium benefactoris personaliter largitum. Lyra: *Nec audietur vox eius foras; Vox scilicet, prædicationis extra Iudeam, quia in persona propria non prædicauit præter quam Iudæis, nisi raro vtpote Samaritanis. Ioann. 4. Qui tamen erant ex parte Iudæi, quia recipiebant quinque libros Moysi.*

CAP. XV.

De Beneficium Accipiente.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 15. v. 16. *Generatione quarta redibunt huc.* Cur dicitur quod Israelitæ generatione quarta exierunt de Ægypto, cum *Exodi 13. Vers. 18.* vbi nostra littera habet: *Et armati ascenderunt filij Israel de Ægypto* Septuaginta transtulerunt: *Filij Israel quinta generatione exierunt de Ægypto.* Cur ergo memoratur circunstantia generationum quartæ, & quintæ qua populus Israel exiuit de Ægypto?

Beneficium acceptum simul cum circunstantijs tēporis, quo acceptū est, memoria perpetua colendum est.

Respondetur. Quod Moyses voluit Israelitas beneficium exitus de Ægypto memoria perpetuo colere simul cum circunstantijs temporum, & generationum, quo de Ægypto exierunt: hinc Moyses refert quod exierunt quarta generatione secundum Tribum Sacerdotalem: Septuaginta vero dicunt quod rediit populus quinta generatione, quod intelligitur secundum Tribum Regiam: memoria ergo tenuerunt Israelitæ generationes Sacerdotalem, & Regiam, quibus tantum beneficium acceperunt à Domino. Beneficium enim acceptum simul cum circunstantijs temporum, dum homo viuit, in animo infixum debet habere. Hugo Cardinalis: *Quarta generatio refertur ad Tribum Sacerdotalem: Leui enim genuit Caath, qui Amram, qui Aaron, qui Eleazar, qui cum Aaron egressus est de Ægypto. Quod Septuaginta dicunt, quinta, refertur ad Regiam Tribum; Iudas enim genuit Pharès, qui Erom, qui Aram, qui Aminadab, qui Naason, qui Salomon, qui cum patre egressus est de Ægypto. Secundum Sacerdotalem Tribum in quarta generatione, secundum Regiam in quinta rediit populus de Ægypto, vt dicit Glossa.*

Dub. 2. Ad illa verba, Deuteronom. 2. vers. 28. *Alimenta pretio vende nobis, vt vescamur, aquam pecunia tribue, & sic bibemus: tantum vt nobis concedas transitum.* Dicunt Hebræi quod mulieres Moabitarum vendiderunt Israelitis alimenta: Moabitæ vero armari erant ad defensionem transeuntibus Israelitis per terram Moab. Cur Moabitæ armis se induerunt contra Israelitas, si eis dederunt pretio alimenta, & transitum concesserunt?

Coniurant sē homines cōtra benefactorem ita vt oporteat benefactorem armis se munire, vt se ab illis defendat.

Respondetur. Quod homines postquam recipiunt beneficium, solent insurgere contra benefactorem: hinc Moabitæ cum Israelitas his beneficijs afficerent; scilicet, vendendo alimenta, & transitum per terram suam concedendo, armorum præsidio se munierunt ad defensionem contra eos si forte in transitu conspirarent contra Moabitas. Ita coniurant homines contra benefactores, quod oportet benefactorem armis instructum incedere ad defensiones. Cajetanus: *Moabitæ non per se ipsos, sed per mulieres vendiderunt alimenta, vt tradunt Hebræi, Moabitis viris armatis ad sui defensionem si Israelitæ molesti forent transeundo.*

Dub. 3. Ad illa verba, Iudicum 6. ver. 20. *Cui dixit Angelus Domini: tolle carnes, & azimos panes.* Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit ad eum Angelus elohim.* Cur hic Angelus elohim nominatur apud Hebræos; & *vers.* 12. tantum Angelus Domini dicitur, nec genitiuus *Domini* mutatur ab Hebræis in genitiuum *elohim.*

Respondetur. Quod nomen *elohim* significat Iudicem, & iustitiam, volentes ergo Hebræi ostendere quod

Beneficium qui accipit, ex iustitia debet retribuere benefactoris

Angelus ex iustitia retribuebat Gedeoni beneficium, quod ei contulit exhibendo Angelo munus cibarium; scilicet, hœdum coctum, & de farinæ modio azimos panes, quibus vescerétur, hæc verba *Angelus Domini* mutauerunt in hæc Angelus *elohim*, id est, iudicis, quibus significabant Hebræi Angelum ex iustitia retribuisse Gedeoni munus acceptum. Qui enim munus, & beneficium accipit ex iustitia debet retribuere benefactori. Caietanus: *Cui dixit Angelus Dei, iuxta Hebræum habetur: Angelus elohim. Non sine misterio fuit hæc mutatio nominum, retribuens ei quasi mercedem oblati prandij, nomen elohim induit: iustitiæ enim opus est retributio.*

Dub. 4. Ad illa verba, 1. Reg. 17. vers. 56. *De qua stirpe descendit hic adolescens.* Disquirunt multi qua ratione Saul ignotum habebat Dauidem, qui eum iam psalentem audierat, & ministrum habuerat. 1. *Reg.* 16. *Vers.* 8. & sequentibus? Cur ergo interrogat Saul ab Abner, de qua stirpe erat adolescens Dauid?

Benefactores suos ignorat homines in dignitate cõstituti.

Respondetur. Quod Saul in altissimo Regioque fastigio constitutus, oblitus fuit beneficiorum quæ Dauid ei contulit: inde Saul inquirit ab Abner, de qua stirpe erat Dauid ignorans suum benefactorem. Homines enim in culmine euecti, indignitateque sublimati obliuiscuntur benefactorum suorum. Maluenda: *Sunt Principes obliuiosi, vt qui detineantur magnis negotijs. Forte tribuendum id Regum socordiæ, qui cito beneficiorum obliuiscantur, & præfastu etiam coniunctissimos ignorent.*

Dub. 5. Ad illa verba, 2. Paralipomen. 8. vers. 2. *Ciuitates quas dederat Hyram Salomoni ædificauit Salomon.* Cur dicitur quod Hyram Rex Tyri dedit Salomoni Ciuitates: cum 3. *Reg.* 9. *Vers.* 11. legatur oppositum; quod scilicet, *tunc dedit Salomon Hyram viginti oppida in terrra Galileæ.* Ergo Salomon dedit Hyram Ciuitates, non Hyram Salomoni.

Qui beneficiũ accipit, tenetur retribuere benefactori.

Respondetur. Quod Salomon dedit viginti Vrbes ipsi Hyramo, & vicissim Hyramus dedit Salomoni alias viginti Vrbes in terra Galileæ, vt Hyramus viginti Ciuitatibus datis Salomoni, compensaret, & retribueret viginti Ciuitates à Salomone acceptas. Qui accipit beneficium, tenetur retribuere illud, & remunerare. Maluenda: *Auctores conciliant sic: Salomonem dedisse viginti Vrbes ipsi Hyramo, vt 1. Reg. dicitur, & vicissim ipsum Hyramum dedisse ipsi Salomoni alias viginti Ciuitates in ditione sua.*

Dub. 6. Ad illa verba, Psalm. 50. vers. 8. *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Cur dicit Dauid quod Deus ei manifestauit occulta sapientiæ suæ: cum *Ecclesiastes* 9. *vers.* 2. dicatur, *quod omnia inuturum reseruantur incerta.* Dicit *Hugo Cardinal.* Quod incerta, & occulta sapientiæ Dei fuit Mysterium Incarnationis, quod alijs occultum, Dauidi fuit reuelatum. Inquires cur Dominus reuelauit Dauidi Aduentum Filij sui, cum ante Ascensionem multis Angelorum fuerit occultus?

Beneficium acceptum adstringit accipientem, vt ab offensa in benefactoré abstineat.

Respondetur. Quod Deus voluit Dauidem à peccato cauere, in Deique offensam non prolabi: hinc ei manifestauit Incarnationis Mysterium multis Angelis incertum, vt tanto adstrictus beneficio, vtpote Filium Dei de suo semine nascitutum certus, à culpa abstineret. Qui enim beneficium accipit, caueat ne in benefactoris offensam incurrat. Hugo Cardinalis: *Per abscondita, & occulta intelligit Mysterium Incarnationis Christi, quod etiam ante Ascensionem multis Beatis Angelis fuit occultum, & incertum. Vnde hic ait Glossa: Incerta, & occulta, id est, Aduentum Filij tui, qui alijs incertus est, & occultus: per hanc enim prophetiam, notat, quod ei reuelatum est, vt sciret, quod Dei Filius de suo semine nasceretur, Vnde sibi à peccato magis erat cauendum.* Vnde peccare quando Deus confert beneficia, & reddere illi offensam quando dat dona, est grauissimus modus peccandi. Exodi 33. vers. 3. *Ne forte dispérdam te in via.* Cur Deus quando dixit, quod nolebat ire cum populo in terram Promissionis, assignans rationem ait, *ne forte disperdam te in via?* Non videtur causa sufficiens, quia si præsentia Dei cum populo in itinere, esset causa disperdendi illum, vbique deberet illum disperdere, cum vbique sit Deus cum populo, qui vbique est.

Resp. Quod Deus stat cum aliquibus dupliciter generaliter, & hoc modo est vbi-

Beneficia à Deo recipere, & Deum offendere est grauissimũ genus peccandi.

vbique, & specialiter, qualiter est cum illo, cui sua beneficia confert: fuit ergo dicere nolo ire vobiscum, quia si vado, sum vobis beneficia collaturus, & ex alia parte, vos cum duræ ceruicis sitis, pro beneficijs reddituri estis mihi offensis, & peccata, hoc autem maximum peccatum esset, & vt hoc euitetur nolo vobiscum ire, ne forte disperdam offensus vos in via. Beneficia enim à Deo recipere, & Deum offendere, est maximum genus peccandi. Abulensis: *Ratio est quia maior offensa Deo fieret, si ipse miracula operaretur pro Iudæis, & ipsi offenderent eum, quamsi peccarent in eum, & ipse non faceret pro eis miracula. Aggrauata enim culpa; maius motiuum ad puniendum esset, quamsi non fuisset culpa grauata.*

CAP. XVI.

De Bonis Temporalibus.

DVb. 1. Ad illa verba Genes. 9 vers. 20. *Cœpitque Noe Vir agricola exercere terram.* Iuxta Hebræum habetur: *Et in cœpit Noach, Vir terræ.* Notat *Caietanus*, quod colere terram appellatur in Sacra Scriptura, seruire terræ. Disquires cur qui terram excolit, dicitur seruire terræ? Ne qui aratro terram subigit, terræ non dominatur? Cur ergo seruit?

Qui bona tẽporalia possidet, seruus est eorum.

Respondetur. Quod qui terram excolit, & fructus terræ percipit, & colligit multo cum sudore, & labore, seruus est terræ, quam aratro proscindit, cui sulcum imprimit, quia seruilia officia exercet, tum excolendo, tum percipiendo, tum curam die, ac nocte habendo; hærent enim homini, qui bonis temporalibus abundat molestissimæ curæ: hinc congrue in Sacra Scriptura colere terram appellatur seruire terræ. Qui enim bona temporalia curat, & possidet, seruus est eorum. Caietanus: *Recole quod colere terram pluries appellatum est in superioribus seruire terræ: inde enim deriuatum est, vt homo deditus culturæ terræ, tanquam seruus terræ.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 21. vers. 14. *Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem, & Vtrem aquæ, imposuit scapulæ eius, tradiditque puerum, & dimisit eam.* Cur Abraham Agar Ancillam cum filio Ismaele è domo pellit, cum ei fuerit beneficus dans panem, & vtrem aqua?

Respondet. Quod postquam Abraham dedit, & imposuit scapulæ Agar panem, hydriamque aquæ, quæ bona temporalia significant, eam à se repullit, & abiecit: in signum quod eos quos Dominus abundantiam temporalium largitur à se quasi reprobos eiicit. Hugo Cardinalis: *Tollens panem, & Vtrem aquæ imposuit scapulæ eius, id est, affluentia temporalium largitur Dominus illis quos à se eiicit, hæreditatem reseruans filio. Vnde signum est, quod a Domino sit electus, qui ita affluit temporalibus, Vnde dicit auctoritas: Continuus successus temporalium, manifestum est Diuinæ reprobationis indicium.*

Bonorum tẽporalũ continuus successus, indicium est Diuinæ reprobationis.

Dub. 3. Ad eadem verba, Genes. 21. vers. 14. *Tollens panem, & Vtrem aquæ imposuit scapulæ eius.* Cur Agar portauit panem, & lagenam aquæ super scapulas, non vero inter brachia?

Bona tẽporalia, onus valde ponderosum super humeros diuitum.

Respondetur. Quod panis, & aqua affluentiam bonorum temporalium significat, quæ valde ponderosa sunt, & grauia: hinc notanter dicitur quod super scapulas, & humerum portabat Agar panem, & aquam, quia super humeros portatur onus graue, inter brachia vero onus leue; portans ergo Agar super humeros panem, & aquam innuit, quod bona temporalia onus graue sunt diuitibus. Hugo Cardinalis: *Tollens panem, & Vtrem aquæ, id est, affluentiam temporalium, imposuit scapulæ eius: signanter autem dicitur: quod imposuit scapulæ; in scapulis enim graue onus portatur, sed inter brachia, onus leue, & iocundum.*

Dub. 4. Ad illa verba, Exodi 8. vers. 17. *Et facti sunt Scyniphes in hominibus, & iumentis.* Cur Scyniphes in iumentis cum nihil peccauissent?

Bona tẽporalia aufert Deus, vt puniat nos, non solum in nobis metipsis, sed etiam in rebus nostris.

Respondetur. Quod voluit Deus punire Ægyptios non solum in se ipsis, sed etiam in bonis suis, sicut quando Deus à peccatore aufert bona temporalia; scilicet, fructus terræ, quando animalia pereunt, quando filij morinntur, omnia sunt supplicia Diuina, quibus punitur, non solum in se ipso, quando ipse perijt, sed in rebus suis quando ipsa pereunt: ideo facti sunt Scyniphes in hominibus, & iumentis, cum Deus pœnas exposcebat ab Ægyptijs. Bona enim temporalia aufert Deus, vt puniat nos non

solum in nobis metipsis, sed etiam in rebus nostris. Abulensis: *Hæc infligebantur ad maiorem punitionem malorum, vt non solum punirentur Ægyptij in se, sed etiam in rebus suis.*

Dub. 5. Ad illa verba, Exodi 14. vers. 25. *Et subuertit rotas currum, ferebanturque in profundum.* Notant aliqui ex aliquibus antiquis Iudæis, quod inter Ægyptios in aquis submersos vltimus fuit Pharao. Cur postremus, & non primus submergitur?

Bonorum tẽporalium iacturam videt homo in sui supplicium.

Respondetur. Quod Pharao peior omnibus erat: hinc vltimus obtruitur vndis, vt plus omnibus puniretur videndo suos submergi, & curruum iacturam. Peccator enim bonorum suorum perditionem videt in sui supplicium. Abulensis: *De Pharaone autem potest dici, & volunt aliqui Iudæi quod ipse qui plus omnibus peccauerat, vt omnibus infœlicior plura dolorum genera experiretur, fuit vltimus eorum, qui suffocatus est, & vidit suos aquis suffocari, & dolore tunc magno de perditione suorum, & timore vehementissimo de morte sibi vicina angebatur, ad vltimum vero cum cæteris periit.*

Dub. 6. Ad illa verba, Numer. 29. vers. 7. *Decima quoque dies mensis huius septimi erit vobis sancta, atque venerabilis; & affligetis animas vestras.* Cur Dominus Iudæos animas affligere præcepit potius mense septimo, quam aliis, cum potius deberet tunc sinere eos, nouis fructibus multi copia, & alijs animum dilatare?

Bonis temporalibus affluentes facile labuntur in vitia.

Respondetur. Quod in mense septimo Iudæi vindemiam faciebant, colligebant vbas, vbertateque vini affluebant: hinc Dominis præcepit quod in decima die mensis septimi, non vero alio tempore affligere animas, & corpora, ne copia vini abundantes, labe peccati animas maculare. Homines enim qui bonis temporalibus abundant, facile in vitia dilabuntur. Oleaster: *Solet enim Dominus vanitatibus nostris occurrere afflictionibus: quoniam optime nouit quam facile in copia defluamus, & pertrahamur ad vitia.*

Dub. 7. Ad illa verba, 3. Reg. 10. vers. 2. *Et ingressa est Ierusalem cum comitatu multo, & diuitijs, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, venitque ad Regem Salomonem.* Cur Regina Saba non venit ad Templum Dei, sed ad Salomonem?

Bonis temporalibus opulẽti quasi Dei obliti, fluunt.

Respondetur. Quod Regina Sabà multis diuitijs affluebat, infinito auro abundabat benè numata, & pecuniosa valde erat: hinc non dicitur eam venisse ad adorandum Deum, nec vni Deo cultum omni veneratione præstandum, sed ad Salomonem venit munera ei delatura. Qui enim bonis temporalibus opulenti sunt, memoriam Dei amittunt. Caietanus: *Et aurum infinitum nimis: legendum est, & aurum multum valde, & lapides pretiosos, prosumpta, & muneribus, venitque ad Regem Salomonem: non dicitur, quod venerit ad Templum Dei, aut quod venerit ad adorandum Deum, sed quod venit ad Regem Salomonem.*

Dub. 8. Ad illa verba, Isaiæ 5. vers. 1. *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ.* Dicunt aliqui quod Isaiæ fuit patruelis, vel patruus nobilis, & dives, quæ habebat vineam, multo labore acquisitam, & excultam, quam contemplit, & dereliquit. Cur patruelis Isaiæ dereliquit vineam tot expensis, & laboribus cultam? Nonne quod multo labore acquiritur, retinetur, nec dimittitur? Cur ergo vineam non retinuit, sed contempsit?

Bona temporalia inutilia contemnenda.

Respondetur. Quod vinea quantumcunque excoleretur, nullum fructum reddebat patruo Isaiæ: ideo merito despexit, & destituit eam. Bona enim temporalia inutilia contemnenda sunt, & derelinquenda. Lyranus: *Dicunt aliqui, & satis probabiliter, quidam patruelis Isaiæ, id est, filius patrui sui habuerat vineam cum magno sumptu, & labore excultam, & acquisitam, & tamen fuit sterilis.* Et vers. 1. ait: *Parabola ista est de vinea cum magno sumptu, & diligentia exculta, quæ tamen fructum non fecit, & sic à Domino vinea contempta fuit, & derelicta.*

Bona temporalia multo labore acquirũtur, desunt vero cum eis opus est.

Dub. 9. Ad illa verba, Iacobi 4. vers. 2. *Zelatis, & non potestis adipisci.* Cur dicit D. Iacobus quod temporalia bona non replent acquirentem?

Bona temporalia non replent hominis desiderium.

Respondetur. Quod bona temporalia vacua sunt, & consequenter attractiua: quod enim attractiuum est, non replet: ideo dicit Apostolus quod qui cupit temporalibus abundare, non possunt ea adipisci, id est, eis repleri. Bona temporalia quantumcunque acquirantur, non replent desiderium Hugo Card.

Non

Non poteſtis adipiſci, id eſt, repleri ex eis; vacua enim ſunt, & omne tale attractiuum eſt: tria enim ſunt attractiua, vt dicit Auicenna, vacuum, ſimile, & calidum, vacuum propter defectum, & per cauſam materialem, ſimile vt finis, calidum vt efficiens: quia ergo temporalia vacua ſunt, cauſam habent attractionis, & ideo non replent. Eccleſiaſtici 11. Eſt homo laborans, & feſtinans, & dolens impius, & tanto magis non abundabit.

Dub. 10. Ad illa verba, Apocalipſis 17. verſ. 3. *Inebriati ſunt qui inhabitant terram de vino*, id eſt, qui terrena amant, vt exponit *Hugo Cardinal.* Cur temporalia poſsidentes ebrio comparantur, non vero homini ſobrio?

Reſpondetur. Quod ebrius, & violentus homo, Deum non timet, penas non expaueſcit, nec homini reuerentiam preſtat: ita bonis temporalibus affluentes, nec Deum metuunt, nec pœnas perhorteſcunt, nec homines reuerentur, & colunt: congruè ergo ebrio, & tumulento comparantur. Qui enim temporalibus abundant, nec timent Deum, nec pœnas, nec aliquem colunt. Hugo Cardinalis: *Et bene inebriati dicuntur: Sicut enim ebrij nihil timent, ita qui terrenis immoderate adhærent excæcantur, vt nec pœnas timeant, nec Deum diligat, nec homines reuereantur. Lucæ 18. Judex quidam erat in Ciuitate, qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur. Vnde Iſaiæ 28. Neſcierunt præebrietate, abſorti ſunt a vino, errauerunt inebrietate, neſcierunt videntem, & ignorauerunt Iudicium.*

Temporalibus abundat, nec Deũ timet, nec pœnas, nec alios reuereturꝰ

CAP. XVII.

De Bonis Temporalibus Iuſtorum.

DVb. 1. Ad illa verba, Geneſ. 14. verſ. 23. *Non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt: Ne dicas ego ditaui Abraham.* Cur Abraham noluit ditari à Rege Sodomorum? Si Rex petit animas, id eſt, homines ſubditos ſibi, qui ex illo bello venerunt in poteſtatem Abrahæ, reliquamque partem; ſcilicet, facultates, & opes concedit vt ſibi ſeruet Abraham, cur eas non accipit?

Reſpondetur. Quod Abraham noluit locupletari à Rege Sodomorum, ſed à ſolo Deo ditari: ideo abſtinuit ſe à facultatibus, quas Rex Salomorum ſibi ſeruare conceſsit. Iuſtus enim à nullo bona, niſi a ſolo Deo ſuſcipere vult. Caietanus: *Profitetur Abraham coram Regibus fidem ſuam erga cultum vnius ſolius Dei, tum verbis iſtis, tum factis, narrando primo quod vouit Deo, ſe non acceptarum quidquam rerum, & hoc pro gloria Dei; vt ſcilicet, opulentia eius attribuatur Deo non hominibus.*

Iuſti à nullo volunt ſuſcipere temporalia bona, niſi à Deo

Dub. 2. Ad illa verba, Geneſ. 46. verſ. 20. *Natique ſunt Ioſeph duo filij in terra Ægypti Manaſſes, & Ephraim.* Quod Sacramentum abſconditum in hoc, quod prius natus eſt Manaſſes, quam Ephraim?

Reſpondetur. Quod Manaſſes interpretatur obliuio, Eprahim vero fructiferus: hinc prius in lucem prodijt Manaſſes quam Eprahim: vt edoceamur, quod prius homo debet obliuiſci bonorum temporalium, ſi vult fructus bonorum operum facere. Bona enim temporalia impediunt iuſtos, vt bonis operibus incumbant. Hugo Cardinal. ad Philipenſ. 3. verſ. 14. *Poſtquam Ioſeph egreſſus eſt de terra ſua genuit duos filios Manaſſen, qui interpretatur obliuio, & Ephraim fructiferus, id eſt, obliuionem terrenorum, & fructus bonorum operum. Aliter non ſunt fructus bonorum operum, niſi antecedat obliuio terrenorum Geneſ. 38. verſ. 30. Prius naſcitur Pharès, id eſt, diuiſio à terrenis, poſtea Zaram, id eſt, oriens; ſcilicet, fœtus boni operis.*

Iuſti bonorum temporalium obliuiſcuntur, vt fructus bonorum operum producant, quæ temporalia impedimento ſint, vt bona opera exerceant, & virtuti vacent

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 20. verſ. 24. *In omni loco in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi.* Cur Deus promittit populo ſuo non vtcumque ſuam benedictionem, ſed in omni loco in quo memoria eius reperiatur?

Reſpondetur. Quod quando Deus ab homine deſeritur, homo à Deo non benedicitur, id eſt, bonis temporalibus non ditatur: confert Deus homini bona temporalia, eo modo quo ipſi homines ſeruiunt Deo, & viſitat nos ſicut eum colimus: hinc dicit Dominus quod in omni loco in quo memoria nominis eius fuerit, veniet ad eos, benedicet eis dando temporalia; bona enim temporalia dat Deus illis qui illi ſeruiunt, & aufert

Bona temporalia dat Deus illis, qui eſ ſeruiunt, & aufert abi his qui eum offendunt

ab illis qui illum offendunt. Abulensis: *Quandocumque Hebræi benè se habebant ad Dominum colentes eum secundum cæremonias legis, & non declinabant post idola multiplicabat eos, atque dabat in omnibus prosperum statum.*

Dub. 4. Ad illa verba, Deuteronom. 11. vers. 10. *Terra ad quam ingredieris possidendam, non est sicut terra Ægypti, vbi iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ.* Cur terra Ægypti non expectabat pluuiam de cœlo, sicut terra Promissionis?

Iusti à Deo expectant bona temporalia, peccatores verò à mundo.

Respondetur. Quod Ægyptus significat peccatorem, terra verò Promissionis iustos: ille quidquid sperat de necessarijs ad vitam, de labore, & industria humana expectat: iste de Deo cœli, in quem tota spes pendet, ne dum ad opera gratiæ, sed & naturæ: hinc Deus dicit Hebræis quod terra Promissionis non est, sicut terra Ægypti vbi aquę labore, & industria ducuntur irriguæ, sed de cœlo expectat pluuias. Iusti enim, & peccatores bona temporalia expectant, iusti à Deo, peccatores à mundo. Maluenda: *Ac si dicat eo melior est Chanaam terra Ægypti, quod in Ægypto oporteat irrigari agros more hortorum: cum illic non pluat, sed Nilus certo anni tempore loco pluuiæ totam terram sua inundatione irriget, & fœcundet: & extra illud tempus arens terra multo labore & operâ fossis, & riues è Nilo deductis humectetur: at terra Israel nullo labore bibit aquam ex pluuijs cœlestibus, quas Dominus tempore opportuno immittit.*

Dub. 5. Ad illa verba, Matth. 26. vers. 22. *Mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit.* Cur Dominus laudat intentionem Mariæ Magdalene profundentis vnguentum, cum primo laudauerit, & dixerit opus fuisse bonum, v. 10. *Opus enim bonum operata est in me?*

Iustus temporalia bona nõ id superfluos, sed in pios, & Religiosos vsus assumit.

Respondetur. Quod Maria Magdalene non expendebat vnguentum illud ad delicias Christi, nec insumebat in vsus superfluos, sed pios, & Religiosos, adhibebat hoc vnguentum velut corpori Christi sepeliendo: hinc Dominus primo commendat eam ab opere bono; quod scilicet, non consumpserat vnguentum, quasi deliciando vnum pauperem, deinde intentionem laudat, quod miserit vnguentum quasi suo corpori sepeliendo. Iustus enim temporalia bona non in superuacaneos, sed in pios vsus intentione, & opere consumit. Caietanus: *Prius dixit opus fuisse bonum, modo dicit intentionem fuisse bonam, vtpote Religiosam, imò probat fuisse opus bonum, nam non ad delicias corporis mei, sed velut corpori sepeliendo adhibuit hoc vnguentum: constat enim quod caduceri non adhibetur vnguentum ad delicias. Et dixit hoc tum ad declarandam, tam mulieris, quam suum animum, quod neutrius animus erat ad delicias.*

Bona spiritualia non tẽporalia dat iustis Deus, & iustus hæc abijcit, illa quærit.

Dub. 6. Ad illa verba, Lucæ 1. vers. 32. *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* Cur dixit Angelus quod Dominus daturus erat Christo sedem Dauid, cum *Ioannis 6. vers. 15.* turbis volentibus eum constituere Regem aufugerit, *Iesus ergo cum cognouisset, vt raperent eum & facerent eum Regem, fugit iterum*, & Ioann. 18. vers. 36. *Iesus dixit Pilato: Regnum meum non est de hoc mundo*, si ergo Dominus dedit filio sedem Dauid, cur Christus fugit euehendus in Regem?

Respondetur. Quod per sedem Dauid intelligitur cœlestis Ierusalem in qua regnauit Christus: ideo dixit quod Regnum suum non erat de hoc mundo, & quando turbæ voluerunt eum constituere Regem, fugit in montem. Iustus enim temporalia bona qualia sunt huius mundi dignitates abijcit, & spiritualia quærit. Hugo Cardinalis: *Nouimus aliam Ierusalem multo nobiliorem, multo ditiorem in qua regnauit Iesus. De qua dicitur Galat. 4. Illa quæ sursum est Ierusalem, quæ est Mater nostra. Illam putà hic significatam illo vsu loquendi, quo solet poni significans pro significato: sedes ergo Dauid, non figuratiua, sed vera; non temporalis, sed æterna; non terrena, sed cœlestis, est Ecclesia Militans, & Triumphans, quæ vtraque dicitur sedes Dauid, quia significata per illam. Primam sedem dedit ei Deus in Gentium, & Iudæorum conuersione. Vnde Matthæi 21. & Lucæ 19. Super pullum, & asinam legitur sedisse, secundam sedet dedit ei in Ascensione. De prima dicitur Psalm. 131. vers. 10. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. De secunda dicitur Isaiæ 9. vers. 7. Super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit.*

Dub. 7. Ad illa verba, Lucæ 14. vers.

vers. 33. *Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.* An sufficiat renuntiare voto, & desiderio temporalia bona ad perfectionem vitæ?

Iustus qui profitetur Apostolicam perfectionẽ, non solũ voto, sed facto omnibus tẽporalibus renuntiat.

Resp. Quod qui vitam vult profiteri perfectionem, non solum debet valefacere temporalia desiderio, & voto, sed etiam opere: hinc dicit Christus si quis est vobis non renuntiat omnibus quæ possidet; scilicet, opere relinquendo, non potest meus esse Discipulus: Iustus qui profitetur Apostolicam perfectionem, non solum voto, sed opere temporalibus renuntiat. Caietanus: *Hinc clare apparet, quod quoad professuros perfectiorem vitam, attulit vtramque parabolam: renuntiare siquidem omnibus quæ possidemus: non mandatur à Christo omnibus Christianis, sed profitentibus Apostolicæ vitæ perfectionem. Et intelligo renuntiare facto quidquid sit de voto: illa enim est vera renuntiatio, quam in actibus legimus Apostolorum, & in Sanctis Patribus antiquis Ambrosio, Antonio, Paulo, Benedicto non potest meus esse Discipulus quales erant tam duodecim, quam septuaginta.*

Dub. 3. Ad illa verba, Philipenses 4. vers. 6. *Nihil solliciti sitis.* Cur Apostolus sollicitudinem circa temporalia prohibet, cum ad *Romanos* 12. *vers.* 8. dicat ore tenus: *Qui præest in solicitudine*, si committeretur præsulis circa temporalia sollicitudinem, curam vitat?

Qui anxietate, & angore temporalia curat, diffidit de Deo, quod dabit necessaria.

Resp. Quod quando homo diligentiam adhibet in quærendo quæ desunt, hæc cura, & solicitudo, commendabilis est: & in præsule laudabilis: quando vero homo anxius, & laboriosus vires effundit omnes in procurandis bonis temporalibus; cum diffidentia non obtinendi temporalia circa quæ est solicitus; hic angor, & hoc negotium prohibetur à D. Paulo, cum homo non debeat ipse decidere, quod Dominus suppeditabit necessaria: hinc Apostolus solicitudinem in præsule commendat, curam vero Philipensibus prohibet. Qui enim anxietate, & angore temporalia quærit, quasi diffidit de Deo, quod dabit necessaria. D. Thomas: *Respondeo dicendum quod solicitudo quandoque importat diligentiam quærendi quod deest, & hoc est, commendabile. Et opponitur negligentiæ quandoque anxietatem animi cum defectu spei. Et circa hoc debet homo id circa quod solicitatur. Et hanc prohibet Dominus, Matth. 6. Et hic Apostolus, quia non debet desperare quin Dominus det necessaria, sed loco solicitudinis debemus habere recursum ad Deum. 1. Petri vltimo, vers. 7. Omnem solicitudinem proiicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis.* Vide in Indice *Diuitiæ.*

Iusti nõ anxie quærunt temporalia, quia sperant Deum datum rum necessaria.

CAP. XVIII.

De Bonis Temporalibus Diuitum.

Dvb. 1. Ad illa verba, Genes. 26. vers. 32. *Inuenimus aquam, vnde appellauit eum abundantiam.* D. Hieronymus ex 70. *Non inuenimus aquam, & vocauit nomen eius saturitas.* Si in illo puteo erat aquarum abundantia, cur serui Isaac secundum translationem Septuaginta dicunt *non inuenimus aquam?*

Quanto maiorbus bonis, & diuitijs abundãt diuites, maiorem habẽt inopiam eis tam deest quod habẽt, quàm quod non habent.

Resp. Quod in illo puteo aquarum erat affluentia, tamen dicunt serui Isaac quod non inuenerunt aquam, nimirum, quia peccatores quantumcunque opibus diffluant, non habent sufficientiam, sed indigentiam. Mendoza: *Sicut in illo puteo in quo saturitas, & abundantia aquarum esse dicebatur aqua deficiebat, ita vbi maiores diuitiarum cumuli congregantur maior inopia inuenitur.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 13. ver. 17. *Non eos duxit Deus per viam terræ Philisthim, quæ vicina est.* Cur Deus duxit Israelitas in terram Promissionis per desertum, asperitate plenum, & carens omnibus necessarijs ad vitam tam cibo quàm potu, cum potuisset ducere illos per terram Philisthinorum, per quam iter breuius, & necessarijs abundans erat?

Bona temporalia ita aliqui amant, quod timore amissionis illorum, non Dei amore, desinant offendere Deũ.

Resp. Quod Deus volebat quod in Ægyptum Israelitæ non reuerterentur, & quia si via per quam incederent esset abundans omnibus necessarijs, facile reuerterentur: duxit ergo illos per desertum in quo habebant manna ad comedendum, & timore ne Deus subtraheret illis manna, reuertere non auderent. Multi sunt homines qui in peccata aliqua non labuntur, non tantum amore Dei quam timore amissionis rerum temporalium; timentes enim, quod eas Deus non auferat ab eis, eum offendere non audent. Abulensis: *Si autem reuerti pararent in Ægyptum, timerent se fame morituros, & sic, quia crederent Deum similiter quod Deus non daret eis manna, cum contra eius mandatum reuerterentur.*

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 31. ver. 13. *Videte vt Sabbatum meum custodiatis.* Cur Diuinus Legislator præcipit

Pit Israelitis, quod Sabbatum sanctificent, cum alijs diebus concesserit operibus vacare?

Homines ita feruent bonorum cupiditate, quod non quiescunt.

Resp. Quod Israelitæ tota hebdomada temporalibus bonis acquirendis cum magna anxietate, & angore, nec sine quiete inhiabant: hinc Dominus præcepit eis, vt saltem Sabbatho quiescerent à diuitijs cumulandis. Homines ita ardent insatiabili temporalium cupiditate, quod non quiescunt. Oleaster: *Consideranda est huius Legislatoris sapientia, qui malo quod prouidebat futurum tam prudenter occurrit. Solent enim auari homines negligere quietem, in se quidem crudeles, mites in pecuniam & opes, qua de causa inter labores voluit ad monere quietis.*

Dub. 4. Ad illa verba, Leuitici 26. v. 16. *Visitabo vos velociter in egestate.* Cur Dominus minatur Israelitis egestatem, cum supra vers. 3. promeserit pluuias temporibus suis dare, vt terra gignat semen suum.

Deus dat bona temporalia secundum mensuram nostram, id est, secundum quod boni, vel mali sumus.

Resp. Quod Deus in collatione bonorum temporalium nostris se accomodat meritis, & operibus: etenim quando benè operamur, illa confert, quando male illa aufert: & ideo nos metipsi pro nobis facimus, vel contra nos, quando quidem opera nostra sunt mensura, quam obseruat in collatione, aut ablatione bonorum temporalium. Hinc Israelitis promittit opportuno tempore pluuias, vt terra gignat semen, si custodiant mandata eius, si vero non obseruet minatur egestatem. Bona enim temporalia dat nobis Deus secundum mensuram nostram, hoc est, secundum quod boni, vel mali sumus. Abulensis: *Aliquando secundum ordinem motus cœlestis erat magna fertilitas prouentura, & salubritas aeris. Deus tamen propter peccata hominum conuertit illud in contrarium. Aliquando autem Deus nobis iratus multa mala infligturus erat, vt sterilitatem, & pestem, at que alia incommoda, & hoc causæ naturaliter agentes exigebant, nobis tamen humiliatis coram eo, omnia conuertit in bonum, sic patet Deuteronom. 28.*

Dub. 5. Ad illa verba, 2. Reg. 23. v. 6. *Prænaricatores autem quasi spinæ euellentur.* Cur huius mundi diuites spinis comparantur? Et non flori, vel aculeis?

Bonis temporalibus affluentes grauissimas habent punctiones.

Resp. Quod in spina inuenitur flos, & aculeus, flos viret, aculeus pungit: benè ergo diuites comparantur spinis, quia videntur bonorum temporalium copia florere, sed aculeis curarum, solicitudinum, timorum punguntur. Opulenti enim homines grauissimas habent punitiones. Hugo Cardinalis: *Maximè auarus spinæ comparatur: spina enim, & florem habet, & aculeum, & auarus florem habet temporalium. Vnde Ierem. 48. Date florem Moab, quia florens egredietur, & Ciuitates eius desertæ erunt: habet etiam spina aculeum, & diuitiæ punctiones grauissimas: nam vt dicitur, cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, & cum dolore deseruntur.*

Dub. 6. Ad illa verba, Iob 15. v. 29. *Non ditabitur, nec perseuerauit substantia eius.* Cur dicitur quod impij non ditabuntur: cum *Iob* 12. *vers.* 6. dicat: *Abundant Tabernacula prædonum.* Si ergo impiorum domus bonis temporalibus abundant, cur Iob dicit, quod non ditabuntur?

Bona temporalia male acquisita nõ habent stabilitatem.

Resp. Quod impiorum diuitiæ male acquisitæ, eorumque opes, & facultates non habent stabilitatem: hinc dicit Iob quod licet domus eorum bonis temporalibus abundant, non tamen ditabuntur impij. Diuitiæ enim male acquisitæ non habent firmitatem. Caietanus: *Quamuis tam nefarie cumulet diuitias, non tamen ditabitur cum firmitate diuitiarum, expositiue siquidem intelligitur, quod adiungitur, videlicet, & non firmabitur substantia eius.* Et Hugo Cardin. *Non ditabitur bonis temporalibus, nec perseuerabit. Vnde Ecclesiastici 40. Substantiæ iniustorum, sicut fluuius siccabuntur. Prouerb. 13. Substantia festinata minuetur. Item 20. Hæreditas ad quam festinatur à principio, benedictione carebit.*

Dub. 7. Ad illa verba, Psalm. 68. v. 14. *In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ eripe me de luto. Vt non infigar, & de profundis aquarum.* Cur Dauid cum petit liberari de profundis aquarum, nihil addit, cum vero petit eripi de luto, addidit vt *non infigar*?

Libido generatur ex aquis diuitiarum, & carne.

Resp. Quod lutum significat carnalem libidinem, quam generant diuitiæ, & caro: at aquæ significant diuitias & bona temporalia: à carnali libidine petit eripi velit nolit per violentiam, vt non infigatur in ea, id est, vt non tangat eam; non enim potest homo comedere, & bibere quin aliquando sentiat, & tangat libidinem per aliquam delectationem: ideo cum petit eripi de luto carnalis libidinis, addit, *vt non infigar*, tangendo eam per delectationem, at cum petit liberari de profun-

Mali Clerici libidini, & cupiditati dediti.

fundis aquarum, id est, de amore diuitiarum, nihil addidit, quia non oportet bona temporalia tangere, sed ea omnino fugere, vnde de eius amore petit liberari, vt ea fugiat. Hugo Cardin. *Eripe me, id est, extra rape per violentiam, de luto, id est, de carnali libidine; sicut enim lutum fit ex aqua, & terra, sic libido ex aquis diuitiarum & carne generatur, & nutritur, in hoc luto tenaci infixi sunt in Ægypto filij Israel, id est, Clerici in mundo. Exodi 1. Ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris; scilicet, libidinis, & cupiditatis vt non infigar, non vt non tangam, velit nolit homo oportet, vt aliquando comedendo, & bibendo sentiat, & tangat libidinem per aliquam delectationem & ae profundis aquarum, id est de amore diuitiarum, & ad hoc non audit aliquid, sed simpliciter petit ab his liberari, non sic ad primum, sed addit, vt non infigar, quia non oportet hominem etiam tangere diuitiarum amorem, sed simpliciter ea fugere: non sic autem carnem, quam sustentare oportet.*

Bona temporalia omnino fugienda

CAP. XX.

De Bono Particulari, & Communi.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 14. v. 21. *Dixit Rex Sodomorum ad Abraham da mihi animas, cætera tolle tibi.* Cur Rex Sodomorum petit ab Abraham quod ei det homines, qui in suam potestatem ex isto bello venerunt; facultates vero, & opes concedit Abrahæ seruare sibi? Cur non potius petit Rex facultates quas Abraham de illa præda tulit, quam animas, id est, subditos Regis, qui in potestatem Abrahæ sunt?

Mali Prælati vtilitatē proprium potius curant, quam bonum commune animarum.

Resp. Quod Rex Sodomorum diabolus est, Abraham vero Prælatus: dicit ergo diabolus Prælato, quod bono suo particulari consulens seruet sibi opes subditorum, ab eisque accipiat, & diabolo det subditorum animas, nec bonum commune illarum curet: nouit enim diabolus quod mali Prælati vtilitati propriæ prospiciunt, potius quam subditorum bono communi. Hugo Cardin. *Da mihi animas. Hoc dicit diabolus Prælato: Ecce multi hodie Prælati pactum fecerunt cum diabolo, diabolus habet animas, ipsi habent cætera omnia, id est, lac, & lanam. & Christus, qui & animas creauit, & sanguine suo redemit bona temporalia ei concessit, nihil habent, quasi proscriptus. Galat. 3. Ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est diabolo; scilicet, & Prælatis. Nonne iam Prælati multi dicunt diabolo ipso facto. Prouerb. 1. Mitte sortem nobiscum, marsupium sit vnum omnium nostrum.*

Dub. 2. Ad illa verba, Iudic. 20. vers. 1. *Congregati quasi vir vnus de Dan, vsque ad Bersabee, & terra Galaad, ad Dominum in Maspha.* Cur Israelitæ venerunt de Dan, & Bersabee, & terra Galaad in Maspha? Cur non congregati fuerunt in terra Dan, vel in Regionibus Bersabee, aut Galaad?

Homines particulares non particulari commodo, sed communi prouideant.

Resp. Quod Dan, & Bersabee erant duæ Ciuitates, quasi in extremitatibus terræ decem Tribus, & minus aptæ erant comitijs, & cœtibus Israelitarum: at Maspha erat in media longitudine Regionis Tribus Iudæ; & consequenter conuentibus habendis commodior: hinc non in Ciuitate Dan, nec in Bersabee, vel Galaad conuentus celebrabant Israelitæ, sed in Maspha bono communi omnium prouidentes, commodo, & vtilitati Principum, & Tribuum Israel. Non bono particulari debet homo consulere, sed communi prouidere. Maluenda: *Alij volunt locum fuisse finibus Beniaminitarum quorum res agebantur in isto conuentu quasi in media longitudine Regionis situm, ac proinde conuentibus habendis destinatum. Erat proculdubio hæc Maspha Beniaminica, in qua solitos celebrari sacros Conuentus, & publicas orationes populi, quod locus ad id esset aptus.*

Dub. 3. Ad illa verba, Iudic. 21. vers. 5. *Grandi enim iuramento se constrixerant, cum essent in Maspha, interfici eos qui defuissent.* Cur Israelitæ fecerunt iuramentum quod interficerent eos qui deessent bello.

Dignus morte qui bono communi deest.

Resp. Quod Israelitæ conuenerunt in Maspha, vt deliberarent de bello communi contra Benjaminitas suscipiendo: inde iuramento se astrinxerunt interfacturos; scilicet, Israelitas, qui huic bello communi deessent. Dignus enim morte est, qui bono communi deest. Caietanus: *Alterum iuramentum, videlicet interficiendi Israelitas, qui deessent huic communi bello, factum narratur in Maspha.*

Dub. 4. Ad illa verba, Isaiæ 7. ver. 13. *Nunquid parum est vobis molestos esse hominibus, quia molesti estis, & Deo meo.* Cur Acahz reprehenditur ab Isaia, quod noluerit a Deo petere signum, siue in imò, siue sursum, siue in cœlo, siue in terra, cum petere signum esset Deum tentare?

Resp.

Bonum commune mali impediunt, vnde reprehensione digni.

Resp. Quod Dominus volebat dare Acahz signum, siue in cœlo, siue in terra, quod liberaturus esset Ierusalem, & populum obsessum a Syris, neque Syros præualituros, ille vero impediebat bonum commune, & salutem nolens signum petere: hinc Acahz ab Isaia verbis castigatur, & perstringitur: vituperandus enim est, & reprehendendus, qui bonum commune impedit. Diuus Thomas 2.2. quæst. 7. art. 2. ad 3. *Deus volebat signum dare Regi Acahz non pro ipso solum, sed pro totius populi instructione, & ideo reprehenditur, quasi impeditor communis boni, & salutis, quod signum petere volebat, nec petendo tentasset Deum, tum quia ex mandato Dei petisset, tum quia hoc pertinebat ad vtilitatem communem.*

Dub. 5. Ad illa verba, Amòs 4. vers. 5. *Sacrificate de fermentato laudem.* An panes fermentati ponebantur super Altare?

Deus nec bonus Princeps suo commodo, sed aliorum prouidet.

Resp. Quod illi panes non incendebantur Deo, vt notat *Caietanus Leuitici 7. Vers. 12.* sed dabantur Sacerdotibus: inde licet fermentatum poterat offerri, non tamen ponebantur super Altare, Deo incendendi, sed erat Sacerdotis. Deus enim nec bonus Princeps commodo suo consulit, sed aliorum vtilitatem curat. Hugo Cardin. *Sacerdoti dabantur panes fermentati, super Altare non ponebantur.*

Dub. 6 Ad illa verba, Lucæ 10. vers. 4. *Neminem per viam salutaueritis.* Cur nemo in via salutandus: cum *Ecclesiastici 22. Vers. 31.* dicatur: *Amicum salutare non confundaris.*

Caueat iustus, ne mora, & cunctatione sua aliquod bono communi obiciat impedimentū.

Resp. Quod salutare amicum in via causa amicitiæ, vt consolationis bonum est, dummodo non impediatur maius bonum: at Prædicatorem salutare aliquem cum cunctatione, & mora, ita vt impediatur bonum commune prædicationis, non est bonum, quia salutatio viatoris tunc impedimento esset bono populi: ideo mandat Christus Discipulis suis, ne cum eunt ad prædicandum moram faciant salutando viatores. Caueant enim iusti ne cunctatione, & mora sua bono publico inferat impedimentum. Hugo Card. *Attendenda est causa dictorum, vt dicit D. Hilarius & nulla erit contrarietas. Salutare viatorem in via, cum mora, vel ex necessitate non est bonum, ne impediatur abstinere suo, vel à fructu prædicationis; salutare vero ex amicitia, vel ad consolandum bonum est, ita vt melius non impediatur.*

Priuatū bonum proximi omittēdum est pro bono communi populi

Dub. 7. Ad illa verba, Actor. 25. vers. 9. *Festus autem volens gratiam præstare Iudæis respondens Paulo dixit: Vis Ierosolimam ascendere & ibi de his iudicari apud me?* Cur Festus dat optionem Paulo, an velit ire Ierosolimam cum apud Cæsaream posset eum iudicare de criminibus, quę à Iudæis obijciebantur Paulo?

Iustus potius amittit commodo particulari suorū inimicorū, quam proprio.

Resp. Quod Iudæi qui à Ierosolimis descenderunt Cæsaream multas, & graues causas obiecerunt Paulo, quas non poterant probare, probaturi tamen in Ierusalem, vbi erant testes, & paulus poterat solus in Ierusalem facilius ire, quam multi testes venire Cæsaream: hinc optionem dat, an velit ire Ierosolimam iudicandus de impositis criminibus, forsitam putā Festus, quod Paulus nolet venire testes, & descendere Cęsaream cum incommodo proprio, etiamsi inimici essent, & multas causas ei obiecissent. Iustus enim consulit commodo particulari suorum inimicorum potius quam proprio. Hugo Cardin. *Promittebant Iudæi se probaturos in Ierusalem, vbi erant testes. & posset facilius solus illuc ire, quam multi testes venire.*

C

CAP. XXI.

De Castitate.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 12. v. 15. *Sublata est mulier in domum Pharaonis.* Saram non cognitam à Pharaone constat. Cur Pharao Rex potens non cognouit Saram, cum eam domi haberet, poteratque ea vti nullo obsistente?

Angeli protegunt castos, ne aliquis ad eos accedat, & polluantur.

Resp. Quod Sara quando venit in potestatem Pharaonis habebat Angelum, qui eam custodiebat, ne Pharao ad eam accederet; percutiebat enim Angelus Pharaonem aliqua plaga, ne eam cognosceret: hinc licet potens esset Pharao, posset que accedere ad eam nullo impedieute, eam non cognouit. Sancti enim Angeli protegunt castos, ne ad eos aliquis accedat. Abulensis: *Habebat enim Sarai Angelum sui corporis custodem, & quando dicebat ei quod percuteret Pharaonem aliqua plaga, ne eam agnoscere posset, percutiebat, & sic nunquam ad eam accedere potuit: sic enim legitur de B. Agnete quod haberet Angelum Dei corporis sui custodem,*

nec

nec permittebat aliquem iuuenem ad eam accedere.

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 29. vers. 46. *Scient quia ego Dominus Deus eorum qui eduxi eos de terra Ægypti, vt manerem inter illos.* Cur Deus Israelitas eduxit de terra Ægypti ad habitandum inter eos? Nunquid non poterat in Ægypto cum eis habitare?

Deus turpes fugit, castos inhabitat.

Resp. Quod Ægyptij erant turpes, & inhonesti: hinc licet Deus esset inter Israelitas non immorabatur inter eos, nec inhabitauit vsque quo recesserunt ab impuris hominibus. Deus enim fugit turpes, & inhabitat castos. Oleaster: *Quando inter immundos versantur Spij, licet cum eis Deus sit non tamen immoratur inter eos, quoniam à sordibus abhorret: si enim volumus Deum habitare nobiscum à fœcibus, & immunditijs recedendum est nobis.*

Dub. 3. Ad illa verba, Numeror. 12. vers. 2. *Nonne, & nobis similiter locutus est.* Notat Caietanus, quod Maria, & Moyses per hæc verba intendunt inferre, quod licet ipsi vacant propriis coniugijs, ita Moyses reddere debebat propriæ coniugi ius eius. Cur Moyses non reddebat ius coniugi Æthyopissæ? Ne ad hoc tenebatur?

Resp. Quod Moyses alloquebatur Deo assidue, consuetudinemque, & familiaritatem cum Deo habebat: hinc licet teneretur reddere ius suæ coniugi, à carnis delectamentis cum propria vxore abstinuit. Qui enim assidue cum Deo communicant, vt sunt viri spirituales à carnis illecebris se abstrahunt. Caietanus: *Insinuatur enim per hoc quod causa deserendi thorum propriæ vxoris, afferebatur à Moyse a locutio Diuina. Et verè quadrat, vt vir tam assiduus Diuino colloquio à carnis delectationibus se abstraheret: aduersatur enim tantæ mentis eleuationi in Deum, affectus animi ad carnis delectationem.*

Dub. 4. Ad illa verba, Deuteronomij 28. vers. 30. *Si alius dormiat cum ea.* In Hebræo habetur: *Vir alius perpolutabit eam*, quod deducunt Hebræi à verbo *schagal*, quod propriè significat voluptationem, quæ fit in actu venereo, cum fœmina à viro lub agitatur, siue in coniugio, siue extra coniugium. Cur actus venerei denominantur ab Hebræis per voluptationes, nec propriis nominibus nominantur?

Iusti ita diligunt mundi tiam, quod in rebus turpibus nominandis, honestate verborum vtũtur, & nomen turpe in honestũ mutant.

Resp. Quod Hebræi nolebant actus turpes, & inhonestos, inhonestis verbis, sed verecundioribus nominare: hinc vocabulorum honestate in rebus turpibus nominandis vtebantur. Castitas enim non solum luxuriam respuit, sed nomen illam olfaciens. Maluenda: *Annotant propriſsimè ipsum actum venereum cum muliere denominare, illudque vertunt peruolutare, sub agitare, vitiare, violare, stuprare, lasciuire, lasciue se habere in coitu, & re venerea. Et quia verbum hoc visum fuit Hebræorum Magistris obscœnius castis auribus, ideo vbicunque hoc verbum in Scriptura ponitur ad marginem eius loco Scacab cubuit, concubit, substinuerunt, paulo verecundius, & honestius, volentes pro Schagal legi Seacab.*

Dub. 5. Ad illa verba, Prouerb. 22. v. 11. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem.* Iuxta Hebræum habetur: *Amans munditiam cordis, Sodalis eius Rex.* Cur Rex, id est, Deus Sodalis est, & censors mundorum?

Deus societatem init cum castis, cũ immundis non conflat consortium.

Resp. Quod casti valde accepti sunt Deo, vultque mundos sibi assistere, immundi vero ingrati, nec permittit eorum societatem, nec assessionem: hinc casti, & integri comitem habẽt Deum, socium assiduum, perpetuumque se illis præbet, immundis vero insocabilem se exhibet. Deus enim cum castis coit societatem, cum impuris vero congressum fugit. Lyranus: *Qui diligit cordis munditiam diligetur à Rege, habebit amicum Regem; scilicet, cœlestem, vel terrenum. Antiquitus Reges non permittebant aliquem assistere sibi, nisi mundum, & honestum.*

Dub. 6. Ad illa verba, Cantic. 2. vers. 2. *Sicut lilium inter spinas.* Cur castitas comparatur lilio, & non cuilibet flori?

Casti in bona fama sunt apud omnes.

Resp. Quod lilium amarescit, amarumque est palato; at suauem odorem emittit, & efflat: ita castitas amara videtur hominibus, sed suauis in fama, & opinione: hinc lilio comparatur, & non cuilibet flori. Qui enim casti sunt in bona fama apud omnes fama sunt. Hugo Cardinalis: *Notandum quod lilium est amari saporis, sed suauis odoris, quia castitas amara est in vita, sed suauis est in fama.*

Dub. 7. Ad illa verba, Ierem. 16. ver. 2. *Non accipies vxorem, & non erunt tibi filij, & filiæ in loco isto.* Quærunt Hebræi quare hoc Dominus præceperit Prophetæ, cum Virgo fuerit, & in vtero sanctificatus, nec vnquam propositum habuerit ducendi vxorem?

Casti viri capaces efficiũtur cœlestis doctrinæ.

Respond. Quod Ieremias Propheta erat, & multa ei erat reuelanda secreta: hinc Dominus præcepit Ieremiæ ne du-

duceret vxorem : si enim castus non esset, quantum ad actum reuelationis secretorum, non tangeret mentem eius Spiritus Sanctus in vsu matrimonij. Casti enim viri capaces efficiuntur cœlestis doctrinæ. D. Hieronymus: *Non accipies vxorem, & non erunt tibi filij, Ezechielis 24. vers. 18. Mortua est vxor mea vespere, vers. 20. sermo Domini factus est ad me. Ieremias captiuitate propinqua vxorem prohibetur accipere: Ezechiel in Babylone, mortua est, inquit, vxor mea, & apertum est os meum, nec ducturus vxorem, neque ille qui duxerat possunt in ôpere coniugali libere prophetare.*

Castos speciali dilectione prosequitur Dominus præ cæteris.

Dub. 8. Ad illa verba, Ioann. 21. vers. 20. *Quem diligebat Iesus.* An Christus plus dilexit D. Ioannem Euangelistam quam D. Petrum, quam Ecclesiæ suæ præesse voluit?

Respondetur: Quod D. Petrus iam dudum cognouerat vxorem, Ioannes autem omnis carnis voluptatem, imo nuptias, vt dicit *D. Hieronymus* pro Christo negauit. Hinc plus dilectus fuit à Christo S. Ioannes, quam D. Petrus, imo quam alij Apostoli: casti enim plus diliguntur à Domino, quam alij. Diuus Thomas: *Eum speciali dilectione præ cæteris dilexit, propter munditiæ puritatem, quia virgo fuit.*

Dub. 9. Ad illa verba, Apocalipsis 2. vers. 2. *Et Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe.* Cur Prælatus Ephesi Ecclesiæ nominatur Angelus?

Prælatus singulari cura castitati debet incumbere.

Respondetur: Quod pudoris decor, pudicitia, & castitas maxime debet in Prælatis vigere. Hinc qui Ephesinæ Ecclesiæ præerat Angelus appellatur, quasi Angelum imitari, pureque, & caste viuere deberet. Prælatus enim singulari cura, & castitati, & pudicitiæ debet intendere. Hugo Cardinalis: *Et Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe, id est, Prælato, qui debet esse Angelus per innocentiam sanctimoniæ cordis, & castitatis corporis, sicut sunt Angeli, de quibus Math. 22. qui nec nubunt, nec nubuntur, & in hoc erunt eis similes electi, qui cum eis glorificabuntur: Vnde Sacerdos magnus in lege baltheo cingebatur supra pectus, per quod designatur sanctimonia, vel castitas cordis, quam facit vera fides item famoralibus vtebatur, quæ turpitudinem carnis eius velabant à renibus vsque ad femora, per quod significatur castitas corporis. Deutroque, scilicet, de baltheo, & famoralibus, Exodi 28.*

CAP. XXII.

De Charitate.

Dvb. 1. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 9. *Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum vnum.* Cur aquæ quæ sub cœlo erant, congregatæ sunt in locum vnum: at aquæ quæ supra cœlum in vnum locum non fuerunt collectæ?

Charitas diffunda est ad omnes, affectiones vero humanæ restringendæ.

Respondetur: Quod in cœlestibus aquis charitas, in inferioribus vero humanæ affectiones adumbrantur: ideo non dictum est de aquis, quæ super cœlos sunt, quod collectæ fuerint in locum vnum, bene tamen de aquis quæ sub cœlo erant, ennuntiatum est, quod in vnum locum fuerint congregatæ. Quia affectiones humanæ significatæ per aquas: quę sub cœlo sunt, constrigendæ, & certis limitibus sunt circunscribendæ: charitas autem significata per aquas quæ supra cœlum, nunquam coangustanda, sed extendenda, & amplificanda. Hugo Victorinus: *Quo fit, vt quamuis aquæ quæ sunt sub cœlo congregandæ sint, & constrigendæ in locum vnum, quia affectus animæ inferior, nisi certa lege constrigantur, non potest apparere arida, nec germina producere sicut Apostolus castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, aquæ tamen quæ super cœlos sunt, non debuerunt colligi, & in vnum coarctari, quoniam charitas amplificanda est semper, & dilatanda.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 13. vers. 8. *Ne quæso sit iurgium inter me, & te, inter Pastores meos, & Pastores tuos.* Cur Abraham prius nominauit se, & sua, prius quam Loth, & res eius? Cum videatur hoc esse in disciplinati viri: quisque enim debet alios in locutione sibi præferre hunc honorem eis dando, sicut Apostolus dicit ad Romanos 12. *Honore vos inuicem præferentes.*

Charitas vrbana petit, vt in bonis velimus, quod alius nos præcedat, in malis vero nos præcedamus illos.

Respondetur: Quod vrbana charitas, & charitatiua vrbanitas expoſcit, vt velimus alios in bonis præcedere nobis, in malis vero nos illis, ita vt de malis nobis plus attribuamus, de bonis vero plus alijs demus quam nobis: vnde cum Abraham velet se, & Loth accusare, quod si simul habitarent iurgium esset inter eos, quod malum erat, ideo voluit se prius in iurgio nominare quam Loth: charitas enim vrbana expoſcit, vt in bonis velimus, quod proximi nostri nos præcedant, in malis vero nos præcedamus illos. Abulens. *Dicendum quod causa est propter quandam vrbanitatis do-*

doctrinam: qui enim alijs honorem deferre vult in bonis præponit alios, in malis autem præponunt se alijs; quia sicut honor est de bono alteri plus tribuere quam sibi: ita & honor de malo ei tribuere minus quam sibi, etsi sibi ipsi, & alij culpã imponere debet, ille qui in malo prius nominatur, plus de malo accipit. Abraham autem volebat se, & Loth accusare; scilicet, quod si simul manerent, contenderent, quod malum erat: ideo voluit se prius nominare in contẽtione quam Loth, & pastores suos, quam pastores Loth, quasi plus mali, & culpæ de hac contentione ad se, & ad pastores suos pertineret, quam ad Loth, & pastores eius.

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 2. v. 10. *Qui inde dirimitur in quatuor capita.* Cur Paradisi aqua prius inimicos Dei irrigat quam alios?

Vera charitas iusti, prius inimicis quã amicis benefacit.

Resp. Quod Assur, & alij vicini terrę Promissionis infestissimi fuerunt populo Dei, & offensi: hinc prius Paradisus mittit aquas suas ad hostes populi Dei quam ad alios irrigandos. Vera enim charitas prius inimicis quã amicis benefacit. Oleaster: *Considera quod præcipuos hostes suos prius irrigat, nouimus quid populo eius fecerit Assur, & alij vicini terræ Promissionis ad quos Paradisi flumen tam copiose mittit.*

Dub. 4. Ad illa verba, Genes. 4. v. 11. *Maledictus eris super terram.* Cur Deus mitiorem sententiam protulit in Adamum, quam in Cainum? Adamum graviter peccantem increpauit, ita vt à maledicti nomine abstineret: non enim illum, sed terram maledictam appellauit. Genes. 3. vers. 17. *Maledicta terra in opere tuo*; at vero Cainum atrociter delinquentem, appellauit maledictum. Cur ergo seueriorem legerit Deus in Cainum quam in Adamum?

Graulus pũnitur peccatum contrã fraternam charitatem, quã contra Deũ.

Respond. Quod Adamus peccauit in Deum, Cainus vero in fratrem: hinc Deus mitius toleravit iniurias sibi, quam fratri illatas à Caino: Adamum increpauit, Caino maledixit. Grauius enim punitur peccatum contra fraternam charitatem, quam contra Deum. D. Chrisostom. homil. 19. in Genes. *Ex maledicti magnitudine flagitij immanitatem expende. Nam quanto maius sit peccatum hoc præuaricatione protoplasti ex maledictionis varietate scire volenti licet illuc enim inquit: Maledicta terra in operibus tuis, & in terram effusa est maledictio ostensa sua in hominem cura: hic vero quia res perniciosa, facinus iniquum, & inexpiabile flagitium, ipse pœnam luit.*

Dub. 5. Ad illa verba Exodi 5. v. 22. *Domine, cur afflexisti populum istum.* Cur Moyses vindictam non petit in Israelitas murmuratores Moysis, qui putabant Moysem in culpa fuisse, quod labor laterum eis adderetur, & dolor flagellorum eis euenerat, mordacia verba contra eum proferentes? Cur solum pro miserijs Israelitarum, vt eas Deus releuet deprecatur, non pro vindicta iniuriarũ, quibus Moyses offensus erat?

Charitas perfecta plus dolet de malis alienis, quam de propijs.

R. Quod perfecta charitas plus aliena mala, quam propria dolet, & sentit: ideo licet mordacibus verbis fuerit ab Israelitis lacessitus, hõrum obliitus, remedium alienorum malorum à Deo postulare fecit. Charitas perfecta plus dolet de malis alienis, quã de proprijs. Abulensis: *Ex hoc apparet nemia charitas Moysi, qui de verbis mordacibus, & amaris in eum iactis non curabat, sed magis ipsorum pungentia & amaricantium eorũ miserias apud Dominũ deplorabat.*

Dub. 6. Ad illa verba, Exodi 11. v. 9. *Exiuit a Pharaone iratus nimis.* Cur Moyses vir mitissimus tam iratus apparuit?

Charitatis effectus est irasci contra offensas Dei.

R. Quod quando iustus irascitur videndo Deum offensum, nõ peccat, imò in tali casu non irasci, peccatum esset, quia esset quasi Deo offensam illata approbare: Moyses ergo iratus exiuit, quia Pharao Deo erat inobediens. Charitatis enim effectus est, irasci cõtra offensas Dei. Abul. *Fuit autem ista ira, quia Pharao tantum inobediens erat mãdatis Dei. Ista ira non fuit peccatum, quia non fuit per vindictam, aut odium, sed per zelum; sicut quandoque non hominibus, sed hominum iracimur delictis, detestando ea. Pertinet ergo ista ira ad charitatem, cum ad delictorum emendationem proficiat: imò carere ea quantum ad talia, vitium quoddam est, quia non irasci, aut detestari peccata aliena propinquum est ei, quod est assentiri ei.*

Dub. 7. Ad illa verba, 1. Paralip. 1. v. 26. *Abraham iste est Abraham.* Cur signanter dicitur de Abrahamo iste est Abraham, cum alios non sic nominet Sacer textus? An quia mutatum illi nomen?

Qui charitate præstat alijs insignior est inter eos.

R. Quod Abraham eximius fuit charitate, beneuolentia, & beneficientia, pietateque anteiuit cæteris: inde signanter dicitur de illo iste est Abraham non sic de alijs. Qui enim charitate præstat alijs, insignior est inter illos. Maluenda: *Pronomen ipse, vel iste magnam emphasim habet, nec dum ob mutatum nomen.* Genes. 17. v. 5. *Sed etiam ob inclytam, &*

celebratam viri pietatem, & magnitudinem, cuius præclaræ res gestæ narrantur a Gen. 11. *v.* 29. *vsque ad Gen.* 25. *v.* 10.

Dub. 8. Ad illa verba, Cant. 2. vers. 4. *Ordinauit in me charitatem.* Quis ordo charitatis? Quem ordinem habent eius effectus?

Vera charitas ordinata est, cum tendit in Deum, deinde in bonum proximi

Resp. Quod charitas benè ordinata hunc habet ordinem, facit hominem in desiderium Dei tendere, fratribus bona optare, quæ habent bona fratres amare, eorum profectui congaudere, malis compati, nostra eis communicare, terrena propter Deum contemnere. Hinc Sponsa dicit quod Sponsus ordinauit in ea charitatem: vera charitas incipit ab amore Dei, & tendit in bonum proximi. Hugo Cardinalis: *Ordinauit in me charitatem, quo ad effectus, siue motus illius: vt primus eius motus sit cœli, cuius duo sunt rami, scilicet, desiderium gloriæ Sponsi, & ira aduersus eius contumeliam excandescit. Secundus motus sit beneuolentiæ, cuius tres sunt rami. Primus est quo fratribus bona, quæ non habent optamus, secundus, quo bona quæ habent fratres amamus, tertius quo eorum profectibus congaudemus. Tertius motus sit pietatis, cuius duo sunt rami primus ramus, quo malis compatimur, secundus quo bona nostra communicamus. Quartus est terrena propter Deum contemnere.*

Dub. 9. Ad illa verba, 1. Esdræ 2. vers. 64. *Omnis multitudo quasi vnus, quadraginta duo millia trecenti sexaginta.* Cur Israelitæ cum ingrediuntur captiui in Babylonem non vocantur vir vnus. *Ieremiæ* 52. *v.* 3. *Omnes ergo animæ quatuor millia sexcenta.* Cum vero de captiuitate egrediuntur, vocantur quasi vnus?

Multi charitate coniuncti sunt quasi vnus

Respondetur. Quod antequam Israelitæ ducerentur captiui in Babylonem non erant animis, & fide concordes: at in captiuitate, eodem animo, & voluntate simulque fide erant coniunctissimi: inde ante captiuitatem multi vocantur, post egressum vero de captiuitate, quasi vir vnus dicuntur. Multi enim charitate coniuncti sunt quasi vnus. Mendoza: *Videtur mihi huius multiplicationis ratio, vna charitas, quam ante captiuitatem non curabant, in captiuitate exercebant: nam liberi diuidebantur in plures sectas, captiui in vnam fidem lungebantur, & argumentatio est, quod in ingressu Babylonis non dicuntur omnes quasi vir vnus Babylonem subiisse: at vero in egressu omnis multitudo quasi vir vnus.*

Dub. 10. Ad illa verba, 1. ad Timoth. 1. v. 18. *Hoc præceptum commendo tibi.* Cur charitas ita commendatur Timothæo, & non aliis?

Prælatus inter alias virtutes charitate eminere

Resp. Quod Timothæus Prælatus erat, & Ecclesiæ rector: ideo charitas præcipuè ei commendatur, & creditur. Prælatus enim charitate inter alias virtutes decet vigere. D. Thomas: *Dicit ergo hoc præceptum; vt scilicet, tu custodias finem Legis, id est, charitatem conserues semper, non autem fabulas Iudæorum. Commendo tibi, sicut fidele depositum, quia tibi ideo est commissum.*

Dub. 11. Ad illa verba, 1. Ioann 5. *v.* 5. *Et nunc rogo te, Domina, non tanquam mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, vt diligamus alterutrum.* Cur D. Ioannes dicit, quod mandatum de charitate non est nouum, cum *Ioannis* 13. *vers.* 34. dicat Christus: *Mandatum nouum do vobis.*

Charitas nouum modum diligendi inuenit; scilicet, inimicos

Respondetur. Quod mandatum de charitate vetus est, vtpote datum in lege, nouum vero quia non restringitur ad amicos, sed ad inimicos extenditur. Vera charitas ad inimicos tendit. D. Thomas: *Mandatum de charitate, & est vetus, & est nouum, Vetus ratione substantiæ, quia ab antiquo scriptum in corde rationis, & in codice legis, sed nouum ratione circunstantiæ, quia in Euangelio addit nouum modum: lex dicit diligite amicos, Euangelium diligite inimicos.* Vide in Indice, *Charitas.*

CAP. XXIII.

De Cognitione sui.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 11. *Germinet terra herbam virentem.* Quid significat herba virens?

Homo abinitio vitæ suæ fragilitatis memor sit

Resp. Quod herba virens mane floret, vespere vero succidit eam ventus, aut æstus: & significat breuitatem vitæ humanæ, eiusque fragilitatem, quæ velut vno die mane, scilicet, & vespere transigitur: hinc in mundi exordio dixit Deus terræ, quod germinet herbam virentem, id est, homini qui terra est dixit, quod herbam virentem germinet, id est, suam fragilitatem cognoscat, quam cito, sicut flos transiet, arescet, & deficiet. Homo enim à principio vitæ, suæ fragilitatis memoretur. Hugo Cardinalis: *In hoc quod dicit virentem, monemur considerare fragilitatem humanam, quæ mane viret, vespere decidit, indurat, & arescit.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 1. v. 26. *Faciamus hominem.* In dictione Hebræa est *Adam*, id est, *homo.* Quæres à quo Adam nomen accepit?

Resp.

Homo frequens debet esse in sui cognitione.

Resp. Quod Adam quandoque est nomen proprium primi hominis, quãdoque propriè nomen est speciei humanæ, hominem significans, & à terra ex qua fuit formatus, hoc nomẽ Adam sibi asciuit, vt quoties sui nominis memoriam haberet, toties suæ fragilitatis recordetur. Assiduus enim, & frequens debet esse homo in sui, sicut & nominis cognitione. Oleaster ad litteram: *Aduerte hic quod dictio Adam, id est, homo aliquando est proprium nomen primi hominis: scilicet, illius, quem Deus formauit vt plurimum tamẽ est commune nomen hominem significans; & a terra ex qua corpus eius factum est, nomen accepit.*

Dub 3. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Notat *Oleaster* quod terra de qua formatus fuit Adam erat rubea, & hanc Deus assumpsit ad corpus hominis fingendum, eo quod aqua mixta melius conglutinetur, & coniugatur. Cur homo de terra, & aqua fuit effictus, cum de terra sine aqua posset effingi?

Homo secũ habet materiam, vt cognoscat quam vilis, fragilis, & labilis est.

R. Quod aqua labilis est, terra fragilis: hinc ex puluere terræ macerato, & temperato aqua, velut ex massa quadam terræ madefacta efformauit Deus corpus humanum, vt consideraret materiam fragilem, & labilem de qua sumptum est, ex omni parte consideret suam vilitatem, & fragilitatem. Homo secum habet materiam, vt cognoscat quam vilis & fragilis sit. Hugo Cardinalis: *De limo terræ, id est, de terra limosa, argillosa quantum ad corpus, & hoc dicit Moyses, vt semper recolat homo vilitatem suam.*

Dub. 4. Ad illa verba, Genes. 2. v. 7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Asserunt multi Adamum compactum ex quatuor portionibus terræ sumptis ex quatuor mundi cardinalibus plagis. Cur portiones terræ sumptæ sunt ex quatuor mundi partibus ad plasmandum Adamum, cum de qualibet parte terræ sumpta sufficeret ad corpus formandum?

Homo indignitate constitutus facilitèr suæ vilitatis obliuiscitur.

Resp. Quod homo in sublimi dignitatis gradu collocatus, qualis erat Adamus totius vniuersi dominium obtinens, facile obliuione delet suam vilitatem: hinc ne obliuiscatur, ex quatuor mundi partibus assumpta fuit à Deo terra ad Adami corpus formandum, vt quocunque se vertat Adamus, siue ad Orientem, siue ad Occidentem, siue ad Septentrionem, siue ad Meridiem, in illa dignitate erectus, à qualibet mundi parte de sua vilitate moneatur. Maluenda cap. 60. de Paradiso *Plerique Veterum Patrum existimant Adam effictum ex terra sumpta à Deo ex quatuor mundi partibus, nempè ex Oriente, Occidente, Meridie, & Septentrione; scilicet, è quatuor portionibus terræ, singulis ex vnaquaque cardinali mundi parte acceptis, & in vnam massam compactis, plasmatum à Deo arbitrantur.*

Dub. 5. Ad illa verba, Genes. 32. vers. 29. *Et benedixit ei in eodem loco.* Notat Caietanus quod sub hac benedictione, qua Angelus benedixit Iacob comprehenditur confortatio Iacob ad prævalendum Esau, simulque excussio timendi à fratre suo. Cur Iacob redditur securus ab Angelo de victoria fratris Esau? Cur excusit timorem ne fratrem timeret? Cur confortat aduersus Esau?

Qui suam agnoscit vilitatem, securus est quod diabolo prævalebit.

Respondetur. Quod quando Iacob luctabatur cum Angelo, pedibus excitabat, & ciebat puluerem, qui puluericabat oculos eius, & ex puluere in oculos offuso, Iacob in sui venit cognitionem, quod puluis esset, & in puluerem reuertendus: hinc Angelus benedixit Iacob, metu liberauit ab aduentu fratris, robur subministrauit ad prævalendum Esau, eumque vincendum. Qui enim suam agnoscit vilitatem, securus est quod diabolo prævalebit. Maluenda: *Ecce Vir luctabatur cum eo, & puluerizatus fuit Vir cum eo.* Et Oleaster: *Variè tam Hebræi quàm nostri sentiunt, de significatione Verbi Abach, quod hic Vertunt luctari. Dicunt enim Abach nomen, significare puluerem, & quia luctantes puluerem pedibus ciere solent, ideo Verbum Abach, luctari significare dicunt.*

Quanto homo plus Deũ cognoscit, tanto magis suam vilitatẽ agnoscit.

Dub. 6. Ad illa verba, Genes. 18. v. 27. *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis, & cinis.* Cur hucusque Abraham non cognouit se puluerem esse, & cinerem?

Resp. Quod Abraham loquutus erat, imò loquebatur cum Deo, eiusque magnalia cognoscebat: ideo profitetur se esse puluerem, & cinerem; quanto enim homo Deum plus cognoscit, tanto magis se ipsum, & suam vilitatem agnoscit. Hugo Card. *Sancti quanto magis Diuinitatis interna prospiciunt, tanto magis se nihil esse conspiciunt. Nusquam legitur Abraham cinerem se, & puluerem professum esse, nisi cum meruit Dei locutionem habere. Et ait loquar ad Dominum, cum sim pulvis,*

& cinis. Fortasse enim se aliquid esse crederet, si veram essentiam, quæ super ipsum est non sensisset. Vnde, & Dauid exclamauit: Memento, Domine, quoniam pulvis humus. Nota non prius reputat se puluerem Abraham, quam cum Deo loquatur.

Dub. 7. Ad illa verba, Iob 2. v. 8. *Testa saniem radebat.* Cur Iob testa non vero alio instrumento radebat saniem? Cur manu, vel vnguibus non scalpebat se?

Peccator cõsideratione suæ vilitatis vulnera peccati curabit,

R. Quod vlcera Iob vulnera peccatoris ex peccatis relicta significabant, quid est ergo quòd Iob non manibus, nec vnguibus scalpebat se, sed testa radebat saniem, nisi quod peccator consideratione suæ vtilitatis vulnera peccati curauit. Hugo Card. ex D. Gregor. *Testa saniem radebat, vt se metipsum in fragmento considerans, etiam de extersione vulneris sumeret curam mentis.*

Dub. 8. Ad illa verba, Iob 2. vers. 8. *Sedens in sterquilinio.* Hebraice habetur: *Sedens in medio cineris.* Cur in medio cineris, non alibi sedebat?

Qui considerat se ipsum, facile Deum ad misericordiam mouet

Resp. Quod volebat implorare Diuinam misericordiam: hinc nõ alio loco, sed in medio cineris sedit; qui enim considerat se esse puluerem, facile Deum mouet ad misericordiam. Maluenda: *Ipse sedens in medio cineris, siue pulueris, nimirum more lugentium, & supplicantium, vt Diuinam misericordiam imploraret.*

CAP. XXIIII.

De Consilio.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 19. v. 8. *Habeo duas filias, quæ necdum agnouerunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis.* Disquirunt aliqui an Loth peccauit offerendo filias suas ad euitandum iniuriam inferendam hospitibus? Et est ratio ambiguitatis; quia hinc apparet peccatum esse repensare flagitium flagitio, iuxta doctrinam D. Pauli: *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.*

Licitum est consulere minus malum, sine intentione tamen faciendi, vt vitetur maius malum.

R. Quod verba Lothi amolientis erant, vt hac tam iniqua oblatione, & damno rerum suarum, familiæque suæ, ciuium animos emolliret: hinc offerendo materiam minoris mali ad maius vitandum sine intentione faciendi, & abusum filiarum suarum illis hominibus consulendo, immunis fuit à peccato. Licitum est consulere minus malum sine intentione tamen faciendi ad euitandum maius malum. Caietanus: *Loth non obtulit filias animo repensandi flagitium flagitio, sed placandi, hyperbolica submissione furentem populum. Arbitrabatur enim, & rationabiliter (vt rei probauit euentus) quod populus non acceptaret huiusmodi oblationem; sed quod placatus tanta submissione ipsius Loth, desisteret à cœpto: & eo rationabiliùs quod filiæ eius sponsæ erant ciuium Sodomæ. Quemmadmodum vir placaturus lacessitum iniuria, pugionem nudum offert, dicendo interfice me, non animo vt interficiatur: sed vt tanta submissione placetur læsus.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 29. v. 4. *Carnes vero vituli, & corium, & fimum combures foris extra castra eo quod pro peccato sit.* Cur vitulus pro peccato Sacerdotis, & vna capra pro peccato Regis offerebatur?

Consiliarij Regum quãdo ob defectum regiminis destruitur Regnum, grauius peccant quam Reges.

R. Quod peccatum Sacerdotis grauius est, quam peccatum Regis, quia Sacerdos cum sit Regis consiliarius, non excusatur per ignorantiam, si nõ aduertit Regi, & non corrigat ea in quibus peccat in sui Regni regimine, quia tenetur scire omnia pro dando vtili consilio; Rex verò si peccet per ignorãtiam excusatur, quia non tenetur tanta scire, sicut Rex terræ: ideo Sacerdos pro suo peccato vitulum, quod maximũ est sacrificiũ pro peccato vero Regis capra offerebatur, quod est minus sacrificium. Consiliarij enim Regum quãdo ob defectum regiminis destruitur Regnum, grauius peccant quam Rex, neque in illis admittitur ignorantia. Abul. *Peccatum Principis terræ per ignorantiam non est tantum, sicut peccatũ populi, aut peccatum Summi Sacerdotis intensiue, neque extensiue. Intensiue quidem patet, quia non tanta tenetur scire Princeps terræ, qui est Rex, sicut Sacerdos magnus ideo peccatum eius remissibilius erat* (oblata enim vna capra remittebatur) *quia interdum contingit peccare ex ignorantia eius, quod nõ tenebatur scire: summum autem Sacerdotem nunquam contingebat peccare ex ignorantia eius, quod non cogebatur scire, sed quandocumque peccaret per ignorantiam eius ad quod obligabatur sciendum.*

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 32. v. 1. *Fac nobis Deos qui nos præcedant.* Cur Israelitæ petunt ductores in itinere, cum columna eos præcederet?

R. Quod Israelitæ volebant de loco illo ambulare, nolebat Deus, cum staret columna sine cuius motu se non mouere Deus illis in præceptum dederat: vt ergo se mouerent, & hoc non esset, quasi ex voluntate sua, & contra Diuinam voluntatem, volebant ali-

aliquem Deum, qui eos moueret, vt excusationem haberent, quod Deus erat, qui illos moueret, ne contra voluntatem Dei, sine Dei voluntate ambulare viderentur, sed vana, & palliata excusatio cum constaret illis de vera voluntate Dei per columnam ad cuius motum, & non alias de voluntate Dei mouere debebant. Ita multi quærunt Doctores, qui quod volunt ipsi, & vt communiter dicitur ad palati sui gustum illis consilientur, vt sic excusari videantur, quod Dei præcepta non violant, sed vane cum se, & ex Dei inspiratione cognoscant veritatem: hinc Israelite licet eos præcederet columna secundum Dei præceptum, tamen petebant Deos qui eos ducerent, quo volebant Israelitę, vt excusationem haberent apud Deum, quod Deorum ducatu pergebant, & consilio ducebantur. Homines enim quærunt consiliarium illum, qui quod volunt homines dicant, non qui secundum Deum veritatem. Abul. *Quia ipsi volebant recedere de loco illo, & columna non mouebatur: ideo volebant aliquem Deum directorem, qui eos præcederet, atque dirigeret.*

Consiliarij quærũtur illi, qui quod volumus dicant, nõ qui veritatem.

Dub. 4. Ad illa verba, Deuter. 1. v. 22. *Mittamus viros qui considerent terram.* Cur Hebræi dicunt ad inuicem, quod mittant viros qui considerent terram Chanaam, cum *Num.* 13. *v.* 1. Deus dixerit Moysi: *Mitte viros qui considerent terram Chanaam.* Moyses ergo ex consilio Dei misit exploratores, nõ populus.

R. Quod origo mittendi exploratores non à Deo, sed à populo profecta est: at consensus Diuinus accessit promissiue, quia Moyses consilium multitudinis retulit Deo, & Deo Auctore, ex sententia Dei, & consilio misit exploratores. Consilium enim hominis Deo consultandum est, & ex consilio Dei exequendum, & perficiendum. Maluenda: *Hoc cum Num.* 13. *v.* 1. *coniungẽdum est. Primum enim populus hoc à Moyse petit, vt hic dicitur: Deinde Moyses ad Deum petitionem retulit, & Deus id sibi placere per Moysẽ declarauit, vt scribitur Nu.* 13 *v.* 1

Consiliũ hominũ ex cõsilio Dei exequendum.

Dub. 5. Ad illa verba, 2. Reg. 16. ver. 23. *Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum.* Cur consilium Achitophel tanquam consilium Diuinum habebatur, & non hominis?

R. Quod Achitophel auctoritate, & grauitate maxima præditus erat, & in eo auctoritatis erat plurimum: hinc cõsilium Achitophelis præstantissima, & quasi Diuina oracula haberi solebant. Consilium enim hominis magnæ auctoritatis tanquam Dei consilium habetur. Caietanus: *Assimilatur cõsilium Achitophel verbo responsionis Diuinæ non quoad rectitudinem, sed quoad adhæsionem: narratur enim quod ita adhærebant consilio Achitophel, quemmadmodum adhærebant responsioni Dei consulti: & quoniam hoc commune subiungitur tam Absalom quàm Dauidi ideo similitudo hæc per modum Hyperboles intelligenda est, quemmadmodum dicimus, homines veloces vt Aquilas, & similia. Describitur enim ad litteram maxima auctoritas Achitophel in consilio, vt plusquam homo videretur sapere: & propterea assimilatur Diuino responso.*

Consiliũ hominis magnæ auctoritatis tanquam Dei consiliũ habetur, ita vt omnes ad hæreant ei.

Dub. 6. Ad illa verba, 2. Reg. 17. vers. 14. *Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile.* Iuxta Hebræum habetur: *Iehoua præcepit ad frangendum consilium Achitophel bonum.* Si consilium Achitophel quod dedit Absaloni; celerem scilicet, persecutionem Dauidis, quæ erat valde vtilis Absaloni, & populo, cur Dominus dissipauit consilium Achitophel?

R. Quod Dominus voluit in Absalonẽ seuere animaduertere, suppliciumq; de illo sumere propter incestum quem comisit ingrediens ad concubinas patris sui, 2. *Reg.* 16. *v.* 21. & propter conspirationem in patrem: hinc licet Achitophel dederit Absaloni consilium accomodatius, & vtilius ad consequendum desiderium suum persequendo Dauidem celeriter, & sine mora, Dominus dissipauit, & fregit consilium eius. Dissipat enim Deus, & frangit consiliũ bonum datum peccatori, vt puniat peccatorem. Caietanus: *Diuinæ prouidentiæ adscribit Scriptura fractionem consilij Achitophel quamuis boni, hoc est, vtile Absaloni & rationem reddit Diuinæ dispositionis, videlicet. Vt puniret Absalom, qui conspirauerat contra patrem, & tam infamem incestum commiserat.*

Deus frangit cõsilium bonũ, vtile peccatori, vt puniat peccatorem.

Dub. 7. Ad illa verba, Prouerb. 15. v. 22. *Vbi vero sunt plures consiliarij.* Cur habendi sunt multi consiliarij, cum *Ecclesiastici* 6. *vers.* 6. dicatur: *Multi pacifici sint tibi, consiliarius autem vnus de mille.*

R. Quod laudabile est consilium exquirere à multis: in consilijs vero paucis cor manifestare laudabilius est: hinc plures consiliarij audiendi, consiliarius autem, cui sunt aperienda secreta, manifestandæ intentiones, vnus de mille erit. Arcana enim cordis paucis cõsiliarijs reuelanda sunt. Hugo Card. *Vnus de*

Arcana cordis paucis consiliarijs reuelanda sunt.

mille, id est, pauci. Bonum est enim multorum audire consilium, sed paucis aperire cor suum.

Dub. 8. Ad illa verba, Ecclesiastici 37. vers. 9. *A consiliario serua animam tuam prius scito quæ sit illius necessitas; & ipse enim animo cogitabit.* Cur dicit quod prius quam amicitiam familiaritatis cum consiliario copulet homo, sciat homo quid in animo consiliarius cogitauit, cum solus Deus noscat cogitationes hominum?

Nulli fidenda consilia, quin prius cognoscatur fides, animus, & intentio, ne consilietur in damnum sumentis consilium.

Resp. Quod per signa exteriora possunt cognosci consiliarij peritia, quę industria, quæ fides, quæ aptitudo, an pro bono priuato, an pro communi loquatur: vt his attentis eius opera, & vti tale commode, & vtiliter vti possit homo. Hinc consulit Ecclesiasticus quod homo sibi caueat à consiliario, & quo prius cognoscatur, qua ipse re indigeat, quæ sit eius indigentia, quis eius animus, & intentio, nam accidit plerumque, vt in rem suam talis consiliarius, & non in eum, qui consilium exquirit consilia conferat, in damnum exquirentis. Hugo Cardin. *Et quid ipse in animo suo cogitauit, sed quomodo poterit hoc fieri cum solus Deus nouerit cogitationes hominum? Responsio, per signa exteriora, & per interrogationes ab eo, & ab alijs qui nouerunt eum. Ne forte mittat sudem in terram id est, confirmet consilium suum pro terreno commodo. Et loquitur Auctor transumptiuè, tangens quod feræ sudibus capiuntur: quasi dicat, ideo primo considera qualis sit consiliarius, quam ei consentias ne forte sit terrenum eius consilium, & te per cupiditatem figat in terram, vel occidat sicut feram per terreum ostium.*

Dub. 9. Ad illa verba, Ierem. 4. v. 20. *Contempserunt te amatores tui.* Amatores tui dæmones at exponit *Interlinealis.* Cur dæmones dicuntur amatores hominis, cum *Matthæi* 13. *vers.* 28. dicatur *inimicus homo.*

Homo putat amicum esse qui malum consiliatur.

Resp. Quod homo putat amicum esse qui malum consiliatur: & quia homo de consilio, & suggestione dæmonis multa mala perpetrat ideo dæmon amicus hominis putatur. Hugo Cardin. *Dæmones dicuntur amatores secundum opinionem illorum qui credunt quod ille, qui suggerit eis furari, vel fornicari diligat eos; licet enim non credant diabolum esse dilectorem, tamen faciunt ac si crederent.*

CAP. XXV.

De Consolatione.

Dvb. 1. Ad illa verba, Genes. 45. v. 20. *Ne dimittatis quidquam de supellectili vestra: quia omnes opes Ægypti vestræ erunt.* Quod sic exponit *Malvenda.* Nolite in hoc desiderio oculorum parcere, ac satisfacere, vt solent qui alio migrant, omnia volentes secum vehere, & nihil relinquere, sed audacter dimittere, siquidem vobis non deerit in Ægypto satis ampla suppellex, & instrumenta, ac vasa necessaria. Cur vt Ioseph det fratribus suis opes Ægypti præcepit, vt omnia quæ habebant in terra Chanaam relinquerent, nec secum veherent? An non possidentes sua bona poterant opes Ægypti habere?

Consolationes Diuinas non accipit homo terrenis desiderijs deditus.

Resp. Quod opes Ægypti sunt consolationes internæ, quibus cor locupletatur: hinc Ioseph iubet quod omnia quæ habent fratres in Chanaam dimittant, vt eis det opes Ægypti. Non enim homo terrenis deditus, accipiet Diuinas consolationes. Hugo Card. *Hoc est, quod Christus homini euacuanti cor suum à noxijs, & vanis cogitationibus promittit opes, id est, consolationes internas. Sicut enim vas plenum aqua non potest capere vinum, nisi prius effundatur aqua: sic cor humanum dum plenum est vanis cogitationibus, & desiderijs prauis non potest recipere Christi consolationes. Lucæ 6. Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram, quasi dicat Dominus: Vasa vestra plena sunt, nec possunt capere diuitias meas. D. Bernardus: Non consolantur Christi lachrymæ cachinnantes, non consolatur Christi infantia garrulos, non consolatur Christi stabulum, & præsepè amantes primas chaturas in Synagogis. Ideo consuluit Dominus per Ieremiam Threnor. 2. Effunde cor tuum sicut aquam. Quare? Ecce esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. 4. Reg. 4. Quandiu vasa fuerunt vacua manauit oleum, quam cito fuerunt plena stetit oleum. Vtinam vasa nostra nunquam plena sint in præsenti, vt impleri valeant in futuro. D. Bernardus: Publicanus quia vas vacuum exhibere curauit, repleri meruit, & gratiam retulit ampliorem, sed Pharisæus quia plenus fuit, nihil recepit, sed vacuus rediit. De hoc Lucæ 18.*

Dub. 2. Ad illa verba, Leuitici 10. v. 3. *Dixitq; Dominus ad Moysẽ, hoc est, quod locutus est Dñus.* Cur Moyses postquam ig-

ignis deuorauit Nadab, & Abiu filios Aaron, dixit Aaroni, quod est, quod locutus est Dominus, quod suis sanctificabatur puniendo eos, qui appropinquant ei?

Consolatio vnica viro Christiano est, considerare, quod ex voluntate Dei euenit, quidquid patitur.

Respondetur: Quod Moyses vidit Aaronem mœstum, doloreque percussum, cum filios suo ab igne deuoratos aspexit, & voluit Aaroni consolationem adferre: hinc dixit ei Moyses, quod hoc est, quod locutus est Dominus: quasi dicat: quod factum est, maximi tibi doloris esse debebat, nisi aduertas ex Dei voluntate euenisse, quod si attendas, omni ex parte consolationem accipies. Consolatio enim vnica viro Christiano est considerare, quod ex Dei voluntate euenit, quidquid patitur. Abulensis: *Hic autem in principio videns Moyses periisse eos, qui ministrauerant in thuribulis de filijs Aaron, volens consolare Aaron patrem ipsorum dixit hæc à Domino prænuntiata fuisse quasi mitius toleraret Aaron, quod acciderat.*

Dub. 3. Ad illa verba, Deuteronom. 33. vers. 6. *Viuat Ruben, & non moriatur.* Iuxta Hebræum habetur: *Viuet Ruben, & non morietur, & erit gens eius numeri.* Cur Moyses prædicit Ruben perpetuam durationem suæ tribus dicens *& non morietur*, hoc est, non deficiet in successione, similiterque prædicit suæ tribus multitudinem dicens, *& erit gens eius numeri*, cum pater suus Iacob duriter increpauerit Ruben propter peccatum, dicens, *non crescas.*

Ministri consolêtur, quos superior corripit.

Respondetur: Quod Moyses vidit Ruben pusillanimem, & dejectum ex reprehensione patris sui Iacob cum dixit ei, *non crescas.* Hinc Moyses solatij medellam illi affert, consolaturque pusillanimem, præ dicens perpetuam durationem suæ tribus, magnamque suæ gentis multitudinem. Ministri enim consolentur, quos superior corripit. Oleaster: *Munus boni Pastoris est consolari pusillanimes, & quod superior corripit, & arguit debet Vicarius de malcere. Nam quia pater acriter valde peccatorem filium castigauerat, Sanctus Moyses eum nunc consolatur. Sic cum Dominus castigaret Israel propter delicta sua, timens quod non bene qui castigauerat consolaretur, Prophetis præcepit, vt hoc faciant. Isaiæ 40. dicens: Consolamini, consolamini populum meum, o Prophetæ, dicit Deus vester.*

Dub. 4. Ad illa verba, Deuteronom. 34. vers. 1. *Ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad vsque Dan.* Cur Dominus concessit Moysi videre terram Promissam, quam non erat ingressurus?

Deus nulli mœrorē præsta, quin aliquam consolationem nō exhibeat.

Respondetur: Quod Deus concessit quidem terram Promissam prospectare, non vero quod eam adiret, negando Moysi ingressum terræ, solatium ademit, concedendo visum consolationem exhibuit. Hinc ex edito montis, & vertice phasga terram Promissam a Galaad vsque Dan sub oculis habuit, ne cui eripuit consolationem Dominus prohibens aditum in ea, leuamen ex aspectu non præberet: solet enim Deus miscere mœrores cum consolationibus, nullique mœrorem præstat, quin aliquam consolationem non exhibeat. Oleaster: *Admonui Deum non sinere Sanctos suos in tristitia mori: & si enim non omnia, quæ ipsi desiderant concedat, præstat tamen ea quibus possunt esse contenti. Licet enim Sancto Moseth ingressum terræ negaret, non tamen negauit aspectum.*

Dub. 5. Ad illa verba 4. Reg. 18. vers. 14. *Tunc misit Ezechias Rex Iudæ nuntios ad Regem Assyriorum in Lachis dicens: Peccaui recede à me.* Cur Ezechias timet Regem Assyriorum oppugnantem Ciuitatem Lachis, cum 2. *Paralipom.* 32. *vers.* 7. quod ipse confortauit, & consolatus est populum dicens: *Viriliter agite, & confortamini, nolite timere, ne timeatis Regem Assyriorum, & vniuersam multitudinem, quæ est cum eo: multo enim plures nobiscum sunt quam cum illo*, non ergo timuit Ezechias Sennacherubim.

Consolatio excitat, & erigit animum dejectum.

Respondetur: Quod Ezechias quando ascendit Sennacherib Rex Assyriorum ad vniuersas Ciuitates Iuda munitas, & cepit eas timuit cum oppugnantem Lachis: at vero consolatus ab Isaia animum excitauit, & erexit, & populum roborabit: Hinc licet primo timuerit Regem Assiriorum venientem cum multitudine exercitus, animo non cecidit, nec animum dimisit, consolatione confirmatus, & roboratus à Propheta Isaia. Consolatio enim multum animi adfert abiecto. Hugo Cardinalis: *Verum est quod primo timuit Ezechias, vt patet Isaiæ 37. postea audita consolatione Isaiæ, confortauit, & ipse populum.*

Dub. 6. Ad illa verba, Psalm. 105. v. 46. *Dedit eos in misericordias inconspectu omnium, qui ceperant eos.* Cur dicitur quod Deus fecit, quod hic qui habebant captiuos Hebræos, misericordes se exhiberent captiuatis Hebræis: cum *Isaiæ* 10. *vers.* 7. dicatur de Sennacherib. *Ad in-*

internecionem erit cor eius, & Threnor. 4. vers. 16. legitur: *Neque senum miserti sunt*, quæ nam ergo fuit misericordia Dei, quam dedit eis inconspectu eorum qui eos captiuauerunt. Dicunt aliqui, quod hæc misericordia quam dedit Deus Hebræis in captiuitate, consistit in hoc, quod inimici eorum exaltabant eos, & Deus apud illos faciebat Hebræos gratiosos. Cur Deus fecit gratiosos Hebræos apud inimicos suos, qui eos in seruitutem redigerunt?

Deus suis mittit consolationes inter labores.

Respondetur: Quod Deus quos sinit vexari, laboribusque premi, præstat inter labores consolationes: Hinc cum Hebræi premerentur crudelissimo seruitutis iugo, gratos fecit eos Deus apud inimicos suos, in tantamque eorum gratiam eos peruenire fecit, vt ab inimicis quibus gratiosi erant exaltarentur, vt patet de multis qui fuerunt in captiuitate: Hinc dicit Dauid, quod Deus dedit Hebræos in misericordias inconspectu omnium qui cœperant eos, scilicet, vt sortirentur gratiam inimicorum, & exaltarentur ab eis, vt gratiosi facti inimicis, in captiuitate consolarentur hac gratia, & misericordia Hebræi. Deus enim suis mittit consolationes inter labores. Incognitus: *Dedit eos in misericordias inconspectu omnium qui cœperant eos, quia illi met inimici, qui eos capiebant, illos captiuos misericorditer exaltabant, vt patet de Manasse Rege Iudæ, quem de captiuitate in Regnum suum restituit. Ioachim Rege Iudæ, quem Rex Babylonis de carcere eduxit, & ipsum inter maioris sui Regni constituit. De Daniele in captiuitate posito, quem Rex Babylonis super totum Regnum exaltauit. De Tobia, cui in captiuitate posito, dedit Deus gratiam inconspectu Salmanasar Regis Assyriorum. Et sic de Mardochæo, de Hester Regina, & de multis alijs quos mirabiliter inconspectu illorum, qui eos cœperant faciebat gratiosos.*

Dub. 7. Ad illa verba, Iob. 33. vers. 29. *Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos.* Quæ nam sunt quæ Deus operatur in peccatore tribus vicibus.

Deus prius mœrore quã consolationem, & lætitiam suis infundit.

Respond. Hugo Cardinal. *Quod de homine flagellato, & liberato dixit parum Elihu hic vers. 20. abominabilis fit ei in vita sua panis, & appropinquauit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis vers. 22. & postea adiunxit, v. 26. Deprecabitur Deum & placabilis erit ei, & videbit faciem eius in iubilo, & liberauit animam suam, ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret, in quibus verbis prius mœror amaritudinis, postea lætitia securitatis exprimitur modo dicit Elihu hæc omnia, id est, mœrorem & lætitiam operatur Deus tribus vicibus per singulos, quasi dicat: quod semel de vno homine dixi, hoc tribus vicibus, id est, in tribus statibus agitur per singulos homines.* Tres enim sunt status in quibus quilibet iustus, primo anxietate mœroris afficitur, deinde lætitia securitatis reficitur, id est, in conuersione, in probatione in morte: *Inconuersione enim grauis mœror est, cum aliquis peccata sua considerans vult sæculum dimittere, & viam Dei ambulare, sed occurrit ei illa sua familiaris delectatio carnalis, quam quanto diutius tenuit, tanto arctius astringit. & tardius abire permittit. Magna hæc anxietas, vt recte de tali homine dicatur: abominabilis fit ei in vita sua panis, sed quia Diuina gratia diu hominem hac anxietate affici non permittens, iuxta quod dicitur 1. Corint. 10. fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari, cito peccatorum ruptis vinculis, nouam consolationem inducit, sicut dicit Psalmista, secundum multitudinem dolorum in corde meo, & Tob. 4. post tempestatem tranquillum facies, & post lachrimationem, & fletum exultationem infundis, ita vt conuersi animus magis postea gaudeat de consolatione, quam prius doluerit de anxietate, vt recte de eo dici debeat: deprecabitur Deum, & placabilis ei erit, & videbit faciem eius,* sed iterum ne lætitia extollat, & securitas sternat, dispensante Deo permittitur, vt post conuersionem stimulis tentationum fatigetur. *Vnde Ecclesiastici 2. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationes, & post baptisma, & post ieiunium Dominus tentari voluit, vt nobis innueret, quod membra eius post conuersionem ad Deum acriores tentationes tolerarent, inter quæ certamina anima huc atque illuc distenditur, & multiplicibus tentationum æstibus dissipatur, ita vt recte dutur de ipso homine sic temptato: abominabilis fit ei in vita sua panis, sed quia Deus misericors est, & probari tentationibus nos permittit non reprobari cito consolationem infundit, & pugnam tentationum interna pace tranquillat, vt recte iterum de homine temptato, & iam liberato dici possit; deprecabitur Deum, & placabilis erit ei.* His duabus vicibus, scilicet, conuersionis, & probationis transactis, superest tertia, *in qua, & mœrorem prius sustineat, & deinde gaudium subsequatur post conuersionis enim certamina, post probationis*

Homo in cõuersione primo mœrore afficitur, deinde lætitia consolatur.

Tentatis tentationẽ pugnam interna pace consolatur, & tranquillat.

Iusti in morte prius mœrorem sustinent, de inde consolatio subsequitur.

tionis ærumnas, morti appropinquans tacitè considerans iudicis sæueritatem, & qualiter ei poterit respondere, quia etiam de verbo otioso exiget rationem, vt dicitur Matth. 12. Qui nemini parcit, vt dicitur Sapient. 6. cui omnia nuda sunt, & aperta, vt dicitur Hebr. 4. quod attendens iustus quilibet vrgente morte mirabiliter angustiatur, vt recte de illo dicatur, abominabilis sit ei in vita sua panis, sed iterum, quia animæ iustorum à leuibus contagijs, si qua habent, mortis pauore purgantur vt dicit D. Gregorius, cito in contemplatione quadam retributionis æternæ hilarescunt, & etiam ante mortem cuiusdam noui muneris lætitia perfruuntur, vt recte dici debeat, deprecabitur Deum, & placabilis ei erit, & videbit faciem eius in iubilo. Bene ergo Eliu hominis afflicti, & liberati prius mærorem, & postea lætitiam exprimens subiunxit: ecce hæc omnia mærorem, & lætitiam operatur Deus tribus vicibus, scilicet, in conuersione, in probatione, & morte per singulos. quia quilibet iustus ad Deum conuersus primo duris stimulis mæroris afficitur, & postea magnis securitatis gaudijs refouetur.

CAP. XXVI.

De Conscientia.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 4. vers. 7. *Nonne si bene egeris, accipies, si autem male, statim in foribus peccatum aderit.* Quid Deus voluit ostendere Cain̄o per hanc emphaticam locutionem: quod scilicet, si male egerit Cainus statim in foribus peccatum aderit?

Peccator statim, ac peccat, conscientia peccati loco pœnæ torquetur, vnde conscientiæ remorsus grauissimū tormentū est.

Respondetur: Quod peccator statim, ac peccat, scelerum conscientia eum vexat, & exagitat. Hinc Dominus dicit Cain̄o, quod si male egerit, statim in foribus peccatum aderit agitans stimulans, torquens conscientiam. Impius enim statim, ac peccat conscientia peccati torquetur. Maluenda: *Quidam notant valde emphaticam hanc esse locutionem, qua ostendit Deus nihil fore ipsi Cain̄o magis aduersum, quam proprium ipsius peccatum, quod intus alebat, ac fouebat, ac si diceret: Nihil tua obstinatione profueris: nam vt te non persequar, aut puniam: peccatum tuum, nihil relaxationis, aut quietis dabit tibi, quin te semper acriter pungat, exagitet, persequatur, vrgeat, cruciat, neque vlla patietur elabi, quantumcumque dissimules peccatum: cum ad exitum venies, illic peccatum occurret, suas in ostio excubias agens, tunc deprehendetur conscientia tua, quæ se prius solutum, & liberam putabat, & duplices moræ pœnas persoluet. Nempè quod Poeta dixit: Nocte die que suum gestare in pectore testem.*

Dub. 2. Ad illa verba Genes. 44. v. 16. *Deus inuenit iniquitatē seruorum tuorū.* Cur cum Iudas loquitur Ioseph̄o, in periculoque versatur coram ipso, statim memoratur criminis admissi, & inhumanitatis in fratrem?

Peccator in periculis, & agone, subitaneo remorsu cōscientiæ torquetur: tunc enim peccata in memoriam veniunt.

Respondetur: Quod peccator conscientiæ remorsum habet in periculis subitaneis. Hinc cum Iudas versaretur in repentino periculo coram Ioseph̄o, quod eum, & fratres in seruos, & seruitutem redigeret, statim obiecta fuit ei memoria criminis, & inhumanitatis admissæ in fratrem: Peccator enim in periculis repentinis, & improuisis, remorsu conscientiæ exagitatur. Maluenda: *Melius alij, quod in summis periculis soleat statim obijci memoria criminum admissorum aiunt isti: Inuenit Deus tandem tempus quo pœnas à nobis exigat propter inhumanitatem in fratrem admissam. Nam in primo agone, quod primum illis in mentem venit, fuit venditio fratris, Genes. 42. vers. 21.*

Dub. 3. Ad illa verba: Deuteronom. 23. v. 9. *Quando egressus fueris aduersus hostes tuos in pugnam, custodieste ab omni re mala.* Cur pugnatoris præcipue bona conscientia inculcatur?

Bona conscientia opus est bellis fœliciter gerendis.

Respondetur: Quod bellis fœliciter gerendis, nihil magis quam militum turbatio, ac trepidatio inuenitur: hæc autem, vt procul amandetur, necesse est, vt bona conscientia diligenter excolatur, habeaturque integritas animique innocentia: Hinc aduersus hostes dimicaturis bona conscientia, iustitia, & pietas commendatur, vt milites satis fœliciter prælientur, prælijsque secundis vtantur, bona conscientia rem bellicam gerant. Hugo Cardinalis: *Docuit supra Moyses obseruanda tempora pacis, hic docet tempore belli abstinendum esse à vitijs: inde enim dicuntur castra, quia ibi quasi castrati viuere debemus: in castris enim viuendum est sicut in claustris vnde est quod Vrias abstinuit ab amplexibus vxoris, licet Dauid compelleret 2. Reg. 11.*

Dub. 4. Ad illa verba: Psalm. 29. vers. 13. *Vt cantet gloria tibi mea.* Id est, anima mea. Cur Dauid vocat animam suam?

Bona conscientia in hoc mundo fruitur æternæ gloriæ.

Respondetur: Quod Dauid habebat bonam conscientiam nullis, scelerum morsibus punitam, & laceratam: Hinc eam

cam vocat gloriam suam, quasi bona conscientia in hoc mundo fruatur ę eterna gloria. Lyranus: *Gloria mea, id est, conscientia pura. 2. ad Corinth. 1. Vers. 12. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.*

Dub. 5. Ad illa verba, Iob 13. vers. 18. *Si fuero iudicatus scio quod iustus inueniar.* Cur dicit Iob quod cognouit se iustum esse, cum *cap. 9. Vers. 21.* dicat: *Etiamsi simplex fuero hoc ipsum ignorauit anima mea,* & in hoc *cap. Vers. 15.* ait: *Veruntamen vias meas in conspectu eius arguam.* Et *Ecclesiasticus cap. 9.* dicit: *Nemo scit an amore, vel odio dignus sit.* Quomodo ergo cognouit Iob se esse iustum.

Conscientia bona testimonium dat iustitiæ coram Deo.

Resp. Quod Iob non certitudinaliter hoc cognouit, sed quadam coniectura, testimonio prohibente bona conscientia, quam nullis moribus angi, nec perturbari sciebat: hinc dicit quod si fuerit iudicatus, iustus inuenietur coram Deo. Conscientia enim bona testimonium dat iustitiæ coram Deo. Hugo Cardinalis: *Hic loquitur Iob secundum testimonium conscientiæ suæ, id est de coniectura, non de certitudine. Rom 8. Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus Filij Dei. Quod autem obijcitur, intelligitur de certitudine scientiæ, qua nemo scit finem suum.*

Dub. 6. Ad illa verba, Psalm. 1. vers. 5. *Non resurgent impij in iudicio.* Cur dicit Dauid quod impij non resurgent in iudicio, cum *Matth. 12. Vers. 41.* dicat Dominus: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio*, sed isti fuerunt impij, ergo resurgent impij in iudicio.

Peccatores conscientiam suam non explorant, nec examinant.

Respondet. Quod surgere in iudicio est conscientiam excutere, eam explorare, iudicare repetere noctu omnia acta dici, vel quid die egerit commemorari vesperi; ideo dicit quod impij non resurgent in iudicio; scilicet, discussionis conscientiæ, *Vt Glossa ait.*

Dub. 7. Ad illa verba, Lucæ 12. vers. 58. *Cum autem vadis cum aduersario tuo ad Principem in via da operam liberari.* Quis ille aduersarius à quo homo debet dare operam liberari?

Peccator cū sistitur ante iudicem, curet à remorsu conscientiæ liberari.

Resp. Quod aduersarius hominis est mala conscientia quæ nullo carnifice saeuius punit propter morsus, quibus angitur; ideo dicit Dominus quod cum vadis cum aduersario, cures vt libereris, id est, cum in hac vita ambulas, des operam ab illius morsibus liberari, & eripi. Homo maximè debet operam dare, ne morsibus conscientię exagitetur. Caietanus: *Aduersarij nomine intelligitur sindereſis, quæ continuo aduersatur mordendo, stimulando animum praue agentis, præcipuè extantibus in promptu rationibus malæ actionis. Propter quod significantius describitur ire simul cum illo in via, quoniam est individua comes remordens ratio, stimulansque conscientia. In via da operam liberari, prout libereris ab illo, optimum ac solum consilium est, Vt dum is in via huius vitæ, libereris à conscientiæ remorsu.*

Dub. 8. Ad illa verba, Actorum 23. vers. 1. *Ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum, vsque in hodiernum diem.* Cur dicit Apostolus quod conscientia bona conuersatus fuit ante Deum, vsque in diem hodiernum, cum *Galat. 1. Vers. 13.* dicat de se ipso, *supra modum persequebar Ecclesiam Dei*, non ergo conuersatus fuit ante Deum omni conscientia bona.

Solent homines malum agere, nectamen conscij sibi sunt nisi boni.

Resp. Quod licet Apostolus erraverit Ecclesiam persequendo, ab accusatrice conscientia minimè arguebatur huius criminis, imò putabat se bonum agere, nec conscius erat sibi mali, sed boni; hinc dicit quod omni conscientia bona conuersatus fuit ante Deum, vsque in hodiernum diem. Solent homines malum agere, nec tamen conscij sibi sunt, nisi boni. Hugo Cardinalis: *Ly bona potest sumi materialiter, & est sensus, id est, conscientia boni, quia licet erraret, non erat conscius sibi nisi boni. 2. Timoth. 1. Ignorans persecutus sum.* Vide in Indice *Conscientia.*

D

CAP. XXVII.

De Damno.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 17. vers. 12. *Omnis masculus in generationibus vestris circumcidetis.* Cur solis viris data fuit circumcisio?

Resp. Quod renouatio, & purgatio peccati originalis, qualis fiebat per circumcisionem per hominem debebat fieri, quia per hominem peccatum originale intrauerat: ideo soli viro man-

Adferat remedium qui damnum intulit.

mandatur circunciſio, vt per quem damnum allatum fuit, remedium inveheretur. Auferat ſalutem, & remedium, qui damnum intulit. Caietanus in margine: *Quia per vnum virum peccatum in Orbem intrauerat, per vnumq; virum tollendum erat: ideo circunciſio innouationis, atque purgationis ſimbolum, ſolis viris dabatur.*

Dub.2. Ad illa verba, Geneſ. 49.v.6. *In cœtu illorum non ſit gloria mea.* Cur dicit Iacob quod non gloriabatur de occiſione Sichimitarum, cum *Geneſ. 48. verſ. 22.* gloriando ſe dixit filio ſuo Ioſeph: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Gloriabatur ergo de occiſione Sichimitarum: dicunt aliqui quod per gloriam intelligitur hic, honor, dignitas, & grauitas Iacob. Quæres ſi per gloriam intelligitur auctoritas Iacob, quid eſt hoc quod dicit quod dignitas, & gloria eius non fuit in cœtu Simeonis, & Leui, qui occiderunt Sichimitas?

Violatur auctoritas magni viri, ſi ad damna inuehenda conueniat cum malis

Reſp. Quod Iacob credebat, & benè, quod multum violaretur ſua dignitas, & auctoritas, ſi adunaretur cum Simeone, & Leui ad damna inferenda Sichimitis: hinc dixit quod eius gloria, & auctoritas non fuit in cœtu Simeonis, & Leui ad Sichimitas interficiendos. Violatur enim multum honor, dignitas perſonæ magnæ auctoritatis, ſi conueniat cum malis ad damna inferenda. Maluenda: *Aptior ſenſus eſt, vt deteſtetur hic Iacob indignum illud, & atrox facinus iſtorum, quo Sichimitas deleuerunt: ac ſi dicat: abſit à tali concilio animus meus; & grauitas mea, ſeu dignitas, & auctoritas non vnietur, aut adunabitur, ſeu conturabit cum illis.*

Dub.3. Ad illa verba, Exodi 7. verſ. 22. *Fecerunq; ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis.* Vnde malefici Pharaonis habuerunt a quam puram, quam in ſanguinem conuerterent, cum in hoc cap. *Verſ. 20.* dicat Sacer textus de Aarone: *Eleuans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in ſanguinem*, non ergo habuerunt malefici Pharaonis aquam puram, quam in ſanguinem conuerterent, cum omnes in ſanguinem mutatæ eſſent.

Malus ad manum habet, quo eget ad documentũ adferendum

Reſp. Quod Magi Pharaonis rubricauerant aquam allatam de Geſſen quam Iraelitæ puram habebant, & malefici rubricarunt, vt ea incantationibus rubricata, nocumentum adferrent: hinc dicitur quod malefici fecerunt ſimiliter incantationibus ſuis conuerſo aquas in ſanguinem. Malus enim in promptu, & ſub manum habet, quo eget ad nocumentum inferendum Hugo Cardinalis: *Alij dicunt quod de terra Geſſen allata eſt aqua illa quam magi rubricauerant; ſicut enim Ægyptij operti fuerunt in Ægypto tenebris, & tamen filij Iſrael in Geſſen lucem habebant: ita aquas habebant puras cum aquæ Ægypti omnes mutatæ eſſent in ſanguinem.*

Dub.4. Ad illa verba, Leuitici 13. v. 2. *Homo in cuius cute, & carne ortus fuerit diuerſus color, & plaga lepræ adducetur ad Aaron Sacerdotem.* Cur quando dubia erat lepra nominis mittebatur homo ad Sacerdotem, cum ſufficeret quod miteretur, quando certo cognoſcebatur leproſus?

Damnum communitati imminendum ſubdubio eſt, præcauendũ eſt, & præſenti obuiandum

Reſpond. Quod in peccatis ſcandalum parientibus, & communitate nociuis, vt remedium adhibeatur, non eſt expectandum ad damnum præſens, & de facto illatum, ſed etiam futurum eſt præcauendum, etiam ſignis ſolum ſuſpicionem, & probabilitatem ingerentibus: hinc non ſolum leproſus iubebatur ad Sacerdotem mitti, ſed qui ex aliquo ſigno, videlicet ex mutatione coloris leproſus videbatur. Damnum enim communitati imminens, cum ſub dubio eſt, præcauendum eſt, & præſenti obuiandum. Abulenſis: *Nam in his etiam modica ſuſpicio recipiebatur propter periculum, ſcilicet, quia lepra eſt morbus contagioſus, nociuus, & ob hoc vt non inficerentur alij ab eo, qui leproſus erat, qualiſcumque ſuſpicio de lepra ſufficiebat, vt præſentaretur aliquis Sacerdotibus, vt videretur ſi leproſus erat: & hoc ſatis conueniens erat, quia iſtæ leues, non faciebant, vt aliquis iudicaretur eſſe leproſus, ſed ſolum vt præſentaretur Sacerdotibus, vt videretur ſi erat leproſus.*

Dub.5. Ad illa verba, Iudicum 3. v. 16. *Accinctus eſt eo ſubter ſagum in dextro femore.* Dicunt Hebræi quod Aod accinxit ſe gladio in dextro femore, quia melius iuuabat ſe de ſiniſtra, illi autem qui melius iuuant ſe de dextera cingunt gladium ad partem ſiniſtram: diſquires ſi Aod æqualiter ſe iuuabat de vtraque manu, cur non accinxit gladium ad ſiniſtram, ſed ad dexteram?

Qui alteri damnum infligere vult, verſute, & diſſimulanter procedit

Reſp. Quod Aod volebat procedere ad patrandam cædem, interficiendumque Egion diſſimulanter: hinc gladium accinxit ad dextram indicans ſe

se armis inexpertum, vel vt gladius non appareret. Qui alteri damnum infligere vult versute, & dissimulanter procedit. Lyranus: *Secundum translationem nostram quæ dicit quod æqualiter se iuuabat de vtraque manu, dicunt Expositores, quod hoc fecit ad hoc, vt minus appareret gladius, vel vt videretur in armis inexpertus.*

Dub. 6. Ad illa verba, 1. Reg. 14 ver. 13. *Alij cadebant ante Ionatham, armiger eius interficiebat sequens eum.* Quo instrumento armiger Ionathæ interficiebat Philisthæos: cum 1. *Reg.* 13. *Vers.* 22. legatur: *Cumque venisset dies prælij, non est inuentus ensis, & lancea in manu totius populi qui erat cum Saule, & Ionatha.* Si ergo non est inuentus ensis, nec lancea, quibus armis armiger Ionathæ deleuit Philisthæos.

Nostri sunt, de terra nostra, & patria, & cognatione, qui assumuntur ad perniciē nostram.

Resp. Quod armiger Ionathæ interficiebat Philisthæos gladijs ipsorum hostium, quos relinquebant, quia in Israel non erat gladius, nec lancea, & arma de terra Philisthinorum sumpta fuerunt ab armigero ad Philisthæos perimendos. Nostri enim sunt, de terra nostra, de patria nostra, & cognatione nostra assumuntur, vt qui nobis noceant. Maluenda: *Alij cadebant ante Ionatham ab eo videlicet cæsi, armiger quoque eius morte afficiebat post eum sumptis nimirum armis ab aliquo ex interfectis, nam alioqui ijs carebat ipse.* 1. *Reg.* 13. *Vers.* 22.

Dub. 7. Ad illa verba, 2. Reg. 15. v. 8. *Vadam, & reddam vota mea.* Qua intentione Absalom voluit ire in Hebron vota sua redditurus Deo?

Iniqui Religione, & pietate simulata infesti sunt homini.

Resp. Quod Absalom finxit ad implctionem voti in Hebron, quæ erat extra Ierusalem, vt commode posset coniurationem contra patrem suum conceptam exequi, & perficere: ideo dixit, vadam, & reddam vota mea quæ voui Domino in Hebron, specie, & simulatione Religionis contra patrem conspirabat. Iniqui enim Religione, & pietate simulate infesti sunt homini. Lyra: *Locus enim ille Sanctus reputabatur eo quod quatuor Patriarchæ principales sunt ibi sepulti cum suis coniugibus; scilicet, Adam, & Eua, Abraham, & Sara, Isaac, & Rebecca, Iacob, & Lia; & ideo Absalom fingebat illuc ire ex deuotione, sed principaliter intendebat ibidem contra patrem conspirare, quia locus iste distat à Ierusalem per sexdecim milliaria secundum. D. Hieronymum lib. de distantijs locorum, & ideo melius poterat ibi fautores suæ conspirationis aggregare.*

Dub. 8. Ad illa verba, Psalm. 117. v. 12. *Circundederunt me sicut apes.* Cur Iudæi occidentes Christum comparantur apibus, non vero alteri ex volatilibus?

Qui damnū alteri infert, in se ipsum arma cōuertit, sibi iniurius est.

Resp. Quod apes pungendo alios se ipsas euiscerant, & sibi iniuriæ sunt: hinc apibus comparantur Iudæi occisores Christi, quia vt Christum pungerent clauis passionis, se euiscerauerunt, & animas suas perdiderunt. Qui enim alteri damnum infert sibi ipsi iniurius est, & capiti suo damnum capitale creat. Caietanus: *Assimilantur occisores Christi apibus: eo quod sicut apes aculeis lædendo parum offendunt læsos, & se ipsas necant, aut eneruant, inutiles se deinceps reddentes, ita Iudæi circundantes Christum parum læserunt Christum, quia intra triduum resurrexit immortalis, gloriosus. Sibi ipsis autem ex percussione Christi intulerunt maximum damnum non solum æternæ damnationis, sed in hac vita destructionis Ierusalem, captiuitatis propriæ, ac dispersionis irreparabilis.*

Impius dum alteri nocet, non sibi, sed alijs comparat vtilitatē.

2. Resp. Quod apes alijs mellificant non sibi: ideo apibus comparantur Iudæi, quia non sibi, sed nobis mellificauerunt dulcedinem in Christi passione. Impius dum alteri nocet, non sibi, sed alijs comparat vtilitatem. Hugo Cardinalis: *Apes mellificant alijs non sibi, sic Iudæi mellificauerunt nobis dulcedinem in passione Christi, & ipsum nobis dulciorem fecerunt. Vnde eis potest dici, sic vos non vobis mellificatis apes.*

Qui alteri damnum parat, si solus sit trepidat, in multitudine audet.

3. Resp. Quod apes densæ, & mixtæ magnum glomerantur in orbem, ita Iudæi contra Christum in magna multitudine. Maluenda: *Circundederunt me, sicut apes, id est, plurimis, ac confertis agminibus circumquaque: sic Deuteronom.* 1. *Vers.* 44. Vide in Indice *Damnum.*

CAP. XXVIII.

De Dante, & Recipiente.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 33. v. 10. *Noli ita obsecro, sed si inueni gratiam in conspectu tuo, accipe munusculum de manibus meis.* Cur Iacob vocat munusculum, cum magnum esset donum?

Dona etsi in se sint magna, in reputatione tamen dantis, parua habēda sunt.

Resp. Quod dona etsi magna sint in se, in æstimatione offerentis illa, parua reputanda sunt, quia hoc attinet ad gloriam, honorem, & exaltationem eius, cui offeruntur: ideo licet donum quod lar-

largiebatur Iacob esca esset magnum, tamen Iacob vocat munusculum, vt tali modo loquendi Esau excellentiam commendaret. Dona enim etsi in se sint magna, reputatione tamen dantis parua reputanda sunt. Abulensis: *Vocat enim hoc munusculum, sed satis est magnum munus, & solemne, si consideretur in superiori capite. Est tamen modus humiliantis se, & non reputantis facta sua, & sic gratiosa sunt magis ipsis recipientibus, quam si dantes iactarent laudando munera sua, quia tacite extollitur sic, vel deprimitur persona illa, cui datur munus. Nam si est munus magnum, & dicimus illud esse paruum signatur esse persona recipientis magna, cum illud munus magnum in comparatione eius paruum sit. E conuerso autem fit, si dicimus munus esse magnum quia significamus personam recipientem esse paruæ dignitatis.*

Dub. 2. Ad illa verba, Numeror. 11. vers. 17. *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis vt sustentent tecum onus populi.* An spiritus Moysi imminutus fuerit, vt daret Deus septuaginta senioribus?

Non detrahendum est ab aliquo quod habet, vt alteri detur,

Respondetur. Quod Deus non abstulit de spiritu Moysis, vt daret septuaginta senioribus, qui sustentaturi erant onus populi, sed extendit spiritum Moysi sine imminutione spiritus Moysi, sicut ex lumine candelæ aliæ accenduntur sine imminutione ex parte luminis candelæ. Non enim detrahendum est ab aliquo quod habet, vt alteri detur. Maluenda: *Et auferam de spiritu tuo, grandibo, vel magnificabo de spiritu tuo, extendam in matus, seu in plures, vt indicetur nulla imminutio, aut detractio spiritus Moysis, sed extensio, & diffusio in plures, vtuntur Hebræi satis apto exemplo, vt si ex lumine vnius candelæ plures aliæ accendantur, priore nulla ex parte imminuta.*

Qui dat, maior est eo qui recipit.

2. Resp. Quod qui alijs dat maior est illis, & qui recipiunt ab aliquo, minores sunt illo, quoniam inter dantem, & recipientem, maioritas stat pro dante, non pro recipiente: hinc non dixit Dominus quod daret de spiritu tuo senioribus populi, sed de spiritu Moysi, vt ostenderet excellentiam Moysis super alios, in hoc quod Moyses dabat de spiritu tuo, & alij recipiebant. Dare enim superius est quam recipere, vnde qui dat maior est illo qui recipit. Abulensis: *Tertio, & principaliter fuit ad honorem Moysi, vt non inuideret alicui: nam cum nunc conquereretur, quod non posset sustinere onus totius populi, & Deus ad prouidendum ei, daret viros qui regerent, putaretur forte quod illi erant excellentiores Moyse, cum possent id, quod ille non poterat, sed Deus volebat quod non crederetur hoc, vt videretur Moyses semper manere, vt maior in populo ideo non dixit dabo eis de spiritu meo, ne per hoc intelligeretur, quod dabat eis aliquem nouum spiritum, vel maiorem, quam esset in Moyse, sed dixit auferam de spiritu tuo, quasi dicat: tu eris principalis, quia de tuo illi accipient.*

Dub. 3. Ad illa verba, Iosue 16. v. 2. *Et egreditur de Bethel Luza.* Cur dicitur quod Sors filiorum Ioseph egreditur de Bethel in Luzam tanquam de diuersis locis: cum *Genes. 28. vers 19.* Bethel prius appellata fuit Luza: *Appellauitque nomen vrbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur.* Et *Genes. 35. ver. 6.* de eodem Iacob dicitur: *Venit igitur Iacob Luzam, quæ est in terram Chanaam cognomento Bethel.* Quomodo ergo verum est quod Sors filiorum Ioseph egressa fuit de Bethel in Luzam tanquam de duobus locis, cum Bethel, & Luza idem locus, & Ciuitas sit.

Bonus Princeps, non restrictus sit, sed largus erga suos.

Respondetur. Quod licet Bethel, & Luza idem locus sit, tamen Sors filiorum Ioseph egressa est de Bethel in Luzam, non tamen ibi est finis eius, sed vltra progreditur Sors filiorum Ioseph, cum Iosue non dederit eis parcè terram, nec nimis restrictus fuerit in largiendo eam: hinc cum dicitur quod Sors filiorum Ioseph egreditur de Bethel in Luzam, intelligendum est quod vltra Luzam progreditur, alias cum Bethel, & Luza sit eadem Ciuitas parcissimè se haberet erga eos Iosue dando pro sorte vnam Ciuitatem. Bonus enim Princeps non restrictus sit, sed largus erga suos. Hugo Cardinalis: *Egreditur de Bethel, id est, de Luza. Luzam, id est, extenditur de Luza, vltra Luzam, quasi dicat, Sors filiorum Ioseph, vsque ad Bethel extenditur, sed non est ibi finis, imò transit vltra.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 17. v. 14. *Quare dedisti nobis possessionem sortis, & funiculi vnius, cum sim tantæ multitudinis.* Cur filij Ioseph dicunt quod Iosue dedit eis sortem, & funiculum vnum, cum Ephraim filius Ioseph habuerit funiculum suum, & Manasses alter filius suum, vt patet in hoc *cap. v. 6. vsque ad 11.* non ergo benè quæruntur de Iosue quod dedit eis funiculum, seu sortem vnam.

Qui dat, multum dare, qui recipit, paucum recipere sibi videtur.

Respondet. Quod licet filij Ioseph, Ephraim, & Manasses quilibet haberet suam sortem, tamen pauca, & exigua illis videbatur: ideo dicunt Iosue, quare dedit eis funiculum, seu sortem vnam. Qui enim dat, multum dare, qui vero recipit, paucum, & minimum recipere sibi videtur. Hugo Cardinalis: *Ideo dicit sortis, & funiculi vnius, quia parum videbatur eis, quod datum erat illis cum essent tantæ multitudinis.*

Quod datur in diuise, nec seorsum ab alijs, pro pauco, & exiguo extimatur à recipientes

2. Respondetur. Quod Eprahim habebat Ciuitates in medio Manasse indiuise vnius ab alio: hinc vnum funiculum, seu sortem dicunt sibi datam. Quod enim datur indiuise, nec seorsum, & separatim ab alijs pro exiguo, & pauco extimatur. Hugo Cardinalis: *Ideo dicitur vnius, quia Eprahim habebat Ciuitates in medio Manasse, vt patet hic vers. 9. & ita indiuisa erat sors eorum, quare pro vna reputatur.*

Dub. 5. Ad illa verba, 1. Reg. 1. vers. 25. *Et immolauerunt vitulum.* Cur dicitur quod parentes Samuelis immolauerunt vitulum, cum in hoc capite vers. 24. dicatur, quod tres vitulos adduxerunt, *& adduxit eum secum postquam ablactauerat in vitulis tribus.* Tres ergo vitulos mactauerunt, non vnum.

Deo quod plus est debet dari, homini, vero quod minus est.

Respondetur. Quod parentes Samuelis obtulerunt duos iuuencos, seu vitulos Deo in sacrificium, quod statutis festiuitatibus fiebat, tertium vero pro consecratione pueri Samuelis: hinc dicitur quod immolauerunt vitulum, & adduxerunt tres vitulos, duos pro Deo in sacrificium, vnum seu tertium pro Sacerdote Heli, cui puerum educandum tradebant. Deo enim quod plus est, homini vero quod minus est debet dari. Maluenda: *Nonulli aiunt duos alios iuuencos in sacrificium factos, quod statis festiuitatibus peragebatur, tertium hunc pro traditione, & consecratione pueri mactatum, vnde reddunt: Mactauerunt iuuencum cum adducerent puerum ad Helim.*

Dub. 6. Ad illa verba, 1. Reg. 1. vers. 24. *Et adduxit eum secum in vitulis tribus, & tribus modys farinæ.* Iuxta Hebræum habetur vnicus tantum modius farinæ. Quæres an Elcana, & Anna obtulerunt modium farinæ Deo, vel Heli?

Homo parcus in Deū, largus in homines.

Resp. Quod obtulerunt partem farinæ cum vitulo Deo, Heli vero dederunt, residuum cum duobus vitulis. Homines enim parci sunt in Deum, liberales vero in homines. Hugo Cardinalis: *Potest dici quod non totam illam farinam obtulit, sed partem dedit Sacerdoti, vt libenter susciperet puerum in ministerio. D. Hieronymus dicit: Quod littera corrupta est hic, & vbi nos habemus tres modios, Hebræus habet, & modio farinæ, cuius partem obtulit cum vitulo, residuum cum duobus vitulis dedit Sacerdoti.*

Dub. 7. Ad illa verba, 1. Reg. 1. vers. 5. *Annæ autem dedit partem vnam tristis.* Alij legunt: *Partem vnam facies,* id est facie benigna, vt exponit *Maluenda.* Cur Elcana placidum se ostendit dando partem vnam Annæ?

Homo benevolo vultu, & placido largiantur munera, vt placidus vultus suppleat defectum doti.

Resp. Quod Elcana volebat defectum multarum partium supplere iucunditate vultus: hinc grato, & benevolo vultu dedit Annæ partem vnam. Facies enim placida, & benigna dantis, supplet defectum dati. Caietanus: *Dicitur interpretata tristis iuxta Hebræum sonat facies: Ab alijs hæc referentibus ad virum, dicitur quod Elcana dedit partem vnam, sed facie benigna, quia Annam diligebat, ita quod defectum multarum partium suppleuit iucunditate vultus.*

Dub. 8. Ad illa verba, ad Ephes. 1. v. 1. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre, & Domino Iesu Christo.* Cur Apostolus posuit Doni sufficientiam; scilicet, *gratia, & pax,* & datoris potentiam, scilicet, à *Deo Patre*, & mediatoris excellentiam, ibi, *& Domino Iesu Christo?*

Donum extimatur cum est sufficiés, & cum datur à Rege, & per mediatorem magnæ autoritatis.

Respondetur. Quod donum gratissimum est, & per iucundum, cum sufficiens est, vel quando datur à Principe, vel quando per nobilem nuntium datur, v.g. per Filium: ideo Apostolus implicauit hic tria donum quolibet gratificantia, doni sufficientiam cum dicit, *gratia vobis, & pax*, datoris potentiam, cum dicit *à Deo Patre*, mediatoris excellentiam, cum ait, *& Domino Iesu Christo.* Donum enim extimatur si detur sufficiens, si à Principe, si per magnæ auctoritatis mediatorem. D. Thomas: *Tunc enim gratum est donum quando sufficiens est, quod datur, quando à potente datur, vt quando à Rege, vel Principe datur, quando per solemnem nuntium datur, vt per filium. Dicit ergo gratia; scilicet, iustificationis à culpa, & pax, id est, tranquillitas mentis, vel reconciliatio ad Deum, quoad liberationem à debita pœna pro offensa, vobis suppleſit; ex hoc scilicet, à Deo Patre*

Vnusquisque manifestatur in donis, quis est.

trenostro à quo bona cuncta proceduntur. Iacobi 1. Omne datum optimum, & Domino Iesu Christo, sine quo nulla dona dantur. Ideò ferè omnes orationes finiantur per Dominum nostrum Iesum Christum, Spiritum Sanctum non nominat, quia intelligitur in donis sibi appropriatis, quæ sunt gratia, & pax.

CAP. XXVIIII.

De Defectibus.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 2. *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* & ibi legunt: *Terra erat inordinatio, indigestio, obscuritas, tenebrositas, caligo.* Cur tot terræ defectus dicuntur simul?

Cum aliquis defectus de aliquo narratur, non sistitur vsquo quo omnes quos habuit, & habet referantur.

Respondetur. Quod terra habebat inordinationem, seu indigestionem, & vacuitatem ab omni semine vegetabilium, & omni vena mineralium, omni herba, & virgulto, similiter tenebrositatem, obscuritatem, caliginem, & sine luce omnia erant rudia, indigesta, & in chaos abibant: hinc Moyses describens dispositionem terræ in qua fuit, tunc multos defectus quos habuit terra refert, quod fuit vacua, inordinata indistincta, tenebrosa, obscura. Cum enim aliquis defectus de aliquo narratur, omnes, quos habuit, & habet referuntur simul. Maluenda: *Terra erat indigesta, & inordinata, ac erat materia, seu moles non redacta in ordinem, neque distincta, aut dispersa: quia erat tunc locorum nulla distinctio, nulli montes, nullæ valles, nulli colles, nulla prata, nulli horti, nullus ager, nullæ situæ: sed moles indigesta, rudis, vasta, & tenebræ erant, obscuritas, tenebrositas, caligo.*

Dub. 2. Ad illa verba Genes. 45. v. 4. *Accedite ad me, ego sum frater vester quē vendidistis in Ægyptum.* Cur Ioseph in secunda vice, quale eorum fratrem declarare vult, eos ad se accedere iubet, non vero in prima vers. 3.

Defectus proximorū occultandi sunt, magnalia vero publicanda,

Respondetur. Quod in prima vice volebat dicere aliquid quod erat de excellentia frattum suorum: scilicet, quod erant proregis fratres, & hoc volebat ad aures omnium peruenire, & illud dixit voce alta, quam audierunt Ægyptij, & omnes domus Pharaonis, & quia ad hoc non erat necessarium, quod accederent propè, non vocauit eos ad se: postea vero in secunda vice, qua se fratrem eorum declarare volebat, decreuerat detegere infame facinus eorum, quale fuit venditio ipsius ab eis, & vt hoc crimen occultaret, & ad nullius notitiam perueniret, vocauit eos ad se, & propè accedere iussit, & submissa voce dixit, *quem vendidistis*, ita vt nullus audire posset. Defectus enim proximorum occultandi sunt, virtutes vero publicandæ. Abulensis: *Quem vendidistis in Ægyptum, ista dixit Ioseph submissa voce, ne quisquam audire, aut intelligere posset, quia aliqui erant iam in domo qui linguam Hebream ab ipso audierant, & didicerant. Vocem primam in qua denotabatur fraterna cognitio, voluit Ioseph omnibus esse notam. Patet quia audierunt Ægyptij, & omnis domus Pharaonis, sed secundam in qua notabatur fratrum maligna venditio, voluit esse Ægyptijs occultam, ne eos Ægyptij viros contemptibiles, & sceleſtos iudicarent.*

Dub. 3. Ad illa verba, Numeror. 12. vers. 3. *Quod cum audisset Dominus, statim locutus est ad eum, & ad Aaron, & Mariam.* Cur cum Moyses non audiat voces fratrum detrahentium, vel si audit dissimulet, tamen Dominus audit, & detractores castigat?

Curat Deus punire detractores, licet ille de quo detrahitur, dissimulet detractiones.

Respondetur. Quod Dominus detractores audit, & in eos vindicat: hinc licet Moyses non audiat fratrum de ipso detractiones, vel dissimulet murmurationem; Dominus tamen audiuit, eum defendit, & de fratribus pœnas expetiuit. Curat enim Deus castigare detractores, licet ille, qui calumniatur dissimulet detractionem. Oleaster: *Mirum valde, hoc est, non audit Moyses voces fratrum detrahentium, aut se audire dissimulat, audit tamen Dominus, & detractores castigat. Nemo putet Sanctis se impune detrahere, etiamsi ipsi non audiant, aut non aduertant, imò æquo animo tolerent, & nihil curent, quoniam est Dominus qui audiat, & eos defendat, & detractores graui pœna castiget.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 7. vers. 1. *Filij autem Israel prævaricati sunt mandatum, & vsurpauerunt de anathemate.* Cur dicitur quod omnes filij Isr. el vsurpauerunt de anathemate Iericho chlamydem coccineam, ducentos siclos argenti, regulam auream, cum hic ver. 20. legatur de solo Acham quod vsurpauit de anatemate?

Vidi enim inter spolia, pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli, & abscondi in terra. Ergo cum solus Acham vsurpauerit hæc, non debet imputari præuaricatio omnibus de Israel?

Defectus vnius de Ciuitate, vel communitate in omnes de Ciuitate, vel communitate inducitur.

Respondetur. Quod solus Acham peccauit, patrauitque sacrilegium eripiens prædicta de anathemate, & contra legem constituram, *Iosue* 6. *Vers.* 18. hinc culpa in omnes filios Israel inducitur, omnesque in crimine censentur. Vno enim peccante de aliqua Ciuitate, vel communitate toti Ciuitati, vel communitati peccatum attribuitur. Lyranus: *Licet vnus solus in hoc peccauerit, tamen generaliter dicitur, filij autem Israel præuaricati sunt, eo modo loquendi, quo factum vnius de communitate maxime in malis, toti communitati attribuitur, sicut vno fratre minore peccante publice dicitur fratres minores fecerunt hoc, & per talem modum loquendi, dicitur Matth. 26. De vnguento effuso super caput Iesu. Videntes autem Discipuli indignati sunt, cum tamen vnus solus indigne tulerit; scilicet, Iudas Scarioth, vt habetur. Ioann. 12.*

Dub. 5. Ad illa verba, 3. Reg. 1. vers. 6. *Nec corripuit eum pater suus aliquando dicens: Quare hoc fecisti?* Cur Dauid non corripuit filium Adoniam asperitem ad Regnum?

Defectus dissimulandi sunt, & permittendi secundum qualitatem personæ in quo inuenjuntur.

Respondetur. Quod Adonias ex vanitate, & ostentatione aspirabat ad Regnum, quia filius Regis: hinc prermisit filio suo Dauid: ideo non corripuit Adoniam de hoc facto. Aliqui enim defectus dissimulandi sunt, & permittendi secundum qualitatem personæ, in qua inuenitur talis defectus. Lyranus: *Quod factum Adoniæ quantum exterius apparebat non erat, nisi quædam vanitas, vel ostentatio, quæ satis communiter permittuntur filijs Regum.*

Dub. 6. Ad illa verba, Ecclesiastici 3. vers. 24. *In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus non eris curiosus.* Vnde prouenit nimia curiositas in homine de aliena vita, & defectibus aliorum?

Superbus de alienis defectibus curiosam habet diligentiam.

Respondetur. Quod ex superbia procedit curiositas vitæ alienæ: cum enim superbus se ipsum non consideret, nec proprios defectus, alienæ vitæ, & morum nimia diligentia, & curiositate curiosus peruagatur: hinc dicit Ecclesiasticus, quod inspectis rebus, nolimus scrutari, nec in pluribus operibus aliorum simus curiosi. Superbus enim de alienis defectibus curiosam habet diligentiam. Christostomus Iabelus, Ordinis Prædicatorum, fol. 495. *Superbus dum per vanam imaginationem, atque existimationem propriorum meritorum procedit, se ipsum non considerat, nec probriam mentem curat, factus autem incuriosus sui ipsius, alienæ vitæ, & morum curiosus, ac iudex efficitur, & ad ea quæ ad ipsum non spectant cognoscenda, vel mores, vitiaque aliorum inquirenda se transfert. Hinc inde oculis vagari, capite erecto, auribusque suspensis incedere incipit. Huic gradui Sanctus Benedictus in Monachorum Regula, gradum humilitatis opposuit, quem dicit talem esse: corde, & opere defixis in terram aspectibus, semper humilitatem ostendere, prædictum superbiæ gradum reprobat Sapiens cap. 3. In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus eius operibus non eris curiosus.*

Dub. 7. Ad illa verba, Ecclesiastici 42. vers. 1. *Non duplices sermonem auditus de reuelatione sermonis absconditi.* Quis est qui sermonem auditus duplicat?

Qui defectus quos audiuit spergit, multos de suo adijcit.

Respondetur. Quod ille qui audit alios absconditè alienos defectus carpere, & proscindere, dum eos aliis refert, multum addit, adfert de suo, & defectibus affingit: hinc sapiens Ecclesiasticus ait, quod non duplices, nec augeas, nec ad eas sermoni auditus de defectibus aliorum. Qui enim defectus quos audiuit spargit, multa de suo addit, & adijcit. Hugo Cardinalis: *Sermonem auditus duplicat, qui mala quæ audiuit alijs referendo augmentat.*

Dub. 8. Ad illa verba, Tituli Psalmi 59. *Super lilium.* In quo indicatur fornix triumphalis, & insigne monumentum victoriarum Dauidis cum reuerteretur capta Syria, cuius fit mentio. 2. *Regum* 8. *Vers.* 13. Cur reprehensibiliter memoratur fornix hic triumphalis, & monumentum victoriarum Dauidis?

Respondetur. Quod Dauid cum adscriptus esset numero timentium

Do-

Quilibet defectus, maximè notatur in eo qui virtuosus est.

Dominum, nota ei inuritur quod sibi fornicem triumphalem, seu arcum erigeret capta Syria; & titulum gloriæ ibi posuerit, cum Deo victoriarum gloria debeat attribui: hinc reprehensibiliter memoratur fornix, Arcus triumphalis, seu titulus gloriæ eius cum in albo timentium Deum esset ad numeratus. Quilibet enim defectus maximè notatur in eo, qui virtuosus est. Caietanus: *Aduerte quod in Sacra Scriptura huiusmodi memoriæ Victoriarum reprehensibiliter commemorantur, ea ratione quia Deo attribuendæ erant Victoriæ, qui dirigebat Reges illos ad bella, & erat Auctor Victoriæ. Vnde 1. Reg. 15. Cum nuntiatum esset Samueli, quod Saul erexisset sibi fornicem triumphalem, dixit ad Saulem: Nonne cum parualus esses in oculis tuis. Tantoque minus debuit Dauid facere sibi nomen, quanto inter timentes Deum connumerabatur, & iam Propheta erat, vt gesta eius ante hæc bella Syriæ testantur.* Vide *Murmuratio.*

CAP. XXX.

De Deo.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 17. v. 1. *Ambula coram me.* Cur Dominus dixit Abrahæ quod ambularet coram eo? Vanum videtur hoc præceptum, cum etiamsi Abraham nollet, coram Deo ambulaturus erat, cum nemo effugere possit ab intuitu Dei.

Deum semper præsentē habere est efficacissimum remedium ad non peccandum.

Respondetur. Quod Deus volebat, quod Abraham ita ambularet in sua conuersatione morum, ac si Deum coram se semper videret: illud enim est præcipuum, quod hominem tollit a peccato; scilicet, continua memoria de Deo in actibus nostris; ideo dicit ei ambula coram me, & esto perfectus, id est, eris in virtute integer, & consumatus. Deum enim semper præsentem habere est efficacissimum remedium ad non peccandum. Caietanus: *Quod dicitur a Deo potest ad litteram referri ad moralem vitam ipsius Abrahæ, & est sensus: profice in studio, ac actionibus tuis, tanquam ambulans ante oculos meos. Nullum maius frænum, nulla efficacior ratio componendi gestus, motus, verba, actionesque hominis apparet, qua ambulare ante faciem Principis.*

2. Respondetur. Deum voluisse quod Abraham se totum protectioni Diuinæ, & curæ eius se committeret, præstaque causa ad eum inuolare: ideo dicit ei Dominus ambula coram me, id est, in meam curam, & clientelam te recipe, tuarum cogitationum agnosce me esse arbitrum, & Auctorem. Vult enim Deus quod homo curæ Dei, & protectioni se committat. Maluenda: *Quidam exponunt in desinenter ambula coram me, id est, te ipsum curæ meæ, protectionique committe, & statue actionum cogitationumque tuarum, & omnium me esse arbitrum.*

Vult Deus quod homo curæ Dei, & protectioni se ipsū committat.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 32. vers. 31. *Ipse vero claudicabat pede.* Cur Iacobo post luctam cum Angelo relicta est claudicatio? Cur post pugnam debilitas pedis non ablata?

Deus vult quod homo memorsit perpetuo suorum beneficiorum.

Respondetur. Deum voluisse Iacobum intelligere, quod non virtute sua, sed Diuina præualuit Angelo in lucta, & quod hoc beneficium perpetua memoria coleret, & obseruaret: hinc relicta est ei claudicatio, vt quoties claudicaret, in memoriam reuocaret acceptum beneficium, quod non suis viribus, sed Dei virtute inualuit. Vult enim Deus quod homo memorsit perpetuo suorum beneficiorum. Maluenda: *Ipse vero claudicabat pede, vt intelligeret se, non sua, sed cœlesti virtute stetisse, vt non succumberet, & ob id relictam ei claudicationem.*

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 47. vers. 23. *Dixit ergo Ioseph ad populos: Accipite semina, & serite agros.* Cur dicit Ioseph populis, quod serant agros, cum *Genesis 45. Vers. 6.* dixerit Ioseph: *Adhuc quinque anni famis restant, quibus nec arari poterit, nec meti.* Si ergo non potuerunt arari, nec seri, cur dat semina ad serendum?

Deus cum castigat, cum misericordia punit.

Respondetur. Quod agri Ægyptiorum non poterant tempore illo famis arari, nec coli vniuersaliter, vel multum, poterant tamen in aliquibus locis aratro proscindi, & seri, quia Diuina misericordia reliquerat eis agros in aliquibus locis ad arandum, & serendum licet fame eos præmeret: hinc dixit Ioseph populis accipite semina, & serite agros; scilicet, in aliquibus locis in quibus erant apti ad arandum, & seminandum. Deus enim cum castigat, cum misericordia punit. Hugo Cardinalis: *Intelligendum est illud quibus, nec arari poterit, nec meti, supple multum, vel vniuersaliter, sed in quibusdam locis.*

Dub. 4. Ad illa verba, Exodi 24. v. 4. *Et duodecim titulos per duodecim Tribus Israel.* Cur Moyses cum tędus nomine Dei cum populo pangeret, erexit duodecim lapides adstante populo?

Deus promissa non frangit, sed stat promissis.

Resp. Quod Deus per Moysem fecit pactum cum populo, promissionemque largam, si populus obseruaret omnia iura à Moyse proposita, *Exodi* 23. & omnia mandata, & iura Diuina, & humana quatuor capitibus antecedentibus comprehensa, & explicata exequeretur: ideo vt intelligeret populus quod Deus perpetuo staret promissis, nec à nde præstita, & pacto defecturus, voluit quod Moyses duodecim lapides qui perpetuo durant, erigeret. Deus promissa non frangit, nec violat. Oleaster: *Si quæras quare Dominus voluerit huiusmodi adesse statuas, cum populus astaret, dico quod ad ostendendam pacti perpetuitatem, quam lapides ad multum tempus duraturi ostendebant.*

Dub. 5. Ad illa verba, Exodi 26. v. 1. *Tabernaculum vero ita facies.* Cur Tabernaculum, vel Templum in Lege veteri fuit institutum; cum *Actor.* 17. *vers.* 24. dicat Paulus, quod *Deus cœli, & terræ cum sit Dominus non in manufactis Templis habitat.*

Ad Deum cum magna reuerētia accedendū est.

Resp. Quod Dominus volebat quod homines multa reuerentia, & obseruantia ad eum accederent: ideo voluit speciale Templum sibi erigi: vt homines congregati in hunc sanctum locum deputatum ad Deum colendum, maiori reuerentia ad Deum accederent. Ad Deum enim cum magna reuerentia accedendum est. D. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 4. ad 1. *Cultus Dei duo respicit; scilicet, Deum qui colitur, & homines colentes. Ipse igitur Deus qui colitur nullo corporali loco clauditur, vnde propter ipsum non oportuit speciale Tabernaculum fieri, aut Templum, sed homines ipsum colentes corporales, & propter eos oportuit speciale Tabernaculum, vel Templum institui ad cultum Dei, vt ad huiusmodi locum conuenientes cum hac cogitatione, quod deputaretur ad colendum Deum, cum maiori reuerentia accederent.*

Dub. 6. Ad illa verba, Numeror. 22. vers. 22. *Surrexit Balaam mane, & strata asina sua profectus est cum eis, & iratus est Deus.* Cur Deus iratus fuit Balaamo eunti cum Moabitis, & Madianitis, cum Deus dederit licentiam ei eundi in terram Moab, vt patet hic. *vers.* 20. *Surge, & vade cum eis.*

Deus leui de causa non irascitur in hominē, sed propter transgressionem præceptorū.

Respondetur. Quod licet Deus dixerit Balaamo quod iret in terram Moab, præcepit tamen quod non faceret contra Domini iussionem; scilicet, quod non malediceret Israelitis, ipse vero fuit cum animo imprecandi malum Israelitis: ideo Dominus conuenienter iracundia motus fuit in eum. Non enim Deus leui de causa excandescit ira in hominem. Abulensis: *Deus dixerat quod iret Balaam in terram Moab, & tamen non faceret contra id quod Deus iubebat, sed tam ipse faciebat, ergo Deus conuenienter iratus est, quod patet quia dixit ei Deus: Surge, & vade, ita duntaxat, vt quod tibi præcepero facias, sed præceperat Deus, ne maledicere Israelitis, vt patet vers. 12. ipse tamen ibat in terram Moab cum animo maledicendi, ideo conuenienter iratus est.*

Dub. 7. Ad illa verba, Deuteronom. 10. vers. 8. *Eo tempore separauit Tribum Leui, vt portaret Arcam fœderis Domini.* Cur dicitur quod Tribus Leui fuit separata, & applicata Domino eo tempore, quo Israelitæ progrediebantur de Gad in Iethabatha, cum *Exodi* 32. habeatur: quod Tribus Leui fuit Domino separata à tempore, quo interfecerunt idolatras in adoratione vituli, quod fuit anno primo egressionis filiorum Israel de Ægypto. Et *Numer.* 2. legitur, & expresse habetur quod fuerunt separati Leuitæ ab alijs tribubus ad seruiendum Domino ante recessum filiorum Israel de monte Sinai, & tamen recesserunt inde anno secundo egressionis de Ægypto, secundo mense, vt habetur *Numer.* 10. motio autem filiorum Israel, de qua fit hic sermo, fuit anno quadragesimo ab egressu de Ægypto. Non ergo fuit separata, & applicata Deo Tribus Leui nunc, sed antea cum interfecerunt idolatras in adoratione vituli. *Exodi* 32.

Deus pro suis habet, & recognoscit, & honorat, qui zelat eius fidem, & honorem.

Resp. Quod Tribus Leui anno primo egressionis filiorum Israel de Ægypto interfecit idolatras in adoratione vituli, & tunc separata fuit ad seruiendum Domino, Deoque consecrata propter ardorem, & studium, quo inflammati zelauerunt pro fide, & Dei honore: quadragesimo autem anno à dicta egressione rursus populus ab obedientia Dei retrocessit, & Tribus Leui pugnauit contra eum, & multis interfectis, multos obedientiæ Dei subdiderunt. Vnde hoc factum coniungitur hic cum illo quod fecerunt tempore in adoratione vituli: hinc dicitur quod Tribus Leui quę primo fuit sepa-

ra-

rata, & dicata Deo, *Exodi* 32. modo fuit separata, & applicata, & consecrata ad Diuinum cultum, & benedictionem habuit decimarum, primitiarum, & oblationum, quia impetu, & spiritu Diuini honoris, & fidei, feruida se ostendit contra vitulolatras. Deus enim pro suis habet, & recognoscit, & tanquam suos honorat qui zelant eius fidem, & honorem. Lyranus: *Dicit Rabbi Salomon, quod filij Leui qui perfectius cæteris tribubus Domino adhæserant, sicut ex zelo Dei interfecerunt idolatras post adorationem vituli anno primo egressionis de Ægypto, vt habetur Exodi 32. Sic quadragesimo anno à dicta egressione contra populum retrocedentem modo prædicto pugnauerunt, & interfectis pluribus illorum alios reduxerunt ad obediendum Domino, & sic secundo pugnauerunt contra Regem Arad, & deuicerunt, & ideo istud factum Leuitarum per recordationem coniungitur & cum eo quod fecerunt tempore fabricationis vituli. Vt sit sensus: eo tempore separauit Tribum, id est, sicut tempore fabricationis vituli alijs Tribus recedentibus a Domino por idolatriam, Tribus Leui non sic declinauit, sic in retrocessu prædicto, alijs se male habentibus, Tribus Leui benè se habuit, & ideo ex vtroque facto fuit digna separari ab alijs, & Domino applicari.*

Honorat Deus eos qui alijs in peccata defluentibus, in peccata non dilabuntur.

Dub. 8. Ad illa verba, Deuteronom. 33. vers. 2. *In dextera eius ignea lex.* Iuxta Hebræum habetur: *A dextera eius ignis, lex eis.* Cur non dicit quod in dextera eius gestabat ignem, aut legem, sed quod à dextera eius erat tam ignis quàm lex?

Deus formidabilem se ostendet mãdaterum suorũ transgressoribus, non amabilem se exhibebit.

Respond. Quod Deus non ferebat in dextera legem & ignem, sed in more magni Principis à dextris eius gestabatur à ministris ignis, & lex tradenda Israelitis, legem quidem qua doceret, & dirigeret ignem vero quo perterreret transgressores: hinc dicit Moyses quod à dextris Dei erat ignis, & lex, vt à transgressoribus timeretur. Deus enim mandatorum suorum transgressoribus formidabilem se ostendet, non amabilem se exhibebit. Caietanus: *Iuxta Hebræum habetur à dextera eius ignis, lex eis. Non dicit, quod in manu dextera gestaret ignem, aut legem; sed quod à dextera eius erat tam ignis quam lex: in specie siquidem Principis apparebat ad cuius dexteram à ministris gestabatur lex, gestabatur & ignis, lex quidem ad docendum, & dirigendum, ignis vero ad puniendum: imperfectus enim status Veteris Testamenti non sinit ignem ad generandum amorem interpretari.*

Dub. 9. Ad illa verba, Psalm. 50. ver. 11 *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Cur Dauid petit à Deo quod auertat faciem suam ab eo, cum *Psalm. 79 ver. 20.* petat: *Ostende faciem tuam, & salui erimus:* item *Psalm. 26. vers. 9. Ne auertas faciem tuam à me.*

Qui in hac vita Dei misericordia male vsi sunt in iudicio Dei experiẽtur iustitiam.

Resp. Quod in Deo est iustitia, & misericordia: in hac vita ostendit facum misericordiæ: ideo dicit Dauid quod faciem misericordiæ ad se conuertat, vt facies misericordiæ videat peccata sua: faciem iustitiæ ostendet in iudicio; hinc petit Dauid faciem iustitiæ auerti ab eo, hanc habebit in iudicio. Qui enim in hac vita Dei misericordia male vsi sunt, in iudicio Dei iustitiam experientur. Hugo Cardinalis: *Duplex est facies Domini; scilicet facies misericordiæ, & facies iustitiæ, misericordiæ faciem vult conuerti, sed faciem iustitiæ vult auerti. De prima in Psalm. 68. vers. 18. Ne auertas faciem tuam à puero tuo &c. secunda hic. Hæ duæ facies figuratæ sunt. Ezech. 41. vers. 18. Vbi dicitur: Duas facies habebat Cherub, faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem Leonis iuxta palmam ex alia parte expressam. Prima palma Christi fuit in primo aduentu & tunc habuit faciem humanam; scilicet, misericordiæ, & hæc palma tangitur hic cum dicitur, & vincas cum iudicaris. Secunda palma erit in secundo aduentu, & tunc habebit faciem Leonis; scilicet, iustitiæ quam petit hic auerti. Videat ergo peccata mea facies misericordiæ, & non facies iustitiæ.*

Dub. 10. Ad illa verba, Actor. 10 v. 40 *Petrus ponens genua orauit.* Cur D. Petrus ad suscitandam Tabitham ponens genua orauit, nullam tamen orationem præmisit occisurus Ananiam, & Sapphiram. *Actor. 5. vers. 1.*

Deus potiùs vult agnosci Auctor beneficiorum, quam suppliciorum.

Resp. Quod D. Petrus voluit ostendere quod Deo potius attribuenda sunt beneficia in homines, quam in homines supplicia: ideo Tabitham suscitaturus ponens genua orauit, Ananiam vero, & Sapphiram occisurus, nullam orationem præmisit. Deus enim potius vult agnosci Auctor beneficiorum, quam suppliciorum. Mendoza: *Vt non tam mortis supplicium, quam vitæ præmium Deo tribuendum significaret.* Vide in Indice *Deus.*

(§)

CAP.

CAP. XXXI.

De Diabolo.

DVb. 1. Ad illa verba, Exodi 1. vers. 10. *Venite sapienter opprimamus eum ne forte multiplicetur.* Cur dicit Pharao primo sapienter, deinde opprimamus populum Israel?

Diabolus per blanditias primo seducit hominem, seductu opprimit violenter.

Resp. Quod Pharao typum gessit diaboli, qui primo sapienter, id est, astutia sua seducit hominem, postea vero per blanditias seductum, omne suum acumen intendit ad inueniendum modum, quo hominem opprimat violenter, & progressibus, & incrementis virtutum obuias eas; ideo primo dixit Pharao ad Ægyptios venite sapienter, id est, callide circumveniamus Israelis populum, postea potuit, opprimamus eum. Quia diabolus astutia sua per blanditias seducit, postea opprimit. Hugo Cardinalis: *In eo quod dicit sapienter, notatur astutia diaboli per quam seducit: in eo quod dicit opprimamus, notatur potentia diaboli, per quam seductam animam opprimit violenter: benè autem dicitur primo sapienter, & postea opprimamus, quia diabolus primo non habet potestatem in homine, sed per blanditias seducit, seductum postea opprimit violenter. Vnde quidam credo B. Bernardus. Ne acquiescas dicentibus, incuruare, nec credas adiicientibus, vt transeamus; non enim transeunt, sed hærent; ex quo semel supposueris corpus tuum, & terram, & viam transeuntibus, indatio transeuntium surgere non permittit. Iob 20. Vadent, & venient super eum horribiles.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 8. vers. 7. *Fecerunt autem, & malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super terram Ægypti.* Cur Pharao non vocauit maleficos, vt & ipsi facerent ranas cessare? Si enim eas fecerunt venire sicut Moyses, etiam eas cessare facerent, sicut & ille, vtrobique ergo vocandi videbantur, vt saltem quilibet, quas fecerant ad venire, facerent cessare.

Diabolus solũ est potens ad inferendũ malum, non vero bonum

Resp. Causam fuisse, quia ipsi malefici possent ranas adducere, quod malum erat, non vero eas tollere quod erat bonum, eo quod ranæ adductæ à Moyse venerant virtute Dei, adductæ vero à maleficis virtute dæmonis, & quia virtus dæmonis minor est virtute Diuina, non potest bonum facere, quod Deus potest, licet sit potens ad malum. Diabolus enim solum est potens ad malum inferendum, non vero bonum. Abulensis: *Credidit Pharao Deum quem Moyses prædicabat, posse tollere ranas, quia forte mandauerat maleficis suis, vt tollerent ranas, quas induxerant Moyses, & Aaron: ipsi autem non valebant, quia minor potentia non potest in maiorem.*

Dub. 3. Ad illa verba, Iudic. 6. vers. 4. *Ascendebat Madiam, & Amalec apud illos fingentes tentoria.* Cur apud Israelitas figebant tentoria Madiam, & Amalec, cæterique Orientalium Nationum?

Diabolus aduersus Prælatos militant, quia ipsis dejectis in peccatum, scit quod subditi cadent in culpam.

Resp. Quod isti significant dæmones, Israelitas vero Prælatos. Quid est ergo quod Madiam, & Amalec, & Orientales figunt tentoria, & collocant castra apud Israelitas, nisi quod dæmones aduersus Prælatos militant, quia captis Prælatis, subditos capiendos per peccatum sciunt. Hugo Cardinalis: *In hoc enim maximè laborant, vt possint illos qui præsunt deijcere in peccatum, & facere escam sibi quia sciunt, quod scriptum, & verum est: percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Zach. 13. Matth. 26. Quia maioribus superatis, de facile obtinent minores. Vnde Threnor. 1. Facti sunt hostes eius, in capite, & statim sequitur: & paruuli eius ducti sunt in captiuitatem ante faciem tribulantis, sequentes Prælatos suos, qui deberent eos ducere in cœlum, & ipsi ducunt eos in infernum. Quod prænidens Abacuc 1. dicebat facies hominis quasi pisces maris, & quasi reptile non habens Principem. Apud eos fingentes tentoria. Tentoria militantium sunt & dæmones in Prælatos militant, quia per hos hodie quamplures capiunt, & seducunt, quia Regis ad exemplum totus componitur orbis. Sub peccatis enim Prælatorum quasi sub arbore requiescunt peccata subditorum.*

Dub. 4. Ad illa verba, 1. Reg. 17. v. 58. *De qua progenie est adolescens?* Cur Saul ignorabat Dauidem, cum 1. *Reg.* 16. constet quod Dauid fuerat cum Saule, & sonuerat cithara, fueratque armiger eius dilectus ab eo. *Vers.* 16. *Et venit Dauid ad Saul, & stetit coram eo, at ille dilexit eum nimis, & factus est eius armiger.* Cur ergo Saul Dauidem non cognoscebat?

Diabolus impedit potentiam peccatoris, nẽ agnoscat;

Resp. Quod Saul propter exagitationem spiritus mali, qui eum affligebat factus fuit labilis memoriæ: ideo Saul ignorauit Dauidem apud eum diutius commorantem. Diabolus enim impedit potentiam peccatoris ne ag-

nos-

notcat. Lyranus: *Saul, & dæmonis affli-ctione habebat memoriam, & phanta-siam perturbatam, & impeditam a cog-nitione.*

Dub. 5. Ad illa verba, 2. Paralipom. 20. vers. 22. *Cumque cæpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos.* Iuxta Hebræum habetur: *Dedit Iehouah insidiosos super filios Hammon, & Moab.* Qui fuerunt isti insidiatores missi à Deo qui commouerunt Hammon, & Moab aduersus habitatores montis Seir? Si illæ tres Nationes Hammonitæ, Moabitæ, & habitatores montis Seir, congregatæ fuerunt aduersus Regnum Iudæ. Cur Hammonitæ, & Moabitæ conspirexerunt aduersum habitatores montis Seir?

Diabolus ob turbator pacis est.

Respondetur Quod isti insidiatores fuerunt dæmones, qui verterunt Hammonitas, & Moabitas aduersus habitatores montis Seir, cum isti homines montis Seir pacifice fuerint congregati cum Hammonitis, & Moabitis aduersum Regnum Iudæ; & dæmones pacem perturbauerunt inter eos: hinc Hammonitæ, & Moabitæ conspirexerunt aduersus habitatores montis Seir, interfecerunt, & delerunt eos. Diabolus enim turbator pacis est. Maluenda: *Quinam isti insidiatores fuerint: alij immissos dæmones, seu Angelos turbatores intelligunt.*

Dub. 6. Ad illa verba, Iob 41. ver. 25. *Ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ.* Cur diabolus dicitur Rex, cum Christus Rex sit omnium?

Diabolus habet suos sequaces, suos Apostolos, Martyres, Confessores & Virgines.

Respondetur. Quod sicut Christus suos habet, qui eum sequuntur: ita diabolus multos habet, qui ipsum sectantur tanquam Regem. Inde dicitur Rex, habet enim multos sequaces. Hugo Cardin. in Exod. 2. vers. 3. *Christus Rex est Iudæorum, id est, confitentium, & humilium, sed diabolus superborum. Iob 41. Omne sublime videt, ipse est Rex super omnes filios superbiæ: sicut autem Christus habet suos, sic diabolus suos Apostolos: Apostoli quidem diaboli sunt Vetulæ, & quidem Interpretes lenonibus, & meretricibus verba portantes. Martyres sunt Hæretici, Confessores Hypocritæ, qui exterminant facies, Virgines diaboli sunt qui exterius carnis integritatem custodiunt, sed intus mentes diuersis vitijs sunt corruptæ.*

Dub. 7. Ad illa verba, Marci 9. vers. 17. *Dixi Discipulis tuis, vt ejicerent illum, & non potuerunt.* Cur Discipuli non potuerunt ejicere dæmonium à puero lunatico: cum *Lucæ 9. vers. 1.* legatur quod *conuocatis Iesus duodecim Discipulis dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia?*

Diabolus quem tenet propter peccatū, ita possidet, quod difficilis sit curationis.

Respondetur. Quod dæmon illum possidebat propter peccatum proprium: hinc Discipuli non potuerunt ejicere dæmonium, licet haberent potestatem, & virtutem super dæmonia. Quem enim diabolus propter peccatum tenet, ita possidet, quod difficilis est curationis. Glossa apud Hugo. *Fuit impedimentum curandi culpa sanandi. Vnde Glossa, puerum non dæmonem, vt ostendat illum dæmoni traditum propter peccatum suum.*

Dub. 8. Ad illa verba, Lucæ 22. vers. 3. *Intrauit autem Satanas in Iudam.* Cur dicitur quod Satanas intrauit in Iudam ante Cœnam, cum *Ioannis 13. vers. 27.* legatur, quod *post buccellam introuit in eum Satanas.*

Diabolus quem semel ingreditur, non sistit vsque quo plenius potentia-, & animum possideat.

Respondetur. Quod Satanas ingressus fuit Iudam plenè ante Cœnam; post buccellam vero intrauit in eum plenius. Diabolus enim quem semel ingreditur, non sistit vsque quo plenius possideat. Hugo Cardinalis: *Modo intrauit, & post, sed prius plenè, postea plenius.*

Dub. 9. Ad illa verba, Apocalips. 17. vers. 7. *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris, & bestiæque portat eam.* Cur diabolus qui portabat meretricem dicitur bestia, & non auis?

Diabolus portat peccatoré de peccato in peccatum.

Respondetur. Quod diabolus trahebat meretricem de peccato in peccatum, de suggestione peccati in peccati delectationem: hinc dicitur bestia non auis. Diabolus quem tenet facit de vno peccato in aliud labi. Hugo Cardinalis: *Bestia est diabolus, quæ de peccato portat eos in peccatum. Naum 2. Igneæ habenæ currus eius à die præparationis: habenæ sunt delectationes peccati, quia hominem accendunt ad peccandum, dies præparationis est suggestio diaboli. De hoc dicitur Amos 2. Ascensor equi non saluabit animam suam.* Vide in Indice *Diabolus.*

CAP. XXXII.

De Dignitate.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 7. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ.* D. Cyprianus in tractatu de Montibus Sina, & Sion, vel si quis est alius eius operis Auctor, notat quod Deus ex quatuor cardinalibus mundi partibus accepit portionem terræ, & massa facta plasmauit Adamum. Cur

ex quatuor cardinalibus orbis partibus materiam assumpsit ad formandum Adamum, cum sat esset de quolibet limo terræ cum formare?

In dignitate constitutus, æque se habeat ad omnes, nec sit partialis.

Resp. Quod oportebat Adamum postea in dignitate constitutum, æqualiter se habere ad omnes mundi partes, à quibus accepit esse, de quibus benemeritus, & obligatus erat: hinc de quatuor cardinalibus mundi partibus Dominus assumpsit materiam, & portionem terræ ad Adamum plasmandum, vt omnes homines illarum cardinalium partium terræ, quibus erat obstrictus, ex æquitate æstimaret, erga eosque æqualiter se gereret. In dignitate constitutus æquè se habeat ad omnes, nec sit partialis. Maluenda de Paradiso, cap. 60. *Plerique veterum Patrum existimant Adam effictum ex terra sumpta à Deo ex quatuor mundi partibus, nempè ex Oriente, Occidente, Meridie, & Septentrione; scilicet, è quatuor portionibus terræ, singulis ex vnaquaque cardinali mundi parte acceptis, & in vnam massam compactis, plasmatum à Deo arbitrantur.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 5. v. 2. *Et vocauit nomen eorum Adam.* Dicunt aliqui quod Adam nomen nactus est à singulis huius vocabuli litteris quæ inchoant singulas quatuor Stellas, quæ quatuor mundi cardinalibus partibus præsident. Cur Adam à quatuor primis litteris Stellarum nomen accepit?

In dignitatis honore euectus, debet esse sicut stella luce virtutis nitidus ratione dignitatis.

Resp. Quod Adamus collocandus erat à Deo in sublimi dignitatis gradu; in quo ratione dignitatis debebat esse in virtute nitidus, & sanctitate splendidus: ideo singulæ huius nominis Adam litteræ inchoant singulas quatuor primas litteras Stellarum, vt sciat Adamus quod in illo dignitatis honore euectus ratione dignitatis, & honoris debet esse clarus, & in tanctimonia corruscus. D. Cyprianus apud Maluendam lib. de Paradiso, cap. 6. *Inuenimus in scripturis per singulos cardines orbis terræ esse à conditore mundi quatuor Stellas constitutas in singulis cardinibus, prima Stella Orientalis, secunda Occidentalis, tertia Stella Aquilonis, quarta Stella Meridiana: ex nominibus Stellarum quatuor, de singulis Stellarum nominibus tolle singulas litteras principales; de Stella Anatole, A; de Stella Dysis, D; de Stella Arctos, A; de Stella Mesembria, M; in his quatuor litteris cardinalibus habens nomen Adam.*

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 4. vers. 10. *Obsecro Domine non sum eloquens ab heri, & nudius tertius.* Cur Moyses de se faretur quod non sit eloquens, cum *Actor. 7. vers. 22.* dicatur: *Eruditus est Moyses in omni sapientia Ægyptiorum, potens in verbis, & operibus suis.*

Qui non habet omnia necessaria ad dignitatem ad quã euehitur, debet eam subterfugere.

Resp. Quod Moyses non habebat omnia necessaria, quę requirebantur ad dignitatem, cui assumebatur, quia habebat linguam tardam, & gracilem ad perorandum coram Pharaone: oportebat enim stare à longè remotus propter Regiam Maiestatem, & propter vocis gracilitatem non poterat audiri à Rege, nec promptus erat ad loquendum, vnde non erat simpliciter eloquens, cum tardus esset ad loquendum, qui defectus notabilis erat pro ministerio ad quod mittebatur: hinc excusauit se, & subterfugit dignitatem. Qui enim non habet quæ simpliciter necessaria sunt ad dignitatem ad quam promouetur, debet se excusare, & eam subterfugere. Hugo Cardinalis: *Hebræi dicunt, quod Moyses linguam tardam, & gracilem habuit, Aaron vero tubalem, & ideo excusauit se Moyses, quia quando velet per orare coram Rege oporteret eum stare à longè propter Regiam Maiestatem remotus, propter vocis gracilitatem non posset audiri à Rege, & ita fuit simpliciter eloquens, vt dicitur hic: Quod autem dicit D. Stephanus, dupliciter soluitur: dicitur enim quis potens in verbis quia efficax ad operandum, vel quia prudens ad loquendum vel quia modus dicendi sit efficax, vel quia promptus ad loquendum, tribus primis modis fuit Moyses potens in verbis, & non in vltimo.*

Dub. 4. Ad illa verba, Exodi 32. vers. 7. *Descende peccauit populus tuus.* Cur Dominus dicit Moysi *descende*, cum sufficeret illi dicere, quod populus peccauit?

Dignitas Prælati non est pensanda à numerositate subditorum, sed à subditorum maiori perfectione.

Resp. Quod dignitas, vel maioritas alicuius dignitatis, & officij, non est pensanda ex eo, quod sit ditior, vel numerosior quantitatiue alijs, sed ex eo quod sit maior in qualitate, hoc est, in virtute. Vnde ille Prælatus erit alijs præstantior, qui sanctiores subditos habet, & ille inferior, cuius subditi tanta non pollent sanctitate, ac denique ille inferioris notæ Prælatus est, qui subditos habet peccatores, & cum tales habet à sua dignitate cadit: ideo Dominus dicit Moysi descende, quia peccauit populus tuus, id est, peccante populo tuo, descendes à tuo honore tuæ dignitatis. Dignitas enim Prælati non maior

ior est quantitatiue, sed qualificatiue, non quia dirior est communitas, sed quia perfectiores sunt subditi. Abulensis: *Aliter exponit Rabbi Salomon; scilicet, quod Deus dixerit Moysi ad humiliandum eum à suo honore; scilicet, quia antequam peccaret populus iste peccato idolatriæ, erat populus honorabilis, & Moyses erat honoratissimus, quia talis populi Dux erat: cum vero populus ille peccauit, abiectissimus factus est: ideo conuenienter Moyses descendit à toto honore sui ducatus, nam nobilitas principatus est ex nobilitate subditorum, & vtilitas principatus est ex vtilitate subiectorum, vt ait Aristot. 1. Politic. 3. sic etiam dicebat B. Ioannes Canonica 3. Maiorum horum non habeo gratiam, quam vt audiam filios meos in veritate ambulantes. Erat ergo sensus, Vade, & descende de peccauit populus tuus, id est, iam descende de honore tuo, quem habens existens tanti populi & boni Dux, quia iam peccauit: ideo dignitas pristina ducatus tui non manet.*

Dub. 5. Ad illa verba, Deuteronom. 33. vers. 12. *Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Cur Angelus ponens se inter castra filiorum Israel, & Ægyptios super mare rubrum, comparatus fuit Aquilæ quæ portat filios super humeros?

Qui in dignitate constitutus est, mala subditorũ recipiat, vt subditos ab eis liberet.

Resp. Quod Aquila cum transfert de loco in locum pullos suos, super humeros baiulat, vt recipiat sagittas à parte inferiori emissas, ne pulli percutiantur à sagittarijs: ita Angelus posuit se inter castra filiorum Israel, & Ægyptios super mare rubrum, ne spicula Ægyptiorum læderent Israelitas: hinc Angelus compiratur Aquilæ filios super humeros importans. Qui enim in dignitate constitutus est, mala subditorum recipiat, vt subditos ab eis liberet. Lyranus: *Quando Aquila vult transferre pullos suos de loco ad locum portat eos super humeros suos, quia non timet à parte superiori, sed tantum ab inferiori, ne emittantur saggitæ, & ideo ponit pullos super humeros, vt prius ipsa recipiat saggitas quam illi percutiantur: sic Angelus Personam Dei representans posuit se inter castra filiorum Israel, & Ægyptios super mare rubrum. Exodi 14. Ne saggitæ & spicula Ægyptiorum læderent Israelem.*

Dub. 6. Ad illa verba, 1. Reg. 13. vers. 13. *Quod si non feciſſes, iam nunc præparasset Dominus Regnum tuum super Israel in sempiternum.* Cur Saulis Regnum non fuit confirmatum, cum præordinatio Diuina sit certa, & infalibilis, & præordinatum esset à Deo Regnum concedendum Tribui Iudæ, vt patet Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Iudà*

Qui in dignitate constitutus, non perseuerat in virtute, dignitate priuandus est.

Resp. Quod præordinatio Diuina aliquando est secundum meritum, & demeritum hominum ex quibus disponitur, quod puniantur, vel remunerentur, quæ ordinatio mutabilis est: vnde cum Saul non stetisset in sanctitate, quam habuit cum in dignitatem Regiam fuit sublimatus; ideo licet Deus præordinauerit Regnum concedendum Tribui Iudæ de qua erat Saul, propter eius demeritum, & peccatum inobedientiæ, non fuit confirmatum ei Regnum. Qui in dignitate constitutus non perseuerat in virtute, abdicandus est, & dignitate priuandus. Lyranus: *Ordinatio Diuina de aliquo futuro aliquando accipitur prout est in Diuinæ præscientia, & sic immutabilis est: alio modo accipitur secundum dispositionem causarum secundarum, id est, secundum merita, & demerita hominum ex quibus disponuntur, vt per hoc puniantur, vel remunerentur secundum ordinationem Diuinam, & talis ordinatio mutabilis est, sicut merita, & demerita hominum, frequenter contingit, quod ordinatio Diuina de aliquo futuro isto secundo modo exprimatur in Scriptura: sicut Ionæ 3. dicitur: Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur, quia demerita illius Ciuitatis exigebant eius subuersionem à Deo futuram, sed quia egerunt pœnitentiam hæc ordinatio fuit mutata, quia Ciuitas non fuit subuersa: isto modo dicitur hic Sauli, quod si non feciſſes iam nunc præparasset Dominus Regnum tuum super Israel in sempiternum, id est, si non feciſſes contra mandatum Domini, & stetisſes in bonitate in qua eras quando regnare cæpisti, esſes dispositus, vt confirmaretur tibi Regnum, & filijs tuis. Ista tamen confirmatio est intelligenda sub conditione; scilicet, si Saul & posteritas eius starent in bonitate, quod est mutabile.*

Dub. 7 Ad illa verba, 2. Reg. 3. vers. 39 *Porrò viri isti filij Saruiæ duri sunt mihi: retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam suam.* Cur Dauid tolerabat Ioab. & Abisai? Cur eos non puniuit morte, sicut morte puniuit eos, qui occiderunt Isboseth, vt habetur 2. Reg. 2? Cur extremo supplicio non afficit Dauid eos, cum interfecerint Abner?

Resp.

In dignitate constitutus, toleret delinquentes, vsq; ad tẽpus opportunum, ne commoueatur populus.

Respond. Quod Ioab, & Abisai erant potentes, & habebant Exercitum in manibus, trahebantque post se totam militiam: hinc licet isti interfecerint Abner, eo quod Abner interfecit Asaelem fratrem eorum in Gabaon in prælio, eos tolerauit Dauid, & mussitauit iniuriam, vsque ad tempus commodum, & opportunum, cum tunc Dauid esset Rex tener, & in principio Regni sui; si enim tunc eos occidisset totus populus commoueretur, & periclitaretur Regnum. In dignitate constitutus toleret delinquentes, vsque ad tempus opportunum, ne commoueatur populus. Lyranus: *Dicendum quod Dauid erat in principio Regni sui, & sola Tribus Iudà tunc erat cum eo, quia aliæ Tribus adhuc non erant sibi confœderatæ: in Tribu vero Iudà inter milites Ioab, & Abisai erant principales, & trahebant post se totam militiam propter quod Dauid eos punire non potuit tunc propter quod eorum punitionem Deo recomendauit dicens, retribuat Dominus, in fine etiam vitæ suæ punitionem huius facti imposuit filio suo Salomoni, vt habetur 3. Reg. 2.*

Dub. 8. Ad illa verba, 4. Reg. 15. v. 30. *Regnauitque pro eo vigesimo anno Ioatham filius Oziæ.* Cur dicitur quod Ioatham regnauit viginti annis, cum in hoc cap. vers. 33. legatur de eo, *quod sexdecim annis regnauit in Ierusalem.* Dicunt aliqui quod Ioatham regnauit quidem sexdecim annis in Ierusalem, vt dicitur hic, & quatuor anni qui subtrahuntur ab Achaz attribuuntur Ioatham, vt verificetur quod Ioatham regnauit viginti annis. Cur Sacer textus subtraxit quatuor annos de Achaz?

Non numerantur anni, quibus male viuit in dignitate constitutus.

Resp. Quod Achaz quatuor annis praue, nequiter, & improbe vixit: hinc quatuor annos subtrahit Scriptura Sacra ab eo, & attribuit Ioatham. Qui enim in dignitate est constitutus, si nequiter viuit, non numerantur anni quibus male viuit. Lyranus: *Soluit Rabbi Salomon dicens quod quatuor de annis Achaz subtrahit hic Scriptura propter suam malitiam, & attribuit eos Ioatham.*

Dub. 9. Ad illa verba, Ioann. 19. v. 2. *Plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum.* Quid significat hæc Christi illusio, quando indutus est purpura, coronam spineam portans in capite, & in manu arundinem tenens?

Irridetur à diabolo, qui propter hypocrisim ad Dignitatem Ecclesiasticã assumitur.

Resp. Quod hæc illusio Iudæorum typum gerit irrisionis diaboli, qui illudit & ludibrio habet hominem cum datur ei corona spinea, id est, Mitra Pontificalis, & arundo, id est, Baculus Pastoralis propter hypocresiam, qua ad dignitatem ascendit Ecclesiasticam: hinc Christus irrisus fuit à Iudæis corona spinea, & purpura, & arundine, in signum quod Prælati qui ad Dignitatem Ecclesiasticam euehuntur propter hypocresim illuduntur, & irridentur à diabolo. Hugo Cardin. in fine cap. 2. Exodi: *Illusum est Christo in Regio habitu quando indutus est purpura, coronam spineam portans in capite, & arundinem tenens in manu: sic diabolus illudit quando propter hypocresim quis assumitur in Prælatum, & datur ei corona spinea, id est, Mitra Pontificalis, & baculus arundineus, id est, Baculus Pastoralis, fragilis, & manum perforans.* Vide *Prælatus.*

CAP. XXXIII.

De Discordia.

DVb. 1. Ad illa verba, Iudic. 20. v. 2. *Omnesque anguli populorum, & cunctæ Tribus Israel in Ecclesiam populi Dei conuenerunt.* Per angulos populi intelliguntur Principes. Sed cur Principes comparantur angulis parietum?

Primates populi non discordias, & desidia sustentent, sed vnitatem, & concordiam populi conseruent.

Resp. Quod anguli duos parietes in ædificijs coniungunt: hinc hoc nomen figurate transumitur pro Principibus, magnatibus, & primoribus populi, qui discordes debent coniugere in vnum. Primates populi non discordias, & desidia, sed concordiam, & vnitatem populi debent sustentare, & conseruare. Hugo Cardinalis: *Anguli populorum, id est, Principes, qui coniungunt populum in vnum, sicut anguli parietes. Similiter accipitur Sophon. 1. Dies tubæ, & clangoris super Ciuitates munitas, & super angulos excelsos, id est, Principes.*

Dub. 2. Ad illa verba, Iosue 13. v. 3. *A fluuio turbido qui irrigat Ægyptum.* Iuxta Hebræum habetur: *A Sichor super faciem Ægypti.* Sichor est nomen fluminis, qui diuidit inter Ægyptum, & terram Promissionis. Cur Sichor facit hanc diuisionem inter Ægyptum, & terram Promissionis?

Improbæ vitæ homines diuisionẽ in populo vastant.

Resp. Quod Sichor nomen trahit à nigredine, vnde dicitur niger, fuscus, turbidus, & significat malos homines nigros moribus, fuscos vita, turbidos in operibus suis: hinc Sichor facit diuisionem inter Ægyptum, & terram Promissionis. Improbi enim homines diui-

uisioni in populo incumbunt. Caietanus: *Sichor est nomen fluminis à nigredine sumptum, & est flumen hoc diuidens inter Ægyptum, & terram Promissionis.*

Dub. 3. Ad illa verba, Prouerb. 6. vers. 19. *Septimum detestatur anima mea, eum qui seminat inter fratres discordias.* Cur Dominus tantopere detestatur discordias?

Pacifici pacis, & vnitatis amatores discordiam detestantur.

Resp. Quod Dominus maximè diligit pacem, & vnitatem, concordiamq; animorum Hæretici autem veritatem fidei rupunt, vt tollant in Ecclesia vnitatem, cum diuersa sentiunt, schismatici vnitatem charitatis dissoluunt, cum animorum diiūctionem quærat: hinc Dominus odio prosequitur, cum amator sit concordiæ, discordias, dissensiones. Qui enim pacem diligit, discordiam detestatur. Hugo Cardinalis: *Et eum qui seminat inter fratres discordias, ad rupendam veritatem fidei, vt Hæretici, vel vnitatem charitatis, vt schismatici, hoc est, septimum quod Dominus tanquam grauissimum detestatur. Aduersantur schismatici Spiritui Sancto, qui ab hoc missus est, vt charitatis, & pacis vnitatem reformaret in nobis. Hoc est enim illud solum quod diabolus magis timet; scilicet, concordiæ vnitatem. Vnde Cantic. 6. dicitur de Ecclesia: Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Discordias detestatur Deus, quia pax est siue pacificus, vnde & Salomon appellatur.*

Schismatici aduersantur Spiritui Sancto.

Dub. 4. Ad illa verba, Actor. 28. ver. 11. *Nauigauimus in naui Alexandrina, cui erat insigne castrorum.* Caietanus, id est, insignita Iouis filijs, hoc est, castore, & polluce, qui aliquando in naui apparebant soli, aliquando gemini. Cur aliquando soli, aliquando gemini apparebant castor, & pollux?

Diabolus timet concordiæ vnitatem.

Resp. Quod quando soli apparebant indicabant cursum in mari periculosum, quando vero coniuncti, prosperam nauegationem significabant: hinc aliquando solus castor, vel pollux aliquando gemini apparebant: insignum quod quando non est vnitas in Republica pericula imminent, cum autem est concordia, & vnitas prosperitas, & fœlicitas erit. Hugo Card. *Cui erat insigne castrorum: castrorum sine r, gemini castores sunt castor, & pollux, quos ideo Gentiles in mari Deos vocant, quia in prodigijs nautarum, si solæ Stellæ apparuerint in naui, vel antenis, periculosi, si vero geminæ prosperi cursus sunt nuntiæ.*

Cum non est vnitas in Republica, pericula imminent, cū autem concordia prosperitas erit.

Dub. 5. Ad illa verba, Apocalips. 12. vers. 3. *Ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem.* Cur draco dicitur habere cornua decem?

Diabolus de fidijs gaudet, diuisionibus delectatur.

Resp. Quod draco diabolus est, qui decem cornua habiturus est; scilicet, decem Reges in fine Romani Imperij; decem enim cornua dicit Ioannes diuisiones Regni, quæ mundum ad ipsum diabolum ferunt, vt qui desidijs semper gaudeat: hinc dicit D. Ioannes quod draco, id est, diabolus habiturus est decem cornua in fine mundi, id est, duodecim Reges inter quos diuidetur Imperium. Diabolus enim dissidijs semper gaudet. Aretas Cæsariensis apud Maluend. lib. 5. de Antichristo, cap. 25. in fine, & Andreas Cæsariensis Epis. *Decem porrò cornua denotare putamus mundani Regni diuisionem, quæ ipsi diabolo tanquam seditionibus gaudenti, voluptatem parit non vulgarem.*

CAP. XXXIII.

De Doctore.

DVb. 1. Ad illa verba, Exodi 34. v. 27. *Scribe tibi verba hæc, quibus, & tecum, & cum Israel pepigi fœdus.* Cur Deus præcipit Moysi scribere verba legis cum in hoc cap. vers. 1. dicatur ei: *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba quæ habuerunt tabulæ quas fregisti,* & Deuteron. 10. vers. 2. dicitur: *Scribam in tabulis verba, quæ fuerunt in his quas ante confregisti.* Non ergo Moyses scripsit verba, cum Deus scripserit.

Sancti Doctores Deo dictante scripserunt, quæ docuerunt.

Resp. Quod Dominus dictabat Moysi verba: Moyses vero scribebat: hinc dicitur Deum, & Moysem scripsisse verba, quibus cum eo, & Israel pepigit fœdus. Sancti enim Doctores Deo dictante scripserunt, quæ docuerunt. Hugo Cardin. *Forte Moyses scripsit, & Dominus dictauit, quasi Magister, & hoc videtur velle quod dicitur hic scribe.*

Dub. 2. Ad illa verba, Deuteronom. 31. v. 28. *Congregate ad me omnes maiores natu per tribus vestras, atque Doctores, & loquar audientibus eis sermones istos.* Cur dicitur de Moyse quod loquutus fuit sermones Domini audiente vniuerso cœtu, cum tota multitudo non potuisset eum audire?

Deus per Sanctos Doctores loquitur vniuersæ Ecclesiæ.

Resp. Quod Moyses tantum maioribus de populo loquebatur, per maiores vero transibat sermo ad alios: hinc dicitur quod loquutus est Moyses

R au-

audiente vniuerso cętu Israel verba illius carminis sermonesque Dei. Deus enim per Sanctos Doctores loquitur vniuersæ Ecclesiæ. Hugo Cardinalis: *Dicunt quod Moyses tantum maioribus loquebatur, quia tota multitudo non potuisset eum audire. Dicitur autem loqui toti populo, quibus per seniores, quibus loquebatur transibat verbum suum ad totum populum: sicut in Genesi 3. Mandatum de pomo vetito datum est mulieri, non quidem personaliter, sed quia per virum transibat ad illam.*

Dub. 3. Ad illa verba, 3. Reg. 10. vers. 1. *Regina Sabà audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.* Iuxta Hebræum habetur: *Audiens famam Salomonis nomini Iehouah.* Quasi dicat: fama sapientiæ Salomonis deferebat secum nomen Dei. Cur fama sapientiæ Salomonis deferebat secum nomen Domini? Cur quando diuulgata fuit eius sapientia, mentio fiebat de Deo?

Sancti Doctores non humano studio, sed Diuino Dono adepti sunt sapientiam.

Respondetur. Quod diuulgatum fuit, quod non humana disciplina, non humano studio, sed Diuino Dono habebat Salomon tantam sapientiam: hinc quando sapientia Salomonis in ore omnium celeberrime versabatur, hæc fama deferebat secum nomen Dei, vt à quo largitum esset Salomoni tantum sapientiæ Donum. Sancti enim Doctores non humano studio, sed Diuino Dono adepti sunt sapientiam. Maluenda: *Audita fama Salomonis in nomine Domini, cum audisset ex fama sapientiam Salomonis non naturalem, & studio humano partam, qualis est sapientia Philosophorum, magorum, & eiusmodi hominum, sed à Deo ei diuinitus datam.*

Dub. 4. Ad illa verba, Tituli Psalmi 89. *Oratio Moysi viro Dei.* Quæres an Moyses composuit hunc Psalmum, vel Dauid?

Sic se habent Sancti Doctores inter se, quod alius ponit materiã, alter dat formam.

Respondetur. Quod Moyses condidit Psalmum quantum ad materiam, Dauid autem in formam metri reduxit: hinc oratio Moysi attribuitur, inter Psalmos vero ponitur, quia Dauid formam metri dedit. Sic enim se habent Doctores Sancti inter se, quod alius ponit materiam, alter dat formam. Caietanus: *Quod potius crediderim Moyses edidit hanc orationem quantum ad materiam, non metrice: quam postea Dauid extendit, in formam metri reducendo, & propterea Moysi adscribitur tanquam Auctori orationis quantum ad materiam.*

Dub. 5. Ad illa verba, Ecclesiastes 1. vers. 10. *Prior omnium creata est sapientia.* Cur sapientia dicitur prima omnium creata, cum Genes. 1. vers. 1. dicatur, quod Deus in principio creauit cœlum, & terram? Non ergo sapientia, sed cœlum, & terra primo fuerunt creata.

Doctus in clarissimorũ virorum numero clarus census est.

Resp. Quod sapientia prior omnium dicitur creata, quia inter primas creaturas creata est: bene ergo dicit Ecclesiastes quod *prior omnium creata est sapientia*, quia vna est de primis, insignum quod docti viri primorum, & illustrium virorum sunt Catalogo adscripti. Hugo Cardinalis: *Quod primo omnium dicit (sapientiam; scilicet, creatam) prima, id est, vna de primis, vel inter primas creaturas, sicut fides dicitur prima, id est, vna de primis.*

Dub. 6. Ad illa verba, 1. ad Timoth. 1. vers. 12. *Qui fidelem me existimauit ponens in ministerio.* Cur D. Paulus positus fuit in ministerio Euangelij tanquam fidelis?

Doctor qui gloriam Dei potius quam suam quærit, idoneus, & fidelis minister est in docenda veritate.

Respondetur. Quod Apostolus non quærebat gloriam propriam, sed Dei: hinc fidelis fuit in ministerio ad propagandum Euangelium, eoque tanquam fideli vsus est Dominus. Doctor enim qui Dei gloriam potius quam suam quærit, fidelis minister est in docenda veritate. Diuus Thomas: *Ad hoc quod aliquis sit minister Euangelij requiritur idoneitas, id est, vt sit fidelis.* 1. Corinth. 4. *Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Quia fidelem me existimauit.* Matthæi 24. *Fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam. & hoc quia quærebat solum quæ Dei erant.*

Dub. 7. Ad illa verba 2. Petri 3. vers. 15. *Sicut, & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Cur Diuus Petrus qui erat maior, authoritate Pauli minoris doctrinam suam confirmat cum non fuit necesse?

Doctor humilis, non recusat aliorũ Doctorũ dictis suam doctrinam confirmare.

Resp. Quod Apostolus Petrus confirmauit doctrinam suam authoritate Pauli, quia D. Petrus humilis erat, & submissionis laude vir excellens. Doctor enim humilitate præstans, non recusat aliorum Doctorum dictis suam doctrinam confirmare. D. Thom. *Hoc facit nõ ex necessitate, sed ex humilitate.*

2. Resp. Quod D. Petrus vsus fuit authoritate epistolarum D. Pauli intendens potius dare eis authoritatem,

quam

quam suam doctrinam per eam confirmare. Magnus Doctor vtens aliorum Doctorum dictis magnam authoritatem illis conciliat. Diuus Thomas: *Inducendo authoritatem epistolarum Pauli, potius intendit illis dare authoritatem approbando, quam ius per eas confirmando.*

Magnus Doctor vtens aliorum Doctorū dictis, magnam authoritatem illis conciliat,

3. Resp. Quod D. Petrus maior erat in cura D. Paulo, D. Paulus vero forte maior erat in scientia D. Petro: ideo D. Petrus authoritate D. Pauli suam stabiliuit doctrinam. Doctores enim maiorum doctrina suam confirment. D. Thomas: *Forte licet Petrus maior esset in cura, Paulus tamen maior in scientia.*

Doctores maiorum doctrina suam stabiliant;

Dub. 8. Ad illa verba, Actor. 1. v. 1. *Cœpit facere, & docere.* Cur prius dixit D. Lucas de Christo quod cœpit facere, deinde docere?

Resp. Quod in Doctore prius est consulendum bonæ vitæ, deinde doctrinæ: hinc D. Lucas prius posuit loquens de Christo opera quam verba. Hugo Card. Rectus Ordo, Exodi 28. *Prius præcipitur fieri super humerale, deinde rationale. Isaiæ 9. Factus est principatus super humerum eius.* Vnde Dominus voluit occidere Moysem, quia filium non circuncidit. Exodi 4. vers. 24. *Voluit circuncidere eum.* Cur volebat interficere Moysem propter vnam omissionem, cum Moyses esset Dux, & Legifer filiorum Israel?

Bonus Doctor prius vitæ sanctæ, deinde sacræ doctrinæ vacat;

Resp. Quod Moyses cum esset superior, & Legislator, debuit esse observantissimus custos legum, vt populus videns observantiam legis in suo Doctore, imitaretur eum, & legem custodiret: hinc Dominus voluit occidere Moysem, qui legem circuncisionis non exequebatur in filium. Deus enim irascitur in Doctorem, qui prius non facit, quæ docet. Abulensis: *Quam obrem volebat Deus eum punire, nisi circuncideret, & hoc maximè, quia ipse erat futurus Legislator Hebræorum, & nunc mittebatur vt nuncius Dei, & vt Dux ad liberandum: ideo decebat, vt legem ipse perfectius quam cæteri, obseruarent: cum culpa redarguit ipsum, vt ait Cato quia bonus Prædicator primo debet agere quam docere, quia incœpit Iesus facere, & docere.* Vide *Doctor, Prædicator.*

Deus irascitur in Doctore, qui prius nō facit quæ docet;

E

CAP. XXXIIII.

De Ecclesiasticis.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 14. v. 19. *Benedixitque ei.* Cur Melchisedec benedixit Abrahæ?

Resp. Quod Melchisedec erat Sacerdos Dei Altissimi, & consequenter medius inter Deum, & populum: hinc benedictionem impertitus fuit Abrahæ, & infudit vice Dei. Sacerdos enim vicem Dei gerit in terra: mediusque est inter Deum, & populum. Caietanus: *Benedixitque ei: Ecce actio Sacerdotalis; medius siquidem est Sacerdos inter Deum, & populum, & propterea vice Dei benedicit alys.*

Sacerdos vicem Dei gerit in terra, mediusq; est inter Deum, & populum;

Dub. 2. Ad illa verba, Deuteronom. 18. v. 5. *Ipsum elegit Dominus de cunctis tribubus tuis, vt stet, & ministret nomini Domini.* Cur ex omnibus filijs Israel separati sunt Leuitæ ad cultum, & ministerium Dei?

Resp. Quod Ecclesiastici ratione officij sui obligati sunt vacare Deo impensius, quam sæculares, qui occupati rebus corporalibus, spiritualibus intendere non possunt: hinc Leuitæ ex omnibus filijs Israel separati fuerunt ad cultum, & ministerium Dei, vt semper Deo vacent, in quo non satisfaciunt multi Ecclesiastici legis gratiæ, qui festiuis, & non festiuis diebus ludo, & venationi, & alijs similibus, quibus sæculares non vacant, semper intendunt, non considerantes quod de suo officio valide ratio ab illis exigetur. Ecclesiastici enim ratione sui officij debent impensius vacare Deo, & eius laudibus. Abulensis: *Vt maior cultus daretur, nam cultus ille qui Deo impendebatur à toto populo vacante laboribus suis, paucus erat, & debebat communitas illa maiorem cultum Deo impendere in actiones gratiarum pro quotidianis, ideo quia tota communitas vacare non poterat, loco totius communitatis, ponebantur aliqui qui hoc facerent.*

Ecclesiastici ratione sui officij impensius debent vacare Deo, & eius laudibus;

Dub. 3. Ad illa verba, 1. Reg. 3. v. 2. *Heli iacebat in loco suo.* Quis enim erat locus in quo iacebat Heli?

Resp. Quod locus in quo dormiebat Heli, erat propinquior Tabernaculo Domini: hinc dicitur quod Heli iacebat in loco suo, id est, in interiori parte atrij, & propinquiore Tabernaculo, vbi

Ecclesiastici, & Sacerdotes præferendi sunt alijs loco;

erant cęllæ Sacerdotum, vbique dormiebant, ad differentiam Leuitarum, qui habebant cęllas magis remotas à Tabernaculo. Ecclesiastici enim, & Sacerdotes præferendi sunt loco alijs. Maluenda: *Iacebat in loco suo explicant, id est, in interiore parte atrij, quæ erat propinquior Tabernaculo Domini. In interiore, siue penitiore parte atrij, hoc est, in propinquiore Tabernaculo erant cellæ Sacerdotum vbi dormiebant Sacerdotes: in posteriore, ac remotiore Leuitæ, quæ magis aberat à Tabernaculo.*

Dub. 4. Ad illa verba, Psalmi 54. v. 12. *Ego autem ad Deum clamaui, & Dominus saluabit me.* Cur Dauid sperat à Domino saluari, an quia ipse, & non per alium clamauit ad Dominum?

Ecclesiastici qui non per se ipsos, sed per vicarios munera sua explent, an per vicarios saluabuntur.

Respondetur. Quod Dauid hic inuerit multos Ecclesiasticos, qui non per se ipsos, sed per suos Vicarios, & Coadiutores cantant in Choro: hinc dicit, *ego ipse*, non per alium clamaui ad Deum, & Deus saluabit me, quasi dicat: Qui per Vicarios cantant Deo, per Vicarios saluabuntur? Hugo Cardinalis: *Ad Deum clamaui ego non per Vicarium, sicut Canonici qui per Vicarios cantant, & forte per Vicarios saluabuntur. Ezech. 44. Posuistis custodes obseruationum mearum in Sanctuario meo, & vobis metipsis.*

Deb. 5. Ad illa verba, Psalmi 67. vers. 14. *Si dormiatis inter medios Cleros, pennæ Columbæ de argentatæ in pallore auri.* Quæ verba exponit Hugo de malis Ecclesiasticis, qui malo suo exemplo Sæculares prouocant ad terrenorum amorem. Cur dicitur de eis quod habitant inter medios Cleros, quod habent pennas Columbæ de argentatas, & posteriora dorsi eius in pallore auri?

Ecclesiastici mali exẽplo suo diuitias cogitantes, sæculares nõ ædificãt, sed ad amorem terrenorum excitan

Respondetur. Quod mali Ecclesiastici non imitantur primos Clericos, qui fuerunt sanctitatis exemplar, nec vltimos qui erunt spectati satis, sed medios, scilicet, modernos, qui de diuitijs cogitant, & adeas aspirant: hinc posteriora dorsi eius, id est, eius exempla Sæculares non ædificant, sed ad amorem diuitiarum excitant. Hugo Cardinalis: *In malo potest exponi versus iste, si dormiatis per torporem, inter medios Cleros, non inter primos Clericos; scilicet, Laurentium, Vincentium, & Stephanum, nec inter vltimos, qui futuri erunt, sed inter medios; scilicet, modernos, qui ad voluptatem viuunt; tunc pennæ Columbæ, id est, desideria animæ vestræ, erunt de argentatæ, id est, argento onerate, & ideo sursum volare non poterunt, quia de argento cogitant, & ad diuitias aspirant. Sophoniæ 1. Disperierunt omnes inuoluti argento, & posteriora dorsi eius, id est, exempla eius non sunt ad ædificandum proximos, sed ad prouocandum ad amorem terrenorum. Hoc in pallore, id est, in amore auri quidius palleat omnis amans, vel in pallore auri, id est, non in pura, & cœlesti sapientia, quæ de sursum descendit, sed in sapientia terrena, animali, diabolica; si enim aurum sapientia dicitur, & pallidum aurum sapientia praua dicetur. In primis Clericis poterat videri aurum rubeum, & optimum; scilicet, sapientia Dei, quæ diuitias contemnit, similiter in vltimis videbitur, sed in medijs apparet aurum pallidum. Threnor. 4. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus.* Vide *Sacerdos.*

Ecclesiastici mali ad diuitias aspirantes non habent Dei sapientiã, sed diabolicam,

CAP. XXXV.

De Eleemosyna.

Dvb. 1. Ad illa verba, Exodi 23. vers. 11. *Sex annis seminabis terram, & congregabis fruges eius, septimo anno autem dimittes eam.* Interlinealis, *dimittes eam, seminabis quidem, sed non colliges.* Cur seminanda erat terra septimo anno, nec tamen colligendi fructus? Si fructus non erant colligendi, cur terra seminanda? Similiter, cum *Leuitici 25. vers. 4.* dicatur, *septimo autem anno Sabbathum erit terræ requietionis Domini, agrum non seres, & vineam non putabis*, ergo non erat licitum septimo anno terram seminare, quod intendit *Glossa.*

Deus dedit diuitias diuitibus, vt indigentibus elargiantur, & dimittant pauperibus.

Resp. Quod Domini agrorum septimo anno poterant sementem facere, non autem poterant percipi fructus, sed dimittendi erant, vt pauperes conderent pro sustentatione eorum: hinc non erat licitum anno septimo colligere fructus, licet semina terræ mandarentur, vt pauperes fructibus illius anni inopiam suam sublcuarent. Deus enim ad hoc dedit diuitias diuitibus, vt indigentibus opem ferant, & pauperibus dimittant. Lyranus: *Dicit D. Augustinus quod septimo anno benè erat seminandum, sed non colligendum à seminantibus, sed erat dimittendum pauperibus, & subditur, vt comedant pauperes.*

2. Resp.

Eleemosyna sit gratuita, & voluntaria.

2. Resp. Quod septimo anno terra non erat colenda à Dominis, nec seminanda, sed eaque sponte nascebantur dimittenda erant pauperibus, & ab illis colligenda, vt comederent pauperes, vt terra dans gratuito, & spontanee semina pro pauperibus, innuat quod eleemosyna debet esse spontanea. Lyra: *Iosephus, & Hebræi dicunt, quod septimo anno non erat seminandum, nec colligendum à Dominis terræ, sed debebant dimittere illa, quæ sponte nascebantur pauperibus, & hoc magis concordat litteræ cum dicitur: anno autem septimo dimitte eam, & requiescere facias ita quod ly requiescere facias, referatur ad hoc quod terra non exerceatur per culturam, & ly dimitte, referatur ad hoc, quod Dominus campi ea quæ sponte nascebantur, illo anno pauperibus dimitteret.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 30. vers. 15. *Dives non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuit.* Cur dives, & pauper æqualiter offerebant Deo dimidium sicli? Conuenientius enim videbatur, quod qui plus habebat plus offerret, & qui minus; minus non enim æquari debent pauper, & dives, & sicut plures virtutum actus petit Deus ab illo, cui maiorem gratiam dedit, quam ab illo cui dedit minorem, ita ab illo, cui Deus dedit plura bona temporalia, plus petere debebat, quam ab illo, cui modica bona contulit. Cur ergo æqualia petit Deus ab habentibus bona inæqualia?

Eleemosynã aliquãdo datur ex vanitate.

Respondetur. Quod multoties eleemosyna datur motiuo vanitatis, vel tota, vel pars illius, quando dante vbi certam quantitatem, alter vanitate ductus aliam maiorem elargitur: ideo ad tollendam huius occasionis vanitatem, præcepit Dominus Moysi, quod quilibet ex numeratis in populo, siue dives, siue pauper offerret dimidium sicli. Eleemosyna enim aliquando datur ex vanitate. Abulensis: *Ex hoc diuites possent superbire existimantes esse pauperes alienos à Deo, & se esse ei coniunctos.*

Eleemosyna ex rebus alienis Deo non placet.

Dub. 3. Ad illa verba, Leuit. 1. v. 14. *Si autem de auibus, de turturibus aut pullis columbæ.* Cur Deus noluit sibi offerri sacrificia de auibus superioribus, & Regalibus, sicut sunt Aquila, accipiter, & aliæ similes?

Respondetur. Quod istæ aues sunt rapaces, de aliêno viuunt: hinc non vult offerri sibi de sacrificium de illis. Eleemosyna enim ex rebus alienis, Deo non placet. Abulensis: *Quoniam inter aues quædam sunt rapaces, non laboribus intendentes, sed viribus, & inuriis escas quærentes, sicut Aquila, & struthiones, & accipitres, ac malui: non decuit ex illis sacrificium offerri, quoniam Deus non acceptat sacrificium de rapina.*

Benignus erga pauperes, credi potest, quod saluus erit.

Dub. 4. Ad illa verba, 3. Reg. 2. v. 34. *Sepultusque est in domo sua in deserto.* An Adonias saluus factus sit?

Respondetur. Quod licet Bananias mortem inflixisset Adoniæ, tamen fuit ei inflicta in suorum expiationem peccatorum, & finem consequutus est sempiternum; fecerat enim in domo sua hospitale ad excipiendos pauperes, & peregrinos transeuntes. Et qui erga pauperes fuit ita hospitalis, & benignus, pie credi potest quod in portum salutis æternæ appullit. Lyranus: *Dicit Rabbi Salomon fecerat ibi*; scilicet, in domo sua, *hospitale ad recipiendum pauperes, & peregrinos transeuntes, Vnde dicunt Hebræi ipsum esse saluatum, & quod mors temporalis sibi inflicta fuit in expiationem peccatorum suorum.*

Dub. 5. Ad illa verba, Tobiæ 1. vers. 7. *Ita vt in tertio anno proselytis, & aduenis ministraret omnem decimationem.* Quas decimas dabat pauperibus Tobias? 2. Secundum enim legem plures erant decimæ, prima erat Leuitarum. *Num.* 18. Secunda erat in necessarijs erogandis, quando ter in anno visitabatur Templum. *Deuteronom.* 14. 3. quæ tertio anno tantum fiebat seruabatur pauperibus, quam ergo ex istis decimis dabat pauperibus?

Deo placet, quod pauperibus erogetur, quod ei non datur.

Respondetur, Quod Tobias non solum illam decimam quæ tertio anno in vsum pauperum separabatur, quæque vocabatur decima pauperum, pauperibus erogabat, sed etiam illam decimam secundam quæ deferebatur pro necessarijs Templi, quando ter in anno visitabatur Templum indigentibus impertiebatur: cum enim Tobias non posset ire ad Templum propter custodiam Regis, quæ delaturus erat in Templum, pauperibus elargiebatur, innuens quod qui Deo non dat, quæ tenetur dare, placet ei, & acceptat si pauperibus erogentur. Hugo Card. *Verum est, & de illa tantum loquitur hic Auctor, vt dicit Beda. Vt sit sensus omnem decimationem, supple tertij anni. Vel etiam de secundis decimis potest intelligi, quia cum Tobias non posset ire ad Templum propter custodes Regis, illas omnes dabat pauperibus quas secum debebat ferre.*

Dub. 6. Ad illa verba, Isaiæ 43. vers. 24. *Adipe victimarum tuarum non inebriasti me.* Hugo Card. *id est, pauperes meos.* Cur Dominus quæritur de Iudæis quod pauperes non imbuerunt adipe victimarum, cum sat esse largiri eis minora, quam adeps victimarum?

De melioribus, non peioribus faciēda est elemosina.

Resp. Quod Iudæi forsitam viliora dabant pauperibus: hinc quæritur Dominus quod adipe victimarum, id est, meliori cibo ex victimis non cibarunt pauperes. De melioribus enim pauperum inopia sublevanda est. Hugo Cardinalis: *Notabile est quod dicitur adipe victimarum, per quod notantur meliores cibi: multi enim etsi dent pauperibus, tamen de prioribus, & reliquys.*

Dub. 7. Ad illa verba, Ieremiæ 7. ver. 29. *Tolle capillum tuum, & proÿce.* Quæ verba intelligit *Hugo Card.* de elargitione temporalium quæ per capillos significantur? Cur temporalia erogata pauperibus comparantur capillis?

Temporalia quo magis in pauperes destribuuntur, eo plus multiplicantur.

Respon. Quod capilli quanto magis abraduntur, tanto plus multiplicantur: ita in pauperes erogata temporalia, quo magis in pauperes distribuuntur, eo plus augentur. Hugo Cardinalis: *Quanto magis raduntur capilli, tanto magis multiplicantur; sic est de temporalibus. Lucæ 6. Date, & dabitur vobis. Prouerb. 3. Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus, vt impleantur horrea tua saturitate. Non dicit euelle, sed tende: in tonsura enim non est dolor. Ideo dicitur 2. Corinth. 9. Non est tristitia, aut necessitate hilarem enim datorem Deus diligit. Ecclesiastic. 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Ecclesiast. 4. Inclina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde illi debitum tuum. Dicit autem capillum, non capillos, cum tamen capillos totondit quia quantumcunque det homo debet ei videri, quod nihil det; nihil enim est respectu illius quod Dominus promittit dantibus.*

Elemosina non ex tristitia, sed lætitia erogan da est.

Dub. 8. Ad illa verba, Matth. 6. v. 1. *Ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, iustitiam, id est, eleemosynam vestram, vt notat *Caietanus.* Cur Christus non dixit attendite ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus absolutè, sed cum adiectione finis, *vt videamini ab hominibus?*

Maiora promittit Deus liberali in pauperes, quam dat homo in pauperes munificus.

Resp. Quod faciens eleemosynam volens ab hominibus videri gloria vana, inani, atque falaci ducitur, & fertur: hæc autem priuat eleemosynam sua mercede: hinc non dixit Christus, attendite ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus absolutè, sed adiecit finem *vt videamini ab eis*, alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum. Qui enim facit eleemosynam plausu populari exultans, & ob hunc finem, priuatur eleemosynæ mercede. Caietanus: *Non dixit cœlestis Magister, attendite ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus absolutè, sed cum adiectione finis, vt videamini ab eis; hic enim finis prohibetur, quia vana gloria est, alioquin mercedem non habebitis pro haberis apud patrem vestrum qui in cœlis est, non dixit alioquin damnabimini, sed quod carent mercede apud Patrem cœlestem.*

Qui facit elemosinam ob captandum plausum hominum, priuatur elemosinæ mercede.

Dub. 9. Ad illa verba, Actor. 10. v. 4. *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Cur Angelus missus ad cornelium?

Maxime curat Deus salutem spiritualem munifici hominis in pauperes.

Resp. Quod cornelius faciebat eleemosynas multas plebi: ideo misit Dominus ei Angelum suum curans de salute spirituali cornelij. Maximè enim curat Deus spiritualem salutem munifici hominis in pauperes. Caietanus: *Ad similitudinem enim denouo recordati eleemosynarum, & orationum tuarum Deus disponit de salute tua, mittendo me ad te.* Vide *Paupertas.*

CAP. XXXVI.

De Exemplo.

Dub. 1. Ad illa verba, 2. Reg. 21. v. 12. *Et abijt Dauid, & tulit ossa Saul, & ossa Ionathæ filij eius.* Cur Dauid iuit personaliter, & non misit ad tollenda ossa Saulis?

Opera pietatis suo exemplo mouent alios ad similia.

Respon. Quod Dauid motus fuit ab exemplo pietatis mulieris Respha, quæ coram habuit de affixis corporibus, vt pius esset erga corpora suspensorum: hinc non misit seruos ad tollenda corpora, sed personaliter iuit, vt suam pietatem, sicut Respha ostenderet erga mortuos. Opera pietatis suo exemplo mouent alios ad similia. Caietanus: *Ecce fructus boni exempli. personaliter iuit Rex ad tollendum ossa Saulis, & Ionathæ, motus exemplo mulieris; non enim dicitur, & misit Dauid, sed dicitur, & iuit Dauid.*

Dub. 2. Ad illa verba, 4. Reg. 9. vers. 33. *Et equorum vngulæ conculcauerunt eam.* Iuxta Hebræum habetur, *& conculcauit eam.* Quis primus conculcauit equo

equo suo Iezabelem? Etsi vnus fuit, qui conculcauit, cur dicitur quod conculcauerunt eam equorum vngulæ?

Malum exẽplum vnius alios ad impietatem trahit,

Resp. Quod Iehu primus fuit, qui eam conculcauit: hinc dicitur quod multitudo equorum conculcauit eam, vel singuli, aut quisque equorum prætereuntium. Malum enim exemplum vnius, alios ad impietatem trahit. Cajetanus: *Vt conculcauerunt eam; potest tamen legi, & calcauit eam, vtroque tamen modo significatur quod multitudo equorum calcauit eam, & forte ipsemet Iehu equo suo calcauit eam primus.*

Dub. 3. Ad illa verba, Isaiæ 49. v. 2. *Posuit os meum quasi gladium acutum, & posuit me sicut sagittam electam.* D. Cyrillus Alexandrin. per gladium qui est in ore, verba doctrinæ, per sagittam vero electam, seu vt est in Hebræo *limatam, & tersam*, quæ est in corpore, exempla vitæ intelligere videtur. Cur Propheta confert gladium, & sagittam inter se?

Exempla efficacius imprimuntur quam verba.

Resp. Quod sagitta magis penetrat quam gladius: hinc benè exempla vitæ comparantur sagittæ, verba vero doctrinæ gladio; quia efficaciora sunt exempla ad mouendum, quam verba. Mendoza: *Confert gladium, & sagittam inter se, quo sagitta magis penetrat, & ad longius spatium pertingit quam gladius, eo exempla altius, & efficacius animis imprimuntur quam verba.*

Dub. 4. Ad illa verba, Amos 2. v. 12. *Et propinabatis Nazaræis vinum.* Cur prohibebatur propinare vinum Nazaræis, cum Ieremiæ 35. vers. 2. præcepit Dominus Ieremiæ: *Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces eos in domum Domini in vnam exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum.* Cum ergo Rechabitæ essent Nazaræi, Nazaræis non erat prohibitum bibere vinum.

Exemplaris obseruantia legis, legum transgressores cõfundit

Resp. Quod Ieremias obtulit Rechabitis vinum, vt biberent: illi vero non biberunt, quia Ionadab filius Rechab patris eorum, præcepit eis quod non biberent vinum, nec ipsi, nec filij eorum vsque in sempiternum: Nazaræi autem vinum lege vetitum bibebant: hinc exemplum Rechabitarum obseruantium præcepta patris proponitur transgressoribus legis, vt obseruantia Rechabitarum, qui non bibebant vinum ex præcepto patris, confunderet Nazaræos vinum bibentes contra legem. Exemplaris enim obseruantia legis, legum transgressores confundit. Hugo Cardinalis: *Hoc non fuit, vt Rechabitæ biberent vinum, sed in confusionem aliorum, qui præcepta Dei non obseruabant, sicut illi præcepta patris sui.*

Dub. 5. Ad illa verba, 1. Esdræ 10. vers. 11. *Inuenti sunt de filijs Sacerdotum, qui duxerunt vxores alienigenas.* Cur prius numerantur Sacerdotes, qui fortasse non prius peccarunt?

Peccatum Sacerdotũ grauissimũ est, quia suo exẽplo tanquam radice multa peccata in populo enascuntur.

Resp. Quod peccatum Sacerdotum occasio fuit alijs peccandi: hinc prius numerantur Sacerdotes, qui contra legem duxerunt vxores alienigenas, quasi illud peccatum grauissimum censeatur, ex quo tanquam ex semine plura enascantur. Lyranus: *Inter transgressores istos primo nominat Sacerdotes, quia peccatum istorum causa fuit, & occasio alijs peccandi. Vnde D. Gregorius in Pastorali. Cum Pastor per abrupta graditur, consequens, vt ad præcipitium grex sequatur.* Vnde Leuitici 4. vers. 22. *Præcipitur Principi quod pro peccato offerat hircum de capris.* Cur maius sacrificium iubetur offerri à Principe quam pro peccato alicuius priuatę personæ?

Maius est peccatũ Principis extensiue propter malum exẽplum quam peccatum priuatæ personæ.

Respond. Quod peccata Principum grauiora sunt peccatis popularium, non intensiue, sed extensiue; propter malum exemplum, quod in illis imitantur, quia subditi faciunt, quæ in illis vident propter adulationem, cogitantes se illis in hoc placere, & quia si talia non egissent putant ab illorum gratia casuros, & quod peius est, subditi quod à Principe fieri vident, tanquam legem ipsis impositam iudicant: hinc maius sacrificium iubebat Deus; scilicet, hircum de capris, offerri pro peccato Principis, quam pro peccato alicuius priuatæ personæ. Maius est peccatum Principis propter malum exemplum, quam peccatum priuatæ personæ. Abulensis: *Extensiue tamen peccatum Principis maius est, quia illum plures imitantur. Alij enim quoniam licitum esse putant, cum Princeps istud agat, alij autem vt Principi adulentur imitantur actum eius, sic putantes ei se magis placere: interdum autem alij hoc imitantur quia ibi sic non fecerunt, existimant sibi indignationem Principis affuturam. & quod deterius est, interdum quod Princeps illicite agit, vt ius esse videatur, pro lege constituit: sic habetur de Semiramide Regina Babyloniorum vxore Regis Ni, quæ mortuo viro suo, vt Regia potestate non careret, si filius eius aliam sibi acciperet vxorem, solicitauit eum, vt eam haberet in vxorem, quod &*

ma-

matris frequentibus monitis, atque adulationibus factum est, & vt tantum nefas quouis modo tegi posset, lege constitui, vt omnibus fœminis liceret filios suos in matrimonium accipere.

Dub. 6. Ad illa verba, 1. Machab. 1. vers. 11. *Exijt ex eis radix peccati.* Cur Antiochus vocatur radix peccati, & non peccatorum?

Vnum peccatum Regis multiplicatur in subditis, dum malum exẽplũ Regis imitãtur.

Resp. Quod sicut rami, frondes, flores, fructus à radice arboris germinant, ita ab vno Regis Antiochi peccato, multa in tota sua Republica peccata propagata fuerunt. Vnũ enim peccatum Regis multiplicatur in subditis, dum Regem imitantur. Lyranus: *Quia ex illo pullularunt plura mala quam ex alijs præcedentibus.*

Dub. 7. Ad illa verba, Matth. 5. v. 11. *Et prosecuti vos fuerint, gaudete, & exultate, vers. 12. Sic enim persecuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos.* Cur Dominus vt ad patientiam Discipulos hortetur, memorat eis Prophetas in persecutione patientes, cum sat esset ad alliciendos eos ad patientiam, proponere præmium dicens: *gaudete, & exultate.*

Efficacius est exemplũ ad imitandam virtutem, quam præmium.

Respondetur. Quod Dominus Iesus non solum præmio, sed etiam exemplo Prophetarum, qui patienter sustinuerunt persecutionem, eos ad patientiam prouocat, quasi efficacius sit exemplum ad imitandam virtutem, quam præmium. Caietanus: *Non solum à copioso præmio, sed ab exemplo ad hanc beatitudinem accendit Discipulos, quia magnam, & imminentem præuidebat persecutionem. Non pietatis hanc perfectionem ita nouam, vt non præcesserint illius exempla, quoniam sic simili modo, & verbis, & factis mentiendo, persecuti sunt Prophetas Dei Ieremiam, Isaiam qui fuerunt ante vos patres vestros, quorum debetis imitari vestigia.*

Dub. 8. Ad illa verba, ad Galatas 2. vers. 14. *Quomodo gentes cogis Iudaizare?* Cur D. Paulus dicit de D. Petro, quod edens cum gentibus, & indifferenter vtens cibis Gentilium, cogebat Gentes Iudaizare? Cur dicebat cogis, non vero inuitas?

Superiorum exemplũ, nõ inuitat, sed cogit subditos ad imitationem.

Respond. Quod D. Petrus cum Iudæus esset Natione, & genere, Gentiliter, & non Iudaice viuebat, Gentium, & non Iudæorum ritum seruans, cum sciret, & sentiret discretionem ciborum nihil conferre: hinc dicebat D. Paulus quod D. Petrus cogebat gentes Iudaizare, non quidem imperio, sed suæ conuersationis exemplo vim inferebat gentibus ad Iudaizandum. Exemplum enim superiorum non inuitat, sed cogit, & impellit subditos ad imitationem. Caietanus: *Cogis inquit exemplo facti tui; facta enim superiorum non tam inuitant, quam cogunt subditos ad imitationem.*

Dub. 9. Ad illa verba, Apocalyps. 2. vers. 2. *Scio opera tua & laborem tuum, & quia non potest sustinere malos.* Cur Episcopus Ephesi non sustinebat malos. Cum *Matth.* 13. *vers.* 30. dicat Dominus: *Sinite vtraque crescere, vsque ad messem,* & D. Augustinus ait: *Bonus non fuit, qui malos sustinere non nouit.* Cur ergo Prælatus Ecclesiæ Ephesinę non sustinebat malos?

Arcendi à Republica, qui malo exẽplo alios trahere ad mala intendunt.

Resp. Quod mali qui non curant suam malitiam ab alijs imitari, sustendi sunt, qui vero intendunt suo malo exemplo alios ad eadem trahere, non sunt permittendi, sed à Republica arcendi propter damnum, quod malo exemplo inferunt: hinc Episcopus Ephesi non sustinebat malos, qui malis exemplis alios trahebant ad mala. Expellendi enim sunt, qui malo exemplo alios ad mala trahunt. Hugo Cardinalis: *Sunt quidam mali qui intendunt, & laborant alios facere quales ipsi sunt, sicut Hæretici, & de his loquitur Exodi 22. vers. 18. Maleficos non patieris viuere: sunt, & alij mali, qui non intendunt suam malitiam multiplicare, & de illis loquitur. Matth. 13.* Vide in Indice *Exemplum, Imitari.*

F

CAP. XXXVII.

De Fama.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 14. v. 18. *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi.* Cur dicitur de Melchisedec quod erat Sacerdos Dei Altissimi? Ne sat erat dicere quod obtulit panem, & vinum Abrahæ, qui a erat Sacerdos, cur ergo addidit, *Dei Altissimi?*

Tuendi sunt Sacerdotes, cum male de eis homines possunt concipere.

Respond. Quod tempore Abrahæ vigebat idolatria: hinc vt non conciperent homines de Melchisedec, quod erat Sacerdos Idolorum, adijcitur Sacerdos Dei Altissimi, cui obtulit sacrificium panis, ac vini, victoriale, & triumphale pro parta victoria Abrahami. Tuendi enim, & commendandi sunt Sacerdotes, cum in malam suspicionem incidere possunt. D. Thomas

ad

ad Hebræos 7. Lect. 1. *Verum est quod tempore Abrahæ multum inualuerat cultus Idolorum: & ideo vt non crederetur quod esset Sacerdos Idolorum, additur Dei Altissimi.*

Dub. 2. Ad illa verba, Leuitici 13. v. 6. *Lauabitque homo vestimenta sua, & mundus erit.* Cur Dominus præcipit lauare vestimenta, cum iam homo mundus esset à lepra?

Homo ità consulat suæ famæ, quod non solũ nõ sit malus, verum nec malus apparere

Resp. Quod ille qui fuit leprosus, oportebat quod non solum non esset leprosus, verum quod nec leprosus apparet, vel iudicio Sacerdotis, vel in oculis omnium: hinc præcipit Dominus quod etiamsi mundus sit à lepra, lauet vestimenta sua, ne appareat leprosus. Homo enim non solum debet non esse malus, verum nec malus apparere. Oleaster: *Docet hic pios culpam timere vbi culpa non est. Qui lotus, inquit, est, non indiget, nisi vt pedes lauet, vbi pulchre docet non solum timendum esse, ne malus sis, sed etiam ne malus appareas. Quoddam enim genus culpæ esse videtur, etsi non sit malum apparere. Neque tamen pius præcipit pater corpus lauare, sed vestem, quoniam sat est illi, qui solum malus apparet, extergere famam malam.*

Mala fama extergenda

Dub. 3. Ad illa verba, Deuteronom. 34. vers. 6. *Et non cognouit homo sepulchrum eius, vsque in præsentem diem.* Cur noluit Deus sepulchrum Moysi cognosci ab hominibus? Cur qui tam notus fuit viuus, ignotus est mortuus?

Non minus consulẽdum est famæ mortui, quã viui.

Resp. Quod facies Moysis ex consortio Diuino fulgore erubescabat; at vero mortuus excolorata erat facies pallore mortis, & poterant suspicari Iudæi Moysem in pœnam alicuius peccati antiquum illum splendorem amisisse, & hunc assumpsisse pallorem. Ne ergo Iudæi hanc sinistram imbibant existimationem, & opinionem de Moyse, Deus voluit incognitam esse sepulturam Moysi. Non enim solum consulendum est famæ alterius dum viuit, verum etiam postquam mortuus est. Mendoza: *Si Hebræi viderent Moysem mortis pallore decoloratum, quem viderant ex Diuino colloquio solis fulgore coruscantem. Exodi 34. vers. 29. Crederent eundem Moysem à familiari illa cum Deo amicitia, quam antea habuerat decidisse, & in alicuius pœnam criminis suum illum splendorem cum hoc pallore commutasse: ne igitur tam sinistra opinio de iusto viro in vulgus daretur, merito illum Deus ab omnium oculis subduxit, non minus consulens mortuo, quam viuenti consuluerat.*

Dub. 4. Ad illa verba, Danielis 3. vers. 92. *Species quarti similis Filio Dei.* Cur inter fornacis incendia apparet Deus?

Deus consulit bonæ existimationi eorum, qui pro eo patiũtur, ne aliquid mali de illis suspicetur.

Resp. Quod si Babylonij viderent solos pueros inter flammas ambulantes, magos illos, & præstigiatores esse crederent: hinc apparuit Deus inter illos, trium puerorum bonæ existimationi consulens, vt ex Diuino consortio credant, illud non eius maleficium diabolicum, sed prodigium Diuinum. Hugo Cardinalis: *In vultu enim quarti super vultus humani splendorem aliquid radiare vidit, & ideo Filio Dei, & non hominis, id est, Deo, & non homini similem dicit hunc Filium Dei, vt dicit B. Hieronymus.*

Dub. 5. Ad illa verba, Matth. 2. vers. 11. *Et inuenerunt puerum cum Maria Matre eius.* Cur Dominus Iesus, Beataque Virgo Maria secum non habebant Sanctum Ioseph, cum esset Sponsus, & pater putaretur?

Propriæ famæ ita consulendũ est, quod non detur occasio malæ suspicioni.

Resp. Quod si Sanctus Ioseph esset cum Sponsa, & Filio, daretur occasio malę suspicionis gentibus, qui putarent quod Saluator natus est de S. Ioseph ne ergo tali suspicione ducantur, non sinat Dominus Iesus, nec Domina nostra S. Iosephum adesse cum Magi veniunt ad eum adorandum. Propriæ famæ ita consulendum est, quod non detur occasio malæ suspicioni. Hugo Cardinalis: *Inuenerunt puerum cum Maria Matre eius, non dicit cum Ioseph, quia Diuina dispositione actum est, vt illa hora absens esset, ne crederent de ipso Christum natum.*

Dub. 6. Ad illa verba, Matth. 11. v. 7. *Cæpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne.* Cur hucusque Dominus tacuit laudes Ioannis, & modo laudibus extollit?

Tunc cõmendandus est homo, cũ periclitatur eius fama, & opinio.

Resp. Quod constantia D. Ioannis, & testimonium redditum à Ioanne de Iesu versabatur in periculo, periclitaturque eius fama in opinione turbarum: hinc Dominus qui hactenus tacuit laudes D. Ioannis, modo eius laudat animi constantiam: *Quid existis in desertum videre, arundinem vento agitatam?* Deinde commendat corporalis vitæ austeritatem, à vestibus significatam: *Quid existis videre hominem mollibus vestitum?* tandem excellentiam prophetiæ: *Etiam dico vobis, & plusquam Prophetam.* Tunc enim commendandus est homo, cum periclitatur eius fama, & opinio. Caietanus: *Tunc cæpit dicere Iesus ad turbas de Ioan-*

Ioanne: Hactenus quia non oportuit, tacuit laudes Ioannis, modo autem quia periclitabantur in opinione turbarum, tum constantia, tum testimonium redditum à Ioanne de Iesu, inchoat laudes Ioannis. Nesciebant enim turbæ qua ratione Ioannes misisset Discipulos ad interrogandum: Tu es Messias, an alium expectamus? Et propterea dubitare poterant de Ioannis constantia, & testimonio: huiusmodi ambiguitatem tollit Iesus laudans Ioannem dupliciter.

Dub. 7. Ad illa verba, Lucæ 7. v. 44. *Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit.* Cur Dominus cum notatur de ignorantia à Pharisæo dicente, *hic si esset Propheta, sciret vtique quæ ei qualis est mulier quæ tangit eum*, nihil loquitur pro se, multus tamen est in extollenda Magdalena?

Iustus potius tuetur famã alterius, quã suam.

Resp. Quod licet Pharisæus minorem concepisset de Iesu opinionem, arbitrans eum non esse Prophetam, quia ignorabat personam quam permittebat pedes suos tangere, tamen nihil loquitur pro tuenda, & defendenda sua sapientia, & cognitione, at pro mulieris sanctitate extollenda, multis vtitur verbis, quod lachrymis abluit pedes, capillis tersit, osculata est eosdem, & demum vnguento vnxit. Iustus enim potius tuetur famam alterius quam suam. Mendoza: *Christus pro sua sapientia tuenda, nec verbum quidem vnum facit, pro Magdalene sanctitate commendanda longam orationem exorditur. Laudat pœnitentiam in effundendis lachrymis, liberalitatem in spargendis vnguentis, humilitatem in amplectendis pedibus, charitatem quoniam, dilexit multum.*

Dub. 8. Ad illa verba, 1. ad Timoth. 1. vers. 18. *Secundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam.* Cur dicitur Timothæo quod bonam militiam agat secundum præcedentes de eo prophetias? Quæ nam hæ prophetiæ?

Ex bona fama, & opinione, animus accenditur ad benè agendum.

Resp. Quod D. Paulus aliqua testimonia habuit de Timotheo antequam promoueret eum in Episcopum: hinc dicit quod agat, & militet secundum testimonium bonam existimationem, & famam quæ de ipso habetur. Bona enim fama, & opinio multum iuuat, vt quis benè agat. Caietanus: *In actibus Apostolorum scribitur quod de Timotheo multa bona reddebantur testimonia cum Paulus assumpsit eum secum. Plus autem explicatur hic dicendo quod præcesserunt prophetiæ de Timotheo, & quantum ex his conijcitur, ab aliqua seu aliquibus spiritualibus personis prædicta fuerant multa bona spiritualia Timotheo accessura, quæ tam Paulo quàm Timotheo erant nota. Et propterea animus Timotheï accendit ex talibus præcedentibus prophetijs.*

CAP. XXXVIII.

De Fauore.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Iuxta Hebræum habetur: *Faciemus hominem.* Cur Deus lucem creaturus, dixit *fiat lux* seu vt est in Hebræo, *erit lux*, olas maturus autem hominem dixit *faciamus hominem*, seu *faciemus*? Cur non describitur lux facta per ipsum Deum homo vero dicitur factus per ipsum?

Fauor Principis per ipsum impensus, in maiori pretio habetur.

Resp. Quod fauor Principis, quo aliquem prosequitur per ipsum Principem impensus, maior est, & in maiori æstimatione, & pretio habetur: hinc creaturus lucem, dixit: *Fiat lux, & facta est lux*, creaturus luminaria, dixit *fiant luminaria*, congregaturus aquas, dixit *congregentur aquæ*, quasi describebatur Deus non per se ipsum, sed per alium creans hæc, licet ipse dixerit, & ipse fecerit: at creaturus hominem, dixit *faciemus hominem*, describens quod per se ipsum eum erat formaturus, vt beneficium creationis collatum homini immediatè per ipsum Deum in magno pretio haberet. Caietanus: *Noua res dicta à Deo describitur, faciemus, hactenus siquidem descriptum est dixit Deus, erit lux, erit extensio, erit luminaria congregabuntur, germinabit, & producet. Modo describitur quod dixit Deus, faciemus hominem; est nouitas qua significat se facturum, & ratio nouitatis in promptu est creatio hominis secundum animam intellectiuam. In reliquis enim à Deo dictis nihil significatum est per modum creationis efficiendum, vt patet per singulos dies creationis discurrendo: nam primo die dictum est, erit lux, quæ per modum consequentis proprietatis fit, secundo autem erit extensio, quæ manifeste præsupponit, sem quantam, quarto autem die, erit luminaria, sub intelligendo, quod lux erit luminaria, reliquorum autem dierum dicta manifeste à modo creationis distant. Ad insinuandum itaque decreuisse Deum ab æterno, quod hominem facit ipse per se ipsum.*

sam, creando intellectiuam animam hominis ex nihilo, describitur quod dixit Deus faciemus hominem.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 47. vers. 26. *Ex eo tempore vsque in præsentem diem in vniuersa terra Ægypti Regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem.* Cur fauores quos Reges Ægypti impendebant populis non permanebant: tributa vero imposita durant vsque in hodiernum diem?

Fauores, & gratiæ Regũ transitoriæ sunt, tributa vero permanent

Respondetur: Quod tributa quæ à Regibus imponuntur, in sempiternum durant, gratiæ vero, & fauores, si quos impendunt, transitorij sunt, quia in Regibus accipere est quasi æternum, dare vero est temporale: Hinc vsque in præsentem diem in vniuersa terra Ægypti Regibus quinta pars soluitur, & fauores cessarunt. Fauores enim, & gratiæ Regum si quæ fiunt, transitoriæ sunt, tributa vero perpetua. Abulensis: *Et non solum vsque ad tempus Moysi illa iura Regibus persoluta sunt, sed etiam vsque hodie perseuerant. In quo patet magna solertia Regum circa subditos in recipiendis redditibus, quia in tantis temporum circulationibus, & variis quasi mutatis mundi euentibus nunquam illa iura aboleri potuerunt, licet hoc satis Ægyptus desideraset. Si autem hoc fuisset aliquod priuilegium in fauorem communitatum, vel populorum, siue aliqua lex iuste populos dirigens, iam à multis temporibus abolita, & obliuioni data fuisset.*

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 29. vers. 34. *Alienigena non vescetur ex eis quia sanctisunt.* Cur alienigenę prohibebatur edere de carnibus arietis, & de panibus?

Fauores non sint communes, & vulgares, sed impendantur illustribus, & dignioribus,

Respondetur. Quod huiusmodi sanctificata, & Deo oblata solum poterant edere, qui erant de semine Sacerdotali: Hinc Dominus prohibuit alienigenis, scilicet, iis qui non erant de genere Sacerdotali Aaron, eorum esum, ne quæ Deo erant sanctificata communia essent, & vulgaria viderentur. Fauores enim non sint communes, & vulgares, sed impendantur illustribus, & dignioribus. Hugo Cardinalis: *Quia sancti sunt illi, scilicet, fuerunt de stirpe Aaron poterant comedere, quia sancti sunt, id est, Deo oblati, quia sanctificata sunt, scilicet, Deo oblata. Omnia enim Deo oblata sancta sunt, & non debent cedere in esus communes, in forma, scilicet, in qua prius erant. Sic fiebat de agno Paschali* Et Maluenda: *Alienigena non vescetur ex eis, qui ex familia Aaronis non fuerit.*

Dub. 4. Ad illa verba, Numeror. 12. vers. 8. *Ore ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Cur de Moyse dicitur, quod Deus loquebatur ei ore ad os, de alijs vero Prophetis, quod loquebatur in ænigmate, & in vmbra?

Ex fauore impenso, dignoscitur præstantia iusti supra alios.

Respondetur. Quod Moyses non eijsdem vmbraculis obductis, cum Deo communicabat, qua alijs Prophetis opus erant, prout se illis dicitur retexisse Deus, sed quam maxime potest fieri euidentia, alijs loquebatur in somnio, ænigmate, & vmbra: Moysi vero ore ad os, vt pateat eminentia, & præstantia Moysis ad alios Prophetas. Ex fauore enim impenso dignoscitur præstantia iusti supra alios. Caietanus: *Vide disparitatem, cerne excellentiam, de reliquis Prophetis dixerat, in somnio loquar in eo, de Moyse autem dicit, ore ad os loquar in eo, quanta est disparitas inter alloquentem in somnio, & alloquentem ore ad os, tanta significatur disparitas inter Deum quatenus alloquitur alios Prophetas, & quatenus alloquebatur Moysem: quantum eminet modus alloquendi ore ad os modo alloquendi in somnio, tantum eminet gradus Prophetiæ Moysis gradui Prophetiæ aliorum in genere allocutionis Diuinæ; plus dicam in specie, qua Deus ipse apparet alloquens: vtrobique enim dicit Deus in prima persona: loquar in eo, & tota disparitas consistit penes hoc, quod ibi dicitur in somnio, hic autem ore ad os.*

Dub. 5. Ad illa verba, Deuteronom. 5. vers. 3. *Non cum Patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum, qui in præsentiarum sumus, & viuimus.* Cur Israelitæ dicunt, quod Deus pepigit pactum cum eijs solum; cum *Deuteron.* 1. *vers.* 8. dicatur: *En inquit, tradidi vobis: ingredimini, & possidete eam super qua iurauit Dominus Patribus vestris Abraham, Isaac, & Iacob, vt daret illam eis, & semini eorum post eos.* Non ergo verum est, quod dicunt, quod tantum cum eis pepigit fœdus.

Fauores Dei cõtinui sũt, & renouãtur, & Principum fauores assidui sint, & renouentur,

Respondetur. Quod Deus pactum pepigit cum primis patribus, & cum illis qui de Ægypto exierunt, quod consistebat in hoc, quod Abraham haberet eum pro Deo in perpetuum, & similiter semen eius, & quod custodiret pactum eius, quod ad legem referendum est, quod colligi videtur ex verbis Domini ad Isaac *Genes.* 26. *ver.* 3. 4. & 5. vnde hoc pactum in cæptum fuit inter Deum, & Abraham cum in Oreb lex promulgata fuit, renouatum tamen in deserto: Hinc dicunt Israelitæ, quod non cum patribus suis Deus

iniit pactum sub intelligendo particulam *tantum*, vel solum; id est, non tantum cum patribus nostris Deus iniit fœdus, sed etiam nobiscum, quod haberemus eum perpetuo pro Deo & legem obseruandam, & quod Deus pro suo populo peculiari nos haberet, & quod esset nos multiplicaturus sicut stellas cœli, & quod daturus esset uobis terram Chananeorum, pactum ergo initum cum Abrahamo, & semine eius renouatum fuit, licet sub diuersa forma in deserto cum successoribus. Fauores enim Dei continui sunt, & Principum assidui esse debent. Maluenda: *Quidam explicant sententiam. Non cum patribus nostris pepigit Iehoua fœdus istud nimirum ijs, quia ante fœdus in Chorebo factum mortui sunt. Nam legis pactum tunc primum cœpit cum in Chorebo lex promulgata est, fuit quidem fœdus substantia idem initum cum Abrahamo, renouatum in deserto, & plane in Christo exhibitum, sed forma pro temporum, personarumque ratione diuersum dicitur.*

Dub. 6. Ad illa verba, Iosue 10. vers. 12. *Locutus est Iosue Domino: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra Vallem Aialon.* Cur Iosue petiuit hunc fauorem impendi sibi à Deo, quod Sol nec Luna mouerentur, cum rem inusitatam peteret?

Qui semel aliquem fauorem adeptus est, audax est ad alium petendum.

Respondetur. Quod Iosue expertus fuit Deum ei maxime fauisse mittens super Gabaonitas lapides magnos de cœlo aereo, quibus lapidibus grandinis mortui sunt multo plures, quam quos gladio percusserant filij Israel. Hinc Iosue petiuit à Domino, quod alio fauore de cœlo sidereo prosequeretur eum, vt scilicet Sol, & Luna non mouerentur donec vlciscetur se gens de inimicis suis. Qui enim semel aliquem fauorem adeptus est, audax est ad alium petendum. Lyranus: *Videns enim primum signum à Deo datum de cœlo aereo, ex hoc confidens petiuit secundum de cœlo sidereo dicens: Sol contra Gabaon ne mouearis.*

Dub. 7. Ad illa verba, Iosue 24. vers. 7. *Viderunt oculi vestri cuncta quæ in Ægypto fecerim.* Qui sunt isti qui viderunt mirabilia quæ Deus fecit pro Israel in Ægypto, cum isti ad quos est sermo, nunquam fuerint in Ægypto, sed omnes nati fuerunt in deserto, vel potius in terra Promissionis, vt constat ex Sacro textu?

Deus, & Princeps volunt habere testes oculatos fauorum, quos impendunt, ne negẽt homines.

Respondetur. Quod illi quibus loquitur Dominus; scilicet, Iosue, & Caleb, & de tribu Leui alij, ante quam exirent de Ægypto viderunt multa quæ Dominus in fauorem Israel fecit in Ægypto: Ideo dicit Dominus, quod isti, licet non alij, qui vel nati fuerunt in deserto, vel potius in terra Promissionis, viderunt mirabilia, quæ in Ægypto operatus est Dominus pro Hebræis. Vult enim Deus, & Princeps testes oculatos habere fauorum, quos impendunt hominibus, ne negent homines. Lyranus: *Iosue, & Caleb, & multi de tribu Leui qui ibi erant, exierunt de Ægypto, & ante exitum viderunt mirabilia, quæ Dominus ibi fecerat pro filijs Israel.*

Dub. 8. Ad illa verba 4. Reg. 18. vers. 5. *Post eum non fuit similis ei de cunctis Regibus Iudæ, sed neque in his qui ante eum fuerunt.* Cur dicitur, quod in præcedentibus Regibus, & in sequentibus non fuit aliquis Rex in Iudà æque bonus, vel melior Ezechia; cum 4. *Reg.* 23. vers. 25. legatur de Iosia: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo.* Item in hoc cap. vers. 3. dicitur de Ezechia: *Fecit quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius.* Ergo in Regibus præcedentibus, & sequentibus fuit aliquis Rex æque bonus sicut Ezechias.

Ex singularitate fauorum quibus aliquis decoratur à Deo præstantia eius super alios attenditur.

Respondetur. Quod licet Iosias melior fuerit Ezechia, tamen Ezechias Iosiæ antefertur, propter fauores quibus Dominus illum magnificauit, in quibus alij Reges neque ante eum, neque post eum non fuerunt similes. Ex singularitate fauorum, quibus aliquis decoratur à Deo, præstantia eius super alios attenditur. Hugo Cardinalis: *De Iosia dicimus, quod melior fuit, sed Ezechias præponitur illi, quia magnificatus est præclaris bellorum titulis, & quia tria inaudita fecit Dominus propter ipsum; scilicet, regressum solis, additionem annorum, stragem hostium per Angelum.*

Dub. 9. Ad illa verba 4. Reg. 9. vers. 3. *Et ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, & introduces in interius cubiculum.* Cur Eliæus Ministro vncturo in Regem Iehu iubetur introducere in cubiculum? Cur occulte, & remotis arbitris vnxit eum minister Elisæi?

Qui publicè, & non secreto impendit fauores alijs, timeat damnum sibi inferendum.

Respondetur. Quod Elisæus timebat aliquod sibi malum inferendum à domo Regia Achabi cum vnctio Iehu esset contra domum Regis. Hinc suo Ministro consulit, vt eum vngat in Regem non publicè, sed clam, secretè, in abstrusissimo loco, qualis erat cubiculum in cubiculo. Fauores enim secreto im-

impendendi sunt, ne fauens aliquod damnum patiatur. Caietanus: *Et introduces ad cubiculum in cubiculo consulit suo nuncio Eliseus mandando vt non publice, sed in loco secreto vngat in Regem Iehu, ne videlicet aliquod nocumenti inferretur illi, vtpote contra domum Regiam agenti.*

Dub. 10. Ad illa verba, Psalmi 50. v. 2. *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Cur Dauid dicit quod Deus manifestauit ei incerta, & occulta sapientiæ suæ: cum *Ecclesiastes* 9. vers. 2. legatur, quod *omnia in futurum reseruantur incerta.*

Maior habetur fauor vni singulariter concessus, & alijs negatus

Respondetur. Quod Arcana Mysteria Sacræ Scripturæ singulariter fuerunt manifestata Dauidi, alijs vero fuerunt incerta, & occulta: hinc dicit quod incerta, & occulta sapientiæ Dei fuerunt ei singulariter præcæteris reuelata, vt maiorem haberet fauorem illi singulariter concessum, alijs vero negatum. Incognitus: *Per incerta & occulta sibi reuelata intelligit Arcana Mysteria Sacræ Scripturæ, quæ alijs sunt occulta, & incerta, sed isti manifestata fuerunt vt est Beatorum gloria, damnatorum supplicia, & similia, de quibus multoties agit in Psalm. Vnde de ipso singulariter potest dici. Illud Iob 28. Profunda fluuiorum scrutatus est, & abscondita produxit in lucem.* Vide in Indice *Fauor.*

CAP. XXXVIIII.

De Fide.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 15. vers. 4. *Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo ipsum habebis hæredem.* Iuxta Hebræum habetur: *Quid si qui exibit de visceribus tuis ipse hæreditabit te?* Cur Dominus non dixit Abrahamo, iste Isaac qui egredietur de vtero tuo hæreditabit te, sicut dixit negatiuam non hæreditabit te iste; scilicet, Eliezer. Cur interrogatiue proponit affirmatiuam?

Fides necessaria ad Diuina beneficia obtinenda

Respondetur. Quod Dominus volebat paulatim disponere Abrahamum ad credendum, quod habiturus erat filium, quod beneficium erat præter expectationem, & insperatum: ideo ponit affirmatiuam interrogatiue, *quid si qui exibit de visceribus tuis hæreditabit te* Vt Abraham credens hoc, aptior reddatur ad beneficium insperatum obtinendum. Fides enim necessaria ad Diuina beneficia consequenda. Caietanus: *Omnes quotquot vidi Interpretes, nescio quare horruerint interpretari, vt iacet iuxta Hebræum: Qui si qui exibit de visceribus tuis, ipse hæreditabit te? Post negatiuam non hæreditabit te iste Eliezer, non statim profert Deus affirmatiuam: sed pedetentim procedit, proponendo interrogatiue, ac sub conditione affirmatiuam, vt paulatim disponat Abraham ad credendum tam insperatum nouum.*

Dub. 2. Ad illa verba, Ruth 1. vers. 15. *Cui dixit Noemi: En reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad Deos suos, vade cum ea.* Cur Noemi dixit Ruth, quod vaderet cum Orpha ad populum idolatram, cum hoc consilium malum esset; videtur enim quod peccauit Noemi, quia consulebat Ruth, quod remaneret in idolatria?

Fides aliorum explorandæ, an sint infide firmi

Respondetur. Quod Noemi dixit Ruth quod vaderet cum cognata sua Orpha, seu vt est in Hebræo, quod reuerteretur post fratriam suam ad populum idoloatram, vt exploraret fidem Ruth: hinc dixit vade post fratriam tuam in terram Moabitarum, qui idololatræ erant, & cultores Idolorum. Licitum enim est fidem aliorum explorare, an infide sint firmi. Hugo Cardinalis: *Vade cum ea, videtur quod peccauerit Noemi, quia consulebat Ruth, vt remaneret in idolatria? Forte tentando hoc dixit, vt videret si haberet firmum animum, quia vt dicitur 2. Petri 2. Melius est viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retorsum conuerti.*

Dub. 3. Ad illa verba, Iosue 15. vers. 16. *Qui percusserit Chariat Sophen, & cœperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.* Cur Caleb dedit Othonieli in vxorem Axam filiam suam? Tantæ ne dignitatis erat Axa, quod vt eam quis haberet in vxorem, mortis esset exponendus periculo, percussurus Cariah, & capturus?

Fides quid magnum esse apparet, ex eo quod martyres pro ea mortis periculo se exponant

Respondetur. Quod non filiæ honoris, sed patris Caleb fuit causa, quod Othoniel se mortis periculo expooneret. & verè appretiatus est Caleb ab Othoniel cum eius causa vellet subire mortem, in signum quod fides maximum bonũ est, quod martyres

pro illa fortiter mortem subire non recusant. Hinc Othoniel non fugit, nec recusauit periculum mortis pro Axa, cum intenderet capere Cariah fides quid magnum esse constat ex eo, quod Martyres pro ea mortem patiuntur. Abulensis: *In hoc apparet quod esset Caleb vir valde honorabilis in tota Tribu Iudà, & diues, & alias nullus se vellet exponere tanto periculo mortis erumpendo primus in Vrbem, & percutiendo primo viros Dabir. Magnum enim est, quod pretio vitæ emitur, & reuera nihil hac charius.*

Dub. 4. Ad illa verba, 1. Corinth. 16. vers. 9. *Ostium mihi apertum est magnum, & euidens, & aduersarij multi.* Cur Apostolus cum aduersarios multos haberet in sua prædicatione fidei, dicit quod ostium ei apertum est magnum, & euidens?

Fides quò opprimitur, eo magis augetur, & multiplicatur.

Respondetur. Quod Apostolus quo magis infectabatur ab aduersarijs fidei in sua prædicatione, eo magis fides multiplicabatur, & multitudo credentium: hinc dicit quod magna, & infesta aduersariorum erga fidem vexatione ostium ei aperiebatur, vt multiplicaretur fides. Quo enim fides opprimitur, eo magis augetur, & multiplicatur. Hugo Cardinalis: *Ibi vult manere Paulus vbi habet aduersarios multos, & nos fugimus. Si esset clausum ostium nunquam aduersarios suscitaret diabolus. Vnde quando multi nituntur impedire aliquod negotium magnum, signum est quod ipsum est Domini. Psalm. 112. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. Exodi 1. Quanto plus opprimebantur filij Israel, tanto magis multiplicabantur. Sic est de verbo Domini, quando plus impeditur. Nec mirum Lucæ 8. Semen est verbum Dei. Semen autem si maneat in pace, nunquam multiplicatur, sed quando grandinibus, niue, & pluuijs premitur.*

Cũ illustris vir conuertitur ad fidem, ostium magnum aperitur ad aliorũ conuersionẽ

2. Respondetur. Quod Apostolus fortitem aliquem excellentem virum è perfidiæ tenebris in fidei lucem vindicauerat, cuius exemplo ob eius excellentiam aliorum conuersio sperabatur: ideo dicit Apostolus quod ostium, seu ianua aperta est ei ad aliorum conuersionem. Cum enim excellens vir conuertitur ad fidem, ostium magnum aperitur ad aliorum conuersionem. Caietanus: *Sermone metaphorico describit aditum sibi ad conuertendum alios apertam; tum magnum, tum efficacem. Forte aliquem conuerteret per quem multitudo magna erat efficaciter conuertenda. Dico autem per quem non prædicantem, sed cuius imitatione ob illius authoritatem. Cum conuertitur enim aliquis Princeps, aut Philosophus, ianua magna aperitur, quæ tunc est efficax, cum multitudo imitari conspicitur.*

Dub. 5. Ad illa verba, ad Titum 1. vers. 2. *Secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis.* Cur Apostolus posuit agnitionem veritatis post fidem? Cur primo non posuit fidem, deinde agnitionem?

In patria fidem sequitur agnitio.

Respondetur. Quod duplex habetur cognitio veritatis, imperfecta per fidem, quam habent sancti, alia perfecta quæ erit in patria; scilicet, quando Deum videbimus facie ad faciem, vnde quia agnitio imperfecta, quæ est per fidem præcedit agnitionem perfectam quæ erit in patria, prius recto ordine posuit Apostolus fidem, deinde agnitionem. Sancti enim hic habent agnitionem de Deo imperfectam, in patria vero habebunt perfectam. Hugo Cardinalis: *Et agnitionem veritatis, hic est ordo fidem sequitur agnitio. Isaiæ 7. Alia littera. nisi credideritis non intelligetis. Quod signatum fuit Genes. 29. Iacob primo contraxit cum Lia, quæ erat lippis oculis, id est, cum cognitione fidei, quæ est per speculum, & ænigmata, postea cum Rachele, quæ erat venusto aspectu, hæc erit in patria. Idem etiam signatum est. Genes. 28. Vbi Iacob vidit in somnis Deum, & postea. Genes. 32. Exiens de Mesopotamia vidit eum facie ad faciem. Item Exodi 3. Vbi de rubo loquitur Dominus Moysi, quæsito nomine eius respondit: Ego sum qui sum, & sic nominat se nomine vniuersalis, in quo notatur cognitio fidei, quæ est per speculum vniuersitatis creaturarum.*

Dub. 6. Ad illa verba, ad Titum 1. vers. 16. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Quomodo Iudæi conuersi factis negabant Deum, quem confitebantur se nosse?

Christiani multi, Deum quem fide nouerunt, factis negant.

Respondetur. Quod Iudæi conuersi licet lingua faterentur se nosse Deum notitia fidei, factis tamen illum negabant, quoniã opera contrariebãtur præceptis Dei: hinc dicit Apostolus quod con-

confitebantur se nosse Deum, factis autem negabant. Multi enim Christiani Deum quem fide noscunt, operibus negant. Hugo Cardinalis: *Confitentur quidem verbis se nosse Deum per fidem factis autem negant, quia voce Christiani sunt, sed opere Pagani. Genes. 27. Vox quidem vox Iacob est, manus autem manus Esau. Ieremiæ 12. Prope es tu Domine ore eorum, & longè à renibus eorum. Isaiæ 29. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. 2. ad Timoth. 3. Habentes quidem speciem sanctitatis in lingua, virtutem autem eius ab negantes in opere.*

Fides de multis vnum facit.

Dub. 7. Ad illa verba, Apocalips. 5. vers. 3. *Vidi Angelum fortem prædicantem voce magna.* Cur Patres Veteris Testamenti de quibus hic agitur secundum Hugonem vocantur Angelus in singulari, non verò Angeli in plurali?

Respondetur. Quod Patres veteres vnanimes fuerunt in fide de redemptione generis humani: hinc in numero singulari dicuntur Angelus. Fides enim de multis vnum facit. Hugo Cardinalis: *Ostenditur desiderium antiquorum de impletione Diuinæ dispositionis, quæ in libro signata est; scilicet, redemptio humani generis. Vnde dicit, & ecce vidi Angelum; Patres scilicet, Veteris Testamenti, qui singulariter dicuntur Angelus propter vnitatem fidei.*

CAP. XXXX.

De Fidei Inquisitoribus.

DVb. 1. Ad illa verba, Exodi 32. vers. 29. *Et ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino.* Iuxta Hebræum habetur: *Consecrate manus vestras hodie Iehouæ.* Cur dicit Moyses Ieuitis quod consecrent illo die manus suas Domino occidendo reos criminis vitulolatriæ?

Inquisitores occidêdo de impietate reos, gratissimum offerũt Deo munus, & sacrificiũ.

Respondetur. Quod Ieuitæ occidendo idolatras, non minus Deum hoc opere coluerunt, quamsi donaria, ac sacrificia manibus sacratis offerrent, tamque gratum Domino opus facturi erant interficiendo vituli cultores, ac si impletas muneribus manus Deo offerrent: hinc dicit Moyses Ieuitis consecrate manus vestras hodie Iehoua. Inquisitores enim occidendo de impietate reos, gratissimum Deo offerunt munus, & sacrificium. Caietanus: *Non est præteriti temporis, sed imperatiuum in Hebræo, & hinc manifestum fit quod verba ista non fuerunt dicta post occisionem, sed ante, sed Moyses more suo prius narrat factum, deinde rationem illius. Continent enim hæc verba rationem discurrendi, & occidendi: adhortantis enim sunt, & manifestantis, quod interfectio hæc erit tanquam consecratio manuum eorum Summo Deo.*

Dub. 2. Ad illa verba, Leuitici 20. vers. 1. *Si quis dederit de semine suo Idolo Moloch morte moriatur.* Cognatio quoque immolantis Idolo Moloch puniebatur. Cur generatio illius, qui tale crimen idolatriæ committebat puniebatur? Quod puniretur immolans, iustum erat, cum ille puniri debeat, qui peccat, tamen quod puniatur generatio illius videtur iniustum, propter contrariam rationem, nam qui peccat puniendus, ergo qui non peccat puniendus non est, cum ergo qui nondum nati erant peccare non poterant, non videtur conueniens, & iusta ratio puniendi illos.

Inquisitores puniunt non solum deficientes à fide, sed etiam generationes eorum, licet illi non deliquierint, propter grauitatem delicti deficientis à fide.

Respondetur. Quod peccatum contra Religionem, & fidem grauissimum est: hinc non solum immolans Idolo Moloch, sed cognatio immolantis extremo supplicio erat afficienda. In grauissimis peccatis non solum reus puniendus est, sed etiam de cognatione eius pœnæ poscendæ. Abulensis; *Cognatio hominis illius à Deo punitur, quanquam non immolauerit Moloch: etiam Deus infligebat istam pœnam cognationi immolantis, quia sic videtur esse aliquando apud leges humanas, quod in valde grauibus peccatis, non solum ipsi, qui deliquerunt puniuntur, sed etiam eorum cognatio quæ nihil egerit.*

Dub. 3. Ad illa verba, Leuitici 13. vers. 5. *Considerabit die septimo, rursum recludet eum septem diebus alijs.* Cur qui dubitabatur leprosus bis recludebatur, & qualibet vice per dies septem? Si secunda vice erat recludendus, superflua videbatur prima recluſio facta.

Resp. Quod quando primis septem diebus non constabat an leprosus esset mundus, vel immundus, tunc fiebat secunda recluſio, ne leprosus inficeret

Inquisitores rectè censuras duabus septimanis publicare faciunt contra infideles, vt si prima vice non constat de illis, constet secundâ.

alios de populo: hinc quando dubitabur an leprosus erat mundus post septem dies recluſionis, alijs septem diebus recludebatur: ita Inquisitores Hæreticæ prauitatis rectè censuras duabus septimanis publicari faciunt contra infideles, & leprosos fidei, nc si semel tantum publicarentur, aliquis infidelis relinqueretur, qui cæteros fideles inficere posset. Abulensis: *Fiebat ista recluſio secunda, quia primo non constiterat an esset pure mundus, vel immundus: ideo si ex ista prima recluſione iudicaretur mundus, præiudicaretur fortasis populo, quoniam contingeret hunc non esse mundum, & cum conuersaretur inter mundos inficeret aliquos de populo.*

Dub. 4. Ad illa verba, Deuteronom. 33. vers. 9. *Qui dixit, & patri suo, & matri suæ nescio vos, & fratribus suis ignoro vos.* Cur de Leuitis dicitur quod nescierunt patrem, & matrem, & ignorauerunt fratres suos?

Inquisitores in cauſa fidei nullo propinquitatis affectu ducantur.

Respondetur. Quod Tribus Leui neque personis, nec rebus humanis studiosius inhæsit, sed in hoc vnum incubuit, vt Deum coleret, & alios retineret in cultu eius, quod ostenderunt gladium stringentes in idolatras ad mandatum Moysis, non habita propinquitatis ratione: hinc dicitur Tribum Leui ignorasse patrem, matrem, & fratres. Ita Inquisitores Hæreticæ prauitatis nullum habent respectum ad propinquos, imò in cauſa fidei omnes ignorant. Diuus Thomas 2. 2. quæst. 101. art. 4. ad 1. *Diuus Gregorius dicit, quod parentes quos aduersarios in via Dei patimur odiendo, & fugiendo nescire debemus. Si enim parentes nostri nos prouocant ad peccandum, & abstrahunt à cultu Diuino debemus quantum ad hoc eos deserere, & odire. Et hoc modo dicuntur Leuitæ suos consanguineos ignorasse: quia idolatris secundum mandatum Domini non pepercerunt, vt habetur Exodi 33.*

Inquisitores consultissime faciunt sibi pertinentia loca visitando, vt veritas fidei illibata conseruetur.

Dub. 5. Ad illa verba, Iosue 21. vers. 12. *Conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, & dimicarent contra eos.* Cur nouem Tribus, & dimidia bellum parauerunt contra Tribum Ruben, & Gad, & dimidiam Tribum Manasse?

Respondetur. Quod Tribus Ruben, & Gad, & dimidia Tribus Manasse post transitum Iordanis ab alijs tribubus separatæ extruxerunt Altare, quod videbatur esse contra Dei præceptum, quo mandauerat vnum esse tantum Altare. Quod cum cognouerunt aliæ nouem Tribus, & dimidia, parauere se contra illas pugnaturas, vsque dum veritas illis cognita fuit, & innocentia illarum, & quod contrà Dei mandatum contra ire non præsumebant: ante tamen cognitionem quasi Hæreticos illos reputabant, quia ab vnitate totius populi se separabant, sicut Hæretici sunt, qui ab vnitate Ecclesiæ separati sunt: ita faciunt Inquisitores fidei defensores, si aliquem rumorem contrà fidem alicuius audiunt, statim contra illum agunt eum persequentes, vsque dum veritas certo sciatur: ideo consultissimum est quod Inquisitores suas Diœcesis visitent, & in suis visitationibus diligenter inquirant de cauſis fidei; quia sic magis pura, & illibata eius veritas conseruabitur. Abulens. in capit. 1. Leuitic. fol. 30. *Vnde siquis conaretur præter illud Altare aliud ad faciendà sacrificia constituere, vt Hæreticus prorsus habebatur; atque tota Iudæorum turba super eum ad deletionem impetum facturà erat, sicut patuit in duabus tribubus, & dimidia; scilicet, Rubenitis, & Gaditis, & dimidia Tribu Manasse, quoniam cum transierunt Iordanem versus terram suam recedentes à nouem tribubus, & dimidia construxerunt Altare miræ magnitudinis apud tumulos Iordanis, quod cum innotuisset reliquæ multitudini Israel prouocato corde nouem Tribus, & dimidia in bellum contra illas se parauerunt, easque deleturæ erant, nisi cauſam quare hoc fecissent eas excussaſet: vt habetur Iosue 22.*

Dub. 6. Ad illa verba, Isaiæ 60. vers. 17. *Ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam.* Aliqui apud Maluendam: *Ponam oppressionem tuam pacem.* Cur populi oppressores dicuntur pax? Cum ex oppressione bellum?

Inquisitores infideles opprimentes prosperitati Ecclesiæ consulunt.

Respondetur. Quod oppressores isti Inquisitores sunt, qui dum Infideles opprimunt, & vexant, oppressionem eorum in pacem, & prosperitatem Ecclesiæ vertunt. Maluenda: *Ponam oppressionem tuam pacem, id est, vertam in prosperitatem* po-

ponam requisitionem tuam pacem, vel Inquisitionem, vel officium Inquisitionis, quo præfecti tui, & rebus, & actionibus tuis inquirent cum primis pacificum, rectum, integrum. Quid si tecte ad officium Sanctæ Inquisitionis saluebriter in Ecclesia institutum respiciat?

CAP. XXXXI.

De Filijs.

DVb. 1. Ad illa verba, Geneſis 5. verſ. 3. *Genuit filium ad similitudinem, & imaginem suam.* Cur Seth dicitur genitus ad imaginem, & ſimilitudinem Adæ? Cur de Caino, & Abele non dicit quod geniti fuerunt ad ſimilitudinem Adæ, ſed ſolum de Seth?

Pater in ſolo filio viuit qui refert imaginem, & ſimilitudinem eius.

Reſpondetur. Quod in diluuio terrarum, miraque mundi proluuie, & inundatione genus humanum perituru erat, ſolaque progenies Seth in Noe incolumis ſeruanda: hinc non dicit Moyſes quod Cain, & Abel, cæterique filij Adæ, fuerunt geniti ad ſimilitudinem Adæ, ſed ſolum de Seth in quo viuiturus erat Adam, imago, & ſimilitudo eius. Viuit enim pater in filio, qui eius refert imaginem, & ſimilitudinem. Caietanus: *Mirum autem eſt, quod Moyſes recenſendo generationem tam Cain, quàm Abel, quam etiam reliquorum filiorum, & filiarum Adæ, nunquam dicit, quod genuit ad ſimilitudinem ſuam, niſi cum genuit Seth. Ceſſat autem admiratio percipiendo rationem fuiſſe, eo quod in ſolo ſemine Seth ſeruanda eſſet ſimilitudo eius, tanquam ipſius imago. Delendum ſiquidem erat humanum genus vniuerſum in diluuio, & tantummodo progenies Seth in Noe ſaluanda erat, & propterea Moyſes ad impletum hoc ſciens in ſola generatione Seth pinxit imaginem Adæ.*

Dub. 2. Ad illa verba, Geneſ. 36. verſ. 16. *Dux Corè, Dux Gaham, hij filij Eliphaz.* Cur Corè dicitur filius Eliphaz, cum in hoc capite verſ. 14. vocetur Corè, *filius Eſau, & frater Eliphaz.* Si ergo Eliphaz frater Corè quare dicitur pater?

Pater reputandus eſt qui alium nutrit.

Reſpondetur Quod Eliphaz fuit filius primogenitus Eſau, & nutritius fuit Corè: hinc vocatur pater eius. Pater enim reputandus eſt, qui alium nutrit. Abulenſis: *Aliqui dicunt quod vocatur hic filius eius, non quod filius fuerit, ſed quia ex eo quod Eliphaz erat primogenitus nutriuit Corè, & quantum ad hoc vocatur filius eius.*

Dub. 3. Ad illa verba, 1. Regum 20. verſ. 30. *Iratus autem Saul aduerſus Ionatham, dixit ei: Fili mulieris virum vltro rapientis.* Iuxta Hebræum habetur: *Fili tortificantis, rebellis.* Cur Saul vocat Ionatham filium matris tortificantis, & rebellis?

Ex matre mala malus filius.

Reſpondetur. Quod ſicut mater Ionathæ fecit tortum marito ſuo, & rebellis fuit adulterij probro: ita Ionathas rebellis erat patri ſuo Sauli, cum Ionathas faueret Dauidi contra Saulem, quam rebellionem ex matre contraxerat: hinc Ionatham vocat Saul filium matris tortificantis, & rebellis, qui rebellis erat patri, ſicut mater rebellis fuit Sauli crimine adulterij. Ex matre enim mala, malus filius. Caietanus: *Matrem appellat facientem tortum quod diſtinguitur contra rectum. Ignominioſe nominatur mater Ionathæ rebellis marito adulterij probro, vt Ionatham tanquam ex matre contrahentem crimen rebellionis ad patrem ſignificet, vtpote non imitantem patrem, ſed matrem, dum Dauidi fauet contra Regnum in propria domo ex paterna ſucceſsione.*

Dub. 4. Ad illa verba, 2. Reg. 2. v. 8. *Tulit Iſboſeth filium Saul.* Iſboſeth idem eſt ac *vir pudoris, ſeu ignominiæ.* Cur Iſboſeth vocatur vir pudoris, & ignominiæ?

Ignominioſus eſt filius, qui à virtute patris deficit, & degenerat.

Reſpondetur. Quod Iſboſeth deflexit à patris ſui Saul fortitudine: hinc vir pudoris, & ignominiæ dicitur. Ignominioſus enim filius eſt qui à conteſtata virtute patris defecit, & degenerat. Maluenda: *Iſboſeth ſonat Hebræis virum pudoris, ſeu ignominiæ, præſagio nomen accipiſſe videtur, quod multum à fortitudine patris, & fratris degenerarit.*

Dub. 5. Ad illa verba, 4. Regum 2. verſ. 24. *Maledixit eis in nomine Domini.* Cur Eliſæus maledixit pueris, qui irridebant ei? Cur non patribus à quibus forſan ad irridendum Prophetæ inducti fuerunt, vt fieri ſolet?

Punit Deus peccata parẽ sum in filijs.

Respondetur: Quod pueri parui edocti fuerunt ad hoc, & incitati à suis parentibus idolatris, vt subsannarent Prophetam Domini: hinc non diras, & malum imprecatus est Eliseus patribus, sed filijs maledixit, vt parentes eorum in filijs punirentur. Solet Dominus parentes in filijs punire. Caietanus: *Recole quod Ciuitas Bethel electa fuerat à Ieroboam patre idolatriæ, & in ea positus vitulus aureus, vt in tertio libro scriptum est: Et propterea Eliseus ad puniendum patres in filijs, Diuina authoritate maledixit pueris paruis irridentibus eum ascendentem ad filios Prophetarum.* Vnde Genes. 9. vers. 25. *Maledicitur Chanaam.* Cur maledicitur cum peccauerit pater eius Cham?

Respondetur. Quod Deus multoties punit peccata parentum in filios: hinc licet Cham peccauerit, filius eius Chanaam maledicitur. In filijs enim sæpè puniuntur peccata parentum. Abulensis: *Vt intelligatur quod non solum Cham propter istud peccatum, meruit in se ipso maledici, sed etiam in posteritate sua.*

Dub. 6. Ad illa verba, Isaiæ 8. vers. 7. *Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas Regem Assyriorum.* Glossa intelligit per aquas multas, & fluminis Exercitum Sennacherib cum impetu venientem contra decem Tribus. Cur dicitur quod Sennacherib destruxit decem Tribus: cum 4. *Reg.* 17. non Sennacherib, sed Salmanasar terram decem Tribum legitur destruxisse.

Filius sequitur cõsilium mentem, & animum patris sui.

Respondetur. Quod Exercitus qui fuit Salmanasar, postea fuit Sennacherib filij Salmanasar; vtriusque enim patris, & filij erat Exercitus: hinc dicitur quod aqua fluminis fortis, id est, Exercitus Sennacherib, destruxit decem Tribus, quod etiam dicitur 4. *Regum* 17. de Salmasanar patre Sennacherib. Filius enim sequitur consilium, mentem, & animum patris sui. Hugo Cardinalis: *Reuera Salmanasar destruxit Samariam, non Sennacherib, sed Glossa hic dicit Exercitum Sennacherib, quia Exercitus, qui prius fuit Salmanasar, statim post fuit Sennacherib, quia iam forte erat cum patre suo, & ita Vtriusque erat Exercitus.*

Dub. 7. Ad illa verba, Ezechiel 16. vers. 4. *In die ortus tui non est præcisus Vmbilicus tuus.* Cur dicitur de Israelitis quod in die ortus eorum, non fuit præcisus vmbilicus eorum?

Exprobrãdus filius, qui malos æmulatur parentũ mores.

Respondetur. Quod populus Israel egrediens de Ægypto erat in ortu, existens vero in Ægypto erat in vtero; tunc enim quando egressus est de Ægypto, idolatriam non dimisit, sed patres suos imitati sunt idola colentes: hinc dicit eis Dominus, & exprobrat, quod in die ortus sui quando egrediebantur de Ægypto, non fuit præcisus vmbilicus, id est, non dimiserunt idolatriam. Exprobrandus est filius qui malos imitatur parentum mores. Hugo Cardinalis: *In die ortus tui, id est, in exitu de Ægypto, non est præcisus Vmbilicus tuus, id est, idolatriam non dimisisti populus enim ille in Ægypto existens fuit quasi in vtero, in egressu autem de Ægypto fuit quasi in ortu, sed nec tunc idolatriam dimisit, nec statim cultum Dei assumpsit.*

Defectus patris filijs obijciuntur.

2. Respondetur. Quod patres populi Israel idola coluerunt, vt Thara, & Iudæi in Ægypto: ideo dicitur eis quod non est præcisus vmbilicus eorum, id est, quod in patribus idola coluerunt. Defectus enim patris filijs obijciuntur. Hugo Cardinalis: *In die ortus tui non est præcisus Vmbilicus tuus, id est, in primis parentibus idola coluisti. Thara enim pater Abrahæ idolatra fuit, & Iudæi in Ægypto.* Vide in Indice *Pater.*

CAP. XXXXII.

De Fœlicitate.

DVb. 1. Ad illa verba Genes. 18. ver. 14. *Habebit Sara filium.* Sara credidit quod habitura erat filium, cum Angelus secundo ei promisit. Cur cum Angelus dixit primo, habebit filium Sara vxor tua, dubitauit de hoc, cum Angelus hoc dixerit Abrahamo; cum vero secundo promittit Angelus, Sara credidit.

Homines difficiliter credunt fœlicia quæ eis dicũtur ad suam vtilitatem, nisi multoties audiant.

Respondetur. Quod Saræ defierant fieri muliebria, & erat prouectæ ætatis, vnde dicente Angelo non credidit, quod habitura erat filium, quod magnæ fœlicitatis erat in fœmina annosa, & sterili: cum vero Angelus secundo promisit credidit. Homines enim difficiliter credunt quæ fœlicia eis sunt, nisi multoties audiant. Diuus Thomas ad Hebr. 11. Lectio 3. *Sara primo dubitauit in prima promissione,*

sed

sed quando Angelus recurrit ad potentiam Dei, cum dixit nunquid Deo quidquam est difficile, tunc credidit, & hæc fuit secunda promissio. Vnde dicitur Hebr. 11. Fidelem credidit eum qui repromisserat quia in promittendo primo, non credidit, sed in repromittendo.

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 11. v. 5. *Et morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum.* Cur iugulatis omnibus primogenitis Ægyptiorum, primogeniti Hebræorum seruabantur incolumes?

Fœlicitas aliena cum Infœlicitate propria comparata peccatorem resipiscere facit.

Respond. Quod Dominus volebat, quod Ægyptij comparantes miseriam suam cum fœlicitate filiorum Hebræorum, non solum dolerent de suo infortunio, sed etiam quod in mentem, & ad se rediret, saperent, & intelligerent: hinc iugulatis omnibus primogenitis Ægyptiorum, nullus primogenitus Hebræorum fuit percussus. Gloria enim aliena cum miseria propria collata dolorem auget, & resipiscere facit. Mendoza: *Muscis offendebantur Ægyptij non Hebræi Exodi 8. vers. 12. Sæuiebat pestis in Ægyptiorum animalia, ab animalibus Hebræorũ abstinebat, Exodi 9. vers. 6. Densissimæ Ægyptijs tenebræ incunbebant, splendidissima lux Hebræis fulgurabat, Exodi 10. vers. 23. Iugulabantur omnes Ægyptiorum primogeniti, Hebræorum tamen omnes illæsi seruabantur. Quorsum ita? Vt Ægyptij propriam miseriam, & alienam gloriam videre, & inter se conferre cogerentur, & ex hac comparatione non solum acerbius dolerent, sed etiam maturius resipiscerent.*

Dub. 3. Ad illa verba, Psalm. 137. v. 1. *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, cum recordaremur tui Sion.* Cur cum populus recordatur Ierusalem suspirat, & flet?

In miseria positus, antiquæ fœlicitatis memoria torquetur.

Resp. Quod populus in Babylone captiuus recordabatur solemnis cultus, libertatis, dignitatis Regni, quam habebant in Ierusalem: hinc sedentes super flumina Babylonis, & Ierusalem memores flebant, & præteritæ fœlicitatis memoria in captiuitate constituti cruciabantur. In miseria positus, antiquæ fœliciratis memoria torquetur. Caietanus: *Captiuus populus pauper à miserabili inchoat loco iuxta flumina, vtpote pauperibus congruo, ibi sedimus, diu morati sumus, & fleuimus, luctuosus status loco miserabili congruit. In recordari nostro Sion, hoc est, Templi Dei, & Regiæ Sedis. Memoria siquidem præteritæ fœlicitatis tum in solemni Diuino Cultu, tum in libertate, & dignitate Regni, renouabat fletus captiuorum in tam miserabili loco morantium.*

Dub. 4. Ad illa verba, Marci 11. vers. 11. *Circumspectis omnibus cum iam vespera esset hora, exijt in Bethaniam cum duodecim.* Cur nullus in Ierusalem inuitauit Christum ad hospitium?

Hominem fœlicem sequuntur multi, Infœlicem vero nullus eius recordatur.

Respondetur. Quod fœlicitas illa, quam habuit Dominus Iesus honorifice susceptus in Ierusalem iam erat transacta, & præterita: inde nullus eum in conuiuium vocauit. Qui fuit acclamatus honorifice Rex, completo mysterio solemnis aduentus, nullus eum hospitio excepit. Cum enim aliquis est in fœlicitate: multi acclamant eum, & sequuntur, præterita vero fœlicitate nullus eius recordatur. Caietanus: *Significatur, quod vespertina hora illius diei, nullus in Ciuitate Ierusalem inuitauit eum: hoc enim insinuare videtur, quod circunspectis omnibus exiuit, & iuit in Bethaniam.* Vide in Indice *Fœlicitas.*

G

CAP. XXXXIII.

De Gaudio.

Dub. 1. Ad illa verba 1. Paralipom. 15. vers 26. *Immolabantur septem tauri, & septem arietes.* Cur cum Arca fuit de portata ex Chariathaarim in domum Obededon non fuerunt immolati tauri, & arietes sicut hic?

Gaudium, & lætitia cordis maximè aduuat ad agendũ quæ sunt cultus Dei.

Respondetur. Quod quando Arca fuit de portata in domum Obededon Oza fuit percussus à Deo; & ob tristitiam mortis Ozæ Leuitæ non obtulerunt Deo sacrificia: at quando deducta fuit cum tanto aparatu in Ierusalem, magnoque cum gaudio, & lætitia, leuitæ immolabant septem tauros, & septem arietes. Gaudium enim, & lætitia cordis maxime conuenit ad agendum quæ sunt cultus Dei. Maluenda: *Immolabantur septem tauri, quod factum non fuit in prima Arcæ de portatione ex Cariathaarim in domum Obededon: fortasse ob mæstitiam interfecti à Deo Ozæ.*

Dub. 2. Ad illa verba, Esther 5. vers 9. *Egressus est itaque illo die Aman lætus, & alacer.* Cur prius ponitur hilaritas, & lætitia Amã, deinde indignatio, & ira aduersus Mardochæum?

Gaudia huius vitę acote quodam aduersæ fortunæ temperantur.

Respondetur. Quod cum Aman audiuit petitionem Esther; scilicet, veniat Rex, & Aman ad conuiuium, quod pa-

paraui eis, egressus est de aula Regis, hilaris, iucundus corde, hilari animo: cum autem vidisset Mardochæum sedentem ante fores palatij, & non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidē de loco sessionis suæ, feruuit ira, & excandescentia: inde primo ponitur alacritas, & gaudium Aman, deinde indignatio, & ira eius erga Mardochæum. Gaudia enim mundi huius permixta felle fluunt. Caietanus: *Egressus est itaque illo die Aman lætus, & alacer: iuxta Hebræum habetur, & bonus corde, hoc est, non solum lætus extra, sed etiam intus in corde delectatus. Cumque vidisset Aman Mardochæi in porta Regis, & non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suæ, indignatus est valde.* Vnde gaudium compatitur simul cum dolore de eodem obiecto. Quod petet in peccatore conuerso ad Deum, qui in feruore contritionis suorum peccatorum, de illis valde dolet, & de dolore eorum valde gaudet. Similiter in Beata Virgine in morte vnigeniti Filij sui, de qua gaudebat, quia secundum ardentissimam charitatem lætabatur de redemptione generis humani per eius mortem patrata, & simul magnopere dolebat, & tristabatur de morte dilectissimi Filij sui. Abulens. in cap. 9. Deuteronom. fol. 85. *Doleat peccator, & doleudo gaudeat. Reperiebatur hoc etiam simul in Beata Virgine tempore passionis Christi; nam ipsa ex charitate magna, qua eam repleuerat Spiritus Sanctus ardenter diligebat salutem humani generis, quam sciebat non nisi per Filij vnigeniti sui mortem posse celebrari: cum ergo eum vidit patientem, & maximè quando vidit iam passum, admirabiliter consolabatur, quia certissime videbat redemptionem generis humani iam factam. Dolebat tamen acerbe, & inæstimabiliter, quia videbat tenerrimum illum iuuenem Christum Iesum, qui erat Deus suus, & Pater suus, quem ipsa sola conceperat, & ipsa sola lactauerat, in quo totum eius bonum totaque eius iocunditas, quem magis diligebat, quam animam, ita vt pro eo mori eligisset, si licuisset, & acerrimas sustineret angustias in delicatissimo corpore. Erant ergo in ea simul dolor, & gaudium, & vtrumque quippe magnum, sed satis vnum alteri concordabat.*

Gaudium compatitur simul cum dolore de eodem obiecto.

2. Resp. Quod gaudium, & lætitia quam hausit Aman audiens quod eras apud Regem, & coram Regina erat prandsurus, inepta fuit, ignorans quid altera die euenturum erat ei; scilicet, quod altera die suspendendus erat in furca: hinc narrator lætitia- & alacritas Aman tanquam inepta, & stulta. Non enim homo debet gaudere in hac vita, cum nesciat quæ fortuna ei eueniet. Hugo Cardinalis: *Lætus ignorans quid crastina dies paritura esset. Prouerb. 27. Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies. Ecclesiastes 11. Si annis multis vixerit homo, & in omnibus his lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis. Iob 21. Gaudent ad sonitum organi, & in bonis ducunt dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*

Gaudere nō debet homo in hac vita, cum ignoret infortunium quod ei accidet.

Dub. 3. Ad illa verba, Prouerb. 14. vers. 13. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Cur dicit Salomon quod risus dolore miscebitur?

Resp. Quod habraice habetur: *Et in risu dolebit cor.* Quamuis enim quandoque exterior adsit risus, interius tamen cor dolet dissimulans lætitiam risu; non enim est spiritualis lætitia, absque exteriori afflictione, nec corporale gaudium, absque spirituali dolore; gaudium enim cum dolore temperatur. In hac enim vita simplex, & purum gaudium non habetur. Hugo Cardinalis: *Risus dolore miscebitur generaliter, quoniam neque spiritualis risus, absque exteriori afflictione habetur, vel acquiritur, neque corporalis risus, quia & spirituali dolore pungentis conscientiæ, & angore desiderij, & labore acquisitionis totus respergitur. Quod Dominus dispensatorie facit, quia risus temporalis est vinum vehementer inebrians, & ideo aqua tribulationis mixtum temperatur à Domino medicante, nam si purum biberetur faceret homines insanire. Adhuc etiam multi insaniunt. Isaiæ 28. Væ coronæ superbiæ, ebrijs Ephraim. Ierem. 51. Calex aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram, de vino eius biberunt gentes, & inde commotæ sunt.*

In hac vita si simplex, & purum esset gaudiū, noceret homini, vnde purum gaudium nō habetur.

2. Resp. Quod gaudium temporale in dolorem vertitur: inde dicit Salomon quod risus dolore miscebitur. Gaudium enim temporale pro fine habet dolorem. Hugo Cardinalis: *Risus, id est, gaudium temporale, dolore miscebatur, id est, in dolorem vertetur. Luc 7. Væ vobis, qui nunc ridetis, quia lugebitis, & flebitis: è conuerso dicitur de bonis. Ioann. 16. Dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Quod significatum*

Gaudium temporale malum pro fine habet dolorem, tristitia vero bonorū in gaudium vertitur.

tum fuit Ioann. 2. Vbi aqua versa est in vinum.

Gaudium huius mundi breue, pœna autem gaudentium in hoc mundo æterna.

3. Resp. Ideo dixisse Salomonem quod extrema gaudij luctus occupat, quia extrema gaudij mundani luctus pœnæ æternæ occupat. Hugo Cardinalis: *Extrema gaudij mundani luctus gehennæ occupat. Quod Dominus figuratiue ostendit in se, qui veniens in Ierusalem laudari, & honorari voluit, & postea pati, vnde eodem die vbique in Ecclesia fit festiua processio, & postea legitur passio; in processione legitur Euangelium breue de laude, & honore eius, & postea passio prolixior, quia breue est gaudium huius mundi, sed æterna est pœna gaudentium in hoc mundo.*

Dub. 4. Ad illa verba, Ecclesiastici 21. vers. 23. *Vir autem sapiens vix tacite ridebit.* Cur dicitur de viro sapiente quod vix, id est, raro ridebit?

Hic non est tempus ridendi, sed flendi bonis; in futuro vero gaudendi.

Respond. Quod sapientis est in hoc mundo non gaudere, cum potius sit flendum in hac vita, in altera vero gaudendum. Ideo dicit quod vir sapiens vix, id est, raro ridebit. Hugo Cardinalis: *Nota Dominus ter fleuisse legitur, super Ciuitatis Ierusalem destructione. Lucæ 19. Super Lazari resuscitatione. Ioannis 11. In Cruce Hebr. 5. Risisse autem non legitur. In quo notatur quod hic non est tempus ridendi, sed flendi bonis, sed in futuro erit eis tempus ridendi. Vnde Ecclesiastes 3. Est tempus flendi, & est tempus ridendi. Prouerb. vltimo. Ridebit in die nouissimo. Iob 8. Deus non proijciet simplicem, nec porriget manum malignis donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo. Econtrario malis est modo tempus ridendi, sed postea erit eis tempus in morte æternitatis flendi. Prouerb. 14. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Matth. 24. Ibi erit fletus, & stridor dentium.*

Malis est hic tempus gaudendi, & in futuro flendi.

Dub. 5. Ad illa verba, Lucæ 24. vers. 37. *Conturbati vero, & conterriti.* Cur dicitur de Apostolis quod videntes Christum resurgentem cõturbati fuerunt; cum *Ioannis* 20. *vers.* 20. dicat Euangelista: *Gauisi sunt Discipuli vero Domino.*

Deus prius tristia, deinde læta suis mittit.

Resp. Quod Discipuli prius turbati sunt, postea gauisi. Deus enim prius tristia, deinde læta suis mittit. Antonius Gistandis Feria 3. Paschæ, dub. 24. *Primo conturbati sunt, sed postmodum dum credidérunt, gauisi sunt.*

CAP. XXXXIIII.

De Gloria.

Qui cogitat de vita æterna, à mundo separabitur.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 38. vers. 29. *Vocauit nomen eius Phares.* Cur Phares primo natus fuit, cum Zara prius protulerit manum?

Resp. Quod Phares interpretatur diuisio, Zara vero oriens: bene ergo prius Phares nascitur, id est, diuisio, deinde Zaran, id est, oriens, qui primo protulit manum; prius enim debemus cogitare de vita æterna, quam significat Zaran, deinde à mundo diuidi, quem significat Phares. Qui enim cogitat de vita æterna, à mundo separabitur. Hugo Cardinalis: *Iudas accedens ad Thamar, id est, iustus ad pœnitentiam generat Phares id est diuisionem à mundo, & Zaram, id est, ortum in vitam æternam. Isaiæ 58. Si abstuleris de medio tui catenam, orietur in tenebris lux tua. Zara primo emisit manum, sed Phares primo nascitur. Hoc est, quod cogitamus primo de vita æterna, & postea auellimus nos à mundo.*

Ad gloriam multis passibus inuia virtutis debemus contendere, vna est via, sed multis passibus per eam incedendum.

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 14. ver. 22. *Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris.* Quot passus habuit latitudo maris rubri, quam traiecerunt Hebræi tendentes in terram Promissam?

Respondetur. Quod rubri maris latitudo ab Hebræis superata, & traiecta, ponitur sex millium passuum, vel nouem millium: vt instruamur, quod qui ad terram Promissam, scilicet, gloriam transire desiderant per mare huius mundi, multis passibus inuia virtutis debent contendere. Maluenda: *Ita sentimus, Sinum tunc Arabicum, non dissectum in duodecim vias, pro numero tribuum; sed in vnam satis amplam, qua omnes Israelitæ simul per ordines suos transierint. Traiectum fuisse à littore Ægyptio, seu Africano, aut Occidentali in aduersum, & oppositum littus Arabicum, seu Asiaticum, vel Orientale, emensa ea parte, tota latitudine Sinus de littore in littus, qui se iam ibi in arctum cogit. Spatium tunc traiecti maris, quidam sex millium, alij nouem millium faciunt.*

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 33. vers. 20. *Non videbit me homo, & viuet.* Cur dicitur quod videns Deum non viuet: cum *Ioann.* 14. *vers.* 7. dicatur: *Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis, & à modo cognoscetis eum,*

& vidistis eum. Et vers. 9. dixit Dominus Philippo: *Philippe, qui videt me, videt, & patrem meum.* Non ergo videns Deum moritur.

Beati videntes Deum, vivent vita immortali, & impassibili, nullo indigentes alimento.

Resp. Quod homo viuens vita animali, quæ cibo, & potu fouetur, non videbit Deum, at post Resurrectionem, homo videbit Deum, & viuet vita corporali, sed non animali, qualis nunc est, quia nullo indigebit alimento. In gloria enim quæ vitæ animalis sunt non indigebit homo, viuetque Deum videndo. Caietanus: *Non enim videbit me homo, & viuet, proculdubio vita corporali qualis nunc agitur, quod dicitur ad differentiam hominum Beatorum post Resurrectionem: tunc enim videbit Deum homo, & viuet vita corporali; sed non vita animali, qualis agitur nunc, hoc est, vita, quæ fouetur cibo, & potu: tunc enim viuet homo nullo indigens alimento, non solum immortalis, sed impassibilis.*

Dub. 4. Ad illa verba, Ioann. 1. vers. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Cur dicit Ioannes quod vidit gloriam eius, cum *Exodi* 33. vers. 20. dicat Deus Moysi: *Non videbit me homo, & viuet.* Non ergo visa est gloria Domini à Ioanne, nec ab alijs.

In hac vita videtur quædam similitudo gloriæ Dei, in patria vero videbitur à Beatis ipsa gloria sine similitudine.

Resp. Quod gloriam vnigeniti, nec D. Ioannes, nec alij Discipuli viderunt, sed in cœlesti patria spectabitur: vnde in Transfiguratione, & Ascensione viderunt gloriam, quæ congruebat vnigenito, ad manifestandum vnigenitum non vero spectarunt ipsam gloriam quam in se ipso habet Filius: hinc dicit D. Ioannes, quod ipse, & alij Christi Discipuli viderunt gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, id est, gloriam similem gloriæ vnigeniti. In hac enim vita videtur quædam similitudo gloriæ Dei, in patria vero videbitur à Beatis ipsa gloria, sine similitudine. Caietanus: *Quasi aduerbium similitudinis est, non frustra appositum, sed ad explicandam veritatem puram, ad explicandum quod non spectauimus gloriam vnigeniti: illam enim neque Ioannes, neque alij Discipuli viderunt, sed reseruatur videnda in cœlesti patria: & propterea non dixit gloriam vnigeniti, sed gloriam tanquam, seu velut vnigeniti, hoc est, gloriam similem gloriæ vnigeniti, hoc est, gloriam representantem vnigenitum. Et verè talem gloriam spectarunt, tam in Transfiguratione quam in Ascensione. Viderunt enim gloriam decentem vnigenitum, gloriam manifestantem vnigenitum, & non ipsam vnigeniti gloriam, quam in semetipso habet ab æterno.*

Dub. 5. Ad illa verba, ad Hebr. 8. vers. 11. *Et non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum: dicens cognosce Dominum.* Cur dicit Apostolus quod non docebit vnusquisque proximum, & fratrem, cum 1. *ad Timoth.* 2. *vers.* 7. Apostolus vocet se Doctorem gentium, & ad Ephesios 4. vers. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas.* Ergo docebitur proximus.

Cognitio Dei Beatos faciet homines in gloria.

Resp. Quod in cœlesti patria vnus instruet alium de aliquibus mysterijs, non vero de notitia Dei, quoniam omnes scient Deum: hinc dicit Apostolus quod non docebit vnusquisque proximum suum dicens, *cognosce Dominum.* Cognitio enim Dei Beatos faciet homines in gloria. Caietanus: *Effectus proprius Noui Testamenti post hanc vitam, describitur exclusio doctrinæ humanæ non ad quodcunque, sed ad cognoscendum Dominum. In cœlesti enim patria quamuis vnus instruatur ab alio de aliquibus mysterijs non tamen de notitia Dei, & ratio subditur, quoniam omnes scient me: non dicit omnes sciant omnia, sed scient me.*

Dub. 6. Ad illa verba, Apocalips. 12. vers. 1. *Mulier amicta Sole,* id est *glorificato corpore,* vt exponit *Hugo Card.* Cur corpus glorificatum comparatur potius Soli, quam Lunæ, vel Stellæ?

Beati in gloria amicti dotibus glorificati corporis

Resp. Quod Sol habet quatuor proprietates, quæ representant quatuor dotes corporis glorificati: est clarus, ecce dotem claritatis, radius Solis in momento transit ab Oriente in Occidentem, ecce dotem agilitatis, percussus gladio non læditur, ecce dotem impassibilitatis, intrat per vitrum sine læsione vitri, ecce dotem subtilitatis: hinc corpus glorificatum comparatur Soli, non Lunæ, nec Stellæ. Sancti enim in gloria amicti erunt Sole, id est, quatuor dotibus glorioſis. Hugo Cardin. 1. Corinth. 15. *Seminatur in corruptione. Mulier amicta Sole, id est, corpore glorificato. Quod comparatur radio Solis propter quatuor pqoprietatis ipsius. Radius enim Solis in momento est ab Oriente in Occidente, & iterum valde clarus est. Item percussus non læditur, vnde in hoc ostenditur corporum impassibilitas. Item intrat per vitrum, non perforando ipsum, in quo significatur subtilitas. De his quatuor dotibus. Sapientiæ 3. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. In fulgore claritas, in hoc quod dicitur iusti, impassibilitas, in hoc*

quod

quod dicit scintillæ subtilitas, in discursu agilitas. De his etiam Lucæ 6. Mensuram bonam. Item per virgam Aaron, quæ cum arida esset germinauit, & floruit, & peperit amygdalas, vt habetur Num. cap. 17. Item propter ipsas dicitur quater. Ioann 6. Resuscitabo eum. Item propter idem sunt quatuor Psalmi in completorio, & quatuor versus in nunc dimittis. Completorium enim significat statum glorificationis, cuius gloria non habet finem. Item Exodi 25. Per coronam interrasilem, quæ habebat quatuor digitos in altitudine. Per coronam illam corpus glorificatum: interrasilem ad innuendum, quod non tantum illi qui excellentia operum in charitate fecerunt resurgent gloriosè, sed etiam qui aliquando depressi sunt in nimio amore parentum, in quatuor digitis, quia merito iustitiæ, vel innocentiæ conferuntur, alias non. Vide *Beatitudo.*

Dotes gloriosi dabuntur Beatis merito iustitiæ, & innocentiæ.

CAP. XXXXV.

De Gratia.

DVb. 1. Ad illa verba, Iudic. 6. v. 19. *Carnes ponens in canistro, & ius carnium mittens in ollam.* Cur Angelus præcepit Gedeoni quod ius ollæ effunderet super carnes coctas?

Gratiæ efficacia cognoscitur, in eo quod conuertitur peccator; quando ex parte sua maior est resistentia.

Resp. Quod cremandi erant illi cibi, quos adduxerat Gedeon, & quia magis resistit combustioni humida quam sicca, si crematentur humida, maius esset miraculum, quod contra naturam fieret, ideo iure madefieri voluit, vt suæ potentiæ vim maiorem ostenderet: ita facit Deus in conuersione aliquorum peccatorum, quos quando magis videntur resistere gratiæ, tunc eos ad se conuertit, vt suæ gratiæ efficacia cognoscatur. Patuit hoc in conuersione Apostoli Pauli, quem furentem, & resistentem gratiæ, Christus conuertit vt omni ex parte conuersio esset miraculosa. Gratiæ enim efficacia cognoscitur in eo quod conuertitur peccator, quando ex parte sua maior resistentia apponitur suæ conuersioni. Abulensis: *Quia Angelus voluit dare experientiam de se, quod esset Angelus: esset autem tanto maior experientia, quanto esset maius miraculum, & quia quanto magis madefierent carnes, & panes tanto erant minus dispositi ad combustionem voluit ea madefieri.*

Dub. 2. Ad illa verba, Psalmi 7. v. 9. *Iudica me, Domine, secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.* Cur Dauid dicit innocentiam suam, & iustitiam suam: cum *Iob* 25. *vers.* 5. dicatur: *Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius.* Et *Isaiæ* 64. *vers.* 6. *Quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.* Ergo non bene dixit innocentiam suam, & iustitiam suam.

Gratia non est ex homine, sed à Deo.

Respondet. Quod cum Dauid agit de iustitia, & innocentia sua, addit *super me*, quasi diceret: quod innocentia, & iustitia erant super eum, non ex se, sed à Deo. Gratia enim non est ab homine, seu ex homine, sed a Deo. Hugo Cardinalis: *Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius supple ex se, sed ex gratia: & ideo subdit hic super me, quasi dicat, hæc iustitia, & innocentia sunt super me, id est non ex me, sed à Deo, quia omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum. Iacobi* 1.

Dub. 2. Ad illa verba Psalm 9. v. 11. *Quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.* Cur dicit Dauid quod Deus quærentes se non derelinquit: cum *Psalm.* 21. *v.* 1. dicat: *Deus, Deus meus, respice in me quare me dereliquisti.*

Gratia quærenda est, nec deserit Deus quærentes eam.

Respond. Quod cum homo peccat, Deus derelinquit eum: vnde dicit Dauid, quod *dimisit eos secundum desideria cordis eorum.* Similiter cum Deus punit peccatorem, videtur eum derelinquere: ideo dicebat Dauid: *Quare me dereliquisti.* Tandem Deus hominem derelinquit non apponendo gratiam, vel subtrahendo eam: sed cum homo eam quærit, non derelinquit eum Deus: ideo dicit Dauid: *non dereliquisti quærentes te Domine.* Gratia enim quærenda est: nec deserit Deus quærentes eam. Hugo Cardinalis: *Triplex est derelictio: scilicet, gratiæ pœnæ, & culpæ, gratiæ vt hic pœnæ vt ibi: Deus, Deus meus, quare me dereliquisti, culpæ vt ibi, dimisit eos secundum desideria cordis eorum.*

Dub. 4. Ad illa verba, Psalm. 31. ver. 11. *Gloriamini omnes recti corde.* Quomodo recti in cognitione Dei gloriantur: cum ad cognitionem Dei nullateus possimus peruenire hic. Vnde *Prouerb.* 25. *vers.* 27. dicitur: *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.*

Respondetur. Quod Diuinitas hic non potest cognosci clare, sed per speculum: & iusti in statu gratiæ existentes, licet non clare cognoscant Deum, gloriantur tamen quod Diuinitatis Mysteria intelligant. Qui enim est in statu gratiæ Diuina Mysteria percipit.

Iu-

Qui est in statu gratiæ Diuina mysteria percipit.

Incognitus. Etsi non clare diuinitas hic possit cognosci, tamen enigmatice. 1. Corint. 13. Videmus nunc per speculum. Dicunt naturales, quod quamuis noster corporalis oculus clare corpus solis videre nō possit propter suæ claritatis excellentiam tamen si accipiatur speculum clarum, & ponatur in aqua clara lucente Sole, tunc videtur Sol triplicatus: scilicet, vnus ex Cælo qui est fons luminis, vnus in speculo, qui generatur a primo, & tertius in aqua, qui generatur ab vtroque: sic spiritualiter debes facere si hic in cognitione Dei vis gloriari. Quid enim per speculum nisi rationalis anima, in qua vt in speculo Dei gloria manifestatur? Cum sit facta ad ipsius similitudinem, & imaginem: est enim speculum sine macula Dei. Sapient. 7. Quid autem per aquam nisi Spiritus Sancti designatur gratia. Qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, hoc autem dicebat de Spiritu Sancto. Ioann. 7. si igitur hic Deum vis cognoscere pone speculum in aqua, vt scilicet, sit anima tua in statu gratiæ, & tunc videre potest solem triplicatum, id est, Deum in tribus personis supositatum. Tunc enim videbis vnum solem in cœlo, id est, personam patris: cum enim cœlum inter omnia sit maximum, maxime habet indicare potentiam sui creatoris, quæ patri appropriatur. Psalm. 18. Cœli enarrant gloriam Dei, videbis alium solem in speculo, id est, personam verbi in humanitate assumpta: cum enim speculum dicatur rationalis anima, quæ est principaliter pars humanitatis assumptæ, merito per speculum ipsa denotatur, & per ipsam tota intelligitur humanitas assumpta. 2. Corint. 3. Nos sumus gloriam Dei speculantes in eadem imagine. Consequenter videbis alium solem in aqua id est, personam Spiritus Sancti ab vtroque procedentem in aquas scilicet suauium gratiarum, quibus anima nostra irrigatur, & fœcundatur. Genes. 3. Spiritus Domini ferebatur super aquas, & hæc est prima gloria iustorum scilicet in Dei cognitione. Ipse palam faciet doctrinam sapientiæ suæ, & in lege Domini gloriabitur. Ecclesiast. 39.

Dub. 5. Ad illa verba, Prouerb. 16. vers. 1. *Hominis est animam præparare.* Cur dicitur, quod hominis est præparare animam, cum *Ioannis* 15. *vers.* 5. dicat Dominus: *Sine me nihil potestis facere*, & ad Roman. 9. vers. 16. dicat Apostolus: *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.* Et ad Philipenses 2. *Deus est qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* & 2. Corinth. 5. vers. 5. *Non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, & Isaiæ 26. vers. 12. *omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Non ergo hominis est præparare animam, sed Dei.

Cooperandum est Deo ad gratiam recipiendā.

Respondetur. Quod Dei est præparare animam per operantem gratiam, hominis vero per cooperationem liberi arbitrij. Hinc dicitur hominis est præparare animam cooperando gratiæ Dei. Cooperandum est enim Deo ad gratiam recipiendam. Hugo Cardinalis: *Animam præparare, & gratiæ Dei est, & liberi arbitrij: gratiæ Dei per authoritatem, & operationem liberi arbitrij per consensum, & cooperationem. Adiutores enim Dei sumus* 1. *Corinth.* 3. *vnde D. Paulus* 1. *Corinth.* 15. *vers.* 10. *ait: abundantius omnibus laboraui, non ego autem sed gratia Dei mecum. Ideo hæc quæ sunt gratiæ operantis, & liberi arbitrij cooperantis, aliquando attribuntur gratiæ Dei, propter operationem, vnde Psalmo* 50. *Domine labia mea aperies, & Ierem.* 31. *vers.* 18. *conuerte me Domine, & conuertar ad te. Item Psalm.* 84. *vers.* 5. *conuerte nos Deus salutaris noster. Aliquando libero arbitrio propter cooperationem, vnde Psalm* 80. *vers.* 12. *dilata os tuum, & implebo illud, & Iacob.* 4. *vers.* 8. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, emundate manus peccatores, purificate corda duplices. Zachariæ* 1. *vers.* 3. *conuertimini ad me dicit Dominus exercituum, & conuertar ad vos.* Vide in Indice *Gratia.*

CAP. XXXXVI.

De Gratitudine.

Beneficia Dei melius humilitate coram Deo quam verbis persoluuntur.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 17. v. 3. *Cecidit Abraham pronus in faciem.* Cur Abraham gratias non egit verbo auditis Dei beneficijs sibi largiendis?

Respondetur. Quod Deus dixerat Abrahæ, quod semen eius futurum erat innumerabile sicut stellæ cœli, & quod multiplicaturus erat eum vehementer, & quod daturus erat executioni intenderet Deum, & Abraham. Hinc grato animo cecidit Abraham pronus in faciem suam, nullas verbo gratias agens. Beneficia enim Dei melius humilitate, quam verbis persoluuntur. Caietanus: *Auditis tribus propositis a Deo, adorauit non genuflectens, sed postratus super propriam faciem. Mente, & actu exteriore veneratur, ac colit, verbo autem nihil dicit.*

Dub.

Gratificatur beneficium, cum amore, & liberalitate largitur.

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 2 vers. 19. *Insuper, & hausit aquam nobiscum potumque dedit ouibus.* iuxta Hebræum habetur: *Et hauriendo hausit nobis.* Cur septem filiæ Sacerdotis Madian retulerunt patri suo Racheli, quod Moyses hauriendo hausit aquam ad dandam ouibus Rachelis?

Respondetur. Quod Moyses multa cum sollicitudine, multo cum amore, & labore multo, non solum hausit aquam ad dandum potum ouibus, sed abundanter, & copiose hausit aquam. Hinc vt commendent puellæ beneficium Moysis geminant verbum, dicentes, & *hauriendo hausit nobis.* Beneficium enim ita amore, & liberalitate largiendum est, quod possit ab accipiente grata memoria referri. Maluenda: *Hebræus cum geminatione, & hauriendo hausit nobis, vt singulari emphasi commendet Moysis beneficium, quasi dicant, cum solicitudine, amore, labore, studio hausit, abunde, & copiose nobis eduxit aquam.*

Punit Deus ingratum, negando oculos mentis ad cognoscenda Dei beneficia.

Dub. 3. Ad illa verba, Deuteronom. 29. vers. 4. *Non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possunt audire, vsque in præsentem diem.* Cur Dominus non dedit Hebræis cor intelligens, & oculos videntes, & aures audientes beneficia, quæ eis contulit in Ægypto. Cum hic vers. 2. dicat Moyses populo: *Vos vidistis vniuersa quæ fecit Dominus in terra Ægypti Pharaoni.* Ergo dedit eis Dominus oculos ad videnda beneficia.

Respondetur. Quod Hebræi ingrati animi erant beneficijs Dei. Ideo licet viderint signa, & prodigia, quæ Dominus pro eis fecit in Ægypto: tamen Moyses dicit, quod Dominus negauit eis cor ad intelligentiam, oculos ad videndum, & aures ad audiendum ea, & cognoscendum illa esse beneficia Dei, in pœnam suæ ingratitudinis. Punit enim Deus in gratum negando oculos mentis ad cognoscenda Dei beneficia Oleaster: *Solet Dominus multis supplicijorum generibus ingratos torquere: aliquando vt ea non referant, nonnunquam, vt gratias saltem verbis pro eis non agant, sed tunc eos extremo supplicio afficere videtur, cum non dat oculos ad videndum, cor ad cognoscendum, & aures ad audiendum. Magna castigatio dare tibi vitam, & negare oculos, quibus saltem cognoscas eam esse beneficium Dei. Nam quemmadmodum malis aliquando ruinam minatur, neque tamen dat oculos, quibus eam videant, aut aures, quibus audiant, vsque quo malis ipsis afficiantur ita in beneficijs facere solet.*

Dub. 4. Ad illa verba, Deuteronom. 29. vers. 5. *Non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* Cur Dominus obiecit Hebræis, quod quadraginta annis quibus adduxit eos per desertum, vetustate non fuerunt detrita vestimenta, nec calceamenta?

Ingratis obijcienda, & improperanda beneficia.

Respondetur. Quod Hebræi gratiarum, & beneficiorum Dei immemores erant: ideo improperat eis beneficium singulare, quod eis contulit, scilicet, quod vtendo vestibus, & calceis, nihil vetustatis incurrerunt vestes, & calcei, quod erat continuum miraculum per annos quadraginta. Ingratis enim improperandum est beneficium. Oleaster: *Non est tui moris Domine exhibita beneficia improperare, qui das omnibus affluenter, & non improperas: sed nostra magna ingratitudo te cogit ad hæc enumeranda.*

Dub. 5. Ad illa verba 1. Reg. 15. vers. 6. *Dixitque Saul cinæo: abite recedite atque descendite ab Amalec ne forte inuoluam te cum eo.* Cur Saul præcepit cinæis, quod recederent à finibus Iudæ, & Amalecitarum, ne eos deleret: cum iussus fuisset Saul percutere omnes, nullique parcere?

Rependitur acceptum beneficium, non offendendo benefactorem gratusque se ostendit, qui eum non lædit.

Respondetur. Quod cinæi benefici fuerunt Sauli, & Israelitis, originemque duxerant è socero Moysis; horum erga Israelitas misericordia describitur. *Exodi* 18. & *Numer.* 10. *vers.* 29. & sequentibus. Hinc licet Saul habuerit Diuinum præceptum ad interficiendum à viro vsque ad mulierem, à paruulo vsque ad lactentem, a boue vsque ad agnum: tamen dixit cinæis, quod recederent à Ciuitate Amalicitarum, ne disperderet, & deleret eos cum Amalec. Persoluitur enim acceptum beneficium, non lædendo benefactorem. Caietanus: *Natio ista cæneorum ex socero Moysis originem traxerat, & benignè se habuerat cum Israelitis: & propterea Saul gratus beneficijs receptis, monet, vt recedendo se saluet.*

Dub. 6. Ad illa verba 2. Reg. 19. vers. 29. *Tu, & siba diuidite agros.* Notant *Maluenda, & Caietanus.* Quod Dauid prius inaudita parte omnes

possessiones Miphiboseth adiudicauit Sibæ : nunc audita iussit diuidere inter Miphiboseth , & Sibam : vnde in pœnam peccati diuisum fuit Regnum Dauid. Quod nam peccatum comisit Dauid dicens Miphiboseth, quod cum Siba diuideret agros , propter quodque diuisum fuit eius Regnum?

Punit Dominus ingratum in bonis temporalibus.

Respondetur. Quod Dauid immemor fœderis, & iuramenti , quod fecerat cum Ionatha patre Miphiboseth. 1. *Reg.* 18. & 20. obliuisque quod eum Saule volente occidere voce Ionathæ fuit placatus Saul , ingratus his beneficijs Ionathæ , primo adiudicauit possessiones Miphiboseth Sibæ; tandem audita parte , præcepit diuidire inter Sibam , & Miphiboseth , vtrobique iniustus , & ingratus Ionathæ. Hinc Roboam , & Ieroboam diuiserunt Regnum eius. 3. *Regum* 12. in pœnam ingratitudinis Dauid erga Ionatham. Punit enim Dominus ingratum auferendo ab eo bonum temporale. Caietanus : *Prius Dauid fuerat præceps dando totum Sibæ, inaudita parte: modo audita parte, sed in discussa veritate manifeste iniustus inuenitur , & ingratissimus Ionathæ patri Miphiboseth. Et Hebræi dicunt in pœnam huius peccati diuisum fuisse Regnum Dauidis tempore nepotis eius Roboam.*

Dub. 7. Ad illa verba , Psalmi 7. vers. 9. *Iudica me, Domine, secundum iustitiam meam , & secundum innocentiam meam super me.* Cur Dauid petit iudicari secundum iustitiam , & innocentiam suam , cum Psalm. 6. vers. 1. petat saluari propter misericordiam Dei: *Saluum me fac propter misericordiam tuam.*

Qui gratus est, aliud beneficium potest petere.

Respondetur. Quod Dauid *Psalmo* 6. gerebat personam pœnitentis , ideo petebat misericordiam: at in hoc Psalm. iustitiam a Deo sibi datam peracta pœnitentia commemorat , ne ingrati animi esse videretur apud Deum : dicit ergo sicut tua bonitate me iustificasti , sic per illam iustitiam à te peto iudicari. Qui enim gratum se Deo exhibet , aliud beneficium potest à Deo petere. Incognitus: *In præcedenti Psalmo gerebat personam pœnitentis : ideo postulabat misericordiam , qua vocamur ad pœnitentiam : nunc post peractam pœnitentiam accepta remissionis gratia , qua quis iustificatur a Deo , ne sit ingratus iustitiam à Deo sibi datam commemorat; dicens : iudica me Domine secundum iustitiam meam , non quidem præsumens de suis meritis , sed magis Deo gratiam reddens de iustitia à Deo sibi data : quasi dicat , sicut tua gratuita bonitate me iustificasti , non meis meritis , sic per illam iustitiam à te peto gratiose iudicari.* Vide in Indice *Gratitudo.*

CAP. XXXXVI.

De Gula.

DVb. 1. Ad illa verba , Genes. 3. vers. 22. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est* : Quidam interrogatiue legunt : *Ecce homo , est ne sicut vnus ex nobis cognoscendo bonum, & malum.* Cur dixit Deus de Adamo, quod non cognosceret bonum , & malum?

Abstinentes scientiam obtinet, gulosi in ignorantiam incidit.

Respondetur. Quod Adam , & Eua abstinentes à pomo vetito habebant scientiam boni , & mali , sciebant discernere inter bonum, & malum : at gustato fructu, & in gulam prolapsi plenissimam scientiam boni , & mali perdiderunt. Hinc interrogatiue ait Dominus : *Est ne Adam sicut vnus est nobis cognoscens bonum , & malum,* quasi dicat , quia gulosi non habebunt variam, & multam rerum scientiam , sed ignari , & omnium. Abstinentes enim scientes sunt , gulosi vero insci. Maluenda: *Quidam nolunt esse ironiam, sed interrogatiue legunt. Ecce homo , est ne sicut vnus ex nobis cognoscendo bonum, & malum : quasi dicat , quam diuersus est hic eius status ab illo in quo eum condidimus , tunc erat sciens , & obtinens bonum , & sciens , & abstinens bonum , & sciens , & abstinens malo, nunc reiecto bono , amplexatus est malum , quod assequutus est miser.*

Dub. 2. Ad illa verba , Exodi 16. v. 16. *Colligat vnus quisque ex eo quantum sufficit ad vescendam, gomor per singula capita.* Cur manna tam parce in singulis distribuitur, cum tam abunde in omnes diffundebatur?

Gula vires frangit.

Respond. Quod Dominus curabat temperantiam singulorum in se ipsis , ne ex gulositate , qui erant fortiores , plus debito colligentes , debiliores fierent. Hinc præcepit colligere gomor , id est , mensuram continentem quantum homini sufficit ad diurnum cibum : si enim abundanter ex eo colligerent , & ederent, roboris,

tis, & virium multum amitteret. Gula enim vires debilitat, & frangit. Ioſephus apud Lyranum : *Ex Diuina enim prouidentia factum eſt, ne ex cupiditate, & guloſitate, illi qui fortiores erant, plus debito vellent colligere, & debitior debito alimento priuarentur, & in populo ſeditio oriretur.*

Ex gula ſedi- tio oritur.

Ex Gula luxuria oritur.

Dub. 3. Ad illa verba, 2. Reg. 4. v. 6. *Ingreſſi ſunt autem domum latenter, & aſſumentes ſpicas tritici percuſſerunt eum in inguine.* Quid ſignificat ingreſſus Rechab, & Baana in domum Iebboſeth, & percuſsio eius in inguine? Cur in inguine percutiunt?

Reſpondetur. Quod iſti duo Latrones Rechab, & Baana ſunt nimius cibus, & potus, qui ſub ſpecie neceſſitatis, clam, & abſcondite ingrediuntur hominem, & percutiunt eum in inguine, id eſt, in luxuriam deijciunt. Ex gula enim luxuria oritur. Hugo Cardinalis : *Iſti duo latrones qui domum latenter ingrediuntur, & Dominum domus interficiunt, ſunt nimius potus, & cibus exquiſitus, ſiue potus ſuperfluitas, & cibi ſaturitas, quæ ſe multoties latenter ingerunt ſub ſpecie neceſſitatis, & Dominum domus, id eſt, ſpiritum in inguine percutiunt, & occidunt, id eſt, in luxuriam deijciunt. Vnde D. Gregorius: omnes ſuis vitijs fauent, & quod ob carnis voluptatem faciunt, ad neceſſitatis referunt actiones, & ſub infirmitatis velamine, vitium voluptatis excuſant, ſi quando locunditas voluptatis irrepſerit, gaudet infælix anima, vt ſub obtentu ſalutis obumbret negotium voluptatis.* Vnde exceſſus in cibo, & potu eſt maxima diſpoſitio ad luxuriam excirendam. Ruth. 3 verſ. 3. *Booz iſte hac nocte aream hordei ventilat.* Cur præcepit Noemi Ruth, vt accederet ad Booz ad tractandum initium matrimonij cum illo in nocte, qua triticum ventilabat? Cur potius in illa nocte quam in alia?

Reſpondetur. Quod Booz illa die ventilationis areæ, fecit epulas, & bibit abuntanter ad iucunditatem, & ſic diſpoſitus procliuior erat illa nocte ad venerea : ideo præcepit Noemi Ruth, quod illa nocte qua ventilabat hordeum, tractaret cum Booz, quod contraheret cum ea matrimonium, quia abundanter vſus cibo, & potu, diſpoſitus erat ad libidinem. Cibus enim nimius excitat ad luxuriam. Abulenſis : *Quia die ventilationis areæ fecerat Booz ſolemnes epulas, & biberat abundanter, non quidem ad ebrietatem, ſed ad iucunditatem, quæ eſt media inter ſobrietatem, & ebrietatem, & eſt via ad ebrietatem, & quando homines ſunt ſic diſpoſiti, facilius inclinantur ad venerea : ideo poterat tunc Ruth inducere Booz ad contrahendum ſecum præ hilaritate vini, & quoddam ſtimulo carnis cauſato ex vino, nam venter æſtuans facile deſpumat in libidinem : Alijs autem diebus non faciebat Booz tales epulas, nec bibebat ad iucunditatem, ſed ad ſobrietatem, ideo non moueretur ita faciliter ad contrahendum, & conſumandum matrimonium, ſicut tunc. Putauit ergo Noemi diem ventilationis areæ conuenientiorem eſſe ad iſtud opus quam alios dies,* & infra: *Non putauit, quod vir inflamatus calore venereo ex vino tacta carne mulieris, non rueret illico in amplexus eius, & ob hoc dixit, ipſe autem dicet tibi quid agere debeas : ſcilicet, certiſsime ipſe mandabit tibi, quod cubes apud eum.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iob. 39. verſ. 7. *Clamorem exactoris non audit.* Quæ nam eſt hæc vox exactoris, quam onager non audit?

Gula perdit virtutes.

Reſpondetur. Quod onager eſt vir iuſtus, exactor eſt venter, qui cibum exigit, clamor exactoris eſt immoderatus appetitus cibi, & potus: hunc onager non audit, quia iuſtus deſiderio gulæ non obtemperat, quia ſi ei obediret omnium virtutum iacturam faceret. Gula enim pereunt virtutes. Hugo Cardinalis : *Exactor dicitur venter, qui quotidie à nobis debitum refectionis exigit. Huius exactoris ſermo eſt naturalis appetitus, ſed clamor eius immoderatus appetitus. Clamorem igitur exactoris, non audit onager, quia viri iuſti violenta gulæ deſideria, non obediendo reſtringunt : ſciunt enim, quod niſi venter reſtringatur, omnes virtutes animæ per carnis concupiſcentiam deſtruuntur. Vnde Nabuzardam Princeps coquorum deſcribitur muros Ieruſalem fenditus ſubuertiſſe. 3 Reg 25. Quid Nabuzardan niſi diabolus? Quid per muros Ieruſalem niſi virtutes animæ ad viſionem pacis tendentis? Quid Princeps coquorum niſi venter exprimitur. Muros ergo Ieruſa-*

Cibus nimius excitat ad luxuriam.

lem Princeps coquorum destruit, id est, Venter Virtutes animæ, dum non restringitur, perdit. Huic coquorum Principi contra Menia suæ Ierusalem decertanti, subtrahebat Vires Apostolus cum dixit: castigo corpus meum 1. Corint. 9.

Gulosi cibos quærunt, non ad sustentandam naturã, sed ad irritãdam gulam.

Dub. 5. Ad illa verba, Ecclesiastici 29. vers. 27. *Initium Vitæ hominis hominis aqua, & panis.* Cur dicitur, quod initium vitæ hominis fuit panis, & aqua?

Respondetur. Quod hic frugalitatem docet, vt temperantes simus inuictu; reprehenditque luxuriam cibi, & potus, quia inirialis, siue primitiua sustentatio hominis fuit aqua, & panis, modo autem ita immoderatæ cibi appetentiæ dediti sunt homines, quod gulæ irritamenta quærunt. Innocentius Papa lib. 2. de contemptu mundi cap. 17. *Initium Vitæ hominis aqua, & panis, nunc autem gulosis non sufficiunt fructus arborum, non genera leguminum, non radices herbarum, non pisces maris, non bestiæ terræ, non aues cæli, sed quærunt pigmenta, comparantur aromata, & nutriuntur altilia. Capiuntur ob escam, quæ studiose coquuntur arte coquorum, quæ laute parantur officio ministrorum. Alius contundit, & colat, alius confundit, & conficit, & substantiam conuertit in accidens: naturam mutat in artem, Vt saturitas transeat in esuriem Vt fastidium reuocet appetitum ad irritandam gulam, non ad sustentandam naturam, non ad necessitatem supplendam, sed ad auiditatem explendam.*

Gulosi pigri sunt, & languidi ad bonum, vnde, quærunt quietem.

Dub. 6. Ad illa verba. Ad Titum. 1. vers. 12. *Cretenses Ventris pigri.* Cur Cretenses vocantur pigri?

Respondetur. Quod Cretenses ventribus erant dediti, & gulosi, ingluieque notati. Hinc vocantur pigri, torpore, & desidia iacentes ad bonum, requiem quærentes, quia ventris pondus fecit eos pigros, & ad bonum ignauos. Gula homines reddit socordes, & pigros ad bona. D. Thomas: *Ventres pigri, id est, pigritiam habentes ex Ventre, erant enim gulosi, & tales quærunt quietem. Lucæ* 12. *Anima habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Vide in Indice, *Gula.*

H

CAP. XXXXVII.

De Homine.

Homo in his quibus delectatur, nocet, & malum suum inuenit.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 17. *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Cur illud lignum dicebatur scientiæ mali?

Respondetur. Quod qui de ligno illo edebat, de fructuque eius gustum capiebat, mala huius vitæ experimento dedicebat. Hinc lignum dicebatur scientiæ mali, propter mala quæ gustato eius fructu experiebatur, seu experturus erat homo. Homo enim in his quibus gustum capit, & delectatur, sua mala inuenit. Oleaster: *Arbor scientiæ boni, & mali dicebatur, quia eius gustato fructu, homo experiebatur mala huius vitæ.*

Crudelis homo speciem habet hominis, similitudinem vero feræ.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 16. vers. 17. *Hic erit ferus homo.* Alij legunt: *Et ipse erit fera hominis.* Cur Ismael appellatus fuit fera hominis?

Respondetur. Quod Ismael ita ferox, inhumanus, & immanis futurus erat, quod speciem tantum hominis habiturus erat, cætera vero feræ similitudinem relatura erant. Hinc Ismael fera hominis dicitur. Quia crudelis homo, speciem quidem habet hominis, in cæteris vero feræ similis est. Maluenda: *Nonnulli reddunt: Et ipse erit fera hominis, quod speciem hominis dumtaxat retulerit cætera fera.*

Qui suos diligit, de suo, & aliorum commodo sollicitus est.

Dub. 3. Ad illa verba Genes. 21. vers. 23. *Ne noceas mihi, & posteris meis stirpique meæ.* Cur Abimelech tam sollicitus est, quod Abraham non noceat posteris eius? Cur non rogat tantum pro se, sed etiam pro stirpe?

Respondetur. Quod Abimelech ita suos diligebat, quod non solum commodum procurabat pro se, sed pro posteris suis curabat. Hinc dixit ad Abraham, quod juraret per Deum, ne noceret ei, & posteris eius. Qui enim diligit suos, non solum prouitando damno sui laborat, sed, & suorum commodum sollicitat. Hugo Cardinalis *Iste enim non solum de se, sed etiam de posteris suis sollicitus erat. Simile* 1. *Reg.* 20. *Dixit Ionathas ad Dauid: si vixero facias mihi misericordias Domini: si vero mortuus fuero non auferes misericordiam tuam à Domino meo in sempiternum.*

Dub.

Homo experientia discat, quid valeat, & quid possit, quæque iura habeat agenda.

mensu-
rum, quod non potest supra vires
Iacob luctando, & sic verificatur,
quod Angelus experimento vidit, quod
non potuit vincere Iacob Lucanto.

Dub. 5. Ad illa verba, Exodi 19. vers. 12. *Cauete ne ascendatis in montem.* Cur Dominus toties præcepit populo ne ascenderet in montem Sinai, hic, & vers. 21. & vers. 24. videtur enim superflua repetitio præcepti.

Homo iterū atque iterum monendus, ne peccet.

Respondetur. Nullam fuisse præcepti superfluitatem, eo quod Iudæi adeo erant indomiti, & inclinati ad oppositum illius, quod ex parte Dei illis præcipiebat Moyses: ideo non sufficiebat semel illud præcipere, sed multiplicatione præcepti opus erat. Homo enim adeo est inclinatus ad peccandum, quod non semel, sed multoties opus est præcipere illi ne peccet. Abulensis: *Deus autem cognouit Iudæos adhuc in-*
firmos esse ad legis Valde inclinari ad id,
quod vetabatur eis, ne ergo transgrederentur, voluit eis iterum aperire.

Dub. 6. Ad illa verba, Leuitici 19. v. 28. *Neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis.* Cur Dominus prohibuit stigmata facere in seipsis homines: cum D. Paulus ad *Galat.* 6. dicat: *Quod stigmata Iesu in corpore suo portabat?*

Stigmata significant Iesum mori, eiusdem esse nos mundare.

Dub. 7. Ad illa verba, Leuitici 26. vers. 3. *Si in præceptis meis ambulaueritis, terra gignet fructum suum.* Cur Deus promittit Israelitis seruantibus eius præcepta bonorum terrenorum abundantiam, & non cœlestium, quod è contra videbatur faciendum, quia potiori præmio commouendi erant?

Homines terreni mouentur ad obseruantiam legis intuitu bonorum terrenorum.

Respondetur. Quod homines terreni mouent se ad obseruationem Diuinorum præceptorum intuitu bonorum temporalium, & non æternorum; ideo Dominus dum præcipit Israelitis obseruantiam suorum præceptorum, terrena promittit, non æterna. Homines enim terreni mouentur ad obseruantiam Diuinæ legis intuitu terrenorum bonorum. Abulensis: *Sciendum, quod Deus hominibus loquitur iuxta dispositionem ipsorum hominum, vt possint capere, & persuaderi, namsi alteri fieret, nequaquam conuenirent ad intentionem Dei. Perfectis ergo viris, perfecte loquitur, imperfectis autem loquitur per bona imperfecta, & quoniam homines terreni, sola quæ terrena sunt, cognoscunt, sola ista sensibilia, bona existimantes, nescientes quæ sint vera bona, iuxta illud 1. ad Corinth. 1. scilicet animalis homo ignorat, quæ Dei sunt: ideo Deus quando aliquibus hominibus imperfectis lo-*

quitur inducendo ad bonum persuadet eis per ista bona temporalia, quæ ipsi bona existimant solum; & sic erat de Iudæis, quoniam ipsi erant viri imperfecti, ideo Deus deducens eos ad bonum, suadet per bona temporalia.

Dub. 8. Ad illa verba, 1. Reg. 1. v. 24. *Et adduxit eum secum postquam ablactauerat in vitulis tribus, & tribus modijs farinæ.* Cur dicitur de Elcana, & Anna quod obtulerunt tres modios farinæ: cum *Numeror.* 28. præcipiatur cum singulis vitulis offerri tres decimas, vt patet *vers.* 12. *Offeretis tres decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio per singulos vitulos*, vnde cum Elcana, & Anna obtulerint tres vitulos, videtur obtulisse nouem decimas, & consequentur quod obtulerunt modios farinæ plures quam tres.

Homo magis attentus est hominibus, quam Deo.

Respondet. Quod Elcana, & Anna obtulerunt partem modij farinæ cum vitulo Deo, vt ex Hebræo habetur, residuum vero modij farinæ cum duobus vitulis dederunt Sacerdoti: vnde minus obtulerunt Deo, plus vero Sacerdoti, quia Deo partem modij farinæ cum vitulo dicauerunt: Sacerdoti autem alteram partem modij farinæ cum duobus vitulis obtulerunt. Homo enim magis attentus, & officiosus est homini, quam Deo. Hugo Cardinalis: *D. Hieronymus dicit, quod littera corrupta est hic, & vbi nos habemus tres modios Hebræus habet, & modio farinæ, cuius partem obtulit cum vitulo, residuum cum duobus vitulis dedit Sacerdoti.*

Dub. 9. Ad illa verba, 1. Reg. 12. vers. 12. *Nunquid non messis tritici est hodie? Inuocabo Dominum, & dabit voces, & pluuias.* Vbi *Glossa* ait: *Voces, & pluuias.* id est, *tonitrua, & pluuias, non est consuetudo in Iudæa in tempore æstatis pluere.* Cur dicitur quod tempore messis non pluit in Iudæa; cum Iosue 13. vers. 15. legatur: *Quod Iordanis ripas aluei sui impleuerat tempore messis.* Et Ecclesiastici 24. vers. 36. dicitur, *quod multiplicat quasi Iordanis in tempore messis*, sed hoc non est nisi ex pluuia, vnde videtur quod in Iudæa pluit tempore messis.

Multi lucrét non ex proprijs, sed ex alienis.

Respondetur. Quod in Iudea non pluit tempore messis, Iordanis vero inundat ex niuibus quæ illo tempore liquescunt, & soluuntur: hinc dicitur quod Iordanis tempore messis inundat, non quidem ex pluuia, sed ex resolutione niuis. Multi enim lucent non ex proprijs, sed ex alienis. Hugo Cardinalis, sicut dicit Glossa, & Beda super Matthæum: *Tempore messis non pluit in Iudæa, vnde & Iudæi illo tempore petierunt signum de cœlo. Matth. 16. Quod autem dicitur in Iosue, & in Ecclesiastico soluitur, quia ex resolutione niuium, quæ fit maximè tempore niuis, inundauerat Iordanis.*

Dub. 10. Ad illa verba, Psalmi 32. vers. 18. *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius, vt eruat a morte animas eorum, & alat eos infama.* Cur dicit Dauid quod oculi Domini respiciunt metuentes eum, & sperantes super misericordia eius? An Deus in populum electum semper oculos intentos non coniecit? Cur ergo dicit quod metuentes eum, & sperantes in misericordia, intuetur vt à malis eruat?

Tota fœlicitas hominis oritur ex eo, quod Deus eum respiciat: infœlicitas vero quod eum non intueatur.

Respondetur. Quod populus electus; scilicet, Israel, quando non metuit Dominum, nec sperauit in eo, non fuit dispositus, vt Deus intenderet aciem oculorum in eum: quando vero timuit Deum, spemque suam fixit in eo, Deus intuitus est eum, vt liberaret ab hostibus, alimenta præberet, & in omnibus periculis protegeret, à malisque omnibus erueret: hinc Propheta dicit quod oculi Domini fuerunt super populum Israel metuentem eum, sperantem in eo, vt eum ab omni malo incolumem, & saluum seruaret, beneficijsque honestaret. Tota enim fœlicitas hominis oritur ex eo, quod Deus eum respiciat: infœlicitas vero quod eum non intueatur. Caietanus: *Oculis autem Dei, hoc est, specialis cura Diuina, respectu electæ gentis describitur relatus ad materiam dispositam; scilicet, timentes Deum, & expectantes gratiam eius: acsi aperte diceret, quod ideo hactenus oculus Domini non fuit super oculo electo, quia non fuerunt timentes Deum, quia non posuerunt spem suam in gratia Dei. Quia ecce in promptu semper est oculus Domini super populum timentem eum, & expectantibus gratiam eius ad eruendum, ecce effectus oculi Domini liberare à periculis mortis, & alimenta præbere tempore famis. Et significatur per hæc magnitudo Diuinæ curæ tum respectu humanarum virium, efficiendo illa in quibus deficiunt sæpè humanæ vires; scilicet, liberare à periculis mortis, & alere tempore famis: tum respectu status populi, qui ex suis demeritis subiectus, laborat mortibus frequentibus, quæ illi inferebantur ab hostibus, & penuriæ alimentorum, vsurpantibus hostibus fruges ter-*

terræ. Commendatur enim Diuina cura ex eo quod timentes eum quamuis ex prioribus peccatis, mortis, & famis periculis subiectos, liberat à mortis periculis, & à penuria annonæ, & intellige in his liberationem à reliquis malis.

Deus geris se erga hominem eo modo quo homo segerit erga Deum?

Dub. 11. Ad illa verba, Psalm. 33. vers. 16. *Oculi Domini super iustos.* Cur oculi Domini intendentes super iustos describuntur, & non super peccatores?

Resp. Quod iusti oculos suos in Deo figunt: hinc Deus oculorum aciem in iustos conijcit. Gerit enim se Deus erga hominem, eo modoque homo segerit erga Deum. Hugo Cardinalis: *Dicit oculi Domini, id est, respectus misericordiæ. Sapientiæ 4. Gratia Dei, & misericordia in Sanctos eius, & respectus in electos ipsius super iustos supple sunt: quia sicut verum est illud. Prouerbior. 8. Ego diligentes me diligo: ita verum est, quod respicientes se, respicit, & custodit. Iusti autem oculos habent ad Dominum. Vnde Psalm. 24. Oculi mei semper ad Dominum. Cant. 2. Dilectus meus mihi, & ego illi; scilicet, intendit mihi, & respicit ad me, & ego similiter ad eum.* Vide in Indice *Homo.*

CAP. XXXXVIII.

De Honore.

Honor prius deferendus est præstantissimis, quàm minus excellentibus.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 1. v. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Creata fuerunt simul cœlum Empyreum, materia corporalis, & Angelica materia. Cur hæc in principio fuerunt creata, id est, ante omnia, & non alia?

Resp. Quod cœlum Empyreum est nobilissimum, & Angeli excellentissimæ creaturæ: hinc simul creata fuerunt cœlum, scilicet, Empyreum, & natura Angelica, & non alia quia præcæteris creaturis excellentissima sunt. Honor enim prius deferēdus est prēstātissimis, quam minus excellentibus. D. Thomas 1. part. quæst. 46. art. 3. in corpor. *Quatuor enim ponuntur simul creata: scilicet, cœlum Empyreum, materia corporalis, quæ nomine terræ intelligitur tempus, & natura Angelica.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 2. ver. 7. *Factus est homo in animam viuentem,* id est, vt esset animal viuens. Quæres an anima Adæ creata fuerit cum Angelis in cœlo, & post infusa corpori, an vero in ipso infundendo creata?

Resp. Quod aliæ animæ creantur cum corpori infunduntur, & creando infunduntur: hinc probabiliter dicendum est de anima Adæ, quod non fuit creata cum Angelis in cœlo, & post infusa corpori, sed in ipso infundendo creata: sicut enim vniformis est creatio omnium Angelorum, ita vniformis est creatio omnium animarum, creantur cum infunduntur: si enim anima Adæ in cœlo creata fuisset cum Angelis, & postea corpori infusa; quod de aliis animabus non dicitur, videretur Deus fauere animæ Adæ, & non aliis, acceptorque esse animæ Adæ, & non aliorum, & in honoribus conferendis nulla debet esse personarum acceptio. Hugo Cardinalis: *De anima Adæ quæstio est, Vtrum fuerit creata cum Angelis in cœlo, & post infusa corpori, an in ipso infundendo creata. Sed de aliis certum est quod infundendo creantur, & creando infunduntur, & satis probabile est de illa similiter, vt sicut omnium Angelorum vniformis est creatio, ita & omnium animarum.*

In honoribus conferēdis nulla debet esse acceptio personarum.

Dub. 3. Ad illa verba, Deuteronom. 34. vers. 6. *Et non cognouit homo sepulchrum eius, vsque in præsentem diem.* Cur voluit Deus sepulturam Moysis incognitam esse?

Impediendus est honor homini deferendus, cuius non est capax.

Resp. Quod si Iudæi cognoscerent locum vbi sepultus fuit Moyses, daretur locus idolatriæ Iudæis, nam præstantissimum virum, vt Deum adorarent; hinc occultatum fuit corpus Moysis, nec aliquis cognouit sepulturam eius, nec certum sepulchri eius locum, ne cultum Diuinum, cuius erat Moyses incapax deferrent ei Iudæi. Impediendus enim est honor deferendus homini, cuius non est capax. Maluenda: *Consentiunt fere omnes, & res ipsa loquitur, causam quare incognitam esse voluerit Deus sepulturam Moysis, esse vt Iudæis adimeretur occasio idolatriæ, nam tantum virum facile vt Deum adorauissent. Praua imitatione Moysis videntur Ethnici finxisse suorum Legislatorum raptus à conspectu hominum, vt Romuli apud Liuium, Plutarchum Auctorem de iuris illustribus. Item Apollony Thyanæi apud Philostratum lib. 8. de eius vita cap. 12.*

Honor Deo debitus, non afferendus est homini, nec honor qui debetur alicui alteri exhibendus.

2. Respondetur. Quod Deus noluit Moysis Mausolæum cognosci, neque locum sciri, quo fuit reconditus, ne Iudæi si scirent excellentissimo viro Diuinos afferrent honores. Non enim homini afferendus est honor, qui Deo debetur. Oleaster: *Sunt enim qui dicunt Dominum serui sui sepulchrum abscondisse, ne Iudæi illi Diuinos honores exhibe-*

berent. Quos enim æneo serpenti posse exhibuerunt, non mirum, quod illos de se tam benemerito homini exhibuerint.

Dub. 4. Ad illa verba, Judic. 16. vers. 5. *Venerunt que ad eam Principes Philistinorum.* Cur Reges per seipsos fuerint ad vitiendum vnam mulierem Dalilam causa pecundi tradi sibi Samsonem? Non videbatur conueniens, vt coram vna muliere tanta excellentia Regum deprimeretur?

Honoris causa multi inducuntur ad malè faciendum

Respondetur. Quod Reges voluerint inclinare Dalilam, vt circumspiceret Samsonem, vt autem eam monerent ad hoc magnum operandum, singulari honore affecerunt eam, vt videns sibi à Regibus quinque Philistinorum ciuitatibus honoratam, & deprecatam, proditionem exquereret. Honoris enim vanitate inducuntur multi ad magna facienda. Abdi. *Ierunt omnes ad eam Principes inclinare, & pollicere ei conclinare potest, Quia nunquam poterat esse maior honor Dalilæ, quam vt quinque Reges Philistinorum venirent ad precandum aliquem vt nocere debilla: fœmina autem cum sit de se naturaliter mouentur Dalila ad aliquid per cautis conditionem, & ingenium.*

Dub. 5. Ad illa verba, Iosue 24. vers. 14. *Nunc ergo timete Dominum, & seruite ei.* Cur Iosue Israelitis, vt Deum timerent, repræsentauit illa beneficia, quæ tantum illius recepérant beneficium? Quod opus erat ad talem finem, cum sine medium? An decebat illos tot beneficia, non debebant Deo maximam reuerentiam, & maximum honorem?

Honor non datur alicui, qui honorem sibi non debet.

Respondetur. Quod quamuis aliquis debeat alicui reuerentiam, & honorem, tamen ex occasione huius reuerentiæ non debet ab illo postulare, & accipere beneficia, & munera. Hinc Iosue admonuit Israelitas, vt Deum timerent, & honorarent, vt ex occasione huius timoris, & honoris Deo debiti, non postulauerint, & acceperint beneficia, & munera à Deo. Deus enim, qui est omnium bonorum fons, & origo, non debet honorem, & reuerentiam, quam ei debemus, ideo exhibere, vt ab eo aliquid commodi accipiamus. Abdi. *Ideo Iosue inclinauit eos ad colendum Deum verum, vt cognoscerent Israelitæ se obligatos ad colendum Deum verum, & ideo inclinarentur ad colendum vt si quod bonum ab illo reciperent, sicut Deus ille fecimus honorem debitum, si tamen aliquod bonum ab eis bonum susceperimus quocumque modo, non inclinamur ad eos honorandum.*

Dub. 6. Ad illa verba 1. Reg. 18. vers. 9. *Quæ est peccatum meum in conspectu tuo, quod Dauidi dari in manus Achimelech?*

Non sufficit laudibus alios honorare nisi operibus honorem probet.

Respondetur. Quod Saul audiuit mulieres laudibus honorantes Dauidem, quod in illis myriadas interfecit. Hinc inferebat Saul, quod Dauidi Regnum quæreret, vt illi succederet, quia putauit, postquam laudibus extollebatur, ho orem quoque effectivum esse. Non enim sufficit laudibus honorare, & operibus contrariis probare. Iacobus ait: *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis.* Si dicat laudet Deum, & illi non obediat, sed de eo male loquatur, quid illi prodest? Sic Saul videns se à mulieribus laudibus honorari, putauit quod illi tantum myriadas interfecisset, quantum Regnum ei auferre posset. Vnde Regi quæ ei data erat.

Sub fœdere honoris tollat hominem, peculatum venenum, & machinatur eius.

Dub. 7. Ad illa verba 1. Reg. 18. vers. 17. *Dixit Saul ad Dauid: Ecce filia mea maior Merob: ipsam dabo tibi uxorem: tantum modo esto vir fortis, & præliare bella Domini.* Cur Saul tot honoribus affecerit Dauidem, quod illum tam malo animo respiceret, & quem, & quemque laudes eorum tangerent?

Respondetur. Quod Saul sub verbis honoris Dauidis, & honoris verborum, quibus eum honorabat, latentem malitiam occultauerit, vt Dauidem interficeret. Hinc Ambrosius: *Obserua Saulem hoc consilium meditatum, & fraudulenta inuasisse machinamenta quæ cogitauerit: postulat virginem Dauidem amore ipso ardentem, ut perferat ad cædem: sub specie honoris, & affectionis illam petentis obiectum.*

In honoribus non est æquandum æquales habere, & socios.

Dub. 8. Ad illa verba Esther 3. vers. 2. *Genuflectebant omnes Regis, qui in foribus palatii erant, & adorabant genua, & adorabant eum.* Cur Rex Assuerus præcepit Aman adorari cum Reges Persarum soli pro Diis adorabantur?

Respondetur. Quod Aman id gratiæ concedi fecerit, vt more Regio adoraretur. Hinc adorabant eum omnes eius Persæ quam exteri, idque Regis mandato, quasi Regem adorabant. In honoribus enim non est renuendum æquales habere: *Seuerus Sulpitius apud Hieronymum: Erat eo tempestate Regi Aman quidam per familiaris, quem ego ipse sibi adorari more Regum præceperat.*

Dub. 9. Ad illa verba, Esther. 5. vers. 12.

12. *Cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores Regias.* Cur Amano parua videntur magnitudo diuitiarum, filiorum turba magnaque gloria, quam super omnes Principes habebat eleuatus à Rege?

Homo non tanti extimat diuitias, & filios, & mundi gloriam, quam honores

Respondetur. Quod Aman videbat sibi negatos honores à Mardocheo, qui non flectebat genua coram eo, nec adorabat eum: inde licet multis abundaret diuitijs, turba filiorum, multaque gloria polleret, parua hæc reputabat, cum non honoretur ab vno Mardocheo. Homo enim plus æstimat honorem, quam rerum, filiorum abundantiam, & gloriam. Maluenda: *Et quum hæc omnia habeam nihil me habere puto alij, at totum hoc haud quaquam commodum est mihi, vel non conducit mihi nihil me iuuat, hæc omnia parua videntur.* Vide in Indice, *Honor.*

CAP. XXXVIIII.
De Humilitate.

DVb. 1. Ad illa verba, Iudicum 1. v. 18. *Montana possedit, nec potuit delere habitatores vallis.* Cur Iudas possedit montana, non autem habitantes in vallibus? Nonne qui habitabant in montanis securi erant propter altitudinem loci, & difficultatem accedendi ad illum, habitantes vero in vallibus erant in periculo propter humilitatem loci, & facilitatem illuc adeundi, cur ergo Iudas cepit habitantes in montanis, non vero in vallibus?

Humilitas est præcipuum armorum genus ad vincendum diabolum.

Respondetur. Quod qui erant in vallibus habebant arma, quibus deffenderentur, quibus carebant habitantes in montanis; scilicet, habebant illi currus falcatos, & gladios in rotis in modum falcis curuos, quibus carebant in montanis. Currus falcati significant humiles: sicut enim in falce, finis vertitur cum principio, ita humilis finem suum agnoscens, & principium suum considerans, ex nihilo se esse recognoscit, in gladio vero recto tendente in alium, superbus alta petens designatur. Non ergo mirum si stantes in alto, id est, in montanis velut superbi carentes humilitatis armis facile vincerentur, & minus mirum, si in vallibus constituti armati fortissimis humilitatis armis in expugnabiles redderentur. Humilitas enim est præcipuum armorum genus ad vincendum. Abulensis: *Filij Iudæ pugnauerunt contra habitatores excelsorum, quanquam loca ipsa secura essent, eo quod isti non habebant fortia genera armaturæ, quibus repellerent Iudæos, habitatores autem vallium, quamuis loca minus tuta haberent, tamen genera armaturæ erant fortissima: scilicet, currus falcati, quia habebant gladios in rotis curuos in modum falcis.*

Dub. 2. Ad illa verba, Iudicum. 8. v. 2. *Quid enim tale facere potui quale vos fecistis.* Iuxta Hebræum habetur. *Quid feci nunc sicut vos.* An Gedeon mentitus fuerit? Videtur quod sit, quia præclariora facinora, & mirabiliora opera fecit Gedeon, quam Ephraitæ fecerant occidendo Principes Oreb, & Zebe non ergo recte dicere potuit, quod ipse nihil tale fecerat, sicut illi fecerunt.

Qui vere humilis est, omnibus se peiorem tenet.

Respondetur. Quod Ephraitæ occiderunt Principes Oreb, & Zebe, & tamen licet Gedeon laudabiliora operatus fecerit in illo bello Madianitarum, ho ex humilitate dixit, attendens sua facinora per comparationem ad Ephraitas. Hinc non fuit mentitus dicens, quod non fecit opera illustria sicut ipsi præclara fecerunt occidentes Principes Madianitarum. Qui enim vere humilis est, propria merita non mensurat. Abulensis: *Gedeon erat valde humilis, & forte ex humilitate propria merita non mensurabat nam humilium ista conditio est, vt non respiciant quantum proficiunt, sed quantum à perfectione deficiunt, non quod nereantur sed quod demereantur, bona autem aliorum humiles considerant, & appretiantur. Vnde actus Ephraitarum poterat attendere Gedeon tanquam laudabiles, & ad suos non attendere & diceret, quid tale potui agere & vos fecistis? Quasi ipse nihil egisset, & illi magna egissent.*

Humilis non sibi, sed Deo, quod agit attribuit.

2. Respondetur. Quod Gedeon in illo bello Madianitarum præclara, & fortia opera fecit, Ephraitæ quoque præstantissima egerunt, tamen dicit Gedeon, quod nihil cum factis eorum comparandum fecit, quia non sibi facinora adscribebat, sed Deo. Humilis non sibi, sed Deo, quod agit, attribuit. Maluenda: *Quasi dicat: Ego nihil hactenus feci; quod sit cum factis vestris comparandum: neque enim gladium distrinxi, aut vllum hostium interfeci: omnia enim a Deo hactenus nō à me cōfecta sunt.*

Dub. 3. Ad illa verba 2. Reg. 6. vers. 22. *Et ludam, & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis.* Cur dixit Dauid, quod vilior futurus erat quam hactenus erat? Et glorioſior erat appariturus?

Respondet. Quod Michol filia Saul

Humilis quo contemni appetit, eo glorioſior, & illuſtrior apparet.

proſpiciens per feneſtram, vidit Regem Dauid ſubſilientem, atque ſaltantem coram arca, & deſpexit eum in corde ſuo. Hinc dixit ad Michol, quod luſiorus erat coram arca, & vilior apparere appetebat, vt glorioſior appararet, cum ancillis, de quibus loquuta fuerat Michol, cum deſpiciens. Humilis quo contemni appetit, eo glorioſior, & illuſtrior apparet. Hugo Cardinalis: *Dicit D. Gregorius, quod ſunt multi qui de ſe vilia ſentiunt, etiam in honoribus poſiti, nihil ſe niſi puluerem, fauillamque perpendunt, ſed coram hominibus viles apparere refugiunt, vnde tales ludunt, ſed non viliores fiunt, quia vt dicit B. Bernardus, vere humilis non vult humilis prædicari, ſed vilis reputari. Item ſunt aliqui, qui vilis ab hominibus videri appetunt, ſed apud ſe, quaſi ex ipſo merito oſtenſæ humilitatis intumeſcunt: & tanto magis in corde elati ſunt, quanto amplius in ſpecie humilitatis, elationem premunt, ſicut ignis ſub cinere, Hij ſunt Hypocritæ, de quibus Eccleſiaſtici 19. eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo. Hoc duplicis elationis bellum Dauid mira virtute ſuperauit. Quia enim intus humilia de ſe ſentiens, honorem ſiue laudem exterius non quæſiuit, oſtendit cum dicit; ludam, & vilior fiam. Item per hoc, quod exterius vilem ſe exhibuit, intus non intimuit, vnde ſequitur, ero humilis in oculis meis, quaſi dicat, qualem me exterius oſtendo, talem me intus ſentio. Eſt autem quaduplex gradus humilitatis. Primus eſt, vt homo de ſe humilia ſentiat. Secundus vt vilitatem exterius exhibeat. Tertius vt reputari vilis contemnat. Quartus, vt contemni ſe gaudeat eſt & alius ad quem pauci, aut nulli perueniunt, vt contemni ſe homo appetat.*

Inter gradus humilitatis, præſtantior eſt, cum quis ſe contemni appetit.

Dub. 4. Ad illa verba 2. Paralip. 20. verſ. 12. *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Cur Rex Ioſaphat fatetur nullas ei eſſe vires ad obſiſtendum multitudini magnæ, Ammonitis; ſcilicet, Moabitis, ac Syris inſurgentibus contra eum, cum haberet vndecim centum, & ſexaginta millia fortiſsimorum virorum?

Vere humilis totus à Deo vult pẽdere.

Reſpondetur. Quod Ioſaphat in animo, & corde ſuo erat valde dimiſſus. Hinc licet tot millia militum fortiſsimorum haberet militiæ adſcripta, tamen dicit, quod non eſt ei robur contra tam ingentem multitudinem, vnde exſtat Diuinum auxilium ſuſpenſis ad Deum oculis. Vere hunc totus à Deo vult pendere. Maluenda: *Inſignis pientiſsimi Regis animi dimiſſio erga Deum: nam cum conſcripta in militiam habuerit vndecies centies, & ſexaginta millia fortiſsimorum virorum ex Iuda, & Beniamine, præter præſidia vrbium munitarum, vt videmus ſupra cap 17. verſ. 14. & ſequentibus: tamen vt totus à Deo penderet & in ſolidum ei omnia debeat, fatetur ſibi nullas eſſe vires.*

Dub. 5. Ad illa verba, Iob. 38. verſ. 4. *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ.* Cur dicitur, quod terra habet fundamentum: cum *Iob* 26. *verſ.* 7. dicatur de Deo: *Qui appendit terram ſuper nihilum.* Non ergo habet fundamentum.

Humilitas iuſtum ſuſtẽtat, & conſeruat.

Reſpondetur. Quod terra nullæ rei innitur, ſed in ſe ipſa ſuſtentatur, & quieſcit in infimo totius vniuerſi: ideo de Deo dicitur, quod *appendit terram ſuper nihilum*, ſuper nulla re. Humilis enim qui per terram ſignificatur, nullius rei adminiculo, ſed ſuper ſua humilitate in ſuo eſſe conſeruatur. Caietanus: *Dicit quod Deus appendit terram ſuper nullare, ad ſignificandum, quod fecit terram in ſe ipſa ſuſtentatam, & non alicui rei alteri innixam. Et hoc veriſsimum eſt, quia ipſa eſt grauiſsima inter omnes partes vniuerſi: ac per hoc naturaliter quieſcit in totius vniuerſi infimo, quod perſpicuum eſt eſſe centrum mundi.*

Iuſtus virtutes ſuper humilitate fundat.

2. Reſpondetur. Quod terra infimum locum tenet inter elementa. Hinc dicitur, fundamentum habere, quia iuſtus cuius typum gerit terra, ſuam virtutem ſuper humilitate fundat. Hugo Cardinalis: *Terra dicitur fundamentum habere, eo quod infimum locum inter elementa teneat.*

Humilis firmior eſt in virtute, quã alij.

3. Reſpondetur. Quod terra ſupra nulla re eſt fundata, in ſe ipſa ſuſtentatur, & tamen firmior eſt cæteris elementis: inde dicitur fundamentum habere. Vere humilis fixior, & ſtabilior eſt in virtute quam alij. Hugo Cardinalis: *Terra dicitur fundamentum habere, eo quod infimum locum inter elementa teneat, & quia firmius eſt cæteris elementis.*

Dub. 6. Ad illa verba, Prouerb. 30. v. 2. *Stultiſsimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum.* Iuxta Hebræum habetur: *Quia ſtultior ego viros* Cur Salomon ſtultiorem viro ſe nominat, cum *Eccleſiaſtes* 1. *verſ.* 16. dicat: *Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientia qui fuerunt ante me in Ieruſalem.* Si ergo omnes præceſſit,

sit, non debuit stultiorem se viro nominare.

Sapiens vir alios ex humilitate sibi antæ ponit, & reliquos reputat meliores se.

Respondetur. Quod Salomon pensabat se ex sua humilitate. Hinc licet præcesserit omnes sapientia, se stultiorem viro dicit. Humilis enim licet magnus sit in se, ex sua tamen humilitate alios sibi anteponit. Caietanus: *Redditur ratio ex dispositione triplici ipsius Salomonis, quorum prima est virtus humilitatis explicata in agnitione, & professione, hac stultior ego viro. Paulus Apostolus ad Philipp. 2. manifestat humilitatis actum esse superiores sibi inuicem arbitrari. Talem humilitatis actum exercet Salomon dicendo, stultior ego viro, præfert enim alios sibi. Nec mentitur quoniam non est sermo de stultitia quæ est vitium, nec de stultitia, quæ est defectus naturalis ingenij, sed de stultitia, vt negatiue opponitur sapientiæ humanæ, & est sensus: quia ego quantum est ex parte mei, stultior sum, stultiorem me agnosco, & profiteor viro, hoc est, viris secundum communem cursum. Quomodo enim pensans vires proprias ex seipso, & alienas secundum donum Dei, agnoscit se infirmiorem cæteris, & bonitatem propriam pensans ex se, agnoscit reliquos meliores se, ita rationis propriæ vsum pensans ex se ipso, agnoscit se stultiorem alijs.*

Dub. 7. Ad illa verba, Iacobi 4. vers. 10. *Humiliamini, & exaltabit vos.* Cur exaltatio promittitur humilibus?

Homo quò magis se deprimit in præsenti, magis exaltabitur in futuro.

Respondetur. Quod homo quantum se ipsum deprefferit tanto magis exaltabitur. Hinc dicit, quod humilientur, & exaltabuntur à Deo. Exaltatio enim sequitur humilitatem. D. Thomas: *Humiliamini & exaltabit vos merito; scilicet humilitatis. Simile 1. Petri 5. Humiliamini sub potenti manu Dei: Vita enim præsens, & futura sunt quasi quædam statera, in qua sunt duæ partes, & secundum, quod vna magis deprimitur, alia magis leuatur: ita secundum, quod homo magis se deprimit & abijcit in præsenti magis eleuabitur in futuro. Vnde qui se humiliat exaltabitur. Lucæ 18.* Ideo Incognitus in Psalm. 50. loquens de Ascensione Christi, ait: *Quantum enim descendit aqua tantum naturaliter per conductum ascendere potest, & ideo sicut Christus de cælo descendit ad terram: sic de terra ad cælum scandere debuit.*

Vide in Indice *Humilitas.*

CAP. L.

De Hypocrita.

Dub. 1. Ad illa verba, Leuitici 11. vers. 17. *Et bubonem.* Cur bubo seu *mochuelo* displiceat Deo.

Hypocrita ad virtutem piger.

Respondetur. Quod debilis est ad volandum plenus pennæ plumis, & piger est ita Hipocrita plenus apparentijs virtutis, tamen piger, nunquam ad virtutem volat. Abulensis: *Est auis feralis, onusta quidem plumis, sed graui semper detenta pigritia, debilis est ad volandum.*

Hypocrita cum cognoscitur apparentia virtutis, deseritur.

2. Respondetur. Quod aliæ aues volant in circuitu bubonis, & plumis spoliant eum: ita Hypocritam omnes sequuntur videntes in eo tot apparentes virtutes; at cum cognoscunt illas esse apparentes, ipsum deserunt. Abulensis: *Aliæ aues volant per diem in circuitu bubonis, & deplumant ipsum.*

Hypocrita videtur ad cœlum tendere, in veritate tamen non tendit.

3. Respondetur. Quod bubo similis est in pennis auibus rapacibus, sed in rostro, dissimilis tamen in virtute, & animositate. Ita Hypocrita in apparentijs virtutum videtur ad rapiendum cœlum tendere, in veritate tamen nec ad illud tendit, nec aspirat, ideo Deo displicet. Abulensis: *In pennis tantum, & non in rostro auibus prædæ similis videtur: sed in animositate, & virtute penitus dissimilis est.* Vnde Genes. 16. vers. 10. Angelus dixit Agar: *Multiplicans multiplicabo semen tuum.* Cur promisit ei semen longæuum?

Humilitatis præmium est eleuari ad id quo indignum se reputabat humilis.

Respondetur. Quod Agar se humiliauit dicens à facie Sarai Dominæ meæ ego fugio. Hinc meruit in filijs exaltari. Humilitatis enim præmium est eleuari ad id, quo indignum se reputabat humilis. Abulensis: *Benè respondit se humilians, & eam Dominam recognoscens: ideo meruit ab Angelo benedictionem in filijs audire.*

Dub. 2. Ad illa verba, Iob. 8. vers. 16. *Humectus videtur ante quam veniat Sol, & in ortu suo germen eius egredietur.* Quid significat scirpus cum flore suo nascens, & secum germen sui seminis producens? Cur quando nascitur germen sui seminis producit?

Hypocrita in præsenti suum præmium consequitur.

Respondetur. Quod iuncus ipse in loco limoso, & plaustrali enascens, cum flore suo enascitur, & germen sui seminis producit, & bene significat Hypocritam, qui cum opera bona facit, præmium laudis recipit, secumque hominum laudes affert. Hypocrita enim in operibus suis laudes mundi quæ-

quærit. Hugo Cardinalis: *Proprietatem scirpi assignat, quæ aperte conuenit hypocritis: nascitur enim scirpus cum flore suo. & secum germen sui seminis producit: sic hypocrita in ipsa inchoatione operis præmium laudis recipit, & ideo aliud non habebit. Ierem. 48. date florem Moab, quia florens egredietur germem remuneratio præsens.*

Dub. 3. Ad illa verba, Iob. 8. vers. 17. *Super aceruum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides commorabitur.* Cur hypocrita lapidi angulari comparatur?

Hypocrita laudes hominum quærit.

Respondetur. Quod Hypocrita cum bonis hominibus figuram, & imaginem habet virtutis, cum malis vero intentionem malam. Hinc lapidi angulari comparatur, qui habet faciem exteriorem ædificij, prostat, & est inconspectu, imo verius, quod ad diuersa loca respiciat. Sic Hypocrita à diuersa respicit, cum exterius virtutem affectet, interius vero plenus est malitia, & dolo. Vnde lapis angularis est diaboli in eius ædificio positus. Hypocrita enim habet speciē sanctitatis, intentionem vero malam. Hugo: *Radices scirpi sunt cogitationes Hypocritæ, quæ non videntur: aceruus petrarum congregatio hominum a gratia aridorum, & durorum; est ergo super aceruum petrarum, id est, inconspectu hominum radices eius densabuntur, id est, cogitationes Hypocritæ multiplicabuntur, & inter lapides, id est, inter homines commorabitur, quia per omnia quæ agit laudes hominum quærit, lapides quia non additur viui, sunt homines boni, & mali. Hypocrita vero est lapis angularis in ædificio diaboli, quia cum bonis habet speciem sanctitatis, cum malis intentionem iniquitatis.*

Hypocrita cum bonis habet speciē sanctitatis, cum malis intentionem malam.

Dub. 4. Ad illa verba, Psalmi 39. vers. 13. *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.* Cur capillis comparantur Hypocritæ?

Hypocrita peccata sua fucat, & colorat.

Respondetur. Quod sicut multi capillos suos fuscant: ita Hypocritæ peccata sua colorant. Hinc comparantur capillis colore fucatis. Hypocrita enim peccata sua colorat. Hugo Cardinalis: *Sicut quidam fuscant capillos suos, sic aliqui fuscant peccata, sicut Hipocritæ. Ierem. 12. Nunquid auis discolor hæreditas mea mihi.*

Dub. 5. Ad illa verba 1. Reg. 5. vers. 5. *Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo.* Cur Dagon iacebat super faciem suam in terra coram Arca Domini? Cur non stabat iuxta Arcam?

Abominatur Deus Hypocritam, nec patitur eū iuxtà se.

Respondetur. Quod Dagonis caput, & manus erant hominis, reliquum vero corpus erat piscis, & significat Hypocritam qui multas figuras habet. Hinc non stabat iuxta Arcam: abominatur enim Deus Hypocritam, nec patitur cum iuxta se. Caietanus: *Aiunt idolum illum fuisse idolum hominis mixti pisci ita quod caput, & manus erant hominis, reliquum vero corpus erat piscis.*

Dub. 6. Ad illa verba, Matth. 2. vers. 2. *Vidimus Stellam eius.* An Stella quæ ducebat Magos fuerit cœlestis?

Hypocrita mixtus est in se ex bono, & malo, tamen refert similitudinē cœlestis viri, cum non sit vir cœlestis.

Respondetur. Quod illa Stella non erat cœlestis, sed habebat similitudinem Stellæ, & quoddam mixtum ex pluribus elementis maximè igni erat: vnde significat Hypocritam, qui similitudinem habet virtuosi, & cœlestis viri, in se tamen quoddam mixtum est, cum habeat prauam intentionem, ignem inuidiæ, vel odij, & lucem, seu splendorem sanctitatis. Hypocrita enim cum sit mixtus in se ex malis cogitationibus, & bonis operibus, similitudinem tamen habet viri virtuosi. Caietanus: *Aduerte hic quod Stella ista ex his quæ Euangelica tradit historia, non erat stella aliqua cœlestis, sed erat similitudo quædam stellæ: erat enim mixtum quoddam ex elementis pluribus, & præcipue igni, simile Stellæ, non in cælo existens, sed in aere prope nos, vt patet ex eo quod mouebatur quasi motu progressiuo, antecedendo Magos ab Ierusalem, vsque ad diuersorium in quo erat Christus, supra illam domum firmiter stans.*

Dub. 7. Ad illa verba, Ioann. 2. vers. 14. *Et inuenit in templo vendentes oues, & boues.* Quos significant illi qui vendebant oues, & boues?

Hypocrita solum habet virtutis simulationem, & vmbram.

Respondetur. Quod per hæc animalia significatur simplicitas, & innocentia, quia ea vendunt sunt Hypocritæ, quia simulant innocentiam, & fingunt simplicitatem, cum neutram habeant. Hyprocrita enim solam habent virtutis simulationem, & vmbram. Hugo Cardinalis: *Sunt qui vendunt simplicitatem, & innocentiam suam simulatam, quæ designatur per oues, vt Hypocritæ, qui nihil habent de oue nisi pellem. Matth. 7. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. Genes. 27. Iacob subornans se pellibus hædenis, quæ designant habitum pœnitentiæ surripuit benedictionem. Isaiæ 19. Iabaonitæ obumbrauerunt se veteribus pannibus duris, vt haberent portionem cum filijs Israel.*

Hypocrita simulat virtutem, vt cō sequatur quod ambit.

Dub.

Dub. 8. Ad illa verba, 1. Corinth. 13. vers. 5. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam.* Qui sunt qui tradunt igni corpus suum?

Hypocrita diaboli martir est, cum se frangant, vt credatur bonus.

Resp. Quod hypocritæ, vt credantur esse virtuosi, multa bona opera faciunt corpus castigant, & alia quæ mortificationem redolent exequuntur. Vnde Martyres sunt diaboli, cum frangant se, vt boni reputentur. Hugo Cardinalis: *Ita vt ardeam, sicut fecit Empedocles, qui vt crederetur esse beatus, proiecit se in ignem, & combustus est per ignem. Sunt enim multi Martyres diaboli, vt hypocritæ.* Vnde benè comparatur hypocrita equo pallido. Apocalyps. 6. v. 7. *Rectè per equm pallidum designantur inquit Hugo Card. quia vt de religione laudentur leuinijs, & afflictionibus multis se ipsos opprimunt coram hominibus, vt viribus subtractis, & sanguine minorato, quasi iam moribundo pallescant, & ideo mercedem suam receperunt. Matth. 6. Neque enim opera quæ congregant hypocritæ aliam remunerationem, quam laudem quam hic requirunt, habebunt. Vnde Iob 15. Congregatio hypocritarum sterilis.*

Hypocrita mercedem suam in hoc mundo recipit.

I
CAP. LI.
De Ieiunio.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 6. v. 21. *Tolles igitur tecum ex omnibus escis quæ mandi possunt, & erunt tibi quam illis in cibum.* An præter carnes alia alimenta erant in Arca, quibus animalia vescerentur?

Ieiunantibus austeritatem cibi reddit Deus suauem, & salubrem.

Respondetur. Quod præter carnes alia alimenta curauit Noe pro omnibus animalibus, quæ austeriora erant, quibusque vescebantur animalia, quæ suauia fecit Deus. Ieiunantibus enim austeritatem cibi Deus reddit suauem. Hugo Cardinalis ex Diuo Ambrosio: *Quod magis credendum est præter carnes alimenta esse potuerunt, quæ omnibus conuenirent. Multa enim animalia, quibus caro cibus est, fructibus pomisque vescuntur, maximè ficu, & castaneis. Potuit ergo vir sapiens & iustus & Dei amitus admonitus quæcunque congrueret alimentam præter carnes reperire, & condere, & omnibus vesci coegit fames, & nihil est, quod Deus suaue, & salubre facere non possit, qui etiam vt sine cibo viuerent Diuina facultate donaret.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 16. vers. 16. *Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit aduescendum.* Cur Deus præcepit Israelitis, quod non comederent nisi vnum Gomor?

Ieiunans tenetur non solum seruare formam ieiunij, sed temperate comedere.

Resp. Quod sciebat sufficere vnum Gomor, & vetuit plus comedere, quasi demonstrans, illum esse temperatum, qui vltra quam quod necessitas exigit non manducat, ita ieiunantes non tenentur seruare formam ieiunij, sed ea temperantia comedere, vt sit cum moderatione debita iuxta necessitatem comedentis. Ieiunans enim debet temperate comedere, ita vt non plus sumat, quam necessitas petit. Abulensis: *In quo demonstratur quod Deus sciebat quantumcunque sufficeret, cum diceret accipiendum esse Gomor vnum per singula.*

Gratia Dei efficere potest, quod homo ieiunet sine sumptione cibi, & potus per multos dies.

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 32. v. 1. *Fac nobis Deos qui nos præcedant.* Hoc petierunt Hebræi, quia Moysem mortuum existimauerunt. Cur Hebræi talem existimationem habuerunt de Moyse?

Resp. Quod cum scirent Moysem purum hominem esse, & secum, neque cibum, neque potum tulisse, neque ibi ab aliquo sibi datum cognoscerent, neque illis veniret in mentem quod gratia Dei efficacissimè clarebat, quod Moyses in abstractione cibi, & potus per tot dies viuisset; rectè iudicarunt fuisse mortuum, quia hominem esse, & quadraginta diebus, & totidem noctibus sine cibo, & potu viuere posse, impossibile putarunt, id tamen fecit Diuina gratia. Sola enim gratia Dei efficere potest, quod homo ieiunet sine sumptione cibi, & potus per multos dies. Abulensis: *Ratio autem mouens eos ad petendos Deos Duces, fuit quia in tanto tempore Moyses ineffus viueret cum cibos nullos haberet, nullus autem homo tanto tempore ciborum expers permanere posset.*

Qui in multum tempus prolongant ieiunium Diuina consolatione fruuntur.

Dub. 4. Ad illa verba, Exodi 34. vers. 28. *Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes, panem non comedit.* Quommodo viuebat Moyses in cibatus, & impotatus tot diebus?

R. Quod Moyses tot diebus impransus Diuina consolatione fultus viuebat. Qui enim in multos dies prolongant ieiunium, Diuina consolatione fruuntur. Abul. *Moyses sola Dei præsentia refocillabatur magis quam omnibus cibis.*

Dub. 5. Ad illa verba, Leuitici 16. v. 31. *Affligetis animas vestras religione perpetua*: scilicet, ieiunio. Cur præcepit Deus animam affligere ieiunio: cum 2. *Corinth.* 4. dicatur: *Licet is qui foris est vetus homo corrumpatur, tamen is*

qui intus est renouatur de die in diem. Non ergo anima, sed caro ieiunio affligitur.

Respondetur. Quod Deus statuit, quod in die remissionis peccatorum, homines non solum affligant, & humilient corpora ieiunio, sed etiam animas, id est, vitam nostram: vt enim homo satisfaciat pro peccatis, & à peccato expietur, ieiunio oportet macerare corpus, compescereque passiones. Abulensis: *Istud erat præceptum generale ad omnes Iudæos, quoniam oportebat, quod omnes in die propitiationis affligerent animas suas, scilicet, non comedendo, nec bibendo tota die, nec accipiendo delectationes alias: hoc autem est affligere animam, id est, vitam: anima nostra ex his nonaffligitur, quoniam ipsa est incorporalis, quæ horum nihil sentit, sed nos sumus, qui hæc sentimus, & dicimur affligere animas nostras, id est, nos ipsos, vel vitam nostram.*

Ieiunio macerandum corpus, vt homo satisfaciat, & à peccato expietur.

Dub. 6. Ad illa verba, Psalm. 34. ver. 13. *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Cur dicit Dauid, quod in ieiunio humiliabat animam suam?

Respondetur. Quod multi de ieiunio superbi sunt, arrogantes, & insolentes, Dauid vero ieiunio humilis fuit animo, & demissus. Hinc dicit quod in ieiunio humiliabat animam suam, submisseque se gessit. Iusti enim ieiunio non superbiunt, sed humiliantur. Hugo Cardinalis: *Notabiliter dicit humiliabam in ieiunio, quia multi de ieiunio superbiunt. Isaiæ 7. Caput Syriæ Damascus. Damascus interpretatur bibens sanguinem, & significat ieiunium, quod ad litteram bibit, & anihilat sanguinem, & carnem ieiunantium. Et est caput Syriæ, quæ interpretatur sublimis, id est, occasio superbiæ, & principium in multis, qui sunt ieiunantes hominibus, & non Deo.*

Mali de ieiunio superbiunt, boni vero humiliantur.

Dub. 7. Ad illa verba, Psalm. 68. vers. 11. *Operui in ieiunio animam meam.* Quid est hoc quod ieiunio operuit Dauid animam suam?

Respondetur. Quod Dauid ieiunio tanquam scuto regebat se, & defendebat à carnis tentatione. Hinc dicit quod ieiunio operuit animam suam, id est, propulsabat carnis tentationes. Ieiunium enim defendit contra carnis tentamenta. Hugo Cardinalis: *Operui in ieiunio animam meam; id est, abstinui à delectationibus. Et per hoc operui animam meam, quasi scuto contra tentationes carnales. Vnde dicit D. Ieronimus: ieiunio sanantur pestes corporis, vel operui in ieiunio contra frigus, & calorem inferni. Iob 24. Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.*

Ieiunio tanquam scuto, operitur homo, & tegitur contra carnis tentationem.

Ieiunio obtegitur homo contra frigus, & calorem inferni.

Dub. 8. Ad illa verba, Ecclesiastici 18. vers. 21. *Ante langorem humilia te,* alij legunt: *Priusquam ægrotes, aut in morbum incidas, teipsum temperantia macera.* Cur antequam homo infirmetur, consulitur ei temperantia macerari?

Respondetur. Quod temperantia, & parsimonia in cibo multum iuuat valetudinem corporis. Hinc homini consulitur, vt ante quam infirmetur, & ægrotet, humiliet se continentia, & ieiunet. Ieiunium enim valetudinem iuuat. Malvenda: *A quibusdam græcis abest vox continentia, sed tantum est humilia te, affligete, hoc est, ieiuna, nam Hæbræis verbum humiliandi seu affligendi, sumi interdum pro ieiunare, vt Leuitici 16. vers. 29. & alias nimis est exploratum. Dietam, hoc est sobriam, & continentem iustus rationem plurimum iuuare bonam valetudinem, consensio medicorum est. Vnde Suetonius de Vespesiano prodit cap. 20. Valetudine prosperrima vsus est, quamuis ad tuendam eam nihil amplius quam inediam vnius diei per singulos menses interponeret.* Opportune afferam locum Ioannis Saresberiensis lib. 8. de Nugis Curialium cap. 5. *Ferunt Galenum semper decimæ diei abstinentiam loco efficacissimæ, & saluberrimæ medicinalis curæ indixisse: nec facile posse nisi corruptioris naturæ fuerit, morbis grauioribus subiacere, qui decima quaque die ab omni cibo abstinet, aut simplicissima dieta transigit vitam, sunt adhuc qui sextam feriam in ieiunio sine cibo transigant, vel eo vtantur minimo, quod quidem Religioni, & incolumitati, sicut experti loquuntur, certissimè seruit.* Vide *Abstinentia*, & in Indice *Ieiunium*.

Ieiunium bonam valetudinem iuuat.

Vespasianus singulis mensibus diem vnum abstinebat, & ieiunabat.

Consilium Galeni de abstinentia.

CAP. LII.

De Imitatione.

DVb. 1. Ad illa verba, Exodi 3. vers. 1. *Ad montem Dei Oreb.* Cur mons Oreb dicitur præcæteris Dei? An quia Deus descendit in eum ad legem ferendam, an ex gloria, & maiestate præsentiæ Diuinæ in eo monte conspicuæ?

Respondetur. Quod lapides montis Oreb seu Sinai in se expressam habent rubum, quem viderat Moyses, spinas, & flammam, quæ erat in medio rubi. Hinc credo, quod licet hic mons dicatur Dei ob Religionem loci ex illa visione, &

Ille proprie dicitur Dei, quia aliorum virtutes in se exprimit.

& ex descensu Dei in eum ad ferendam legem tamen, potest dici mons Dei, quia lapides huius monti referunt similitudinem illius rubi. Quasi ille proprie dicatur esse Dei, qui aliorum pœnitentiam, & amorem, qui per spinas, & flammam significatur, imitatur. Maluenda: *Recentiores Hebræi commentatores in librum More Nebuhim parte 1. cap. 66. tradunt lapides huius montis Sinai figuratum, & expressum in se habere rubum: adeo vt etiam si lapides frangantur, in fragmentis ipsis appareant figuræ ruborum.*

Dub. 2. Ad illa verba 3. Reg. 9. vers. 21. *Horum filios qui remanserant in terra; quos scilicet, non potuerant filij Israel exterminare fecit Salomon tributarios.* Cur Salomon non deleuit filios Amorrhæorum, Hæteorum, & Pherazæorum, Heuæorum, Iebusæorum: cum *Deuteronom. 7. vers. 2.* Præceperit Dominus percutere eos vsque ad internecionem: *Cum tradiderit eas Dominus Deus tibi, percuties eas vsque ad internecionem, non inibis cum eis fœdus.* Non ergo Salomon benefecit facere eos tributarios, sed delere debuit, ne peccaret contra Domini mandatum.

Filius patris consilium, & animum bonum imitetur.

Resp. Quod Dauid Pater Salomonis non deleuit Amorrhæos, Hetæos, Pherezæos, Heuæos, Iebusæos. Hinc Salomon filius eius, eos non interfecit, ne optimus filius à Patris sancti consilio mente, & animo discedere videretur. Filius Patris consilium, & animum bonum imitetur. Caietanus: *Salomon non peccauit in hoc. Tum quia Dauid Pater eius Sanctus non exterminauerat eos, qui tamen vsque ad Euphratem dominatus fuerat.*

Dub. 3. Ad illa verba 2. Paralip. 21. v. 6. *Filia quippè Achab erat vxor eius.* Cur Athalia vxor Ioram vocatur filia Achab: cum 4. *Reg.* 8. v. 26. dicatur quod fuit filia Amri Regis Israel: *Athalia filia Amri Regis Israel.* Non ergo fuit filia Achab.

Ille dicitur filius alicuius, qui eius virtutem, vel vitium imitatur.

R. Quod Athalia non fuit filia Achab, sed Amri, vt dicitur 4. *Regum* 8. tamen appellatur filia Achab imitatione illius, quia imitata est mortuo patre Amri, idololatriam Achab, & ille dicitur filius alicuius, qui eius virtutem, vel peccatum imitatur. Lyran. *Potest dici quod fuit filia Amri naturalis: sed dicitur hic filia Achab nutritione, & imitatione in idololatria, quia mortuo patre eius Amri, ipse nutriuit eam, & docuit in malo.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iudith 8. vers. 18. *Non sumus secuti peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, & adorauerunt Deos alienos.* Cur dicunt Israelitæ, quod non fuerunt secuti peccata patrum suorum, cum *Iudith 7. vers.* 19. dixerint: *Peccauimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus*, secuti ergo fuerunt peccata patrum suorum.

Malus licet peccata suorum imitetur, non tamen maiora.

Respondetur. Quod licet Israelitæ peccauerint, iniquitatem fecerint, sicut patres eorum: tamen non arripuerunt similitudinem eorum quantum ad hoc quod dereliquerint Deum suum, sicut patres eorum fecerunt. Hinc dicunt, quod non fuerunt secuti peccata patrum eorum; scilicet, Deum derelinquendo. Malus licet peccata suorum imitetur, non tamen maiora. Hugo Cardinalis: *Sensus est licet peccauimus, tamen in hoc non sumus patres nostros secuti, vt derelinqueremus Deum nostrum sicut ipsi.*

Dub. 5. Ad illa verba, ad Ephesios 5. v. 1. *Estote ergo imitatores Dei sicut filij charissimi.* Cur D. Paulus consulit Galatis, quod sint imitatores Dei: cum *Iob* 11. *vers.* 7. dicatur: *Forsitan vestigia comprehendes?* Non ergo Deus potest imitari.

Imitandum Deum nobis proponere debemus in his quibus imitabilis est.

Respondetur. Quod homo debet referre Deum, expressumque eum habere in eo in quo imitabilis est; scilicet, in misericordia, in pietate, non in potentia, & creatione, quæ inimitabilia sunt: hinc D. Paulus consulit Galatis, quod imitatores Dei sint in his in quibus possunt Deum habere in se expressum. Deum enim proponere debemus nobis imitandum in hijs quæ possumus. Hugo Cardinalis: *Non comprehenditur Deus per inuestigationem, sed per imitationem. Imitabilis autem non est in creatione, vel potentia, sed pietate, & misericordia. Lucæ 6. vers. 36. Estote misericordes sicut Pater vester misericors est. Matth. 5. vers. 48. Estote perfecti sicut, & pater vester. Iob 23. vers. 11. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui, nec declinaui ex ea. 1. Petri 2. vers. 21. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Matth. 16. vers. 24. Si quis vult venire post me abneget se metipsum, peccata abijciendo, & tollat Crucem suam; scilicet, pœnitentiam assumendo, & sequatur me, intentionem in Deum dirigendo. Hoc faciebat Paulus, & ideo dicebat 1. Corint. 4. Imitatores mei estote, sicut, & ego Christi. Ideo dicitur 1. Corint. 11. & Philiph. 3. vers. 17. Imitatores mei*

estote fratres, id est, *in fraternitate*. 1. *Thessalonecen.* 1. *vers.* 1. *Vos imitatores nostri facti estis, & Domini in excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio.*

Dub. 6. Ad illa verba 1. Petri 2. vers. 21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Cur dicit D. Petrus, quod Christus nobis reliquit exemplum, vt sequamur vestigia eius, cum *Ecclesiastes* 2. *vers.* 12, dicatur: *Quid est homo, vt possit sequi Regem factorem suum.*

Vere sequitur Christũ, qui eum imitatur in his quæ sustinuit.

Respondetur. Quod licet Christus non possit sequi quantum ad vestigia Diuinitatis, potest tamen æmulari quantum ad ea quæ in humanitate sustinuit, nempè paupertatem, pœnalitatem, vilitatem, & huiusmodi, & vere sequitur Christum, qui eum imitatur in his quæ sustinuit. D. Thomas: *Vestigia Diuinitati homo non potest sequi, quia sicut dicitur Iob* 11. *vers.* 8. *celsior cœlo est, profundior inferno: sed vestigia humanitatis potest. D. Bernard. omnes viæ Christi secundum carnem sunt spontanea paupertas, cumulata vilitas, tam assumpta quam illata pœnalitas.* Vide *Exemplum*, & in Indice *imitarie exemplum.*

CAP. LIII.

De Inferno.

DVb. 1. Ad illa verba 2. Reg. 18. v. 33. *Absalon, Absalon fili mi.* Cur Dauid repetit nomen Absalon hic quater, & bis capite sequenti, vers. 4.

Damnati præcipue sex pœnis distorquentur.

Respondetur. Quod Absalon mortuus fuit in peccato mortali, magna vexatione exagitans patrem, & eum plangebat damnatum sex pœnis quas in inferno subeunt damnati addictum. Hinc Dauid de his dolens quæ damnatus subibat filius, quater nominat filium Absalon in hoc capite, bis in sequenti. Damnati enim præcipue sex pœnis apud inferos distorquentur. Lyran. *Plangebat enim mortem eius spiritualem, quia mortuus erat in peccato mortali, actualiter persequendo patrem. & propter hoc, verbum istud Absalon ponitur hic sex vicibus quater in hoc capitulo, & bis in sequenti propter sex conditiones pœnæ gehennæ, quia ibi est pœna damni, & pœna sensus stridor dentium, & fletus, exteriores tenebræ, & duratio sine fine.*

Dub. 2. Ad illa verba, Psalmi 30. vers. 19. *Multa fiant labia dolosa.* Cur labia damnatorum dicuntur muta: cum Apocalips. 16. vers. 21. legatur de damnatis: *Blasphemauerunt homines Deum propter plagam grandinis, quoniam magnificata est vehementer*: item *Isaiæ* 65. *vers.* 14. *Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis.* Non ergo damnati erunt muti.

Damnati non loquentur bona, sed blasphemias, & indignationes contra se.

Respondetur. Quod impij tacebunt in inferno, quantum ad exultationem, loquentur autem, cum contra se indignabuntur, & commouebuntur. Hinc dicit Isaias, quod clamabunt vlulantes, & stomachantes contra se, & Deum, & Dauid, quod erunt muti in inferno. Damnati non loquentur bona, sed blasphemias in Deum, & indignationes contra se loquentur. Hugo Cardinalis: *Labia impiorum erunt muta à verbo exultationis, & iactantiæ, & increpationis, sed non à verbo blasphemiæ, & indignationis contra se ipsos.*

Dub. 3. Ad illa verba, Psalmi 144. vers. 9. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Cur dicit Dauid, quod miserationes Dei super omnia opera eius sunt: cum Iacobi 2. *vers.* 12. dicat Apostolus: *Iudicium enim sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam.* Vnde cum Deus damnet æternaliter aliquos absque spe alicuius, miserationes eius non sunt super omnia opera eius.

Damnator punit Deus minus quam puniri meretur.

Respondetur. Quod Deus facit misericordiam damnatis, cum eos puniat minus quam merentur. Hinc miserationis eius sunt super omnia opera eius, quia licet eis fiat iudicium sine misericordia, quia pœna non terminabitur, fit tamen cum misericordia, quia pœnam mitigauit, cum puniet citra condignum. Incognitus: *Etsi damnatis non faciat misericordiam, quo ad terminationem pœnæ: facit tamen eis misericordiam quo ad mitigationem, quia minus puniuntur, quam puniri meruerunt, & contra condignum.*

Dub. 4. Ad illa verba, Isaiæ 27. v. 8. *In mensura contra mensuram cum abiecta fuerit iudicabis eam.* Cur dicitur, quod iuxta mensuram culpæ erit mensura pœnæ damnatorum: cum Psalm. 24. *vers.* 10. dicat Dauid, *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas.* Vnde mensura pœnarum non erit iuxta mensuram culpæ, sed cum misericordia.

In inferno pœna respondet culpæ.

Respond. Quod pœna damnatorum correspondet culpæ in multis; scilicet, loco, modo, quantitatis proportione.

In

in qualitate in numero: hinc dicit Dauid, quod pœna erit in mensura contra mensuram. Pœna enim damnatorum respondet culpę. Hugo Cardinalis: *Respondet pœna culpæ, loco. Lucæ 16. v. 24. Dives in lingua, in modo. Genes. 19 vers. 24. Sodoma sulphure. Quantitatis proportione Matth. 23. vers. 32. In qua mensura mensi fueritis remetietur vobis. In qualitate. Sapient. 6. vers. 7. Potentes potenter tormenta patientur, in numero. Matth. 13. vers. 28. Colligite primum zizania, & alligate per fasciculos ad comburendum.*

Dub. 5. Ad illa verba, Ieremiæ 7. v. 31. *Et ædificauerunt excelsa Toseph.* Tophet dicunt aliqui dictam gehenam, a *Ge* quod est terra, & *Hennon*, quia ibi populus Iudæorum offendens Dominum perijt. Quæres cum Tophet esset quædam vallis, videtur esse oppositio in adiecto, quia dicitur ædificauerunt excelsa in valle Tophet, quommodo dicitur ędificare Tophet, si iam erat.

Peccatores Infernum sibi ædificant.

R. Quod peccatores dicuntur ædificare Tophet, id est, ghenam, cum peccatis suis damnationem æternam acquirant, & infernum sibi ædificent. Hugo Cardin. *Ædificauerunt excelsa Tophet, id est, mortem æternam acquisierunt peccatis suis. Sapientiæ 1. Iniustitia mortis est acquisitio impis autem manibus, & verbis accesserunt illam. Contra Isaiæ 30. Parata est ab heri Tophet à Rege præparata. Item ibidem: Flatus Domini sicut torrens sulphuris, succendens eam. Solutio: Reuera Dominus præsciuit eam futuram esse, & etiam curauit, scilicet illam ghenam, sed illam non fecisset, nisi peccata præcessissent, vnde proprie homines fecerunt eam, sicut dicitur de puero malè facienti, tu facis virgam vnde verberaberaberis. Hennon interpretatur fons tristitiæ, vel mœroris, ibi trajcientur mali per ignem, id est, per diuersa tormenta ignis.*

Dub. 6. Ad illa verba, Iacobi 5. vers. 3. *Thesaurizatis vobis iram in nouissimis diebus.* Id est, in die iudicij, quem vocat pluraliter, quia erit pœna perpetua, licet iudicium vna die fiet. Sed cur illæ pœnæ vocantur thesaurus?

Pœna æterna magna erit æternitate, & multa acerbitate pœnarum.

Respondetur. Quod thesaurus fit de de magnis rebus, & de multis; ita pœna æterna magna erit æternitate, & multa diuersitate, & acerbitate pœnarum. D. Thomas: *Nota quod in thesauro intelligitur quantitas pœnæ, & qualitas, siue acerbitas: thesaurus enim fit de magnis rebus, & multis: sic pœna æterna magna erit æternitate, & multa pœnarum diuersitate, & acerbitate pœnæ. Iob 38. Nunquid ingressus es Thesauros niuis, & thesauros grandinis aspexisti.*

CAP. LIIII.

De Ingratitudine.

DVb. 1. Ad illa verba, Exodi 32. vers. 4. *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Cur Israelitæ beneficium liberationis de Ægypto in idolum referunt?

Ingratitudo maxima est, cum acceptum beneficium non in suum Auctorem, sed in alium refertur.

Resp. Quod Hebræi ingrati erant beneficio à Deo accepto, cum eos liberauit de Ægypto. Hinc hoc beneficium non Deo, sed vitulo attribunt. Summa ingratitudo est, cum beneficium non in suum, sed in alium benefactorem refertur. Oleaster: *Parum istis fuit Idolum suum summis honoribus, laudibus attollere, nisi potissimum Dei beneficium, quod illis impenderat in eum collocarent. Magna ingratitudo est in eum non referre, maior non cognoscere, sed omnium maximè non quæ sunt benefactoris tribuere, & vt Idolum ad sequendum ducatum allicerent, præcedens beneficium liberationis in eum referunt.*

Dub. 2. Ad illa verba, Numer. 20. v. 12. *Non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* Cur tam graui pœna Moyses, & Aaron puniuntur à Deo? Cur non introduxerunt populum in terram Promissam? Cur morte præuenti fuerunt ante ingressum populi in terram?

Deus grauiter vindicat in ingratos, morteque punit.

R. Quod Moyses, & Aaron non impulerunt populum ad referendum gratias Deo, quod eis dedisset aquam ad bibendum. Hinc quia ingrati collato beneficio, ab ingressu in terram Promissam arcentur, & de medio tolluntur. Deus enim grauiter vindicat in ingratos. Mendoza ex Abulensi quæst. 5. *Quia populum post aquæ beneficium Diuinitus acceptum ad gratiarum actionem Deo habendam non impulerunt, sed potius suis illis rigidis, ac præposteris increpationibus retardauerunt, quasi vita indigni sint, qui eam gratijs referendis Deo pro acceptis beneficijs non impendunt.* Imò ingratitudo obligat, vt puniantur plus, qui minus deliquisse videntur. Numeror. 11. vers. 1. *Accensus in eos ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem.* Cur cum populus pluribus vicibus

Ingratitudo obligat, vt puniantur grauius, qui minus deliquisse videntur.

contra Dominum murmurauerit, vt quando defecit panis, & aqua, & grauiori murmuratione, non tam crudeliter Deus eos puniuit, sicut hic, quando leuior fuerat murmuratio?

Respondetur. Quod erat in hac murmuratione maior ingratitudo ex parte murmurantium, cum modo maiora beneficia à Deo eis collata vidissent, quam antea: ideo grauissime puniuntur, quia si minor erat in se murmuratio, maior tamen erat quam aliæ ex circunstantia ingratitudinis. Abulensis: *Respondeti potest, quod forte hoc factum est, quia Iudæi tunc non viderant tot miracula Dei, & beneficia sicut nunc, ideo magis ingrati erant tunc, & merebantur magis puniri.*

Dub. 3. Ad illa verba, Ieremiæ 11. v. 19. *Mittamus lignum in panem eius.* Cur dixerunt Iudæi hæc verba? Cur miserunt lignum, id est, Crucem in panem, id est, in corpus Christi? Cur dicunt in panem, & non in corpus?

Ingratus acceptum beneficium iniuria recompensat.

Respondetur. Quod Christus panem nobis detulit. Hinc supplicium Iudæi Christo parant. Ingratus enim acceptum beneficium iniuria recompensat. D Ambrosius apud Maluendam: *Iniciamus lignum in panem eius. Bene panem dixit pro carne eius, ille alimentum detulit, isti pro beneficio retulere supplicium.*

Dub. 4. Ad illa verba, Isaiæ 5. vers. 1. *Vinea fui dilecto meo.* Cur vinea Domini, scilicet, populus Israel contempta fuit à Domino, & tradita alienis?

Ingratis Deus subtrahit auxilium suum, & tradit eos in manus aduersariorum.

Respondetur. Quod populus Israel multis beneficijs ex cultus fuit à Deo, ipse tamen sterilis fuit, nec reddens fructum. Hinc à Domino derelictus per subtractionem sui auxilij, & in pœnam ingratitudinis inimicis traditus. Ingratis enim Deus subtrahit auxilium suum, & traditur aduersarijs. Lyranus: *Sciendum quod parabola ista est de vinea cum magno sumptu, & diligentia exculta, quæ tamen fructum non fecit, & sic à Domino vineæ, contempta fuit, & derelicta, & per vineam intelligitur populus Israel, vt habetur infra vers. 7. Vinea autem Domini exercituum domus Israel est, quam vineam Deus excoluit suis beneficijs, & tamen ad idololatriam declinauit. & sic eam contempsit subtrahendo suum auxilium, & per consequens tradendo in manibus aduersariorum.*

Dub. 5. Ad illa verba, Ioann. 18. vers. 23. *Cur me cædis.* Cur Dominus Iesus non conqueritur de verberantibus, & crucifigentibus eum, sed de ministro, qui dedit alapam.

Respondetur. Quod Christus restituerat ministro auriculam à D. Petro gladio auulsam: ipse vero ingratus iniuria retribuit beneficium, læsitque palma Christi genam. Hinc Dominus Iesus questus non dat de verberantibus, & crucifigentibus, aliamque pœnam infligentibus, sed de alapa cædente, vtpote ingrato collato beneficio. Molestius enim tulit ingratitudinem ministri, quam aliorum iniuriam. Ludouicus Granatensis: *Hanc ob causam dicunt aliqui, quod quamuis Dominus Passionis suæ tempore a pluribus verberatus sit, nihilominus tamen de sola tantū illius ministri alapa conquestus est, quia illi auremi D. Petri gladio auulsam restituerat, quasi de ingratitudine, non alapa conqueretur.* Vide *Beneficium. Gratitudo.*

Ægilas ferendā est ingratitudo quam alia illata iniuria.

CAP. LV.

De Iniuria.

DVb. 1. Ad illa verba 1. Reg. 1. vers. 16. *Ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial.* Iuxta Hebræum habetur: *Non dabis ancillam tuam ad faciem filiæ Belial.* Quasi dicat Anna Heli. Ne conuitijs mihi coram Phænena, quæ erat filia Belial. Cur Anna rogat Heli ne eam iniurioſe tractet coram phænena? Cur ægre fert coram Phænena ebria vocari ab Heli?

Quilibet molestè fert iniurioſe tractari coram æmulis suis, ne derideatur ab eis.

Respondetur. Quod Phænena erat æmula Annæ, & vehementer angebat eam in tantum, vt exprobaret ei quod Dominus conclusisset vuluam eius. Hinc Anna ægre ferebat tumulenta, & ebria vocari coram Phænena ab Heli. Molestè enim fert quilibet iniurioſe tractari coram æmulis suis. Maluenda: *Quidam enim intellexerunt Annam rogasse Heli, ne sibi conuitiaretur coram Phænena, quæ erat filia Belial quasi dicat: Ne quæso, me ebriam voces coram ista improba æmula mea, nam hoc est, quod ægrius fero. Nec ab hoc sensu aliena sunt Hebræa, id est, ne tuo cōuitio me abijcias; ac tradas improbitati istius deridendam.*

Dub. 2. Ad illa verba 2. Reg. 16. vers. 13. *Semei autem per iugum montis ex latere, contra illum gradiebatur, maledicens, & mittens lapides aduersum eum, terramque spargens.* Cur semei mittebat lapides aduersum Dauid, cum eum lapidibus non læderet?

Homō actionibus suis iustus, & iniquus extat homo.

Respondetur. Quod semei intendebat iniuriam inferre Dauid, actione illa mittendo lapides aduersum eum, & iocios Dauid, non tamen lædere lapidibus

co-

conabatur. Hinc Dauide cum suis eunte per viam publicam, semei autem eunte per latus montis è Regione Dauidis, maledicebat, & lapidabat, & puluerem ispargebat, non lædendo, sed iniuriando. Homo enim actionibus suis iniurius, & iniquus extat homini. Caietanus: *Lapidare autem intellige, non quod lapides attingerent ad eos, sed quod iaceret lapides versus eos: ad iniuriam enim non ad lædendum tendebat.*

Dub. 3. Ad illa verba 3. Reg. 2. vers. 6. *Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacifice ad inferos.* Cur Dauid præcepit Salomoni, quod vindictam sumeret de Ioab: cum *Leuitici* 19. *vers.* 18. præcipiat lex, *non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.*

R. Quod iniuria Ioab illata Dauidi fuit contra dignitatem Regis, & consequenter contra Rempublicam, & boni commune, cum qui iniurius est Regi, iniurius sit bono communi. Hinc licet lex præcipiat, acceptas iniurias impunitas abire: tamen Dauid præcepit Salomoni vindictam sumere de Ioab, qui iniurius extitit dignitati Regiæ, & bono communi. Iniuria enim personalis non est persequenda, communis vero, & dignitati illata vindicanda est. Hugo Cardinalis: *Est iniuria personalis, quæ fit personæ propriæ, huius memorari præcipit lex: item est iniuria communis, quæ fit contra Rempublicam, vel contra dignitatem Principis, & hanc vlcisci præcipit Dauid.*

Iniuria illata dignitati, & bono communi, non personalis vlcisenda.

Dub. 4. Ad illa verba 4. Reg. 2. vers. 24. *Maledixit eis in nomine Domini.* Cur dicitur, quod Eliſæus maledixit in nomine Domini pueris illudentibus ei? Quid est hoc, quod in nomine Domini maledictione eos insectatus est?

Iniuriatur Deus, cum iustis infertur iniuria.

Respondetur. Quod pueri illudentes Prophetæ Eliſæo, Deo illudebant, & Deus offendebatur in illusione, & derisione Prophetæ. Hinc dicitur, quod Eliſæus in nomine Domini pueris maledixit, cum nomen Domini in Propheta offensum, & læsum esset. Iniuriatur enim Deus, cum iustis infertur iniuria. Maluend. *In nomine Domini, per nomen Domini vel inuocato nomine Iehouah, cui ipsi illudebant in Propheta.*

Mouet Deus ad puniendos contumeliosos in iustos.

2. Respondetur. Quod Eliſæus motus fuit à Deo ad puniendos pueros contitio, & contumelia Prophetam tractantes: ideo in nomine Domini maledixit pueris, id est, authoritate Dei mouentis ipsum, non priuata ira, sed à Spiritu Sancto motus Eliſæus ad maledicendum pueris. Mouet Deus ad puniendos eos qui sunt iustorum iniurij, & contumelioſi. Caietanus: *Diuina siquidem authoritas significatur dicendo in nomine Domini vt nulla ira, sed Spiritu Sancto motum Eliſæum intelligamus ad maledicendum pueris.*

Dub. 5. Ad illa verba, Marci 15. v. 25. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Cur dicit D. Marcus, quod Christus hora tertia fuit crucifixus: cum *D. Ioannes cap.* 19. *vers.* 14. dicat: *Erat autem Paraſceue Paſche hora quaſi ſexta*, non ergo videtur verum, Christum crucifixum hora tertia, secundum D. Marcum.

Iniuria illata viro illustri æquiualet morti.

Respondetur. Quod Christus hora tertia crucifixus fuit linguis Iudæorum, conuitijs, maledictis, & contumelijs ipsum iniurioſe tractantium, hora autem sexta manibus Iudæorum fuit crucifixus. Hinc dicit D. Marcus, quod hora tertia, cum scilicet, iniurijs fuit affectus, Christus fuit crucifixus, & hora sexta Cruci affixus, vt dicit *D. Ioannes*, pro eodem habetur contumelijs affici hora tertia, ac Cruci affixi hora sexta. Conuitium enim, iniuria, & contumelia illustri viro illata, æquiualet morti. Hugo Cardinalis, ex Beda: *Dicit Beda, quod vtraque hora crucifixus fuit Dominus, hora tertia linguis Iudæorum, qui peiores, & priores in Domini Crucifixione, & hoc narrat Marcus. Hora sexta fuit crucifixus manibus Iudæorum, quod narrat Ioannes.* Vnde maior iniuria quæ fieri potest alicui, est auferre illi famam, & honorem quæ vitæ æquiualet, Exodi 20. vers. 16. *Non loqueris contra proximum tuum.* Quid detrahit à proximo loquens contra eum?

Respondetur. Quod detrahit ei famam, & honorem, & consequenter iniurius est vitæ eius, cum ei melius foret mori, quam opprobriorem vitam ducere. Hinc monet Dominus, quod non loquaris contra proximum tuum, ne maculando honorem, iniuriuſque existens ei, cum facias ducere vitam opprobriſsimã. Qui enim iniurijs suis aufert, famam, & honorem, quæ vitæ æstimationi præstant, maximè iniurius est. Abulensis: *Istud valde malum est, quia in communicatione politica, nihil magis valet homini quam nomen bonum, aut malum, quod habet. Si enim aliquis in politica bonæ opinionis sit, apud omnes tenebitur in magna reputatione, & dubitur ei magnus honor, si autem malæ opinionis habeatur, apud omnes vilipendetur, atque vt nihil reputabitur, nec dabitur ei aliquis honor publicus, & esset quasi non esset in com-*

communicatione aliorum hominum, & huic melius foret mori, aut communicationem politicam deserere quam sic opprobriorem vitam ducere. Valde ergo offendit, qui alterum infama lædit: propinqua enim est læsio famæ morti personæ apud eos qui vere æxistimant, secus autem apud turpissimos homines, qui totaliter delectabilibus tactus & gustus omni modo inhiantes de nomine modicum gloriantur, sed hos bestijs exæquauerim, qui se infra bestialem dignitatem destruserunt.

Dub. 6. Ad illa verba, Apocalips. 2. v. 2. *Quia non potest sustinere malos.* Cur laudatur tanquam bonum in Prælato Ephesi Ecclesiæ, quod non potuit sustinere malos, cum D. Augustinus dicat: *Bonus non fuit, qui malos sustinere non nouit.* Bonum ergo erit malos sustinere.

Maximè laudandus qui acceptas iniurias, non persequitur, cum possit.

Respondetur. Quod sustinere malos, id est, iniurias illatas à malis, laudabile est in viro, qui potest vindicare eas, sicut Prælatus, vel superior. Hinc dicit D. Augustinus: quod non est bonus, qui malos sustinere non nouit: & de hoc laudatur Prælatus Ecclesiæ Ephesinæ, quod patienter sustinuit iniurias, cum posset vindictam sumere de his, qui iniurij fuerunt ei. Maximè enim laudandus est, qui acceptam iniuriam impunitam abire permittit. Hugo Cardinalis: *Sustinere malos in quantum malos, hoc nunquam est bonum, quia sustineretur malitia: sed sustinere malos, id est, iniurias à malis illatas, hoc est, bonum, & sic loquitur D. Augustinus.* Vide in Indice *Iniuria.*

CAP. LVI.

De Inimico.

Modus, quo inimici occulte se ad inuicem lædunt, difficile cognoscitur.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 25. v. 22. *Sed collidebantur in vtero eius paruuli.* Quis nam erat motus quo colliduntur fratres in vtero Rebeccæ? An erat motus pugnæ?

Resp. Quod duo fratres in vtero matris sunt boni, & mali in gremio Ecclesiæ, inter quos est perpetua dissensio, & occulta, & ignoratur modus, quo se confringunt, & collidunt, cum sit occultus: inimicitia enim occulta difficiliter cognoscitur. Caietan. *Non omnino certus est motus commotionis infantum in vtero Rebeccæ, an esset motus tanquam currentium contra se inuicem, an esset motus per modum pugnantium, an esset motus per modum eorum, quæ se inuicem collidundunt: certum autem est quod motus ille molestus erat matri.*

Inimicitia valde molesta est Ecclesiæ, vel Reipublicæ.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 37. vers. 28. *Vendiderunt eum Ismaelitis.* Cur non occiderunt, sed vendiderunt Iosephum Ismaelitis, cum mortifera rabie contra eum tenerentur?

Si inimicus parcit est propter propriam quam expectat vtilitatem.

Respondetur. Quod fratres Ioseph videbant, quod ex venditione vtilitatem pretij habituri erant. Hinc mortē in venditionem eis vtilem mutauerunt. Inimicus enim si parcere debet, est quia vtilitatem ex remissione percipiet. Abulens. *Quia occidentes eum nullam vtilitatem consequebantur, si autem venderet, aliquem inde pretij quantitatem haberent.*

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 38. vers. 9. *Semen fundebat in terra.* Cur Onam fundebat semen in terra, cum posset accedere ad vxorem fratris sui Her emortui, vt semen fratris defuncti suscitaret?

Inimicus, vt alteri malum eueniat, priuabit se bonis.

Respondetur. Quod Onam oderat fratrem suum mortuum nomine Her, & vt illi malum inferret, nec suscitaret semen fratris sui Her defuncti, sibi prius damnificabat, & fundebat semen in terra quia volebat carere filijs, quod valde amabile est in coniugatis, solum vt frater suus primogenitus Her priuaretur successore. Inimicus enim, vt alteri malum eueniat, priuabit se bonis. Abulensis: *Adhuc iste miserabilior erat* (loquitur de Onam respectu Her) *quia se filijs priuabat, vt fratrem suum mortuum primogenitum priuaret.*

Dub. 4. Ad illa verba, Exodi 23. vers. 4. *Si occurentis boni inimici, tui aut asino erranti, reduc ad eum.* Ex Hebræo, sic vertunt alij; *auxiliando auxiliaribus cum ipso.* Cur præcipitur homini, quod simul cum osore suo seu inimico auxilietur iumento sub onere iacenti?

Auxiliandus est inimicus, cum auxilio nostro eget.

Respondetur. Quod inimico maximè benefaciendum est cum tui auxilio eget. Hinc dicitur, quod homo adiungat se osori suo, seu inimico, vt auxilietur ei ad subleuandum asinum iacentem sub onere. Auxiliandus enim est inimicus in necessitate, cum auxilio nostro indiget. Oleaster: *Modici animi conditio est, tunc maximè inimicitiæ memorari, cum proximum viderit suo auxilio indigere. Prouerb. 25. Si esurierit inimicus tuus ciba illum, expende quam belle te Dominus docuit, vindictam ab inimico accipere: si esurierit, inquit, inimicus tuus ciba illum, si sitit potum da illi, quoniam si hoc feceris, viuis eum carbonibus accendes: nihil enim inimicus iniquiori animo ferre solet, quam cum se viderit auxilio tuo indigere: ad hæc quid tibi quæso gloriæ, aut triumphi est, si inermem*

mem viceris : cum enim tuneget auxilio, te inferior est, quid ergo tibi honoris accrescit, si inferiorem te viceris?

Dub. 5. Ad illa verba, Numeror. 16. ver. 48. *Stans inter mortuos, & viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Cur Moyses non orauit pro populo, sed Aaronem præmisit ad orandum?

Oratio efficacior esse solet apud Deum, quo magis offensus fuerit orator ab his pro quibus orat.

Respondetur. Quod Moyses ex Diuina reuelatione nouit, quod per preces Aaronis quiesceret plaga inchoata, quasi efficacior futura esset apud Deum Aaronis, quam ipsius Moysis deprecatio, quia illa seditione magis offensus fuerat Aaron, quam ipse Moyses: excitata enim fuerat inter Ieuitas subditos Aaronis summum ei Sacerdotium inuidentis, eumque illa dignitate spoliare desiderantis. Oratio enim efficacior esse solet apud Deum, quo magis offensus fuerit orator ab his, pro quibus orat. Lyranus: *Cognouit enim ex reuelatione Diuina, quod per preces Aaron, & oblationes incensi quiesceret plaga inchoata.*

Dub. 6. Ad illa verba 2. Reg. 8. vers. 13. *Fecit quoque sibi Dauid nomen cum reuerteretur capta Syria.* Alij legunt apud Maluend. *Et illustrauit Dauid suum nomen.* Cur dicitur, quod Dauid illustrauit nomen suum capta Syria non vero quando interfecit Leonem, & Vrsum?

Beneficientia in inimicos illustriorem reddit hominem, quam aliud illustre opus.

Respondetur: Quod Dauid inimicis suis; scilicet, Idumæis benefecit, curando de sepultura eorum, qui occubuerunt in prælio. Hinc dicitur quod nomen suum illustrauit, magnamque famam comparauit sibi hac beneficientia in inimicos, potius quam interficiendo Leonem, & Vrsum. Beneficientia enim in inimicos illustrem reddit hominem. Lyranus: *Rabbi Salomon exponit de sepultura idumæorum tunc occisorum in prælio, quos Dauid fecit sepeliri, & in hoc acquisiuit nomen bonum.*

Dub. 7. Ad illa verba 4. Reg. 9. vers. 27. *Ochozias autem Rex Iudæ videns hoc fugit per viam domus horti, persecutusque est eum Iehu, & ait: Etiam hunc percutite in curru suo.* Cur Iehu persecutus est Ochoziam? Quid mali fecit, vt impeteretur sagittis?

Inimicus familiam inimici sui vsque ad necem sectatur.

Respondetur. Quod Iehu acerbissimam inimicitiam habuit cum Achab, & cuius familia erat Ochozias, & nepos ex filia Athaliæ. Hinc iussus est interfici, & saggitis impeti. Inimicus enim insequitur vsque ad necem omnes, qui sunt de familia eius, cum quo odia exercet. Caietanus: *Quia non poterat comprehendere eum, mandauit, vt sagittis impeterent fugientem: erat enim Ochozias de domo Achab ex parte matris, & propterea merito percuti iubetur à Iehu destinato ad exterminium domus Achab.*

Dub. 8. Ad illa verba, Psalm. 35. vers. 13. *Oratio mea in sinu meo conuertetur.* Quid est hoc quod dicit Dauid, quod oratio eius pro inimicis suis in sinu eius conuertebatur?

Pro inimicis ea à Deo petenda, que nobis cupimus.

Respondetur. Quod Dauid ita fundebat orationem pro his, qui molesti erant ei, quod illis precabatur illa bona, quæ sibi cupiebat. Hinc dicit, quod oratio eius pro inimicis in sinum suum reuertitur, id est, quæ pro eis deprecabatur, eueniant ipsi, tanquam sibi optans, quæ eis cupiebat. Iustus enim pro inimicis ea petit in oratione, quæ sibi cupit. Maluenda: *Et oratio mea in sinum meum reuertatur: ac si dicat: Adeo illis benè precabar, vt orationem meam pro eis redire velim in me metipsum: si quæ mala imprecatus fuero in me recidant, precabar pro illis, quæ mihi ipse cuperem.*

Dub. 9. Ad illa verba, ad Rom. 12. v. 20. *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Cur dicit Apostolus, quod qui benefecerit inimico carbones ignis comparauit super caput eius?

Beneficium collatum inimico, trahit eum ad amorem.

Respondetur. Quod beneficiendo inimico, conuertitur inimicus ab inimicitia ad amicitiam; nullum siquidē medium accomodatius est ad prouocandum amorem, quam beneficium spontaneum tempore necessitatis conferre. Hinc dicit Apostolus quod benefaciens inimico indigenti, congregabit velut prunas super caput, incentiuas; scilicet, causas amoris erga se ipsum in ipso inimico. Beneficium collatum inimico conuertit eum ab amicitiam. D. Thomas: *Hoc enim faciens, id est, in necessitate ei subueniens, carbones ignis, id est, amorem charitatis, de qua dicitur Cant. 8. Lampades eius, vt lampades ignis atque flammarum, congeres, id est, congregauit super caput, id est, super mentem eius, quia vt D. Augustinis dicit in libr. de Cathechizandis rudibus: nulla est maior prouocatio ad amandum quam præuenire amando. Nimis enim durus animus, qui dilectionem, & si nolebat impendere, nolit rependere.* Hinc est quod munera emolliunt corda inimicorum qui accipiunt illa: vndē Iosue 9. vers. 14. *Susceperunt igitur de*

ci-

cibarijs eorum. Cur Ioſue ſuſcepit cibaria à Gabaonitis?

Inimici muneribus emolliuntur.

Reſpondetur. Quod Gabaonitæ ierunt ad Ioſue, vt iniret cum eis fœdus, quod vitas eorum reſeruaret, & tulerunt ſecum munera, quæ Iſraelitis offerrent panem, ſcilicet, & vinum, & perpecerunt eis. Inimici enim muneribus emolliuntur. Abulenſis: *Vt ſic eos magis propitios haberent: ſic enim fecerunt.*

CAP. LVII.

De Inuidia.

Dvb. 1. Ad illa verba, Geneſ. 37. ver. 5. *Audite ſomnium meum, quod vidi.* Cur duplici ſomnio oſtendit Dominus Ioſephum fratribus anteponendum?

Inuidos ipſa inuidia pugit Deus.

Reſpondetur. Quod fratres Ioſeph erant inuidi, & maleuoli, videntes quod à patre plus cunctis filijs amabatur. Hinc Deus auget ei bona, & duplici ſomnio dat eis intelligere Ioſephum præponendum, vt amplius inuidiæ ſtimulis contabeſcant. Inuidos enim ipſa inuidia punit Deus. Oleaſter: *Solet Dominus inuidos torquere, augendo bona eis, quibus inuident. Non ſatfuit Deo Ioſeph facere ampliori dilectione dignum, ſed oſtendit fratribus eum fore eis præponendum in Regno duplici ſomnio.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 1. verſ. 11. *Præpoſuit illis magiſtros operum, vt affligerent eos oneribus.* Cur magiſtri operum affligebant filios Iſrael in operibus, cum afflicto non ſit danda afflictio?

Inuidus vexat eum cui inuidet vſque ad extinctionem, ne habeat augmentum.

Reſpondetur. Quod Ægyptij inuidebant Hebræis excellentiam ingenij, induſtriam in laboribus, ſobolis præſtantiam. Hinc Pharao præpoſuit eis magiſtros operum, qui oneribus eos opprimerent, vt laboribus fracti, non accederent ad vxores, nec gignerent ſobolem. Inuidus enim conatur vexare eum, cui inuidet, vſque ad extinctionem. Hugo Cardinalis: *Dicit Ioſephus, quod Ægiptij inuidebant Hebræis propter ingenij virtutem, & laboris induſtriam, & operum affluentiam, & ſobolis nobilitatem; & ideo ad ſuggeſtionem eorum impoſuit Rex Hebræis angarias duras, quibus fracti non vacarent amplexibus.*

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 32. verſ. 12. *Ne quæſo dicant Ægyptij: callide eduxit nos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra.* Cur dicit Moyſes, quod Ægyptij dicturi erant de Deo, quod callide eduxit Iſraelitas, vt interficeret in montibus eos, cum obiectio iſta falſa ſit in ſe, verum ipſi Ægyptij ſciunt falſam eſſe, quomodo ergo ille hoc dicere potuerunt, nec præſumi poteſt de illis, quod talia dicerent?

Inuidus detractor nec dum vera delicta, ne dum dubia, ſed falſa, & à ſe cognita, vt falſa proferet de alijs.

Reſpondetur. Quod inuidus murmurator non ſolum dicit contra proximum quæ vera ſunt, ſed quæ ipſemet ſcit non vera, ſed falſa eſſe. Hinc Ægyptij cum inuiderent Deo Iſraelitarum, licet ſcirent falſum eſſe, quod Deus Hebræos callide eduxit de terra ſua, tamen hanc falſitatem Deo obiecerunt. Inuidi enim nec dum vera delicta, nec dum dubia, ſed falſa, & à ſe cognita, vt falſa proferunt de proximo. Abulenſis: *Licet Ægyptij, & aliæ gentes ſcirent, quod Deus non occidiſſet eos propter deſiderium occidendi eos, ſed pro peccatis ſuis, quia tamen ipſi valde inuidebant Deo Hebræorum, qui eis tantas plagas infixerat, & rerum ſuarum magnam iacturam intulerat, Hebræos quoque exoſos valde habebant: ideo comperta occaſione ſaltem leuiſſima, licet omnia falſa cognoſcerent, quæcumque tamen poſſent, in Deum Hebræorum probra conÿcerent. Sic enim eſt mos inuidorum detrahentium, vt quotidie experimur, vt depravata voluntate dicendi, etiam contra hæc, quæ notiſſima ſunt ipſis ſcientibus, obÿciant falſitatis.*

Dub. 4. Ad illa verba, Leuitici 18. verſ. 18. *Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies.* In Hebræo habetur: *Sororem vxoris tuæ non accipies ad anxiandum.* Id eſt, non accipias eas in vxores, ne ſit anxietas inter illas. Cur connubium cum duabus ſororibus vtraque viuente inhibetur? Nonne Iacob duas ſorores ſimul habuit vxores Rachelem, & Liam, *Geneſ.* 30.

Inuidia, & rixa oritur ex hoc, quod vnus plus diligitur, quam alius.

Reſpondetur. Quod vxores eiuſdem viri conſueuerunt eſſe æmulæ, & inuidæ, ſi vna plus alia ametur à viro, & per hoc altera alteram anguſtat, nec eſt pax inter eas. Hinc propter pacem inter ſorores conſeruandam, & vitandam inter eas inuidiam, inhibetur duas ſorores accipere in vxores, ſorore tamen mortua, licebat ducere alteram ſororem in vxorem, ſic talis inuidia non oritur. Inuidia enim, & rixa oritur ex hoc, quod plus diligitur vnus quam alius à ſuperiori. Lyranus: *Sororem vxoris tuæ non accipies ad anxiandum, quia ſi vna ſit magis dilecta, quam alia oritur inuidia minus dilectæ ad magis dilectam, & per conſequens odium, & anxietas vitæ inter illas: cum tamen inter ſorores debeat eſſe*

pax,

pax, & concordia, & amor, & prouter hoc subditur, adhuc illa viuente, quia si prima soror sit mortua, talis inuidia non oritur, & ideo alia soror tunc accipi non prohibetur.

Dub. 5. Ad illa verba, 2. Reg. 3. vers. 27. *Mortuus est in vltionem sanguinis Asael fratris eius.* Cur Ioab occidit Abner? An aliqua intercesisit inimicitia?

Inuidus alienæ felicitatis, crudelis, & immanis.

(Resp. Quod Ioab non solum interfecit Abner in vltionem sanguinis Asael fratris sui quem occidit, sed quia timebat quod Dauid constitueret Abner Principem militiæ Ioabo repulso. Inuidus enim alienæ dignitatis, crudelis est, & sæuus. Lyranus: *Aliqui dicunt quod non solum interfecit eum pro ista causa* (scilicet, in vltionem sanguinis fratris sui Asahel) *sed motus inuidia, quia timebat ne Dauid faceret Abner Principem militiæ sicut fecerat cum Saule.* Hinc est quod inuidia cogit alium persequi, & ad res illius destruendas. Iudicum 12. vers. 1. *Incendemus domum tuam.* Quæ fuit causa tam impiæ resolutionis, & minatum quod domum Iepthe comburerent Ephrætei? An quia Iepthe non vocauit Ephræthæos in bellum contra Ammonitas?

Inuidus res eius, cui inuidet dissipare contendit.

Resp. Quod Eprathæi doluerant de victoria à Iepthe de Ammonitis obtenta, quia Iepthe erat de filijs Manasse, quibus Ephrethæi inuidebant: hinc minas iactarunt, quod combusturi erant domum Iepthe. Inuidus res eius cui inuidet dissipare contendit. Abulensis: *Alia ratio specialis inuidiæ esse potest, quia Eprathæi valde inuidebant filijs Manasse, & quia Iepthe erat de filijs Manasse, doluerant specialiter de victoria illi concessa.*

Laus alicuius boni gignit inuidiam.

Dub. 6. Ad illa verba, Isaiæ 39. ver. 6. *Auferentur omnia quæ in domo tua sunt.* Nabuchodonosor, & Babylonij abstuierunt ab Ezechia omnes thesauros inuidentes diuitijs Regis. Quæres vnde orta est inuidia Nabuchodonosor, & Babyloniorum, quod moti sint ad auferendos thesauros Regis?

Resp. Quod nuntij Nabuchodonosor laudauerunt coram eo Regem Iudæ, & quod non erat in orbe Rex ita diuitijs affluens sicut Ezechias: hinc inuiderunt diuitijs eius, ita vt auferent thesauros Regis in Babylonem. Inuidia enim oritur ex alicuius boni laude. Hugo Cardinalis: *Auferentur omnia quæ in domo tua sunt per Nabuchodonosor, & Babylonios. Nuntij enim dixerunt Regi Babyloniæ quod non erat ita diues Rex in mundo sicut Rex Iudæ, nec Ciuitas, vt Ierusalem. Vnde statim Maradach inuidit, & filius eius Nabuchodonosor post eum, & ideo postea sustulerunt omnia quæ erant in domo Domini.*

Dub. 7. Ad illa verba, Matth. 4. v. 6. *Mitte te deorsum.* Cur diabolus exploraturus an Christus esset Filius Dei, non dixit: *Si Filius Dei es*, ascende in cœlum? Cur *mitte te deorsum* dixit?

Torquetur inuidus de exaltatione eius, cui inuidet.

Resp. Quod diabolus, vtpote inuidus maximè distumpitur videns hominem exaltatum, & in sublime constitutum, gaudetque de eius deiectione: hinc non persuasit quod Christus ascenderet in cœlum, sed quod præceps in terram rueret, mitteretque se deorsum. Carpitur inuidus de exaltatione alterius. Hugo Cardinalis: *Nunquid proprius tentasset de vana gloria, si dixisset: Si Filius Dei es? Ascende in cœlum? Sed ita affligitur diabolus in exaltatione hominis, vt nec tentando ascensum velit persuadere cœlestem. Ecclesiastici 30. Extolle aduersarium, & affligе inimicum: omnes enim cadere inimicus optat, vt saltem aliquando possit dicere prævalui aduersus eum. Psalm. 12.*

Dub. 8. Ad illa verba 1. Corinth. 2. vers. 8. *Quam nemeo Principum huius sæculi cognouit.* Id est Principes Iudæorum. Cur dicit Apostolus, quod Principes Iudæorum non cognouerunt Christum Deum esse: cum *Matthæi 21. vers. 38.* dicatur, quod Agricolæ videntes filium dixerunt intra se: *Hic est hæres venite occidemus eum*, quod exponens D. Chrisostom. ait: *Manifeste Dominus probat his verbis Iudæorum Principes non per ignorantiam, sed per inuidiam Dei filium crucifixerunt.*

Inuidia excæcat inuidum, vt non cognoscat excellentiam eius, cui inuidet.

Respondetur. Quod Principes Iudæorum certo sciebant eum esse Christum, non tamen pro certo sciebant esse filium Dei, sed coniectura id prospiciebant, hæc tamen coniectura, & suspicio obcæcabatur eis ex inuidia. Hinc dicit Apostolus, quod Principes huius sæculi non cognouerunt Christum Deum esse. Inuidia ita excæcat mentem inuidi, quod non cognoscit excellentiam eius, cui inuidit D. Thomas: *Principes Iudæorum pro certo sciebant eum esse Christum promissum in lege, quod populus ignorabat, ipsum autem esse verum filium Dei non pro certo sciebant: sed aliqualiter coniecturabant: sed hæc coniecturalis cognitio obscurabatur in eis ex inuidia, & ex cupiditate propriæ gloriæ quam per excellentiam Christi minui videbant.* Vide in Indice *Inuidia.*

Inuidus putat per aliam excellentiam, eius gloriam minui.

CA-

CAP. LVIII.

De Ira.

Ira cessat incepta de iurante vindicta.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 33. vers. 8. *Quæ nam sunt istæ turmæ, quas obuiam habui.* Cur Iacob quando vidit Esau contra se venientem diuisit gentem suam in duas turmas?

Respondetur. Iacobum putasse, quod si Esau inciperet vindictam sumere, & deleuisset turmam vnam, iam tunc eius iracundia satiata cessaret, & secundæ parceret turmæ, cum cesset ira initiata vindicta. Hinc Iacob vxores, & filios in duas diuisit turmas. Ira enim sæuior cessat, incæpta vindicta. Abulensis: *Quia si Esau vnam turmam deleuisset, ibi forte explicaret iram suam, & cum veniret ad aliam satiatus cæde parceret ei.*

Dub. 2. Ad illa verba, Deuteronom. 23. vers. 15. *Non trades seruum Domino suo qui ad te confugerit.* Cur præcipitur non restitui Domino seruus fugitiuus: cum *Deuteronom.* 22. *vers.* 1. dicatur: *Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis: sed reduces fratri suo.* Videtur ergo seruus fugitiuus restituendus.

In periculo versatur vita hominis coram irato, dum ira eius manet.

Respondetur. Quod hæc verba intelliguntur de Domino feroci irato, qui ad mortem quærit seruum fugitiuum, & cui pro vita saluanda licuit fugere. Hinc præcipitur, quod non est tradendus seruus fugitiuus Domino irato, & offenso, dum ira eius manet. Periculum enim imminet homini si apparear coram irato homine. Hugo Cardinalis: *Potest dici quod hic præcipitur, vt non tradatur seruus Domino suo dum ira eius manet, sed cum quieuerit debet eum reconciliare. Ita fecit Apostolus de Onesimo quem reconciliauit Philomoni Domino suo, à quo fugerat ad Apostolum.*

Dub. 3. Ad illa verba, Numeror. 20. vers. 11. *Cumque eleuasset Moyses manum percutiens virga bis silicem egressæ sunt aquæ largissimæ.* Cur duabus vicibus percussit rupem? Cur non ad primam percussionem, sed post secundam egressæ sunt aquæ? Cur post iterato percussam dessulit beneficium?

Irato differt Deus sua beneficia.

Respondetur. Quod Moyses id fecit iracunde nimis, per iramque egit percutiens rupem: ideo non ad primam percussionem petræ dedit aquæ affluentiam, sed post secundam, aliquantula mora intercedente concessit beneficium. Irato enim Deus differt sua beneficia. Maluenda: *Et quidem iterato percutiunt, idque impatiente, & irato, perturbato animo. At qui Deus satisfacto ostendit sibi animum Moysis, & Aaron displicuisse, cum non ad primum ictum aquæ eruperint, & sane eorum perturbatam mentem peius aliquid meruisse; quam tantulam miraculi dilationem.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iudic. 15. v. 1. *Venit Sanson, inuisere volens vxorem suam.* Cur Sanson qui tam iratus abscessit à conspectu vxoris suæ, nunc ad illam reuertitur tanto desiderio videndi illam?

Iræ dilatus est locus, quia tempore sedatur.

Respondet. Quod transiuit aliquantulum tempus: vnde cum ira transacta fuerit, qui abierat à conspectu eius, ad illius conspectum reuersus fuit: ira enim sedatur tempore, ideo demus locum iræ, & lites, & inimicitiæ dissoluentur. Abulensis: *Quia quando Sanson recessit ab vxore, erat nimis iratus, & non habebat animum rediundi ad illam: nunc autem aliquanto tempore intercedente iræ deferbuit, & cœpit Sanson diligere vxorem suam sicut prius.*

Dub. 5. Ad illa verba, Psalm. 33. vers. 3. *Audiant mansueti, & lætentur.* Quid audituri sunt mansueti? De quo lætandi?

Deus multiplicat bona spiritualia, & temporalia ei, qui erga inimicos reprimit iram.

Respondetur. Quod Dauid egregie virtute mansuetudinis polluit, cum repressit iram suam erga Saulem, Semei, & Absalonem, ob quam iræ continentiam, & represionem, multis bonis spiritualibus, & temporalibus eum multiplicauit, augendo milites, exercitum, & Regnum. Hinc loquens mansuetis dicit, quod audiant quot bonis eum cumulauit Dominus, & lætentur, quod si iram represserint, eodem modo erga eos segeret Dominus. Deus enim multiplicat bona spiritualia, & temporalia, cui erga inimicos reprimit iram. Lyranus: *Mansuetudo est virtus iræ repressiua, quæ inter alias virtutes maximè in Dauid apparuit, quia Saul eum persequens ad mortem, bis in manu eius cecidit, & tamen non solum ei pepercit, sed etiam vitos suos ab eius interfectione repressit, vt habetur 1. Reg. 24. & 27. Et propter hanc mansuetudinem specialiter Deus ipsum in bonis temporalibus, & spiritualibus multiplicauit, secundum quod ipse dicit 2. Reg. 22. vers. 36. Mansuetudo mea multiplicauit me, propter quod dicit Dauid hic, audiant mansueti, bona mihi à Deo collata pro mansuetudine mea, & lætentur scientes, quod ita fiat eis.*

Dub. 6. Ad illa verba, Marci 3. vers. 5. *Et circunspiciens eos cum ira, contristatus est super cæcitate cordis eorum.*

Cur

Cur Christus circunspexit eos, qui erant in Sinagoga cum ira, cum mitis esset, & leuis, & mansuetus?

Perfectæ virtutis est Prælatus cũ irascitur vitijs subditorum, nõ subditis, simulque condoleat eorum vicem.

Resp. Quod Christus iratus fuit vitio eorum, & cæcitati, non ira quæ est passio, sed pro passio, & simul contristatus est de eorum cæcitate, id est, condoluit, seu condolentiam ad homines habuit: hinc dicitur quod circunspexit eos cum ira, simulque contristatus est, & condoluit super eorum cæcitatem. Prælatus enim in vitia subditorum inuehatur, simulque condoleat eorum vicem, vt perfectæ sit virtutis. Caietanus: *Sicut in Christo fuit vera tristitia, ita etiam vera ira: non enim assumpsit animum stoicum, sed verè naturalem. Fuit tamen ira in Christo non passio rationem turbans, sed pro passio, non redundans in alias vires, non impediens, nec turbans alias actiones animæ. Contristatus, pro condolens. Ita quod duabus pro passionibus vsus est Iesus, ira contra vitium, condolentia ad homines, vt intelligas non iratum sæuiendo, sed condolendo, quod perfectæ virtutis est.*

Dub. 7. Ad illa verba, Ioann. 12. ver. 37. *Abijt, & abscondit se.* Cur Dominus Iesus abscondit se, cum nec lapides leuauerint Iudæi, vt iacerent in eum, neque blasphemauerunt sicut ante?

Ab iracundo fugiendũ est, ne prorũpat in opus.

R. Quod Christus corda eorum nouerat ira percita, inflammata, & incensa, studereque ad eum capiẽdum quam primum capere commode possent: hinc ne in opus exeat eorum furor, & ira vsque ad præfinitum à se ipso tempus, abijt, & abscondit se ab eis. Ab iracundo enim fugiendum est, ne prorrumpat in opus. Hugo Cardin. ex D. Chrisost. *Cur absconditur, neque enim lapides leuauerunt, neque blasphemauerunt sicut ante? Solutio. Corda nouerat, & furorem intus sæuientem, & non expectauit in opus, vt exiret.* Vide in Indice *Ira.*

CAP. LVIIII.

De Iudice.

DVb. 1. Ad illa verba, Exodi 2. v. 7. *Vis inquit vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire posse infantulum.* Moyses accessit ad vbera matris eius Iocabeth. Cur Moyses cum plures mulieres Ægyptiæ admouerent ei vbera, noluit ab eis, sed à matre sugere lac?

Iudex non accipiat munera ab eis quos iudicaturus est.

Resp. Quod Moyses Iudex futurus erat in Ægypto: hinc pluribus mulieribus Ægyptijs admouentibus Moysi mammas, & vbera noluit labris, & ore lac trahere, & haurire, ne videretur qui futurus erat Iudex Ægyptiorum, aliquid ab eis accipere. Iudex non accipiat munera ab eis, quos iudicaturus est Hugo Cardin. *Cum plures Ægyptiæ admouissent vbera, puer auertebat faciem. Tunc ait Maria: Forte vbera suæ gentis sequatur, & adduxit Thermit Iocabeth quasi alienam, & statim accessit ad vbera eius.* Hinc est quod cum Pharao Moysi imposuisset coronam quam tunc habebat in capite, Moyses eam proiecit in terram, ne qui iudicaturus erat Pharaonem, mundinaretur illo munere præturam, vẽnalem que exponeret fidem. Iudex enim muneribus non corrumpatur, nec suborneturo. Hugo Cardinalis: *Dicitur cum Thermuth quadam die obtulit Pharaoni Moysem, vt & ipse eum in filium adoptaret. Admirans autem Rex pueri venustatem, coronam suam, quam tũc forte gestabat, imposuit capiti suo, puer autem coronam proiecit in terram, & fregit.* Ideo Iudices puras manus debent habere nihil ab aliquo recipiendo, sed ex suis stipendijs viuendo. Vnde Abulensis in Prologo super librum Iudicum, hanc assignat differentiam inter Reges, & Iudices, quod Iudices non suscipiebant tributa, viuebant tamen de rebus suis sicut priuatæ personæ: Reges vero imponebant, hæc est obligatio iudicum, si ad implent illam, ipsi viderint: *Iudices non suscipiebant tributa, nec faciebant alias impositiones super populum solum viuentes de rebus suis, sicut personæ priuatæ: Reges autem imponebant tributa, & multos modos collectarum.*

Iudex munẽribus non suborneturo, nec vẽnalem exponat iudicaturam.

Iudices viuant de rebus suis sicut personæ priuatæ.

Dub. 2. Ad illa verba, Deuteronom. 1. vers. 17. *Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* Iuxta Hebræum habetur: *Non agnoscetis facies in iudicio, non timebitis a facie viri, quia iudicium est Elohim.* Cur cum instruuntur Iudices qualiter se gerere debent in iudicio, datur hæc causa, quia Elohim iudicium est?

Tribus vitijs carere debet iudex in iudicãdo, cum Dei vices gerat.

Respondetur. Quod cum Iudex iudicat debet considerare se agere vices Dei, qui est omnium Iudex, & sicut Deus in iudicando non respicit faciem, seu personam hominis, cum apud Deum non sit personarum acceptio, neque timet aliquem; ita debet facere Iudex dum iudicat, vt nullum; scilicet, habeat respectum ad sanguinem,

& amicitiam, neque discernat in audiendo inter magnum, & paruum causa diuitiarum, aut potentiæ, nec timeat à potentia qualibet. Iudex enim in iudicio ita se debet gerere sicut Deus in iudicando, cum vices Dei gerat. Caietanus: *Non agnoscetis facies in iudicio, hoc est, non fauebitis in iudicio amico, consanguineo, non timebitis à facie viri. Tria vitia iudicis prohibet, videlicet habere rationem sanguinis, amicitiæ, & huiusmodi, discernere audiendo inter magnum, & paruum diuitijs potentia, statu, & huiusmodi, & demum timere à potentia cuiuscunque viri, & omnium ratio subditur: quia Dei iudicium est, & scribitur hic nomen Elohim, in casu dativo, & est sensus: quia iudicium ipsum Supremo Iudici, supple famulatur. Debet enim minister Supremi Iudicis conformare se in iudicio summo, à quo tam aliena sunt hæc vitia, vt illius dispositioni etiam aduersentur.*

Dub. 3. Ad illa verba, Iud. 20. vers. 25. *Eruperunt filij Benjamin de portis Gabaa, & occurrentes eis tanta in illos cæde bacchati sunt, vt decem & octo millia virorum educentium gladium prosternerent.* Cur filij Israel qui in vltionem sceleris venerant, prius occiduntur semel, & secundo, cum Deo approbante, imò dante eis caput, aggressi essent iustissimum bellum? Cur enim bis cæsi sunt, & tanta multitudo peremta?

Iudex alios iudicaturus, & puniturus puritate vitæ niteat.

Respondetur. Quod licet filij Israel Deo approbante bellum conflarint aduersus Benjamin propter scelus, quod comisserunt abutendo vxore cuiusdam leuitæ, tamen non se purgauerunt Israelitæ à peccatis suis, priusquam Benjamitas iudicarent, & punirent: hinc bis cæsi sunt etiam Deo approbante bellum, quia non erant idonei ad alios iudicandos, & puniendos, qui vitæ puritate non pollebant. Iudex enim alios iudicaturus, & puniturus puritate vitæ niteat. Hugo Cardinalis: *Diuus Gregorius quærit, quare filij Israel qui in vltionem sceleris venerant, prius occidantur semel, & secundo? Et respondet, quia nondum purgauerant se à peccatis suis, & ideo non erant apti ad aliorum scelera punienda.* Vnde Iudex bonus talis debet esse, vt in illo sit bona consequentia ab esse iudicem, ad esse bonum, & benè valeat, est iudex, ergo non facit contra legem Dei. Iudicum 14. v. 3. *Vidi mulierem in Thamnata de filiabus Philisthinorum, quam quæso vt mihi accipiatis in vxorem.* Quæres an peccauit Sanson ducendo vxorem Philisthæam? Cum vetita essent matrimonia inter Israelitas, & Chananæos, & vxor Sansonis Chananæa esset, cum esset Philisthina.

Iudices tantæ puritatis vitæ esse debent, vt de illis contra legem Dei nihil valeat præsumi.

R. Quod Sanson Iudex erat populi: vnde tanta puritate vitæ pollebat quod non est iudicandum de eo, quod hoc faceret contra legem Dei ducendo vxorem Philisthinam. Iudices enim tales esse debent, vt de illis contra legem Dei nihil valeat præsumi. Abulensis: *Sanson erat Iudex, & non erat verisimile, quod faceret istud, si esset contra legem Dei.*

Iudex qui iniuste iudicat, in bonis temporalibus punitur à Deo.

Dub. 4. Ad illa verba, 2. Reg. 19. vers. 29. *Fixum est quod locutus sum; tu & Siba diuidite possessiones.* Dicunt Hebræi quod in pœnam huius peccati diuisum fuit Regnum Dauidis. Quod nam peccatum commisit Dauid propter quod diuisum fuit Regnum eius?

R. Quod Dauid præcipitauit sententiam dando Sibę possessionem quę erat Miphiboseth: hinc diuisum est Regnum eius tempore nepotis eius Roboam. Iudex enim qui iniuste iudicat, in bonis temporalibus punitur à Deo. Hugo Card. *Quia Dauid immemor fœderis, & iuramenti quod fecerat cum Ionatha. 1. Reg. 18. & 20. Tam iniustum protulit iudicium; vt scilicet, ea quæ erant Miphiboseth daret Sibæ, ideo Roboam, & Ieroboam diuiserunt Regnum eius. 3. Reg. 12. ita refert hic Glossa.* Pro iudice vide *Acceptio personarum*, & in Indice *Iudex.*

CAP. LX.

De Iusto.

Iustus non allegat merita, & obsequia, vt aliquid consequatur.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 27. v. 33. *Quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priusquam tu venires?* Cur Iacob non dixit patri Isaac, quod ipse attulit patri cibos, quos Isaac comedit, & vinum quod hausit? Cur hæc obsequia facta patri non refert, vt obtineat benedictionem patris?

Resp. Quod Iacob iustus erat: hinc licet obtulerit cibos quos comedit Isaac, & vinum quod bibit, hæc merita, & obsequia non proponit patri, vt consequatur benedictionem. Iustus enim nulla merita, & obsequia præsentat, vt obtineat. Hugo Cardinalis: *Quantus & quam prudens qui in nullo labore suo de meritis suis gloriatus est.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 41. v. 1. *Post duos annos vidit Pharao somnium.* Cur Dominus soporem Pharaonis curauit? Cur voluit Pharaonem in quiete per

per visum accipere abundantiam, & sterilitatem Ægyptiorum, cum videre visus est septem boues craſſas nimis, & alias septem fœdas, confectasque macie?

Valde curat Deus exaltare iustum.

Resp. Quod Dominus volebat exaltare iustum Ioseph per interpretationem somnii: hinc licet Deus abundantiam, & sterilitatem posset mittere Ægyptijs nullo præuio somnio in Rege, somnium tamen Pharaonis procurauit, vt exaltaretur Ioseph. Maximè enim curat Dominus exaltare iustum. Hugo Card. *Prosequitur Moyses modum exaltationis Ioseph. Dominus enim somnium Pharaonis procurauit; vt Ioseph per eius interpretationem de carcere eductus sublimaretur.*

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 46. ver. 27. *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum fuere septuaginta.* Cur Moyses dicit omnes qui ingressi sunt in Ægyptum de domo Iacob fuisse septuaginta, cum D. Stephanus *Actor. 7. vers.* 14. dicat fuisse septuaginta quinque: *Mittens autem Ioseph accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque.*

Valde enim Deus auget familiam iustis

Respondetur. Quod Moyses posuit summam generalem comprehendentem Iacobum, & Iosephum, & hæc summa generalis fuit septuaginta animarum, quæ ingressæ sunt in Ægyptum de domo Iacob: Diuus autem Stephanus voluit referre quantum Dominus multiplicauerit, & auxerit familiam iusti Iacob antequam in Ægyptum descenderit: ideo narrat septuaginta quinque de domo Iacob ingressos in Ægyptum, mentionem faciens non solum de illis qui re ipsa descenderunt cum Iacob, sed & de matribus eorum, & quatuor vxoribus Iacob, & duobus filijs Iudæ. Valde enim Deus auget familiam iusti. Maluenda: *Quidam sic nodum solaunt: generalis quidem summa, Iacobum, & Iosephum, & duos eius filios comprehendens, est septuaginta. Quod autem Stephanus præter Iacobum septuaginta quinque numerauit, factum fuit, quia Stephanus non eos tantum, qui cum Iacob re ipsa descenderunt, sed & matres eorum, quatuor vxores Iacob, & duos filios Iudæ, licet antea defunctus comprehendit, id est, quotquot hic de nomine recensentur, vt doceat ad quantum in summa numerum familia Iacobi antequam descenderit in Ægyptum peruenisset.*

Dub. 4. Ad illa verba, Exodi 5. ver. 1. *Post hæc ingressi sunt Moyses, & Aaron & dixerunt Pharaoni: Dimitte populum meum.* Cur Moyses, & Aaron dicuntur ingressi soli ad Pharaonem: cum *Exodi 3. vers.* 18. dixerit Dominus Moysi: *Ingredieris tu, & senes Israel ad Regem Ægypti,* ingressi sunt ergo Moyses, & Aaron comitati senibus Israel.

Iustus plus supponit apud Deum, quam populus.

Respond. Quod senes comitati sunt Moysem, & Aaronem ingredientes ad Pharaonem; tamen soli Moyses, & Aaron dicuntur ingressi, quia isti erant principales inter senes populi. Iustus enim plus supponit quam populus apud Deum. Caietanus: *Senes comitati sunt, nec aliter exprimuntur quam istis duobus præcipuis.*

Iusti melius negotia magni ponderis gerũt, quam omnes de populo.

2. Respondetur. Quod Aaron successus, & substitutus fuit loco seniorum, cum datus est coadiutor Moysi, vt legatione fungeretur in illo negotio magni ponderis: hinc licet mandatum fuerit, quod Moyses ingrederetur cum senibus populi ad Pharaonem, tamen mutatum fuit mandatum, & vice seniorum subrogatus est Aaron. Iusti enim melius negotia magni ponderis gerunt, quam omnes de populo. Caietanus: *Illud mandatum intelligitur mutatum, quando datus est Aaron coadiutor Moysi. Nam mandatum illud factum fuerat prius, & quasi loco seniorum subrogatus est Aaron quoad legationem.*

Deus ad negotia sua iustos tãquam principales eligit præcæteris.

3. Respondet. Quod Moyses, & Aaron ingressi sunt cum senibus ad Pharaonem tamen de solis Moyse, & Aarone in sacro Textu fit mentio, quod ingressi fuerint ad Regem, quia isti præcipui erat, negotiumque eis commissum. Deus enim ad negotia sua iustos tanquam principales eligit præcæteris. Lyranus: *Senes ingressi sunt ad Regem sicut dixerat Dominus, sed solum scriptura facit mentionem de Moyse, & Aaron, quia erant principales, & quia eis erat commissum negotium.*

Dub. 5. Ad illa verba, Numer. 11. v. 28. *Domine mi Moyses prohibe eos.* Inquires an peccauerit Iosue quando voluit quod Moyses imponeret silentium duobus viris prophetantibus; scilicet, Eldad, & Medad. Abulensis affirmat quod peccauit Iosue. Cur asseritur quod peccauit, quia Iosue erat vir iustus, ergo non commissurus erat aliquod peccatum?

Viri iusti aliquando peccant.

R. Quod multi existimant quod viri virtuosi imò, & sancti nunquam in aliquod peccatum casuri sunt: falluntur tamen, quia viri sanctissimi aliquando

in peccatum aliquod inciderunt: vnde Iosue petens à Moyse quod illi duo viri non prophetarent, peccauit. Iustos non esse aliquando casuros in aliquod peccatum iudicat mundus, sed fallun-tur, alias pauciſsimi sancti essent, cum pauciſsimi sint, qui sine culpa mortali mortem viderint. Abulensis: *Sed hoc non obstat* (scilicet, quod Iosue iustus es-set) *quia viri iusti, & sancti aliquando peccant. Erat enim sanctior Moyses, sed peccauit ad aquas contradictionis.*

Dub. 6. Ad illa verba, Iudicum 6. v. 14. *Vade in hac fortitudine tua & liberabis Israel de manu Madian.* Cur Dominus non dicit Gedeoni, vade in fortitudine tua, sed adiungit pronomen ista?

Tota fortitu-do iusti inni-titur Deo, & eius assisten-tiæ ad hostes debellandos

Resp. Quod tota fortitudo Gedeonis ad liberandum populum de manu Madian non erat à se, sed à Deo, cui fortitudo Gedeonis erat innixa: hinc dicit Dominus ei, vade in fortitudine tua ista, qua te valentissimum robore donaui, ad liberandum populum Israelem de Madianitis. Tota enim fortitu-do iusti innititur Deo, & eius assisten-tiæ. Caietanus: *Non dicit Vade in fortitudine tua, sed adiungit pronomen, ista, ad insinuandum, quod de fortitudine fiduciæ in Deo, de fortitudine Gedeonis innixa Deo loquitur. Professus enim erat Gedeon à Deo fuisse salutem patrum, & à Deo fuisse se traditos in manum Madian, & miravi quod Deus sit cum eis, & non liberet eos: in hac ergo fortitudine liberaturus dicitur Israelem.*

Dub. 7. Ad illa verba, Iosue 7. v. 15. *Et fecit nefas in Israel.* Cur aggrauatur peccatum Acham ex eo quod peccauit in Israel? Quid hoc addit ad culpam?

Inter iustos peccare gra-uius est, & grauius pu-niendum.

Resp. Quod populus Israeliticus san-ctus erat inter omnes populos: hinc peccatum Acham grauitatem accepit ex loco in quo commisit culpam. Inter iustos enim peccare grauior culpa est, & grauiori pœna peccator punien-dus. Abulensis: *Fecit nefas in Israel, id est, inter Israelitas, ideo maiori pœna multandus est, quam si feciſſet in alio populo, quia iste populus est sanctior, & in eo grauius peccata debent puniri.*

Dub. 8. Ad illa verba, Iosue 10. v. 14. *Non fuit antea, nec postea tam longa dies: obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel.* Cur ratio obedien-tiæ, & obsequij in Sole redditur, quia Deus pugnauit pro Israele?

Negotium, & causa iu-sti, negotiũ Dei est, & ideo iusti causam agit, causam suam gerit Deus.

R. Quod bellum Israelitarum, & Io-sue, erat bellum Dei: hinc Deus facto audiuit vocem Iosue cum pugnaret in Israelitis, & Sole obsequium præstitit voci Iosue. Negotium enim, & causa iusti, causa & negotium est Dei. Caie-tanus: *Ratio obsequij Diuini operis in Sole redditur: quia sumimus Deus erat tanquam bellator pro Israel. Quasi dicere-tur: Par fuit vt Deus audiret facto vocem Iosue, qui ipse erat ille, qui pugnabat in viribus, & manibus Israelitarum: quia prælium Israelitarum erat prælium ipsius Dei.*

Dub. 9. Ad illa verba, 1. Reg. 1. v. 28. *Ego commodaui eum Domino cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino.* Notat Caietanus quod debet pun-ctus fieri post verbum *fuit*. Quid est hoc quod dicit Anna quod postquam fuit Samuel, commodatus fuit Deo? Quis nam sensus?

In aliquibus iustorũ coæ-ua fuerunt esse naturæ, & virtus.

R. Quod in Samuele coæua fuerunt esse, & dicari Deo, simulque ac habuit esse, Deo fuit consecratus: hinc punctus sit post verbum *fuit*, quasi dicat Anna; ex quo Samuel in vtero meo fuit, & habuit esse, dicatus fuit Deo, Deoque commodatus. In aliquibus enim iusto-rum coæua fuerunt esse naturæ, & con-secrari Deo. Caietanus: *Aduerte pru-dens Lector, vt fiat punctus post verbum fuit, nam explanatio est temporis coæui. Et est sensus: cunctis diebus, quibus fuit Samuel, ipse commodatus est Domino. Nec mireris quod non dixit, quibus erit, sed aduerte quod commodatio præsuponit esse, & hoc significat præteritum fuit, relatiue ad commodatum. Quamuis pos-sit etiam hoc referri ad tunc præteritum, explanando quod non nunc incipio dicare ipsum Deo; sed ex quo Samuel fuit etiam in meo vtero, fuit commodatus Deo.*

Dub. 10. Ad illa verba, 4. Reg. 2. ver. 11. *Ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Cur Elias curru vectus in cœlum monstratur? Cur ali-ter non transfertur?

Manifestat hobis Domi nus quanta sit dignitas iustorum apud Deum.

Resp. Quod Dominus voluit nobis patefacere dignitatem Eliæ, quantus, & quam magnus esset: hinc curru igneo vectus est in cœlum, nec aliter ductus, quod arguit magnam super alios præ-stantiam, & dignitatem. Manifestat enim Dominus quanta sit dignitas iu-storum. Caietanus: *Curru autem vehen-dus, & vectus monstratus est, vt illæsus suauiterque transferendus agnosceretur: simulque dignitas eius apud Deum pate-fieret nobis.*

Dub. 11. Ad illa verba, Psalmi 33. v. 3. *Audiant mansueti.* Qui sunt mansueti, quibus dicit Dauid quod audiant?

An

An qui non sunt mansueti non audient?

Resp. Quod mansueti dicuntur manu assueti, hij sunt qui in qualibet fortuna siue prospera, siue aduersa Deum benedicunt, & laudant, & isti digni sunt verbum Dei audire, & intelligere Sacræ Scripturæ spiritualem sensum: hinc mansuetis dicit Dauid quod audient verbum. Qui enim æqualiter Deum in omni fortuna laudat sicut facit iustus, meretur audire Dei verba, & intelligere. Hugo Cardinalis: *Mansueti dicuntur manui assueti. Hij autem qui Dominum benedicunt tempore aduersitatis, sicut tempore prosperitatis, rectè manui sunt assueti, vt de manu Domini bona, & mali suscipiant. Sicut Iob mansuetus erat, id est, manui assuetus. Vnde dixit Iob 2. Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non suscipiamus? Benè autem dicit: Audiant mansueti, quia talium est audire. Ecclesiastici 5. Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei. Iacobi 1. In mansuetudine suscipe insitum verbum.*

Iusti cum sint mansueti, & in omni fortuna Deũ laudent, digni sunt intelligere Diuina verba.

Dub. 12. Ad illa verba, Psalm. 33. v. 6. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Iuxta Hebræum habetur: *Respexerunt ad eum, & illuminati sunt.* Cur Dauid cum loquitur de se ipso, loquitur in tertia persona pluralis numeri? Cur explicite, & in singulari non loquitur de se?

Respondetur. Quod Dauid voluit occultare gratiam luminis prophetici, quo fuit illustratus: hinc in tertia persona numeri pluralis de se ipso hac illuminato gratia, loquitur, ne videretur gratiam concessam, & præstantiam suam laudare, & prædicare. Iustus enim excellentiam suam occultat. Caietanus: *Quoniam in tertia persona pluralis numeri introducitur, clarum non est de quibus loquatur: videtur tamen mihi quod loquitur de se ipso, & sui similibus: occultans sub communitate tertiæ personæ internam gratiam Diuini luminis sibi concessam: parcebat enim proprijs laudibus: sicut Paulus, inquit, parco autem, ne quis plus existimet de me. Vnde gratiam prophetici luminis sibi concessam occulte insinuat.*

Iustus excellentiam suã, & dona à Deo collata occultat.

Dub. 13. Ad illa verba, 1. Esdræ 8. v. 22. *Erubui enim petere à Rege auxilium, & equites qui defenderent nos ab inimico in via.* Cur dicit Esdras, quod erubuit petere auxilium à Rege Gentili qui eum, & comitatiuam defenderet ab inimico in via? Nonne peccauit exponendo se, & comitatiuam suam periculis in via propter erubescentiam?

Respondetur. Quod Esdras dixerat Regi Gentili, quod manus Dei est super omnes qui quærunt eum in bonitate, & imperium, & fortitudo eius, & furor super omnes, qui derelinquunt eum: vnde si à Rege Gentili peteret auxilium, & equites vt eum, & comitantes defenderet in via ab aduersarijs; forsitam crederet Rex Gentilis, quod Deus Israelitarum, non erat potens ad eos defendendum. Non ergo tale quid contra honorem Dei putaret Rex Æthnicus, non petiuit auxilium ab eo, nec equites qui eum defenderent in via, cum reuertebantur de Babylone in Ierusalem. Iustus enim in omnibus Dei honorem curat. Lyra: *Videtur quod in hoc peccauerit exponendo se, & comitiuam suam periculis propter erubescentiam. Ad quod dicendum quod hoc non fecit propter erubescentiam propriæ personæ, sed quia hoc reuerti poterat in opprobrium Diuinæ potentiæ, quia Rex Gentilis posset credere, & dicere, quod Deus Iudæorum non esset potens ad eos defendendum, ideo non peccauit Esdras hoc faciendo propter honorem Diuinum.* Vide in Indice *Iustus*.

Iustus in omnibus Dei honorem curat, ne minuatur aliquo modo honor Dei.

L

CAP. LXI.

De Lachrymis.

Dvb. 1. Ad illa verba, Genes. 21. v. 16. *Exaudiuit autem Deus vocem pueri.* Cur Deus exaudiuit vocem pueri flentis, non vero matris cum ipsa quoque fleret?

Respondetur. Quod Ismael erat innocens: hinc licet Agar effuderit lachrymarum vim videns filium Ismaelem morientem, tamen Agar non dicitur ex audita à Domino, sed puer, quia lachrymæ innocentum efficacius quam aliorum, Deum ad misericordiam inclinant. Oleaster: *Fleuit mater, & Dominus non quidem matris, sed pueri vocem audisse dicitur, vt discamus, quid valeant innocentum voces, & orationes apud Deum, etiamsi paruuli sint. Vnde solemus in necessitatibus, & angustijs paruulorum innocentum lachrymas ad Deum mittere. Quam obrem Rex illi Niniuitarum etiam paruulos ieiunio afflixit, quemmadmodum apud Ionam legimus.*

Lachrymæ innocentum efficacius, quam aliorũ Deum ad misericordiam inclinant.

Misericordia Dei magis trahitur lachrymis propriis, quam alienis.

2. Respondetur. Quod licet Agar profuderit lachrymas, exauditus tamen dicitur Ismael lachrymans, ne mortem videret. Lachrymæ enim Ismaelis erant propriæ, fletus matris erat alienus, & plus obtinent apud Deum propriæ lachrymæ, quam alienæ. Oleaster: *Disce quod plus nobis ad misericordiam valent fletus nostri, quam amicorum, & aliorum pro nobis.*

Lachrymæ quæ ad Deũ diriguntur, nõ ad alium finem, Deum mouent.

3. Respondetur. Quod Agar fletum suum direxit ad mortem quæ imminebat filio, filius autem ad Deum mittebat lachrymas suas: hinc Ismael exauditus est, non mater. Lachrymæ enim quæ ad Deum diriguntur, non ad alium finem, Deum inclinant. Caietanus: *Habetur quod non sola mater quærula voce fleuit, sed etiam puer sub arbore iacens: imo quod puer vocem suam direxerit ad Deum, mater autem ad mortem filij imminentem: non enim dicitur, quod exaudiuit Deus vocem matris, sed vocem pueri.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 27. vers. 39. *In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua.* Cur Isaac benedictionem largitur Esau, cum prius eam negauerit? Cur antea tam durus, modo mollis?

Lachrymæ efficaciores sunt ad impetrandum, quam orationes.

Respondetur. Quod Esau eiulatu magno fleuit coram Isaac patre suo: hinc benedictionem quam precibus, & orationibus non obtinuit, lachrymis impetrauit. Lachrymæ enim efficaciores sunt ad impetrandum, quam orationes. Oleaster: *Maxima est vis lachrymarum & importunæ precationes, vt nouam benedictionem ex dura voluntate prodire faciant.* Hinc lachrymæ, & suspiria efficacissima sunt ad impetrandum quod petimus. Iosue 15. vers. 18. *Suspirauit.* Cur Axa suspirauit coram patre Caleb?

Lachrymæ vim habent impetrandi, quod petitur.

Respondetur. Quod Axa volebat petere à patre suo, vt daret illi in dotem Asiam terram meliorem, & vt moueret eum suspirauit, quia putauit se per suspiria impetraturam quod petebat, & benè putauit, vt rei successus monstrauit. Lachrymæ vim habent persuadendi, & impetrandi. Abulensis: *Axa filia Caleb, si peteret terram sibi dari, quia erat terra sua australis, & arens, & non monstraret ex habitu, quod angustaretur, qui talem terram suscepisset, parum moueretur pater, ideo affectus intimos, fortassis vberiores quam essent, suspirio prodidit quo commotus pater, quod petierat concessit.* Legitur de quodam homine, qui iniuratus ab alio, & volens in iudicio satisfactionem petere, quod rogauit Demosthenem, vt suus esset aduocatus, referens acceptam iniuriam, cui fidem Demosthenes non dedit, quod cum ille videret plorauit, & tunc dixit illi Demosthenes apud Abulensem: *Nunc credo quod iniuriam pertulisti, atque eius causam procurandam suscepit.*

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 32. v. 28. *Decimas, & primitias tuas non tardabis reddere.* Iuxta Hebræum habetur: *Lachrymam tuam non differs.* Cur lachrymæ comparantur primitijs? Cur iubet non tardare offerre primitias?

Deus valde desiderat lachrymas nostras tãquam locundas sibi, sicut primitiæ sunt Deo.

Resp. Quod hic Dominus loquitur de primitijs fluidorum, scilicet, vini, & olei, quæ lachrymæ à fluendo appellantur, quia velut lachrymæ fluunt, & instar lachrymæ defluant: hinc præcipit Dominus Israelitis quod primitias non tardent reddere; scilicet, liquores, liquamina quæ admodum lachrymæ ex torcularibus defluunt, quasi liquores istos qui ad similitudinem lachrymæ stillantis fluunt, desideret Dominus. Insignum, quod valde desiderat Dominus lachrymas nostras tanquam primitias. Caietanus: *Primitias tuas non tardabis offerre, lachrymam tuam non differes. Liquores vini, ac olei lachrymas à fluendo appellauit.*

Dub. 4. Ad illa verba, 4. Reg. 20. v. 5. *Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: ecce sanaui te.* Iuxta Hebræum habetur: *Vidi lachrymam tuam.* Si Isaias dixit Ezechiæ: *Morieris, & non viues.* Cur iubetur nunciare Regi: *Sanaui te?*

Primo hominis fletu cordis, excitatur Deus ad misserendum.

Respondetur. Quod hic exprimitur promptissima Dei misericordia, qui ad primam Regis ex corde lachrymam voluit leniri, & flecti: hinc licet ex parte Dei dixerit Isaias: *Morieris, & non viues*, tamen cum videt Deus lachrymam Regis, iubet Isaiæ quod dicat ei, sanandum esse à Domino. Deus enim prima lachryma, & cordis fletu mouetur ad misericordiam. Maluenda: *Quidam hic numerum singularem emphasim habere volunt, promptissimæ misericordiæ Dei, qui ad primam Ezechiæ lachrymulam placatus sit, & ei opitulatus: sed sic loqui scriptura solet, vt Psalm. 125. vers. 5. & Ieremiæ 31. vers. 16.*

Dub. 5. Ad illa verba, Ioann. 11. v. 35. *Lachrymatus est Iesus.* Cur Dominus tantum ter fleuit; scilicet, super Lazarum, super Ierusalem, & in Cruce?

Resp. Quod Lazarus mortuus typum ge-

Pro tribus tãtum flere debemus, pro peccatoribus, pro afflictis, pro miserijs nostris.

gerit peccatoris in peccato mortui, Ierusalem autem significat proximum in afflictione constitutum, fletus vero in Cruce representat lachrymas super miserias nostras. Hinc ter tantum legimus Dominum Iesum fleuisse, quia super peccatores, afflictos, & miserias nostras tantum debemus lachrymas effundere. Hugo Cardinalis: *Genes. 43. vers. 30. Nota ter fleuit Dominus, super Lazarum, Ioann. 11. super Ierusalem, Lucæ 19. in Cruce. Hebræs. In quo nobis indicitur triplex fletus, super peccatores mortuos in peccatis qui per Lazarum significantur super afflictione proximorum, qui per Ierusalem, super miserijs nostris, qui per fletum in Cruce.*

CAP. LXII.

De Laude.

Laudandus est homo sine diminutione alterius.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 29. vers. 17. *Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venusto aspectu.* Iuxta Hebræum habetur: *Et oculi Leah moles, teneri.* Cur cum commendatur decor Rachelis, celebrantur oculi Liæ, quod essent molles, teneri, & elegantes?

Responderetur. Quod Moyses volebat describere venustatem, & pulchritudinem Rachelis, quæ facie, & aspectu erat formosa: inde laudibus effert oculos Liæ, quod haberet pulchros, molles, teneros, & elegantes, ne videretur laudibus extollere Rachelem, diminuendo Liam. Laudandus enim est homo sine diminutione alterius. Maluenda: *Et oculi Leah molles, teneri, id est, tenerrimi erant oculi, quidam ad pulchritudinem oculorum retulerunt, habebat oculos teneros, molles, blandos, gratiosos, elegantes qui allicerent, ac si dicat: Lia commendabatur à formositate, & pulchritudine oculorum tantum: cum Rachel nedum oculis, sed tota facie, & corpore esset pulcherrima, & venustissima.*

Laudatur homo facta cõparatione eius ad alterum.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 49. vers. 28. *Benedixit que singulis benedictionibus propijs.* Cur Iacob cum filios laudauit, dixit de eis quæ erant propria singulorum? Cur vltra propria merita non laudauit?

Laudandus homo est secundum ea quæ merita eius exigunt.

Responderetur. Quod Iacob singula merita filiorum attenta mente perpendit. Hinc vltra propria merita, & virtutes non commendauit eos, ne videretur in laudibus excedere, nec prædicare de illis vltra ea quibus erant digni: laudandus enim homo est secundum ea, quæ merita eius tantum exigunt. Caietanus: *Ne intelligeres Iacob aliter benedixisse filijs quam scriptum explicauit Moyses, quod quilibet filius est benedictus sicut exigebat singulorum benedictio.*

Dub. 3. Ad illa verba, Deuteronom. 34. vers. 10. *Et non surrexit vltra Prophetà in Israel, sicut Moyses.* Ex hoc loco Hebræi dicunt hoc caput vltimum Deuteronomij scriptum esse à Iosue longo tempore post mortem Moysis. Cur Moyses non scripsit hoc totum caput sicut alia, quæ hucusque scripta legimus?

Iustus se ipsum non laudat, nec laudes propriæ acceptæ sunt apud homines.

Responderetur. Quod Sacra Scriptura ab hoc loco agit de morte Moysis, & eius laudibus; quod scilicet, non surrexit vltra Propheta in Israel sicut Moyses, in signis atque portentis, quæ misit Deus per eum, vt faceret in terra Ægypti. Hinc benè dicunt Hebræi totum hoc caput non fuisse conscriptum à Moyse, quia non est credendum, quod se ipsum laudaret. Iustus enim se ipsum non laudat. Maluenda: *Hebræi fere omnes, & plerique nostrorum persuasum habent, hoc totum vltimum caput non scriptum à Moseh: nec enim est verisimile eum suam mortem, & laudes descripsisse.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 11. vers. 19. *Non fuit Ciuitas quæ se non traderet filijs Israel præter Heuæum: omnes enim bellando cœpit.* Cur dicitur, quod omnes Ciuitates traditæ sunt filijs Israel: cum *Iosue 13. à vers. 2.* Leguntur multæ Ciuitates quas Dominus delere promisit filijs Israel, non ergo omnes Ciuitates Chanaam traditæ sunt filijs Israel.

Laudibus efferuntur multi cum exaggeratione.

Responderetur. Quod filij Israel aliquas Ciuitates de terra Chanaam bello cœperunt, aliquæ vero remanserunt à facie eorum defendæ; tamen dicitur eos omnes Ciuitates subiugasse, vtens Sacer textus verbo Hyperbolico, & rem gestam nimis augendo verbis. Multi enim laudibus cum exaggeratione attollantur. Lyranus: *Hoc dicitur pro maiori parte tradiderunt, aliquæ tamen remanserunt aduersarijs, & est modus loquendi Hyperbolicus.*

Dub. 5. Ad illa verba, Iosue 22. vers. 2. & 3. *Feciſtis omnia quæ præcepit vobis Moyses, mihi quoque in omnibus obedistis.* Quorsum tendunt tam prolongatæ laudes? Cur Iosue in laudibus duarum tribuum, & dimidiæ effusus?

Laus propria excitat generosum virum ad virtutum opera.

Responderetur. Quod Iosue intendebat duas tribus, & dimidiam allicere ad virtutem. Hinc eas laudat de obedientia erga Moysem, & Iosue quam habuerunt. Laus enim propria excitat animum

mum viri generosi ad virtutum opera. Abulensis: *Quia virtus laudata crescit, nam cum laus sit primo explicans magnitudinem, per laudem exhibetur nobis aliquis honor: & hoc est generosis animis valde delectabile, cum autem sentiunt sibi hoc coniungi eis cum ipsa virtute, feruntur delectabiliter in eam, vt autem Iosue magis alliceret istas duas tribus, & dimidiam ad virtutem, laudauit in eis virtutem præteritam.*

Dub. 6. Ad illa verba, Iudic. 4. vers. 21. *Percussumque malleo defixit in cerebrum vsque ad terram.* Cur Iahel manibus suis interfecit Sisaram, cum alienum sit à pietate, & natura mulieris, & posset illum tradere inimicis ab illis occidendum?

Laus debet dari, qui operatur per se opus laude dignum.

Respondetur. Quod qui laudem, & gloriam alicuius facinoris cupit, & ambit, debet per se, & non per alios illud operari, quia alias gloriam alij reportabunt vnde cum Iahel esset laudis cupida per se ipsam occidit Sisaram Principem, nec alijs voluit tradere occidendum. Laus enim debet dari, qui operatur per se opus laude dignum. Abulens. *Ratio fuit, quia forte Iahel erat mulier auida laudis: & quia occidere istum Principem erat magna gloria, cum esset tam potens, potius ea voluit eum occidere, quam tradere alteri occidendum.*

Dub. 7. Ad illa verba, Psalmi 130. v. 1. *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.* Cur Dauid se laudat: cum Prouerb. 27. vers. 2. dicat Scriptura: *Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.*

Laus propria cum superbia displicet Deo, cum humilitate vero dicta placet.

Respondetur. Quod Dauid se ipsum laudauit, non superb endo, sed humiliando se. Hinc benè fecit commendando opera sua, non superbe, sed humiliter. Laus enim propria cum superbia odibilis est Deo, cum humilitate vero accepta. Incognitus: *Licitum est quandoque Iustis sua laudare opera, non quidem per superbiam eleuando, sed per hoc magis in se gratiam Dei cognoscentes, se ipsos humiliando, & alios per sua exempla ad bonum incitando. Propter quod dicit Iesus Apostolis suis, Matthæi 5. vers. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona. Vnde ait D. Gregorius 12. Moral. cap. 16. Sicut enim grauis culpa est hominem sibi arrogare quod non est, sic plerumque culpa nulla est, si humiliter bonum dicet, quod est. Vnde Isaiæ 38. vers. 3. Ezechias Rex cum molestia corporis afflictus ad extremitatem vitæ peruenisset, in oratione compunctus dixit: obsecro Domine memento mei, quommodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, nec tamen Dominus hanc confessionem perfectionis eius despexit, aut renuit, quem mox in suis precibus exaudiuit. Vide ergo quid Pharisæus se iustificauit in opere. Lucæ 18. vers. 11. Gratias ago tibi Domine, quia non sunt sicut cæteri hominum, Ezechias se iustum asserit in cogitatione, atque vnde ille Deum offendit, inde iste Deum placauit: cur itaque hoc? Nisi quia omnipotens Deus singulorum verba, & cogitationes pensat, & in eius auribus superba non sunt, quæ humili corde proferuntur: sic, & confirmiter Dauid indulgentiam à Deo postulans, suas virtutes exprimit, quibus Deum placare cupit dicens: Domine non est exaltatur cor meum.*

Dub. 8. Ad illa verba, Matthæi 11. v. 7. *Cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne.* Cur Dominus Iesus nunc laudat S. Ioannem? Cur antea eum non commendauit, quando ille protulit: *Ecce agnus Dei.*

Homo laudandus est cum iniuste patitur in fama.

Respondetur. Quod quando S. Ioannes dixit de Christo: *Esse agnum Dei,* præclaram de S. Ioanne omnes conceperunt opinionem; modo vero quia periclitabatur in opinione turbarum, constantia eius, & testimonium quod dedit de Christo (dicebant enim turbæ si S. Ioannes dixit Christum esse agnum Dei, cur mittit duos ex Discipulis ad Christum, vt interrogent, Tu es qui venturus es?) Dominus laudem ei detulit. Homo enim laudandus est, cum iniuste patitur in fama. Caietanus: *Hactenus quia non oportuit tacuit laudes Ioannes, modo autem quia periclitabatur in opinione turbarum tum constantia, tum testimonium redditum à Ioanne de Iesu, inchoat laudes Ioannis. Nesciebant enim turbæ qua ratione Ioannes misisset Discipulos ad interrogandum. Tu es Messias, an alium expectamus: & propterea dubitare poterant de Ioannis constantia, & testimonio, huiusmodi ambiguitatem tollit Iesus, laudans Ioannem dupliciter.*

CAP. LXIII.

De Lege.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem & posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Dicunt aliqui Paradisum septum non fuisse muris. Cur Paradisus sine muris?

Respondetur. Quod murus significat le-

Non sunt necessariæ leges, cum Prælatus vigilat super subditos, eosque curat.

legem. Adam vero ad custodiam Paradisi deputatus significat Prælatum, cujus cura est subditos custodire, & curare: vnde cum Prælatus diligentia, & solicitudine omnique curâ nunquam deest subditis, subditi non egent legibus. Non enim sunt necessariæ leges, cum Prælatus omnem suam vigiliam, & curàm in curandis, & custodiendis subditis confert. Oleaster ad litteràm: *Voluit autem, vt Adam coleret hortum, & ab eo bestias arceret, vnde constat non habuisse muros.*

Amor ex pluribus legibus vnam facit, timor vero ex vnica duas.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 3. vers. 3. *De fructu vero ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Cur Eua addidit præcepto inposito à Deo de non comedendo de ligno, hoc verbum, *& ne tangeremus illud.* Cum Deus nec aspectum, nec tantum, sed esum tantum prohibuisset.

Resp. Quod amor ex pluribus legibus vnam facit: at vero timor ex vnica lege multas. Hinc licet Dominus non prohibuisset contingere lignum scientiæ boni, & mali, tamen Eua præceptò de non comedendo de ligno, addidit præceptum de non tangendo, quia timore agebatur fœmina, & ex vnica lege duas leges, seu duo præcepta fecit. Oleaster: *Expende amoris, & timoris discrimen, amor ex multis præceptis, timo ex tota lege vnum præceptum facit, & leuissimum, timor vero ex vno multa. Cur mulier mentiris dicens, Deum prohibuisse comedere, & tangere, cum Deus solùm prohibuisset esum? Quoniam non ex amore, sed timore mortis potius legem seruandam arbitrabaris, quam timor ex vna, duas fecisse visus est. Quam obrem seruator noster Christus, volens legem suam custodiri, ait, si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & qui non diligit, Sermones meos non seruat: ac si dixisset explicatius: Sermones meos leges ijs, qui non diligunt me: qui vero diligit, Sermonem meum seruabit, id est, multos Sermones, vnicum Sermonem, & leuem reputabit.*

Lex non imponatur cum grauamine subditorum.

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 17. vers. 12. *Infans octo dierum circuncidetur in vobis.* Cur ante octauum diem non circuncidebatur puer, post octauum vero fiebat circuncisio?

Resp. Quod circuncisio carnalis, erat illius pelliculæ, qua virgæ glans seu balanus obtegitur, hæc circumsecabatur, & amputabatur: si enim ante octauum diem amputaretur, nimis læderetur infans tener, & grauis esset puero lex, quia dolore circuncisionis afflgeretur infans, post octauum vero diem maiorem dolorem sentiret, cum pellicula in duritiem tendat: fiat ergo die octauo, quia minus molesta esset, ideo octauo die circuncisio fiebat, quando minus grauis erat. Præceptum non debet esse graue subditis. Caietanus: *Tempus circuncidendi quo ad nascituros discernitur, & ratio octaui diei creditur, quia ante octauum diem nimis tener infans valde læderetur dolore circuncisionis: post octauum autem diem versus duritiem tendens, plus doloris sentiret.*

Dub. 4. Ad illa verba, Leuitici 3. vers. 17. *Nec sanguinem, nec adipem omninò comedetis.* Cur Iudæi ab omni adipe abstinent, cùm tantum sit prohibitus esus adipis ex ijs tantum animalibus quæ homo legitime potest offerre, vt patet, *Leuitici 7. vers. 23.*

Verus legis obseruator eam seruat vltra quam tenetur.

Respondetur. Quod licet adeps animalium non immolabilium licite manducari posset, tamen Iudæi abstinebant ab omni adipe tam animalium quæ homo legitime offerre poterat, quàm aliorum quibus licite poterat vesci, vt strictius obseruarent legem: hoc enim faciebant ex deuotione ad maiorem legis obseruantiam, obseruantes eam vltra quam debebant implere. Verus enim legis obseruator, eam seruat vltra quam tenetur. Maluenda: *Obseruant adipis vsum prohiberi ex ijs tantum generibus animalium quæ homo legitimè offerre potest, vt ostenditur infra cap. 7. vers. 23. Iudæi nunc seu, quod legem hanc vniuersè intelligant, seu ex deuotione ad maiorem legis obseruationem, generaliter omni adipe abstinent.*

Legem obseruantibus longa vita promittitur, breuis tamen ea frangentibus.

Dub. 5. Ad illa verba Deuteronomij 6. vers. 2. *Custodias omnia mandata, & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, vt prolongentur dies tui.* Cur dicit Dominus, quod prolongabuntur dies Israelitarum, si obseruauerint præcepta Dei, cum *Iob 14. vers. 5.* dicatur: *Constituisti dies eius, qui præteriri non poterunt.*

Respondetur. Quod licet Deus constituerit homini dies vitæ eius, tamen obseruantibus legem Dei, breui termino, & spatio vita eorum non diffinitur, sed longiori vita fruentur, quam gauderent si Diuina præcepta non adimplerent. Hinc dicit Dominus Hebræis, quod legem obseruent, & custodiant, vt prolongentur dies vitæ eorum. Legem enim Dei seruantibus longa vita promittitur. Hugo Cardinalis: *Sensus est, vt prolongentur dies tui, id est, vt longior*

Lex bona est iusti, & custodientibus eam, non est bona, sed grauis peccatoribus, & præuaricantibus.

gior, sit vita tua, quam esset futura si non custodires mandata Dei, quia viri sanguinum non dimidiabunt dies tuos.

Dub. 6. Ad illa verba 2. Esdræ 9. vers. 13. *Dedisti eis iudicia recta, & legem veritatis, cæremonias, & præcepta bona.* Cur dicitur, quod Deus dedit Hebræis præcepta bona: cum *Ezechiel* 20. *vers.* 25. dicat Dominus: *Dedi eis præcepta non bona.*

Respondetur. Quod præcepta Dei impientibus erant bona: malis vero, & præuaricantibus erant non bona, sed grauia. Hinc dicit per Ezechielem, quod dedit eis præcepta non bona, quia quæ bonis, & impientibus erant bona, malis, & non obseruantibus bona non erant, sed grauia, & molesta. Hugo Cardinalis: *Bona seruantibus erant, sed non bona præuaricantibus.* Vide in Indice *Lex. Præceptum.*

CAP. LXIIII.

De Liberalitate.

Liberalis ad libitum petentis largitur petita.

DVb. 1. Ad illa verba, Exodi 16. vers. 13. *Factum est ergo vespere, & ascendens coturnix cooperuit castra: mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum.* Cur Deus dedit carnes Hebræis in vespere, & panes in mane sequenti, cum magis conueniens esset fieri modo contrario, quod scilicet, prius daret panes, deinde carnes?

Respondetur. Quod Israelitæ prius petierunt carnes, postea vero panes, vnde primo conquæsti fuerunt de defectu carnium, secundum de defectu panum. Hinc beneficentissimus Dominus, quod animo eorum libitum fuit, & placuit, largitus est eo ordine quo petierunt primo carnes, secundum panes. Liberalis enim ad libitum petentis largitur petita. Lyranus: *Ad hoc respondetur, quod filij Israel conquæsti fuerunt primo de defectu carnium, & secundo de defectu panum, dicentes vers. 3. Vtinam mortui essemus quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panes in satuitate, & ideo eodem ordine, quo petierunt, datus est eis cibus.*

Liberalitas perfecta non solum dat superfluo, sed sibi necessaria.

Dub. 2. Ad illa verba, Iosue 6. vers. 17. *Sitque Ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in eo sunt Domino.* Cur cum Israelitæ nullam haberent Ciuitatem, vrbem Iericho pulchram, & opulentam primoque captam, Deo obtulerunt?

Respondetur. Quod liberalitas perfecta consistit, non in dando superflua, sed sibi necessaria: vnde Israelitæ si plures iam cepissent Ciuitates, non mirum, quod Deo aliquam ex illis obtulissent, cum eam superfluam haberent, sed offerre primam, & illam valde necessariam, fuit actus magnæ, & perfectæ liberalitatis erga Deum. Liberalitas enim perfecta non solum dat superflua, sed sibi necessaria. Abulensis: *Quod primam captam vrbem in primitias Domino darent.*

Dub. 3. Ad illa verba 1. Reg. 1. vers. 5. *Annæ autem dedit partem vnam tristis, quia Annam diligebat.* Iuxta Hebræum habetur: *Partem vnam facies,* id est, *benigna facie.* Cur Elcana dedit Annæ partem vnam vultu iocundo?

In liberali benevolus vultus supplet quemlibet defectū, si quis est, in sua liberalitate.

Respondetur. Quod Elcana vnice amabat Annam, & desiderabat illi dare multas partes, quia tamen vnam dabat, largitus est eam benigna facie, vt defectum multarum partium suppleret iucunditate vultus. In liberali enim iucunditas vultus, & benigna facies supplet quem libet defectum suæ liberalitatis. Maluenda cum Caietano: *Partem vnam facies, id est, facie benigna, quia Annam diligebat; ita quod defectum multarum partium suppleuit iucunditate vultus, quasi grato, & benevolo vultu dederit.*

Homines liberales in mulieres quibus oblectantur, parci vero in seruos qui eis ministrant.

Dub. 4. Ad illa verba, Esther 5. ver. 3. *Etiamsi dimidiam prrtem Regni petieris dabitur tibi.* Cur Assuerus tanta liberalitate promittit daturū Reginæ Esther, etiamsi dimidiam partem Regni petierit? Cur tali liberalitate non vtitur erga Mardochæum, ex cuius nomine Regina Esther detulit Regi, quod duo Eunuchi Bagatham, & Thares voluerunt occidere Regem?

Respondetur. Quod Assuerus, seu Xerxes fuit mulierosus, & mulierum appetens. Hinc beneficam manum, & largam in Esthere tractanda ostendit; in Mardochæum vero, qui insidias Eunuchorum prodit, illiberalem, restrictam, & tenacem, cum eius obsequium multa liberalitate deberet rependere. Homines enim liberales in mulieres quibus oblectantur, parci vero in seruos officia præstantes. Maluenda: *Mulierosus Xerxes seu Assuerus fuit, & vxoribus similia offerre solitus: nam de Artaynta nepte eius ex fratre, simulque eius vxore. Herodotus lib. 9. num. 108. hæc prodit: Xerxes ad Artayntam se confert atque vbi se oblectauit cum ea, instit à se petere mulierem, quæ optaret sibi fieri in remunerationem obsequij: omnia enim quæ peteret, impetraturam. sed offerre ei, & vrbes, & immensam vim auri, & copias*

pias militum, quibus nemo præter ipsam esset imperaturus.

Dub. 5. Ad illa verba, Isaiæ 49. vers. 16. *Ecce in manibus meis descripsi te.* Alij apud Maluendam legunt: *En super vtramque volam characterizaui te, id est insculpsi, expressi formam, imaginem, characterem tuum.* Quid est hoc, quod Dominus in manibus suis expressit formam hominis? Cuius nam rei imaginem posuit potius in manibus, quam in facie, vel pedibus?

Deus abhorret à manu restricta, & placet ei manus benefica.

Respondetur. Quod manus apertæ significat beneficentiam, & liberalitatem, clausa vero liberalitatem: ideo Dominus, vt liberalitatem hominem doceat, dicit quod in manibus suis descripsit eam, formamque, & characterem huius virtutis insculpsit, cum eas apertas, non restrictas habeat ad dandum. Abhorret enim Deus à manu restricta, & placet ei manus benefica. Hugo Cardinalis Prouerb. vltimo: *Manum suam. Ad hoc enim Christus manus apertas habuit in Cruce, vt sint nobis in exemplum, vnde Isaiæ 49. Ecce in manibus meis descripsi te, vnde homini habenti manum aridam, dixit Dominus Matthæi 12. Extende manum tuam, & extendit, & restituta est sanitati sicut altera. Ab hoc etiam manus Sacerdotum inunguntur in eorum ordinatione.*

Dub. 6. Ad illa verba, Matthæi 26. vers. 12. *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Cur Magdalena misit vnguentum in corpus Christi viui, cum illud fecerit ad vngendum corpus Christi mortui?

Liberalis nõ expectat tẽpus opportunum ad dandum, imõ præuenit ad largiendum.

Respondetur. Quod Mariæ Magdalenæ liberalitas se effudit erga Christum, cum ante tempus sepulturæ, misit vnguentum ad vngendum caput Iesu. Hinc licet illud vnguentum pretiosum fecerit ad vngendum corpus Christi mortui, tamen præuenit tempus, & vngit caput Iesu recumbentis manu benefica, larga, & liberali. Non enim liberalis expectat opportunum tempus ad dandum, imo præuenit ad largiendum. Caietanus: *Forte mulier hæc audita proxima Christi morte, dubitans quod non posset sepeliendo corpori officium exhibere vnctionis sicut de facto euenit, præuenit vngere ipsum viuum velut sepeliendum.*

Dub. 7. Ad illa verba, Apocalips. 6. versic. 11. *Et datæ sunt illis stolæ singulæ.* Cur Dominus iustis petentibus solum liberari à societate malorum, tria largitur, scilicet, præmium, cum dicit *datæ sunt illis stolæ singulæ*, id est, beatitudo animæ, simul confirmat eos in spe, & *dictum est illis, vt requiescerent*, & de bonorum saluatione completa malitia malorum, *donec compleatur.*

Liberalis plus largitur quam ab eo petatur.

Respondetur. Quod Dominus de iustis benemeritissimus est, erga eosque se ostendit beneficentissimus. Hinc licet peterent à Deo liberari solum à consortio malorum, tria eis eius largitas impartitur, scilicet, animæ beatitudinem, confirmationem spei de ad implendo desiderio, & bonorum saluationem completa malitia malorum. Liberalis enim plus largitur quam ab eo petatur. Hugo Cardinalis: *Post clamorem, & desiderium sanctarum animarum sequitur consolatio triplex. Prima est de collatione premij ibi, & datæ sunt. Item de confirmatione spei, quia spes de duobus est, scilicet, & de implendo desiderio circa pœnam malorum eis infligendam ibi, & dictum est, & de bonorum saluatione post completam malorum tyrannidem, & malitiam, ibi donec compleatur. Et patet hic admirabilis misericordia, & largitas Dei, qui petentibus vnum, scilicet, liberari à consortio malorum, dat tria.*

CAP. LXV.

De Lingua.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 14. vers. 18. *Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Cur cum Sacer textus loquitur de Sacerdotio Melchisedech additur, *Dei altissimi*, cum sufficeret dicere, quod erat Sacerdos?

Ita aperte loquendum est de proximo, quod non detur occasio, vt audientes quid sinistrũ concipiant de eo.

Respondetur. Quod tempore Abrahæ, cui benedixit Melchisedech vigebat cultus idolorum, vnde audientes loqui de illo, possent intelligere Melchisedech fuisse Sacerdotem idolorum, ne ergo hac temeraria existimatione aliqui eum damnarent, addit Sacer historiator, quod Melchisedec erat Sacerdos Dei altissimi. Ita enim plane loquendum est de proximo, quod non detur occasio, quod audientes quid sinistrum concipiant de eo contra eius honorem. D. Thomas ad Hebræos 7. lect. 1. *Tempore Abrahæ multum inualuerat cultus idolorum, & ideo vt non crederetur quod esset Sacerdos idolorum, additur Dei altissimi.*

Dub. 2. Ad illa, Genes. 11. vers. 1. *Erat autem terræ labij vnius, & sermonum eorundem.* Quid significat terra erat

erat labij vnius, & eorundem Sermonum?

Vnus linguę est, qui similiter loquitur de proximo ipso præsente, ac absente. Nam in præsentia & absentia similiter de eo loquendū est.

Respondetur. Quod terra typum gerit hominis, qui de terra plasmatus est, homo autem est labij vnius, & eorundem Sermonum, cum æqualiter, & similiter loquitur de proximo in præsentia, & absentia eius, & bilinguis est, cum bona in præsentia, mala vero in absentia loquitur. Vnius enim linguæ est, qui similiter in præsentia, & absentia de proximo verba facit. Lyranus: *Per terram homo intelligitur, qui formatus fuit de terra, Genes. 1. Est autem homo labij vnius, quando similiter loquitur de proximo in præsentia & absentia eius, & linguæ diuersæ, quando bona loquitur in præsentia proximi, & mala ipso absente. Et de tali dicitur Ecclesiast. 28. Susurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes.*

Dub. 3. Ad illa verba, Psalm. 5. vers. 11. *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Cur lingua detractorum comparatur sepulchro patenti?

Lingua detractoris fœtida est, cum defectus aliorum denudat.

Respondetur. Quod sepulchrum patens nihil nisi fœtorem, & horrorem exhalat: congrue ergo detractores sepulchro patenti comparantur, quia lingua eorum nihil nisi defectus, qui fœtent proferunt, cum manifestant peccata aliorum. Hugo Cardinalis: *Nota quod detractores comparantur aliquando sepulchro, vt hic quia verba fœtida proferunt, & denudant peccata aliorum. Numer. 19. Vas quod non habuerit operculum immundum erit. Item aliquando comparantur scabronibus, qui deserunt flores, & super stercora residunt, id est, virtutes aliorum, & bona opera tacent: peccata loquuntur, & ruminant. Deuteronom. 7. Mittam ante eum scabrones. Item comparantur hienæ, quia sicut hiena extrahit corpora mortuorum de sepulchris, & comedit sic, & isti peccata hominum. Vnde Ierem. 12. Nunquid auis discolor hæreditas mea mihi, ibi alia littera habet. Nunquid spelunca hienæ. Item comparantur miluo qui semper circumit ex talia, & huiusmodi quæ comedit, sic detractores peccata. & sicut miluus est auis querulosa, sic detractores. Isaiæ 34. Illi congregati milui alter ad ad alterum. Item comparantur muribus de quibus 1. Reg. 5. dicitur quod mures rodebant ex tales Philisthinorum, ita detractores peccata aliorum.*

Lingua detractoris multis comparatur, propter multas proprietates quas habet detractor.

Dub. 4. Ad illa verba, Psalmi 9. vers. 5. *Non est Deus in conspectu eius.* Loquitur hic de Antichristo. Cur dicet Antechristus, quod non est Deus in conspectu eius, cum nec diabolus sic loquutus sit, imo tantum voluit Deo æquari?

Homo peruersus, vt se illustret, alium infamat.

Respondetur. Quod Antichristus, vt bonam sui existimationem apud omnes faciat, seque ipsum commendet, Dei honorem curauit imminuere, & lædere: Ideo dicitur, quod non erit Deus in conspectu eius, id est, nullius reputationis esse prædicabit, quod tamen diabolus non fecit. Homo peruersus, vt se sua lingua illustret, famam alterius violat. Incognitus: *Aduertendum quod superbia Antichristi in fine maior erit, quam fuerit superbia diaboli: diabolus enim superbiens, voluit æquare Deo dicens. Isaiæ 14. Ascendam super altitudinem nubium, sed Antichristus non se æqualem Deo faciet, sed maiorem prædicauit esse Deo, & Deum nullius reputationis esse reputabit.*

Dub. 5. Ad illa verba, Ecclesiastici 14. vers. 1. *Beatus vir qui non est lapsus verbo.* Cur qui verbo non labitur dicitur Beatus?

Lingua non labi, signum maximæ perfectionis est.

Respondetur. Quod lingua labilis est, & cito deuiat nisi refrænetur, vnde qui eam refrænat, nec labitur verbo inconsiderate prolato, vel otioso, vel adulatorio, vel detractorio, vel mendaci, perfectus est, & summa virtus est. Hugo Cardinalis: *Præmittens signum maximæ perfectionis dicit, Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo. Hoc est enim signum præcipuum perfectionis. Vnde Iacob 3. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Qui hanc perfectionem habuerit (1. Reg. 3. Creuit Samuel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram, & Iob 1. Labijs suis neque stultum quid contra Deum loquutus est) talis dicitur beatus signo, vel spe, labitur autem quis verbo, cum aliquid inconsiderate, vel otiose, vel detractorie vel adulatorie, vel mendaciter loquitur, quod vitare difficile est. & ideo perfectus est, qui non est lapsus verbo ex ore suo: ex quo labitur qui cor suum habet in ore, sicut dicitur Ecclesiastici 21. In ore fatuorum cor eorum.*

Qui linguā non labitur, secum adfert signum suæ beatitudinis

Dub. 6. Ad illa verba, Lucæ 7. vers. 48. *Remittuntur tibi peccata.* Cur Dominus Iesus non dixit Mariæ Magdalenę, dimitto tibi peccata? Cur sic loquitur dimittuntur?

Nullum verbum ex ore excidendum nisi cum multo examine coram inimicis, ne detur eis occasio detrahendi, aut male cogitandi.

Respondetur. Quod Christus noluit coram inimicis verba proferre quæ essent occasio detractionis, & malæ cogitationis: si enim diceret, *ego dimitto tibi peccata*, vel malam opinionem concipierent de Christo, vel ei detraherent. Hinc cum magno pondere, & diligen-

ligenti examine verborum, non dixit *remitto tibi peccata*, sed remittuntur, ne daret occasionem verbis suis inimicis detrahendi, vel male cogitandi. Nullum enim verbum ex ore excidendum est nisi cum multo examine, ne detur occasio inimicis maledicentiæ. Hugo Cardinalis: *Non dicit dimitto, sed dimittuntur, vt tolleret ab eis occasionem maledicendi, aut cogitandi.* Vide *Defectus Murmuratio.*

CAP. LXVI.

De Luxuria.

DVb. 1. Ad illa verba, Leuitici 7. v. 12. *Et collyridas olei admixtione consparsas.* Antonius Nebrissensis suspicatur pro *collyrida* in nostro legendum *collicida*, quod Græcis sit panis subcinericius, vnde Aristophanes in Acharnanis nomen effinxit *collicophagum*, id est, collicum voratorem, & à *collice* forma diminutiua facta putat Antonius, *collicium*, & *colliphium*, colliphia est pulmentum, seu cibus, seu panis in modum membri virilis, vel muliebris facti. Quæres cur colliphia habebant formam membri virilis, alia vero membri muliebris?

Inhonestæ fœminæ, & ex ijs quæ luxuria acquirunt victitant.

Respondetur. Quod luxuriosus sustentat fœminam inhonestam, & fœmina impudica victitat ex luxuria. Hinc colliphia, seu panis illi habebant modum membri virilis, alij formam membri muliebris. Insignum quod mulieres libidinosæ aluntur ex ijs, quæ luxuria acquirunt. Malunda: *Recentiores critici, colliphia panes in modum membri virilis factos arbitrantur, quos Priapos vocabant, nam etiam fiebant panes in modum membri muliebris, vt docet Martialis lib. 9. Epigrammate 3.*

Dub. 2. Ad illa verba 1. Reg. 2. vers. 22. *Dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium Tabernaculi.* Vnde tanta luxuria filiorum Heli cum mulieribus?

Ab ingluuie nascitur luxuria.

Resp. Quod filij Heli fuerunt gulosi adeo, vt carnes de sacrificijs prærripuerint. Hinc in libidinem, & venerem fuerunt proni, luxuriosique extiterunt, & alienam pudicitiam violabant. Ab ingluuie enim luxuria nascitur. Hugo Cardinalis: *Peccabant gula, & hoc quinque modis, præpopere, laute, nimis, ardenter, studiose. Præpopere vbi dicitur, vers. 15. Ante quam adolerent adipem, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti. Da mihi carnem, laute ibi, da mihi crudam, nimis ibi, omne quod lentabat fiscinula, ardenter ibi, desiderat anima tua, studiose ibi, tollebat Sacerdos.*

Valde sæuit Deus in libidinosos.

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 7. vers. 22. *Et cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt.* Cur Dominus sæuit in homines, & cætera animantia, non autem in pisces? Quid enim plus mali fecerunt oues, boues quam pisces, vt illi deleantur, isti saluarentur?

Respondetur. Quod cætera animantia in libidinum voluptata cœno fuere, vel ad inuicem, vel cum hominibus: pisces vero non, cum alium habeant multiplicandi vsum. Hinc in libidinis detestationem omnia terrestria deleuit Dominus, pisces vero saluauit. Valde enim sæuit Deus in libidinosos. Oleast. *Crediderim ego animantia fœdis se congressibus polluisse, aut ad inuicem, aut etiam cum hominibus, in cuius detestationem Dominus tam homines, quàm cætera terrestria deleuit: non sic autem pisces, qui alium habent modum multiplicandi, neque tam faciles sunt ad huiusmodi nefandas comistiones.*

Dub. 4. Ad illa verba, Prouerb. 7. v. 16. *Aspersi cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo.* Cur tres species aromaticas posuit, duas scilicet, amaras myrrham, & aloe, & aliam suauem, scilicet, cinnamomum?

Luxuria plus amarescit, quam delectet.

Respondetur. Quod in luxuria plus est amaritudinis, quam delectationis. Hinc duas species aromaticas, myrrham, & aloe, quæ valde amaræ sunt nominauit vnam vero suauem, scilicet, cinnamomum posuit. Luxuria enim plus amarescit, quam delectat. Hugo Cardinalis: *Nota quod tres species aromaticas nominauit, duas amaras, & vnam dulcem: in quo notatur quod in carnali opere plus est amaritudinis, quam delectationis: vna amaritudo pertinet ad præsens sæculum, alia ad futuram.*

Dub. 5. Ad illa verba, Ioannis 12. vers. 14. *Et inuenit Iesus asellum, & sedit super eum.* Cur dicicit D. Ioannes quod Dominus Iesus sedit super asellum, cum *Matth.* 21. *Vers.* 7. legatur: *Adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos*, vnde patet quod super asinam, & pullum ascendit, cur ergo super asinam ascendit, si ascendit super asellum? In tam breui via non erant necessaria asina, & pullus.

Deus mansionem non facit super lasciuos eosque se abijcit.

Respondetur. Quod forte primo insedit pullo, à quo tamen descendit, quia lasciuus erat, deinde impositus fuit asinæ. Deus enim non quiescit, nec mansionē facit super lasciuos, imo à se abijcit.

Hug

Hugo Cardinalis: *Licet esset breuis via, tamen fieri potuit, vt primo insedisset pullo, & forte quia lasciuus erat descendit, & insedit asinæ.*

Dub. 6. Ad illa verba 1. Corinth. 10. vers. 27. *Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate.* Cur Apostolus non arcet Christianos ab infidelibus invitantibus eos ad cœnam, cum 1. Corint. 5. vers. 11. consulat: *Si ijs qui frater nominatur inter vos est fornicator, cum huiusmodi nec cibum sumere.*

Maius periculum potest timeri ex cõuictu cum luxurioso, quam cum infideli.

Respondetur. Quod maius timetur contagium, & periculum cum impuris hominibus comedere, quam cum infidelibus. Hinc licet Apostolus non prohibuerit omnino cum infidelibus cœnare, omnino tamen prohibet cum fornicarijs comedere, & cibum capere, Magis exitiale homini videtur consortium cum luxurioso, quam cum infideli. Hugo Cardinalis: *Cum huiusmodi, nec cibum sumere, ecce ostendit quomodo nos debeamus subtrahere ab his membris putridis quia quo ad conuictum. Dicitur enim Naum. 1. Sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium pariter potantium, canonica Iudæ: hij sunt in epulis suis maculæ conuiuantes sine timore. 2. Ioannis: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum. Seneca: potius est iudicandum cum quibus edas, quam quid edas. 2. Thessalonicen. vlt. Denuntiamus vobis fratres in nomine Domini Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante in ordinate. Ioann. 4. Iudæi non coutuntur Samaritanis.* In calce huius capitis nota, quod luxuriæ vitium tam pestiferæ qualitatis est, vt noceat ne dum quando committitur, verum etiam quando deploratur. Accipe Abulensem in cap. 9. Deuteronom. fol. 81. littera B. *Immanere ergo cogitationi alicuius istorum valde periculosum est, nam immediate, vt aprehenduntur, concipiuntur, vt per se bona, & mouent ad sui fruitionem, vnde contigit quod ille, qui recordari volebat eorum, versa vice incipiet delectari, & assurgere in eorum desiderium,* & fol. 82. litt. B. sic ait: *Generaliter cauendum est, vt quandocumque aliquis qui vult pœnitere de actu illicito venereo, habuerit passionem concupiscentiæ actualiter insurgentem, ne reducat ad memoriam delicta sua per actum venereum perpetrata qualitercumque illa fuerint: nam putans se per hoc reducere ad dolorem, magis inducat sibi concupiscentiam, nam si contra eam quæ nobis nolentibus insurgit, pugnare non possumus, quanto magis contra illam, quæ à nobis volentibus inducitur? Regula vniuersaliter danda videtur, quod talia ad memoriam reducere periculosissimum valde est, & nullus homo quantumcumque eleuatus deberet ista ad memoriam reducere, nam amor iste nimis viscera penetrat, & emollit, & fortissimas vires habet, talis namque post multa tempora recrudescit, & integer redditur, ita vt forter vivos superet auferendo virtutis vigorem, & viscera fœminea inducendo. Ab hoc ergo periculo non sunt securi, nisi qui totaliter ea à memoria eraserunt, huiusmodi autem terribile quantum est, nulli sciunt, nisi qui aliqualiter experti sunt: proferant ergo sententiam, qui viderunt, quod ab hoc dulci periculo, atque delectabili malo, & amara iocunditate summopere cauendum est, quod nemini contingere arbitror, nisi ei, qui totaliter à memoria excluserit: cauendum ergo tanquam ab igne, & venenoso serpente huiusmodi rem ex quacumque causa saltem leuissima recogitare, quia ex hoc verus ignis exardescit.* Vide in Indice *Luxuria.*

Luxuria nocet nedum quando committitur, verumetiã quãdo deploratur.

M

CAP. LXVII.

De Mansuetudine.

DVb. 1. Ad illa verba, Numeror. 12. vers. 3. *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines.* Cur commendatur Moyses hic de mansuetudine, & non alibi?

Mansuetus in iniurijs tacet, nihil offenditur, nec Deum vindicem appellat.

Respond. Quod Maria, & Aaron in Moysem murmurabant propter vxorem Æthiopissam hanc tamen detractionem modeste ferebat, nec vindictam à Deo petebat: hinc de mansuetudine laudatur. Magna enim laus est, & valde mansuetudo commendanda in homine, qui iniuriatus tacens est, nec offenditur. Maluenda: *Quasi dicat obloquutio Mariæ, & Aaron non latebat Moysem: verum ipse tacens, quod esset vir mansuetissimus, qui nulla re offenderetur. Hanc iniuriam ab illis modeste ferebat, vt erat iniuriarum patientissimus, & humilitate summa, neque de sua auctoritate cum illo concertauit, vel Deum vindicem appellabat.*

Dub.

Dub. 2. Ad illa verba, 2. Regum 22. vers. 36. *Et mansuetudo tua multiplicauit me.* Quidam passiue accipiunt *mansuetudine tua*, quasi dicat Dauid: *Mansuetudine tua Deus quam à te accepi multiplicauit me.* Quæres quommodo Dauid propter suam mansuetudinem fuit multiplicatus?

Mansueti bonis temporalibus augentur à Deo.

Respondetur. Quod Dauid maximè mansuetudine viguit, sustinens patienter iniurias inimicorum; scilicet, Saulis, Semei, & Absalonis: hinc dicit quod multiplicatus fuit à Deo augente Milites, Exercitum, & Regnum eius. Mansueti enim bonis temporalibus augentur à Deo. Maluenda: *Passiue mansuetudine tua, id est, qua præditus à te sum, & quam munere tuo accepi multiplicabis me, augendo Milites, Exercitum, Regnum. Nam egregie ea virtute Dauid polluit. Vt in Saule, Semei, Absalomo.*

Lenis, & mansueta correctio Prælati, magis erigit subditorum virtutem, quam deijcit.

2. Respond. Quod vbi nos habemus, *mansuetudo tua*, alij legunt *afflictio tua*, quasi dicat Dauid: *Afflictio tua*, qua me leniter, & mansuete me castigasti, auxit virtutem meam, multiplicauitq; probitatem. Suauis enim, & lenis correctio Prælati magis erigit subditorum virtutem, quam deijcit. Maluenda: *Mansuetudo tua, afflictio tua, id est castigatio, mansueta disciplina, institutio tua, multiplicauit me id est, erexit, probum, rectum cumulate reddet. Hunc sensum sequuti sunt 70. & Noster, Psalmo 17. vers. 36.*

Dub. 3. Ad illa verba, 1. Reg. 18. v. 7. *Percussit Saul mille, Dauid decem millia.* Cur dicitur quod Saul mille percussit, Dauid vero decem millia, cum nec Saul nec Dauid de hostibus tot interfecerint?

Maior est virtus Prælati mansueti ad vincendos subditos, quam duri ad trahendos homines.

Respondetur. Quod Saul in choleram procliuis, durus in seueritatem declinans, Prælatum refert in subditos durum, & immittem: Dauid vero mansuetissimus virorum, erga iuratos inimicos serenus, & blandus pater, Prælatum exprimit lenem, mansuetum, & blandum: hinc præclarior fuit Dauid mansueti victoria, quam Saulis immitis triumphus, Saul de mille, Dauid de decem millibus triumphauit, Saul cum asperitate vicit mille hostes solum, Dauid cum lenitudine decem millia superauit. Maior est enim virtus Prælati mansueti ad vincendas subditos quam asperitas ad subiugandos homines. Diuus Ambrosius in illud Psalmi in te inimicos nostros ventilabimus: *Ideo Saul in millibus, Dauid in decem millibus, quia durus in paucis, mansuetus in pluribus.*

Dub. 4. Ad illa verba, 3. Reg. 12. ver. 16. *Nunc vide domum tuam Dauid.* Quasi dicat Israel: Dauid impera post hac Tribui Iudæ soli, non reliquis Israelis. Vnde prouenit quod tempore Roboam dissipatum, & diuisum fuit Regnum Dauidis?

Non est aptus Regno, qui lenitate, & mansuetudine subditos non gubernat.

Resp. Quod Roboam non fuit loquutus populo Israeli verba lenia, mansueta, sed dura dicens, quod *minimus digitus suus grossior erat dorso patris sui, & quod si pater cecidit eos flagellis, ipse cæderet eos scorpionibus*: hinc dicunt Israelitæ tempore Roboam *nunc vide domum tuam Dauid*, id est, ò genus Dauid, prospice domui tuæ, curam habe rerum tuarum, à nostris alstine, impera post hac soli Tribui Iudæ, non alijs tribubus Israelis. Non enim aptus est Regno, qui lenitate, & mansuetudine subditos non gubernat. D. Hieronymus: *Qui scorpionibus cædit, & lumbis patris habere se putat digitos crassiores, cito Regnum mansueti Dauid dissipat, certè Romanus populus, ne in Rege quidem superbiam tulit: Dux ille Israelitici Exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægyptum, & ad cuius imperium cœlum, & terra & maria seruiebant. inter cunctos homines quos tunc terra genauit. mansuetissimus prædicatur, & ideo per quadraginta annos obtinuit principatum, quia potestatis superbiam lenitate, & mansuetudine temperabat.*

Dub. 5. Ad illa verba, Ecclesiastici 5. v. 13. *Esto mansuetus ad audiendum verbum, vt intelligas, & cum sapientia proferas responsum verum.* Cur ad intelligenda verba, & dandam verbis responsionem, consulitur homini mansuetudo?

Mansuetus, & humilis capax est ad intelligentiam doctrinæ, & ad alios docendos.

R. Quod nomine mansuetudinis hic intelligitur humilitas. Qui enim humilis est, & mansuetus, aptus est ad intelligenda Diuina verba, & ad alios docendum. Hugo Card. *Esto mansuetus, id est, benignus, & humilis, ad audiendum verbum Dei, id est, quod Deus loquitur per Doctores, & quod de Deo est, id est, Sacrā Scripturam, vt intelligas, id est, intus legas spiritualem sensum; littera enim occidit spiritus autem viuificat. 2. Corinth. 3. Hanc intelligentiam meretur humilitas. Vnde Psalm. 14. Valles abundabunt frumento, id est, humiles spirituali intelligentia, quæ reficit. Lucæ 10. Confiteor tibi, Domine, Pater cœli, & terræ. Idem Matth. 11. Iacobi 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. Et cum sapientia poteris responsum verum, id est, cum man-*

Mansueti præferendi sunt duris hominibus.

mansuetè audieris, & intellexeris, tunc poteris alios docere, aliter non. In calce huius capitis nota. Quod homines mansueti, & lenes præferendi sunt duris, & asperis hominibus. Vnde Abul. in Prologo Diui Hieronymi ad Paulinum refert ex Ouidio Metamor. lib. 6. *Quod cum Minerua, & Neptunus coram duodecim Dijs contenderent, quis eorum vrbi nomen imponeret, Neptunus tridente saxa dura percussit à quibus aqua exilijt; Minerua terram percussit, & oliua baccis plena apparuit, ex quo pro Minerua sententia lata est.*

CAP. LXVIII.

De Mendacio.

DVb. 1 Ad illa verba, Genes. 4. vers. 11. *Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Cur Cain ob fratris cædem non sustinuit aliquam pœnam in sua persona, quæ ad nepotes transiret: cum Euæ pœna quam passa est comprehendat alias fœminas, quæ in dolore pariunt filios, & sub viri potestate sunt? An mitior fuit Deus cum Caino, quàm cum Eua?

Homo mendax grauissimè punitur à Deo.

Respondetur. Quod Eua Deo interroganti peccatum suum confessa est: Cain verò mentitus est Deo, tanquam de fratre nesciret, vers. 9. *Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit nescio.* Hinc longè grauius est supplicium Caini, quam Euæ pœna, quia Cain velut à dæmone puniendus relinquitur, Eua verò æternam salutem consequutura erat. Comprehendat ergo pœna Euæ alias matres, quia mitior in Euam Deus, quæ saluanda erat, cum ingenuè confessa sit peccatum, nec mentita Deo non se extendat supplicium Caini ad nepotes, quia sæuerior Deus in Cainum damnandum propter mendacium. Grauiter enim punitur à Deo qui mentitur. Diuus Ambrosius libro de Paradiso, cap. 14. *Denique Cain quia voluit crimen negare, indignus iudicatus est, qui puniretur in peccato, sed remissus est sine præscripto pœnæ, fortassè non tam maiore crimine parricidij (illud enim commisit in fratrem) quàm sacrilegij, quod Deo credidit mentiendum, dicens: Nescio. Nunquid ego custos fratris mei sum? Et ideo accusatori diabolo eius accusatio reseruata est, vt cum eius Angelis flagelletur, qui cum hominibus noluit flagellari: Eua quia ipsa confessa est delictum, mitior sequitur, & profutura sententia, quæ condemnaret errorem, & veniam non negaret.*

Dub. 2. Ad illa verba Genes. 20. ver. 16. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum.* Cur Abimelech dixit Saræ quod mille argentei quos dedit Abrahæ, erunt in velamen oculorum Saræ?

Inmendacio deprehẽsus, memor sit mendacij, vt quocunque pergat, pudeat, & erubescat.

Respondetur. Quod Sara mentita fuit Regi Abimelech, dicens quod erat soror Abrahæ, cum esset vxor eius: hinc dicit Abimelech, quod mille argentei, quos dedit Abrahæ, erunt in velamen oculorum Saræ, id est, in memoriam verecundiæ, quia deprehensa fuit in mendacio, vt quocumque perrexerit Sara meminerit se fuisse in mendacio deprehensam, & pudeat, & erubescat. Qui enim in mendacio deprehensus est, debet verecundari, & erubescere quocunque pergat. Maluenda: *Hoc ipsum nempè me dedisse fratri tuo mille argenteos, erit tibi in velamen oculorum tuorum, id est, ad tuum ipsius puderem ac verecundiam (velantur enim, & obtenguntur pudentium, & erubescentium oculi, & ora) ad pudorem inquam tuum, hoc erit, vt deinceps pudeat te, tam coram tuis, quam alienis, dicere te viri tui sororem, tacere vxorem, hoc est, celare veritatem.*

Non est dignus quod inter viuos permaneat, sed inter mortuos, qui in mẽdacio deprehẽsus est, nec aliud debet agere quam mori.

2. Resp. Quod visum fuit Abimelecho, quod Sara, quia deprehensa in mendacio, cum anus esset, vicina, & proxima erat morti, nec aliud debuit agere mulier quam mori: hinc Abimelech irridens dixit ei, quod mille argentei quos dedit Abrahæ, erunt in velamen oculorum eius, & ad expensas funeris Saræ, quasi dicat Abimelech, deprehensa es in mendacio cum sis anus, morere, dedi viro tuo pro expensis funeris. Non enim dignus quod inter viuos existat, qui in mendacio est deprehensus. Hugo Cardinal. *Elegans irrisio est, hoc erit in velamen, id est, in exhibitione funeris, quasi dicat: anus es, & vicina funeri, & tamen mentita est, habe igitur hæc ad expensas funeris tui.*

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 10. v. 11. *Ite tantum viri, & sacrificate Domino, hoc enim, & ipsi petistis.* Cur mentitus fuit Pharao quod Moyses petiuit à Deo, quod daret licentiam viris vt irent ad sacrificandum Domino, cum petierint pro omni populo? Cur vir tantæ authoritatis mentitus fuit?

Respondetur. Quod viri maximæ an-

Viri magnæ authoritatis aliquando mentiuntur, quia non timent, de mẽdatio redargui.

authoritatis aliquando mentiuntur, quia certi sunt, quod nullus erit, qui audeat dicere eis, quod mentiuntur: hinc licet Moyses non pro solis hominibus, sed pro toto populo facultatem petierit à Pharaone, vt irent ad sacrificandum Deo, tamen Pharao dixit, quod petiuit pro solis hominibus, in quo mentitus est, nec de mendatio erubuit. Viri enim magnæ authoritatis aliquando mentiri non recusant, quia non timent, quod aliquis dicat illis, quod mentiuntur. Abulensis: *Non erubescit mentiri, quia non timebat, quod eum aliquis de mendacio redargueret.*

Dub. 4. Ad illa verba, Exodi 23. vers. 1. *Non suscipies vocem mendacij.* Iuxta Hebræum habetur: *Auditionem falsitatis.* Cur Dominus non dixit, non credes, nec dicit, non audies, sed non suscipies?

Mendaces, non solum non sunt credendi, sed nec admittẽdi

Respondetur. Quod Dominus, vt homines arceat à mendacio, voluit quod non solum non credant mendacio, nec audiant mendacium, sed nec admittant, nec consentiant audire mendacium aduersus aliquem: hinc non dixit ne credatis mendacio, ne audiatis mendacium, sed non suscipies vocem mendacij, seu non feres, non sustinebis rumorem mendacij, auditionem falsitatis non admittas. Mendaces non solum non sunt credendi, sed nec admittendi, nec consentiendi. Cajetanus: *Non dicit non credes, nec dicit non audies, sed non suscipies, hoc est, non admittes. Vt siquidem audias hominem nitentem persuadere tibi, vt consentias machinatæ falsitati aduersus aliquem, non tamen admittas, non consentias.*

Dub. 5. Ad illa verba, 2. Reg. 12. vers. 7. *Dixit autem Nathan ad Dauid: Tu es ille vir.* Cur Nathan proposuit Dauidi parabolam ouis? Cur aperte non dixit ei veritatem, peccatumque quod commisit adulterij clare non exposuit ei?

Homines hilariter mendacium audiunt, veritatem vero nõ nisi fabulamine tectam amplectuntur

Respondetur. Quod Nathan nouit homines ægrè ferre veritatem sibi dici, hilari vultu mendacium audire: hinc parabola, & similitudine ouis vsus est coram Dauide peccatum adulterij obiurgans, veritatemque fabulamine inuoluens. Homines enim hilariter mendacium audiunt, veritatem vero non nisi fabulamine amplectuntur. Oleaster Exodi 23. vers. 1. *Sæpè sepius considerauí, cur Sancti Prophetæ parabolis vterentur, & similitudinibus, præsertim cum Regibus, & Principibus loquebantur. Cur Christus tam frequenter turbis in parabolis loqueretur, quod ferè vt ait D. Matth. 13. Nihil sine parabolis turbis prædicaret, cuius meo iudicio causa est. Considerabant Sancti quam ægrè ferrent homines veritatem audire, quam torto vultu, & hirsuto naso eam aspicerent, & quam hilarifacie mendacium amplecterentur, & considerantes quam necessarium hominibus foret veritatem audire, veritatem parabolis, & similitudinibus inuoluebant, & velabant, vt qui veritatem nudam fastidiebant, & ad mendacia arrectas haberent aures, veritatem saltem fictis vestibus tectam audirent. Sic prudentissimus ille Propheta Nathan, cum sciret Regem Dauidem apertam veritatem dicenti, non auditurum, cuis similitudine rem velauit.*

Dub. 6. Ad illa verba, Ioannis 8. vers. 44. *Vos ex patre diabolo estis.* Cur Christus mendaces Iudæos vocat filios diaboli, cum natura non sint filij diaboli?

Mendacium ostendit hominem esse filium diaboli, sicut veritatem loqui, manifestat hominem esse Filiũ Dei.

Respondetur. Quod Iudæi habebant diabolum, vt exemplar quod imitabantur loquentes mendacium, cum diabolus mendax sit, & ipsi mendaces essent, & quia mentiebantur, de filijs diaboli eos esse cognoscebatur, sicut qui loquitur veritatem inter filios Dei computatur: hinc licet Iudæi natura non esset filij diaboli, imitatione tamen filij erant eius. Mendacium enim ostendit hominem esse filium diaboli, sicut veritas manifestat esse Filium Dei. Diuus Thomas opuscul. 4. cap. 46. *Assiduitas mendacij non est bona, propter diaboli assimilationem: talis enim efficitur diaboli filius. Nam homo ex verbis suis cognoscitur de qua regione & patria sit, nam & loquela tua manifestum te facit, vt dicitur Matthæi 26. Item homines quidam sunt de genere diaboli filij: qui scilicet, loquuntur mendacium, quia diabolus mendax est. & pater eius, vt dicitur Ioannis 8. Ipse enim mentitus est primo. Genes. 3. Nequaquam moriemini, quidam vero Filij Dei: quia scilicet veritatem loquuntur, quia Deus veritas est.* Vide *Veritas.*

CAP. LXVIIII.

De Merito.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 19. v. 29. *Recordatus Abrahæ, liberauit Loth de subuersione vrbium in quibus habitauerat.* Iuxta Hebræum habetur: *Et recordatus fuit Elohim Abraham, & emisit Loth de medio subuersionis.*

Cur Deus appellatur *Elohim*, id est, Iudex cum meritis Abrahæ liberauit Loth de subuersione vrbium?

Efficere aliquid ob alterius meritũ iustitia, seu species iustitiæ est.

Resp. Quod Abraham promeruit, quod Deus meritis ipsius liberaret Loth de subuersione Ciuitatum, & quod ex iustitia eriperet Lothum propter merita Abrahæ: hinc Deus vocatur *Elohim*, id est, Iudex, cum meritis Abrahæ in columen, & saluum seruabit à discrimine Loth. Iustitia enim est ob merita iusti, vel alterius alicui benefacere. Caietanus: *Ad commendandum autem meritum Abrahæ nominatur Deus Elohim recordatus Abrahæ, insinuando quod Abraham merebatur vt Deus propter ipsum misereretur Loth: efficere enim aliquid ob alterius meritum, species iustitiæ est.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 49. vers. 22. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Cur dicit Iacob quod illam terram Sichem tulit ab Amorrhæo in gladio, & arcu Iacob: cum *Genes. 35. Vers. 19.* dicatur quod Iacob: *Emit partem agri in qua fixerat tabernacula à filijs Amor patris Sichem centum agnis.* Si ergo emit eam, non tulit eam Iacob in gladio, & arcu suo.

Iustus iure suæ iustitiæ, & virtutis, meritoque sanctitatis, obtinent à Deo quidquid possident.

Respondetur. Quod licet illud prædium, seu agrum Sichimitem emerit Iacob centum agnis, seu numis ab Hemor, vt patet *Genes. 33. Vers. 19.* tamen ipse ob dicit quod eam tulit in gladio, & arcu suo, vocans arcum, & gladium virtutem, & iustitiam suam propter quam promeruit illam terram obtinere, & possidere delectis Sichimitis: hinc dicit *tuli eam* portionem terræ *in gladio, & arcu meo*, id est, in iustitia, probitate, & virtute mea, qua promerui à periculo liberari, & eam possidere. Iure enim probitatis, virtutis, & iustitiæ meritoque sanctitatis obtinent iusti à Deo quidquid possident. Hugo Cardinalis: *Arcum, & gladium vocat iustitiam suam, per quam meruit interfectis Sichimitis de periculo liberari, & terram illam obtinere.*

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 32. vers. 13. *Recordare Abraham, Isaac et Israel.* Cur Moysem aliorum meritis veniam pro populo à Deo precatur? Cur sua non recenset, cum tanta dicut illi haberet?

Merita sua humilis ignorat, & petit propter aliena.

Respondetur. Quod licet Moyses, vt pote tantissimus, multa merita haberet apud Deum, propter quæ confidere posset à Deo exaudiendus, & quod volebat consequuturus, tamen quia vere humilis erat, nihil tale de se cogitabat, nec confidebat. Ideo aliena merita refert, propter quæ, veniam quam precabatur pro populo obtineret. Merita sua humilis ignorat, & petit propter aliena. Abulens. *Licet Moyses mereretur coram Deo, vt propter eum remitteret iniquitatem populi, tamen vt vere humilis sua merita non attendens, inducebat antiquos patres, quorum merita magna habent, quia seruierant Deo in corde perfecto.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 13. vers. 10. *Cunctas Ciuitates Sehon, Regis Amorrhæi, qui regnauit in Hesebon.* Notat Abulensis, quod Sehon in maiorem habebat æstimationem vrbem Hesebon, quam cæteras sui Regni Ciuitates. Cur in maiori pretio habuit Hesebon quam alias Ciuitates, cum aliquæ speciosiores, & maiores essent quam Ciuitas Hesebon?

Quod habetur merito, pretiosius est quam quod habetur hæreditarie.

Respondetur. Quod gloriosius est habere aliquid per meritum proprium, quam habere illud iure hæreditario à parentibus relictum: vnde adulti pretiosiorem gloriam habent, quam sine vsu rationis parvuli per baptismum, quia isti titulo hæreditatis, illi propriis meritis habent illam. Et Christus Dominus plagas manum, & pedum reseruauit, vt in perpetuum victoriæ suæ circumferat triumphum, & denotet hominibus, quod illis meritis propriis talem gloriam assequtus est. Hinc Sehon Rex Amorrhæi in maiori pretio habuit Ciuitatem Hesebon quam alias Ciuitates licet speciosiores, quia Hesebon iure belli, & propriis meritis obtinuit. Quod enim habetur merito pretiosius est quam quod habetur hæreditario. Abulensis: *Quia gloriosiorem separabat in eo, quod bello acquisierat quam in eo, quod hæreditaria successione a progenitoribus acceperat, & proculdubio sic est, quia possidere nihil gloriæ habet, acquirere autem, & gloriæ, & laboris admixtas habet particulas.*

Dub. 5. Ad illa verba, 1. Reg. 13. ver. 13. *Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus Regnum tuum super Israel in sempiternum.* Cur dixit Samuel Saulí quod si non fuisset inobediens Deo, Dominus præparasset Regnum Saulis, & stabiliret in sempiternum, cum præparatio Dei, & Regni Saulis æterna esset?

Deus gerit se erga hominem secundum merita, & demerita eius.

Respondetur. Quod ordinatio Diuina aliquando accipitur secundum dispositionem causarum secundarum, id est, secundum merita, & demerita homi-

minum, ex quibus disponuntur, vt per hoc puniantur, vel remunerentur secundum ordinationem Diuinam, & talis ordinatio mutabilis est, sicut merita, & demerita hominum: hinc dicit Samuel Sauli, quod si non fecisses, id est, si non fecisses contra mandatum Domini, & stetisses in bonitate in qua eras quando regnare cœpisti, esses dispositus, vt Deus confirmaret tibi Regnum, & filijs tuis. Deus enim gerit se erga hominem secundum merita, & demerita eius. Caietanus: *Est sensus quod Deus secundum præsens meritum, si fuisset meritum obedientiæ, ordinauit Regnum tuum in sæculum, & secundum præsens meritum inobedientiæ Regnum tuum non firmabitur.*

Dub. 6. Ad illa verba, Ecclesiastes 4. vers. 2. *Laudani magis mortuos quam viuentes.* Cur mortui laudandi sunt magis quam viuentes: cum *Ecclesiastici 9 vers. 4.* dicatur: *Melior est canis viuus Leone mortuo*, vbi Glossa, *id est, peccator, qui conuerti, & proficere potest, melior est iusto mortuo, qui nihil potest meritis suis addere*, pari ergo ratione melior est viuens, quam mortuus. Item iustus mortuus melior est, propter status fœlicitatem, charitatem quam habet, & ille non.

Tantæ fœlicitatis est posse mereri, quod melior est peccator, qui potest habere meritum dum viuit, quam iustus mortuus qui mereri non potest.

Resp. Quod peccator viuens melior est quam iustus mortuus, quantum ad hoc; quia iustus mortuus non potest in merito proficere: at peccator habet tempus proficiendi sibi, & merendi maiorem gloriam quam habet iustus mortuus. Tantæ enim fœlicitatis est posse mereri quod melior est peccator qui potest habere meritum dum viuit, quam iustus mortuus, qui mereri non potest. Hugo Cardinalis: *Concedo quod peccator viuens adhuc melior est iusto mortuo, quo ad hoc, quia tempus proficiendi sibi, & alijs, & acquirendi maiorem gloriam quam iustus mortuus, habet, qui proficere non potest in merito nec aliquod quod fiat in præsenti vita potest aliquid addere ad gloriam suam, vt maior fiat.*

Dub. 7. Ad illa verba, Psalm. 102 v. 4. *Qui coronat te in misericordia.* Cur dicit Dauid quod coronat te in misericordia? Cur non potius dicit, qui coronat te in iuditia? Cum dicat Apostolus 2. Timoth. vlt. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Si ergo ex meritis dabitur corona, non ex misericordia, sed ex iustitia coronabit.

Ex misericordia Dei prouenit quod homo promereatur.

Resp. Quod ex misericordia Dei est, quod ipse largiatur gratiam ad merendum: hinc dicit Dauid quod Dominus coronabit iustos in misericordia, licet propter merita dabitur illa corona. Ex misericordia enim Dei prouenit quod homo promereatur. Hugo Cardinalis: *Ideo dicitur coronare in misericordia, quia etsi meritis reddatur illa corona; tamen ex maxima misericordia Dei est, quod ipse dat gratiam quæ est fundamentum meriti.*

Dub. 8. Ad illa verba, Ioannis 12. v. 48. *Sermo quem locutus sum ille iudicabit eum in nouissimo die.* Cur iudicium vniuersale differendum est vsque ad diem nouissimum?

Expectat Deus completa hominum merita, vt præmiet aut puniat.

Respond. Quod Deus expectat quod compleantur merita hominum, vt bonos præmiet, malos puniat; vsque ad nouissimum autem diem non complebuntur merita malorum: continue enim crescunt merita pœnarum illorum, qui causam peccandi alijs reliquerunt, continue etiam crescunt merita præmiorum Sanctorum quarum doctrina, & exemplo multi ad Deum conuertuntur: hinc dicit Christus, quod Euangelium suum iudicabit incredulos in nouissimo die, quando completa erunt merita incredulorum, qui causam incredulitatis alijs reliquerunt. Expectat enim Deus completa hominum merita vt præmiet & puniat. Caietanus: *Vsque ad diem nouissimum differendum est vniuersale iudicium, quo complete dicetur vnicuique ius; ante siquidem incomplete ius dicitur: tum quia non puniuntur cum corpore increduli: tum quia non complentur incredulorum multorum merita vsque ad nouissimum diem. Continue enim crescunt merita pœnarum Mahometi, & aliorum qui causam peccandi posteris reliquerunt. Et propterea rectus rationis ordo exigit, vt differatur commune iudicium donec omnium merita sint completa.* Vide *Præmium.*

CAP. LXX.

De Misericordia Dei.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 3. vers. 22. *Nunc ergo ne forte mittat manum suam & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.* Cur Dominus noluit Adamum extendere manum suam ad lignum vitæ? Cur pœnis inflictis Adæ hanc addidit?

Deus iram suam, & flagella peccatoris, cum misericordia temperat.

Respondetur. Quod Adam, & Eua ducturi erant ob peccatum vitam in

æru-

ærumnis, & calamitatibus ipsos præmentibus, vnde quo diutius viuerent, diutius miserrimam vitam viuerent, multisque eos ærumnis in volueret fortuna. Hinc dicit Dominus, cauete, vel *eijcite eam, ne extendat manum suam ad lignum vitæ, ne comedat, & viuat in æternum*, hanc pœnam prædictis addens, misericorditer temperans iram suam: si enim in æternum viuerent, in æternum miseriæ eos circunstarent. Deus enim iram suam cum misericordia erga peccatores temperat. Petrus Comestor in historia Scholastica: *Dura videtur Dei sententia, quæ prædictis pœnis pœnam ejectionis addidit, sed contra. Hanc enim pœnam, quam dederat misericorditer temperauit, vt verum de eo appareat, cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis: quia enim victuri erant in miseria, quanto esset vita diuturnior, tanto miserabilior: si enim gustassent de ligno vitæ, diutius viuentes, diutius miseri essent.* Vnde Dauid Psalm. 50. vers. 16. ait: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis me, & exultabit lingua mea iustitiam tuam.* Cur peccator à peccato liberatus debeat laudare iustiam Dei, cum peccator per misericordiam Dei liberatus à peccato, vnde Psalm. 88. vers. 1. ait Dauid: *Misericordias Domini in æternum cantabo*, ergo potius debuit laudare misericordiam Dei, quam iustitiam, quia misericordiæ est peccata dimittere; & iustitiæ peccata punire. R. Quod misericordia Dei iustiæ associatur, iustiaque eius tẽperatur misericordia: vnde Dauid laudans iustitiam Dei, laudauit misericordiam eius temperatam, iustitiam quidem, quia punitus fuit in filio nato de Bethsabee, misericordiam vero, quia in propria persona non fuit flagellatus propter effusionem sanguinis vriæ, & aliorum, qui occasione eius fuerunt interfecti. Ita enim iustitia, & misericordia in Deo concomitantur, quod qui laudat misericordiam Dei, simul eius exaltat iustitiam. Lyranus: *In omnibus Dei operibus semper se concomitantur misericordia, & iustitia, & ideo cum dicitur hic, iustitiam tuam, sub intelligitur misericordia temperata, & sic fuit in proposito, quia Dauid licet non habuerit tunc pœnam mortis, quando scilicet, effudit sanguinem vriæ, & aliorum occasione eius interfectorũ, quam incurrerat in propria persona: tamen eam habuit in persona filij sui de Bethsabee nati, vt habetur 2. Reg. 12. Cum hoc etiam persecutionem grauem sustinuit à filio suo Absalon contra eum motam in pœnam huius peccati, sicut dicitur 2. Reg. 12. Suscitabo aduersum te malum de domo tua.*

Ira iustitiæ, & misericordia in Deo sunt, quod qui laudat Dei misericordiam, debet laudare eius iustitiã.

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 2. vers. 24. *Audiuit gemitum eorum.* Cur Dominus in hac vice sola eos audiuit? Nam credendum est quod in spatio nonaginta annorum in quibus oppressi fuerunt, ad Deum clamasse, & non dicitur, quod Deus eos audierit, cur ergo eos nunc exaudiuit, cum tanto tempore eos non audierit?

Misericordiam suam non facit Deus in peccatores, qui omnia peccata, & omnes occasiones eorum non tollunt.

Respondetur. Quod vt Deus nobis misereatur, & auferat à nobis mala quæ patimur, non sufficit eum orare, imo neque coram illo gemere, sed necessarium est peccata contritione delere, & eorum omnimodas occasiones resecare. Vnde hæc est ratio, quare videmus aliquos opera charitatis, & pœnitentiæ exercere, & tamen quod à Deo petunt non obtinere, eo videlicet, quia in suis peccatis, & occasionibus eorum perseuerant, quos tamen si recto corde ad Deum conuertantur, ab omnibus suis malis liberari conspicimus. Hinc licet Israelitæ antea in suis necessitatibus ad Deum clamarent, non tamen idola, quæ adorabant, reliquerunt: modo vero recto corde, & idolis abiectis clamantes exauditi sunt. Misericordiam enim suam non facit Deus in peccatores, qui omnia peccata, & omnes occasiones eorum non tollunt. Abulensis: *Quia ipsi colebant idola quæ Deus maximè detestatur: ideo licet aliquando gemerent ad Deum patrum suorum, non exaudiebantur, quia Deus neminẽ audit nisi totaliter conuersum,* & infra: *Nunc autem Iudæi nullum fructum sentientes in Dijs quos colebant, vexatione dante illis intellectum ad Deum verum redierunt clamantes toto corde & tunc exaudiuit Deus gemitum eorum.*

Dub. 3. Ad illa verba Exodi 34. vers. 6. *Patiens, & multæ miserationis.* In quo consistit misericordiam Dei esse magnam?

Splendet Dei misericordia expectando peccatorem ad pœnitentiam.

Respondetur. Quod ex eo maximè cognoscitur, quia multa remittit peccata, & pro multo tempore expectat peccatores ad pœnitentiam. Hinc appellatur misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis. Misericordia enim Dei ex eo maximè relucet, quod expectat peccatores multo tempore ad pœnitentiam. Abulensis: *Quia non solum est patiens peccatores propeccatis irremissibilibus non occidendo, sed eos tolerando, sed etiam est magnæ miserationis multo tempore ad miseri-*

cor-

cordiam, & pœnitentiam expectando.

Deus vult agnosci Auctor suarum misericordiarum, non vero supplicionum.

Dub. 4 Ad illa verba, Deuteronom. 27. vers. 15. *Respondebit omnis populus: Amen.* Cur cum peccatores maledicebantur; omnis populus respondebat, amen: cum autem iusti benedicebantur, populus non reddebat, Amen, vt patet *Deuteronom.* 28. *Vers.* 1.

Respondetur. Quod maledictiones ab omni populo inferebantur peccatoribus: benedictiones vero à solo Deo emanant in iustos. Hinc cum maledicuntur peccatores, à populo respondebatur, amen, cum vero iusti benedicebantur, nullum amen reddebatur, quia à solo Deo benedictio proueniebat. Deus enim vult agnosci Auctor suarum misericordiarum, quales sunt benedictiones, non vero suppliciorum, vti maledictiones sunt. Mendoza: *Maledictionibus quæ peccatoribus inferebantur, Deuteronom. 27. Num. 15. Vniuersus populus acclamabat amen, benedictionibus autem, quibus iusti donabantur. Deuteronom. 28. Vers. 1. Nullum amen à populo reddebatur, vt significaretur. D. Ieronimo. Interprete maledictiones quidem ab hominibus, benedictiones autem à solo Deo emanare.*

Qui misericordia Dei abutitur in præsenti, in futuro experietur duram iudicem.

Dub. 5. Ad illa verba, Ecclesiastici 2. vers. 22. *Incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.* Cur malum est incidere in manus Domini, si pœnitentiam non egerimus: cum 2. *Reg. Vltim. Vers.* 14. dicat Dauid ad Gad: *Coarctor nimis; sed melius est, vt incidam in manus Domini* Bonum ergo est incidere in manus Domini.

Respondetur. Quod incidere in manus Domini in vita præsenti bonum est, cum Deus sit misericors: incidere vero in manus eius in futuro sæculo malum est, cum tunc erit seuerus Iudex, in quas incidet, qui non agit in præsenti pœnitentiam. Qui enim misericordia Dei abutitur in præsenti, in futuro experietur durum iudicem. Hugo Cardinalis: *In præsenti bonum est incidere in manus Domini, id est, committere se illi, quia ipse est Deus misericordiæ nunc: in futuro autem incidere in manus Domini, id est, subire iudicium, horrendum est, quia tunc erit Deus vltionum Dominus. Vnde Hebr. 10. Vers. 31. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Propter hoc dicit Salomon. Prouerb. 18. Vers. 17. Iustus in principio accusator est sui, sed quamuis timendum sit incidere in manus Domini, non tamen debemus desperare, sed magis patientes esse, & longanimes.*

CAP. LXXI.

De Misericordia Hominis.

Naturalis est omni homini misericordia.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 11. *Et protulit terra herbam virentem, & afferentem semen iuxta genus suum.* Quid significat, quod terra protulit semen iuxta genus suum?

Respond. Quod terra homo est: tunc profert semen cum misericors est in proximum, hoc semen est secundum genus suum, id est, secundum suam naturam; quia misericordia naturalis est homini. Hugo Cardinalis: *Iuxta genus suum, hoc sit quando homo homini bona sua communicat per pietatem, & in malis illius compatitur per compassionem. De primo Iob. 31. Si comedi buccellam meam solus. De secundo Iob 5. Visitans speciem tuam non peccabis 2. Corint. 11. Quis infirmatur, proprie iuxta genus suum facit fructum, qui misericors est. Naturalis est enim omni homini misericordia. Iob 31. Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero egressa est mecum.*

Virum misericordem honoribus magnis in hac vita honestat Dominus.

Dub. 2. Ad illa verba, Deuteronom. 33. vers. 8. *Leui quoque ait: Perfectio tua, & doctrina tua viro sancto tuo.* Legunt alij: *Plenitudines tuæ, inflammationes tuæ, erunt viro misericordi tuo.* Per virum misericordiæ intelligitur Moyses: cur totus ornatus pontificalis datus est intuitu Moysis tribui Leuiticæ?

Resp. Quod Moyses misericors fuit, pius, & benignus, de qua misericordia à Domino fuit commendatus. *Num.* 12. Hinc dicit Moyses de se ipso, quod plenitudines tuæ, inflammationes tuæ ô Deus, id est, vestes Sacerdotales aut pectorale, quod erat præcipuum Sacerdotis ornamentum, erunt seu pertinebunt ad virum misericordem tuum, id est, ad Tribum Leui, ad quem pertinet vir misericors tuus Moyses. Misericordem enim virum honoribus in præsenti vita cumulat Dominus. Caietanus: *Est sensus: Perfectiones tuæ, illustrationes tuæ Deus datæ tribui Leuiticæ in in Pontificatu viro misericordi tuo, hoc est Moysi: de se ipso enim loquitur in tertia persona. Et appellatur ad propositum misericors, quoniam magna commotus misericordia supplicauit pro venia populi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, non comedens neque bibens, vt ipse met retulit in hoc eodem libro cap. 9. & pro Aaron in specie se orasse retulit. Ita quod non est dubium ipsi Moysi dona-*

dat

datum pontificatum in tribu leuitica: priuauerat enim Deus Aaron pontificatu propter peccatum Vituli, & reliquos filios Leui abiecerat à Tabernaculo, subrogato eis Iosue, vt scribitur. Exodi 33.

Dub. 3. Ad illa verba, Psalmi 85. vers. 2. *Custodi animam meam quoniam Sanctus sum.* Iuxta Hebræum habetur: *Obserua animam meam, quia benignus ego.* Caietanus, *quia gratiosus ego.* Cur Dauid petit à Domino, quod custodiat eum, & vitam suam à persequente Absalon? Qua ratione hoc petit?

Qui misericors est in alios, dignus est misericordia, & benignitate Dei.

Respondetur. Quod Dauid misericorditer se gessit erga Saulem, & Absalonem. Hinc petit, quod Deus benignus, & misericors sit in eum, liberetque vitam suam, allegando misericordiam qua vsus fuit cum Saule, & Absalone tendentibus contra vitam Dauidis. Qui enim misericors est in alios parcendo eis, inuenier Dei misericordiam. Caietanus: *Custodi animam meam vitam meam: quia gratiosus ego. Docuit Dominus orando dicere: dimitte nobis debita nostra sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris. Petens Dauid custodiri vitam suam, allegat, quia ipse fuit gratiosus alijs: saluauit enim bis vitam Saulis, & in proposito gratiose indulserat Absalon, qui interfecerat Amnon.*

Dub. 4. Ad illa verba 1. ad Timoth. 1. vers. 2. *Gratia, & misericordia, & pax.* Cur Apostolus cum in alijs Epistolis posuerit duo, scilicet, gratia, & pax, hic ponit, & misericordia?

Misericordia maxime Prælatis necessaria.

Respondetur. Quod Timothæus erat Episcopus, & Prælatus, quem decet misericordia in subditos tanquam necessaria sit Prælatis. Hinc Apostolus cum salutat plebem, ponit gratiam, & pacem, pacem, & gratiam optans ei: cum vero salutat Timothæum, optat ei misericordiam, quod scilicet, misericors sit in subditos. Prælatis enim necessaria est misericordia. Caietanus: *Noua salutatio: nam hactenus salutauerat gratia, & pax, modo tria dicit, gratia, misericordia, pax, ea ratione, quod Prælatis maximè necessaria est misericordia tanquam loco Dei, cui proprium est misereri, præsint.*

Dub. 5. Ad illa verba, ad Hebræos 2. vers. 17. *Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret.* Cur dicit Apostolus, quod Christus per passionem fuit misericors: cum *Psalm. 144. Vers. 9.* dicat de eo Dauid: *Miserationes eius super omnia opera eius, & Iob 31. vers. 18. dicatur: ab infantia creuit mecum miseratio.* Ergo cum fuerit misericors ante passionem, non debuit dici misericors per passionem.

Qui sustinet miseriam, ex his quæ passus est, discet miserorum misereri.

Respondetur. Quod licet Christus sit misericors, tamen experiendo mala pœnæ, factus est misericors, & condolens hominum vicem, & miseriam. Hinc dicit Apostolus, quod debuit per omnia fratribus similari experiendo miserias nostras: vt ad miserationem commoueretur. Qui enim sustinet miseriam, ex his quæ passus est, discet miserorum misereri. D. Thomas: *Miseratio dicitur, quasi miserum cor super aliena miseria, & hoc est dupliciter, vno modo per solam aprehensionem, & sic Deus sine passione nostram miseriam aprehendit: ipse enim cognouit figmentum nostrum, vt dicitur in Psalmo: alio modo per experientiam, & sic Christus potissimè in passione, expertus est miseriam nostram.* Et Hugo Cardinal. *Debuit per omnia fratribus assimilari, id est, decuit, id est honestum fuit, vt consimiles infirmitates acciperet, sicut qui accipit aliquam possessionem, accipit, & censum, vt misericors fieret, id est, in actu ostenderet, quod erat in natura, ad Hebræos 5. Qui condolere posset his, qui ignorant, & errant, quoniam, & ipse circundatus est infirmitate.*

CAP. LXXII.

De Mortuorum funere.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 23. v. 2. *Venitque Abraham, vt plangeret, & fleret eam.* Cur in Veteri Testamento plorabant homines super mortuos, non sic in Nouo Testamento? Cur Abraham plorauit in morte Saræ, non sic populus fecit luctum in morte Iosue cap. vltimo?

In morte bonorum potius gaudendum quam flendū propter fœlicem locum in quem tendunt.

Respondetur. Quod qui moriebantur in Veteri Testamento descendebant in infernum, vel Limbum: vnde eorum mors plorabatur, sicut Abraham fleuit super mortem Saræ: at in Nouo Testamento, ad meliorem transeunt locum, ideo non est fiendum in funere, vnde non fecit populus planctum in morte Iosue, qui Christum figurabat. Potius enim gaudendum quam flendum in morte bonorum, propter locum ad quem tendunt. Hugo Cardinalis: *Ecce argumentum, quod condolendum est mortuis. Ecclesiastici 22. Super mortuum plora, quia deficit lux eius, & super fatuum plora, quia deficit sensus eius. In Veteri Testamento mortem cuiuslibet sequebantur planctus, quia omnes*

nes

nes descendebant in infernum, vel in Limbum, vel in lacum, sed in nouo non sic. Vnde in morte Iosue, qui Christum significat, non legitur luctus fieri Iosue vltimo. 1. Thessalonicens. 4. Vt non contristemini sicut, & cæteri, qui spem non habent. Inde est quod de nullo mortuo ante aduentum Christi celebrat Ecclesia, exceptis septem Machabæis.

Exequiæ bonorum magna pompa celebrandæ sunt.

2. Respondetur. Quod vbi nos habemus, Venit Abraham, vt plangeret eam, iuxta Hebræum habetur: Venit Abraham ad celebrare planctum Sarah. Id est ad amplum, honorificum funus, exequiasque celebres super mortuam Saram inducere: exequiæ enim bonorum summis honoribus prosequendæ sunt. Maluenda: *Planctu celebrare mortuum, aiunt dici de illa cæremonia, & pompa lugentium, & lamentantium mortuos, vt denotet cæremoniam funeralem, & pompam funebrem, ac totum illum apparatum, & gestum exequiarum.*

Dub. 2. Ad illa verba Genes. 50. vers. 3. *Fleuitque eum Ægyptus septuaginta diebus.* Cur Iacobum fleuit Ægyptus septuaginta diebus: cum sufficeret plangere super eum quatuor, vel octo diebus?

Exequiæ illustrium, maiori honore quam aliorũ prosequendæ

Respondetur. Quod Iacob erat vir illustris, & fama celebris. Hinc septuaginta diebus exequiæ eius, honoresque supremi celebrabantur. Illustres enim viros maiori honore in funeribus sunt prosequendi. Maluenda: *Ægyptij Reges suos septaginta duos dies flebant, Authore Diodoro Siculo lib. 1. num. 46. Idem fere honoris causa Iacob tributum.*

Dub. 3. Ad eadem verba, Genes. 50. vers. 3. *Fleuitque eum Ægyptus septuaginta diebus.* Cur Ægyptij corpora mortuorum quadraginta diebus seruabant, Hebræi corpora condita viginti tribus, Christiani vero mortuos suos plangunt, vel triginta diebus, vel tertiam diem celebrant, alij vero septimanam?

In funeribus mortuorum, potius animæ iuuandæ sunt precibus, & sacrificijs, quam corpora curanda.

Respondetur. Quod Ægyptij curabant de corporibus. Vnde nouem diebus seruabant corpora mortuorum incondita, condita vero triginta vnum. Hebræi incondita seruabant septem diebus, condita vero viginti tribus, quia eorum sollicitudo erat erga corpora mortuorum, potius quam erga animam defuncti: at vero Christiani quia mortuorum animas curant, triginta diebus eos plangunt, id est, speciales missas tot diebus celebrant, alij tertiam diem celebrant pro spiritu, anima, & corpore, alij septimam propter septimam requiei ad quam, vt transeant, precibus apud Numen eos iuuant. In funeribus mortuorum potius animæ iuuandæ sunt precibus apud Deum, quam corpora curanda. Hugo Cardinalis: *Nota mos erat Ægyptijs nouem diebus seruare corpora mortuorum incondita, & singulis diebus plangere, & fouere ea aqua calida, vt sciretur vtrum anima esset egressa à corpore, an sopita, condita seruabant triginta vnum diebus, & ita Ægyptij corpora mortuorum quadraginta diebus seruabant. Hebræis vero mos erat incondita seruare septem diebus, condita vero, vigenti tribus, & ita triginta diebus seruabant corpora mortuorum ante quam sepelirent: Ægyptij igitur seruauerunt Iacob mortuum quadraginta diebus Hebræi triginta, & ita transierunt septuaginta dies sub amborum custodia, quadraginta hinc, & triginta inde. Christiani vero, quia mortuos suos aiunt conditos fide, & virtute, triginta diebus eos plangunt, id est, speciales missas numero tot dierum celebrant Quidam vero tertiam diem maximè celebrant pro spiritu, anima, & corpore: alij septimam, propter septimam quietis, ad quam transire, mortuos deprecantur.*

Dub. 4. Ad illa verba, Genes. 50. vers. 10. *Veneruntque ad aream Atad quæsita est trans Iordanem, vbi celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi, impleuerunt septem dies.* Cur in Atad tanto luctu planxerunt Iacob omnes senes domus Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Ægypti, cum tota domo Ioseph?

In funere excellentis viri, non tam mors eius plangenda, quàm indigentia populi ex eius morte.

Respondetur. Quod in Atad populus Israel murmurauit aduersus Deum, & multi de multitudine Diuino igne consumpti sunt, vt patet *Numeror.* 16. Vnde in illo planctu non tam fleuerunt Iacobum, quàm iacturam populi futurã mortuo Iacobo: hinc in Atad impleuerunt septem dies planctus super Iacobum mortuum, imo fleuerunt ruinam populi futuram deficiente Iacob. In funere enim excellentis viri, non tam mors eius plangenda est, quàm indigentia populi ex eius morte. Hugo Cardinalis: *Maioris significationis causa factum est hoc: in loco enim qui Atad dicitur, postea multitudo filiorum Israel murmurans contra Deum Diuino igne consumpta est. Tanto ergo luctu, non tam mors Iacob, quàm ruina populi futura lugebatur.*

Dub. 5. Ad illa verba, Genes. 50. vers. 2. *Præcepitque seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem.* Maluenda ait,

ait, quod non male hic quidam reddunt generali voce *balsamare*, vt comprehendat ne dum balsamum, sed alia quęuis aromata condiendis & conseruandis corporibus apta. Cur corpus Iacob infertum aromatibus? An quia ritus Ægyptiorum erat condire cadauera? Sed cur myrrha, & aloe?

Boni cum ea integritate moriuntur, qua vixerũt, & sui nominis famam relinquunt.

Respondetur. Quod myrrha, & aloe significant mortificationem per quam boni adhuc in morte in se ipsis Deum conseruat sine corruptione peccati; odor vero aromatum, odorem bonæ famæ figurat. Medici ergo Ioseph corpus Iacobi aromatibus infarciuntur, vt intelligatur Iacobum adhuc in morte conseruasse in se ipso Deum magna cum puritate absque peccati corruptione, simulque odoriferis aromatibus condierunt, vt significaret, quod suæ virtutis magnam posteris relinquebat famam. Boni enim cum ea integritate moriuntur, ac vixerunt vt sui nominis famam reliquant. D. Thomas 3. p. q. 51 art 2. ad 2. *Erat istius gentis consuetudo, vt mortuorum corpora aromatibus condirentur vt diutius seruarentur illæsa. Vnde in 5. lib. de Doctrina Christi, cap. 12. ait D. Augustinus. Quod in omnibus talibus non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est, & postea subdit, quod in alijs personis flagitium est, in Diuina vero prophetica persona maximè cuiusdam rei signum est. Myrrha enim, & aloes propter sui amaritudinem significat pœnitentiam, per quam aliquis in se ipso Christum conseruat absque corruptione peccati, odor autem aromatum significat bonam famam.*

Dub. 6. Ad illa verba, Genes. 50. vers. 25. *Conditus aromatibus.* Cur Ægyptij tam honorifice sepelierunt Ioseph tot conditum aromatibus?

Amor erga amicos in sepeliendo eos agnoscitur.

Respondetur. Quod in morte amicorum cognoscitur noster amor erga amicos. Hinc Ægyptij corpus Ioseph medicaminibus præseruarunt, honorificeque sepelierunt, vt suum erga Ioseph tenerum affectum ostenderent. Amor enim erga amicos in sepeliendo eos cognoscitur. Abulensis: *Adhuc in morte Ioseph manebat tenera affectio Ægyptiorum ad eum. Ideo honorauerunt eum valde tumulantes honorifice, & condientes aromatibus.*

Dub. 7. Ad illa verba, Iosue 1. vers. 1. *Mortuus est Moyses seruus meus.* Cur dicit Dominus, quod Moyses mortuus fuit in seruitio eius? Nonne peccauit apud aquas contradictionis, *Numer.* 20. Cur ergo modo appellatur seruus Dei?

Respondetur. Quod licet Moyses aliquando peccauerit, tamen mortuus est in statu seruitutis Dei, taliter quod quidquid operabatur in morte, totum dirigebat in Dei obsequium, & seruitutem. Hinc in morte appellatur à Domino seruus Dei. Boni enim quidquid agunt in morte, in Dei obsequium ordinant, & ostendunt seruos esse Dei. Caietanus: *Aperit quod mortuus est seruus suus, hoc est, quod licet quandoque peccauerit, & peccando non fuerit seruus meus, attamen mortuus est in statu seruitutis meæ, mortuus est sic quod quidquid erat, quidquid operabatur, meum erat: seruus enim, totum quod est, Domini est.*

Boni quid quid agunt in morte in Dei obsequiũ ordinant, & ostendant seruos esse Dei.

In morte alicuius non sunt dicendi defectus, quos aliquando habuerũt, sed virtutes quibus fulgẽ in morte.

Dub. 8. A illa verba 2. Paralipomen. 21. vers. 20. *Ambulauitque non recte.* Iuxta Hebræum habetur: *Et iuit in absque desiderio.* Cur dicitur, quod Ioram mortuus est nullum relinquens desiderium sui?

Respondetur. Quod Ioram vixit ita illaudate, quod nullus doluit de sua morte, nec gemmuit in eius obitu. Hinc dicitur de illo, quod iuit in non desiderio, id est, mortuus est, nullum relinquens in Regno desiderium sui, nec aliquis fuit qui eius vitam desideraret, imo neminem pœnituit, quod moreretur. Boni post mortem in desiderio omnium sunt, mali vero nullum relinquunt sui desiderium. Maluenda: *Et iuit in non desiderio, id est, obijt nullo sui desiderio relicto, vt Latini loquuntur Hispanicus interpres: Y fuese sin dexar de si deseo, id est, murio sin que à nadie le pesasse de su muerte.*

Boni post mortem in desiderio omnium sunt, mali vero nullum relinquunt sui desiderium.

CAP. LXXIII.

De Murmuratione.

DVb. 1. Ad illa verba, Numerorum 14. vers. 23. *Non videbunt terram pro qua iuraui patribus eorum. Nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam.* An Hebræis interdictus fuerit ingressus in terram Promissam ob murmurationem: cum in hoc cap. *Vers.* 20. dicatur quod Deus dimiserat eis propter Moysem: *Dixitque Dominus: dimisi iuxta verbum tuum.* Non ergo debuit Hebræis interdici ingressus in terram ob murmurationem iam dimissam.

Non vult Dominus murmurationem impunitam manere.

Respondetur. Quod Dominus impediuit Moysem, ne oraret pro remissione peccati murmurationis, vnde solum orauit, ne totum populum deleret,

rer, quod peccantes, & detrahentes castigaret, vel non subticuit Moyses, nec forte exaudiretur Moyses, si sic orasset. Hinc ob murmurationem interdictus est Hebræis ingressus in terrã promissam, cum Moyses non orasset pro remissione totius pœnæ impeditus à Deo. Non enim vult Dominus murmurationem impunitam manere. Abul. *Fortè non petiuit hoc, quia Deus hoc à mente abstulit, vel impediuit, ne vinceret in mentem. Diffinierat enim Deus punire Israelitas eo modo, quo punitit. Vnde si Moyses petisset remitti peccatum populi quantum ad omnem pœnam, Deus non exaudisset: ne ergo esset obuius orationi eius, impediuit eum, ne sic orasset. Vnde solum orauit, ne simul Deus totum deleret populum, quod vero peccantes postea successiue puniret, vel non, subticuit, ideo dicitur dimisi secundũ verbum tuum, id est, tantum quãtum tu petuisti, & tamen qui peccauerunt, non erunt impuniti, vt patet hic.*

Non vult Dominus murmurationem impunitam

Dub. 2. Ad illa verba, Numer. 12. ver. 2. *Propter vxorem eius Æthiopissam. Num per solum Moysem loquutus est Dominus.* Notat Abulens. *Quòd non sunt ista prima verba Iurgij.* Si alia ob locutionis verba fuerunt, cur illa non refert Scriptura?

Murmurationes æstimare est puerile, & muliebre, despicere est virile.

R. Quod homo in omni materia magnus, non debet æstimare, sed despicere murmurationes pueriles, & muliebres: & illas ceu viles reputare: hinc licet Aaron, & Maria alia verba dixerint de Moyse præter ista, quibus detrahunt Moysi, tamen Scriptura ea subticuit, quia Moyses de illis tanquam parum momenti non curauit Moyses. Murmurationes æstimare est puerile, & muliebre, illas despicere forte, & virile. Abulens. *Intelligendum, quod non sunt ista prima verba Iurgij, quia alia verba Iurgij, forte non multum attinebãt nec grauabant Moysen. Ad hoc ergo solum respondet Deus, de cæteris vero, quæ forte puerilia, aut magis muliebra verba essent, Scriptura subticuit.*

Dub. 3. Ad illa verba, Numer. 13. v. 33. *Detraxeruntq; terræ, quam inspexerant apud filios Israel dicentes: Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores eius.* Cur Exploratores terræ detraxerunt ei, cum prius eam laudauerint, quod flueret lacte, & melle, *vers. 28.*

Conditio detrahentis, vt est eũ cui detrahere vult, prius commẽdet, & laudet, vt mala credantur.

R. Quod prius magnis laudibus extulerunt terram, quod flueret lacte, & melle, quod cultores fortissimos haberet, vrbes grandes, & muratas: postea vero detraxerunt ei, quod deuoraret habitatores suos: scilicet, vel quod aere noxio, & pestilenti ac graui cœlo, parum in ea viuerent homines, vel quod ita dutissima erat, ac difficillima cultura, quod in ea colenda hominum vires consumantur, vel quod ardebat intestinis, & ciuilibus bellis, ita vt se mutuis cædibus consumerent. Hoc est enim genium detrahentis, vt eum cui vult detrahere, prius laudet, vt credantur quę detrahit. Oleaster: *Vide quam ad viuum hic conditio detrahentium depingatur: solent enim huiusmodi artifices rem cui detrahere volunt commendare prius, ne fidem illis audientes præstare dedignentur, si omnia mala admixtis bonis referantur, ideo inter mala, bona inserere solent, vt facilius persuadeant vitia: sic & isti vt eis populus crederet, quod detrahere volebant, terram prius extollere à fructibus curant. Si ab eo alicuius mores quæras laudare, & multa prius in eius commendationem dicere, & postea veluti scorpionem sua cauda pungere. caue ergo vir Dei, ne te terra lactet melle manante decipiat, vt postea referat filios Henachim.*

Dub. 4. Ad illa verba, Psalm. 22. v. 4. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala.* Hugo Card. Per vmbram mortis detractores intelligit. Cur isti cõparantur vmbræ mortis? Nõ vero alij peccatores morti assimilãtur?

Detractoꝛ omnibus æqualiter detrahit, nec nulli parcit.

Respondetur. Quòd mors nulli parcit, bonos, & malos æqualiter ferit. Hinc detractores comparantur morti, quia maledicus, & obtrectator omniũ honori æqualiter detrahit. Hugo Card. *Nota, quod inter omnes peccatores, detractores propriè dicuntur vmbræ mortis quia similes sunt morti. Mors enim nulli parcit, sed omnes æqualiter ferit, sic detractores omnibus detrahunt. Vnde detractor significatur per bestiam, quæ erat similis vrso. Daniel 7. Vrsus enim habet os amplum, & multum vorax animal est. sic ipsi detractores. Et dicitur de illa bestia, quod tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius ita detractio in tribus est, quia detractor mala aperta diffamat, bonis apertis derogat, dubia male interpretatur.*

Maledicoꝛũ conditio in tribus.

Dub. 5. Ad illa verba, Psal. 119. v. 4. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs.* Iuxta Hebræum habetur: *Cum carbonibus Iuniperorum.* Cur lingua dolosa Iunipero comparatur?

Detractoꝛ verbis (vt apparent) bonis, vtit est, cui detrahit.

Resp. Quod Iuniperus oditera est, tamen huius arboris prunæ vehementer vrunt. Hinc maledici lingua verba

quasi odora suauia, & blanda profert. Tamen eis vrit, & incendit eos de quibus loquitur. Hinc lingua dolosa detractoris Iunipero assimilatur. Obtrectator enim verbis quasi odoris, & bonis amburit eos, quibus detrahit. Maluenda: *Verba similia sagittis robustis, acutis comparanda prunis Iuniperorum, id est, verba maximè læthalia, & præsentissimam mortem afferentia, adeoque obuium quidquid est, conflagrantia comparanda prunis Iuniperorum, quæ dicuntur esse ardentissimæ, & viuacissimæ. Sed quid si ad similitudinem doli accomodes? Quasi dicat: odora sunt in speciem verba tua, prout est odora Iuniperus, sed non eo minus vrunt, quin potius eo magis fallunt imprudentem.*

Lingua dolosa, & detractoria pœnas æternas loco præmis reportabit.

2. R. Quod per sagittas intelligantur celeritas pœnarum (Interprete Theodoreto) per carbones Iuniperorum æternitas pœnarum, nam huius arboris prunæ accerrimè vrunt, & diutissime igniunt, ac proinde inferni flammam representat: has ergo pœnas æternas lingua dolosa, & contumeliosa reportabit loco præmij. D. Hieron. Epist. 127. ad Fabiolam apud Maluen. *Ferunt autem lignum hoc ignem multo tempore conseruare, ita vt si prunæ ex eius cinere fuerint opertæ vsque ad annum perueniant.* Pro Murmuratione vide *Defectus, Lingua.*

N

CAP. LXXIIII.

De Necessitate.

Exaudit Deus eum, qui in necessitate ad eum recurrit.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 21. vers. 17. *Exaudiuit autem Deus vocem pueri.* Cur Ismael dicitur exauditus à Domino; & non mater, cum etiam querula voce fleuit?

Respondetur. Quod Ismael siti afflictus, & tanquam exanimis, confugit ad Deum. Agar verò mater Ismaelis ad Deum non inuolauit in illa necessitate, & defectu aquæ, quem patiebatur. Hinc Ismael non mater eius, exauditus est à Deo. Exaudit enim Deus eum, qui in necessitate ad Deum recurrit. Caietanus: *Non sola mater querula voce fleuit, sed etiam puer sub arbore iacens. Imò quod puer vocem suam direxerit ad Deum, mater autem ad mortem filij imminentem. Non enim dicitur, quod exaudiuit Deus vocem matris, sed vocem pueri.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exod. 17. vers. 1. *Castrametati sunt in Raphidim, vbi non erat aqua ad biuendum populo.* Cur Dominus eduxit Israelitas per talem viam, vbi paterentur tot defectus cibi, & potus?

Vult Deus hominem multoties pati necessitatem, vt multoties ad Deum recurrat.

Respondetur. Quod Deus volebat Israelitas ad eum sicut in vnicam aram, & asylum recurrere. Hinc duxit eos per viam, vbi erat defectus cibi, & potus, vt in necessitate quotidie posti, quotidie ad Deum confugerent. Vult enim Deus hominem multoties pati necessitatem, vt multoties ad Deum recurrat. Lyranus: *Dicendum quod hoc fuit, vt ex frequenti necessitate oporteret eos recurrere ad Dominum.*

Dub. 3. Ad illa verba, Numerorum 22. vers. 4. *Ipse erat eo tempore Rex in Moab.* Cur dicitur, quod Balach tunc erat Rex Moabitarum. Cum Numer. 21. vers. 26. Dicatur, quod Rex Ammorrhæorum terram Moabitarum obtinuit bello: *Et tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat vsque Arnon.* Non ergo Balach tunc erat Rex Moabitarum, sed Seon Rex Ammorrhæorum.

Homo valde colit eum, cuius ope in necessitate egit.

Respondetur. Quod Moabitæ fugerunt de prælio Seon Regis Amorrhæorum, & aduolarunt ad Balach, vt eos tueretur, & iuuaret contra Regem Ammorrhæorum, vel contra filios Israel, à quibus sibi metuebant. Hinc tanquam Regi subiecerunt se Balach, quamuis non esset Rex, & vt Regem eum colebant, & venerabantur, cum eius auxilio indigerent. Homo enim valde colit eum, cuius ope in necessitate eget. Lyranus: *Per hoc enim quod dicitur eo tempore, designatur, quod non erat Rex naturalis, vel ex progenie illius terræ, sed ex accidenti, forte quia Moabitæ fugentes de prælio Seon subiecerant seipsi Balach reddendi ei tributum, vt iuuaret eos contra Seon, vel contra filios Israel, à quibus timebant.*

Dub. 4. Ad illa verba, Deuteronomij 23. vers. 4. *Quia noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua in via, quando egressi estis ex Ægypto.* Iuxta Hebræum habetur: *Super re, quia non præuenerunt vos in pane, & in aquis in via in exitu vestro de Ægypto* Cur dicit Moyses, quod Moabitæ non dederunt Hebræis

alie-

alimenta cibi, & potus, quando ingressi sunt de Ægypto. Cum *Deuteronom. 2. vers. 28. Quod Israel misit Nuntios ad Sehon Regem Hesebon dicens: Alimenta pretio vende nobis vt vescamur, aqua pecunia tribue, & sic bibemus, tantum vt nobis concedas transitum.* Ergo Moabitæ dederunt Hebræis alimenta, quando egressi sunt de Ægypto.

Culpabiles sunt, qui nō opportunè, sed cum difficultate, & tarde in necessitate occurrunt.

R. Quod Moabitæ vendiderunt Hebræis alimenta cum egressi sunt de Ægypto, vt patet *Deuteronom. 2.* Sed in hac venditione multæ interuenerunt difficultates, tarde vendiderunt cibaria Hebræis, cum eis indigerent in illa necessitate constituti. Hinc Moabitæ culpabiles dicuntur, quia sero, & cum difficultate occurrerunt eis cum pane, aqua in via. Culpabiles enim sunt, qui non opportunè, sed cum mora, & difficultate in necessitate occurrūt. Cajet. *Modus culpatur in hoc loco dicendo, super re, qua non præuenerunt, ita quod in 2. cap. Deuteronom. narratur res tanē eam gesta, videlicet, quod Moabitæ vendiderunt eis alimenta: hinc autem narratur, quod cum difficultate, & tarde hoc fecerunt dicendo, super re qua non præuenerunt. Insinuatur enim per hoc, multas interfessisse difficultates, tardamque fuisse venditionem alimentorum, retardando eos abitinere ob huiusmodi difficultates.*

Dub. 5. Ad illa verba, Iosue 1. vers. 11. *Præparate vobis cibaria post tertium diem transibitis Iordanem.* Cur transituris Israelitis Iordanem præcepit Deus Iosue, vt tribus diebus expectarent ad transeundum? Quæ fuit causa horum trium dierum detentionis?

Necessitatibus nostris differt Deus succurrere, vt liberati, gratias agamus.

Respondetur. Quod sæpè Deus reliquit nos in nostris necessitatibus fluctuare differens nobis subuenire, vt ad talem angustiam deueniamus, quod dubitare non possimus auxilium non fuisse humanum, sed solum Diuinum, & ideo illi soli liberationem, & remedium de tali periculo esse attribuendum, ipsique soli gratias exhibendas esse. Hinc fecit Deus expectare Israelitas vsque ad tertium diem, vt transirent Iordanem, cum tunc Iordanis impleret ripas aluei sui ex resolutione niuium, quæ descendebant de Libano, & illis tribus diebus cum transitus esset difficilis, cognoscerent Israelitæ, quod à solo Deo succurrebatur eis, & illi soli debere gratias exhibere. Necessitatibus enim nostris differt Deus succurrere, vt quando ab illis liberamur, illi soli gratias esse tribuendas. Abuient. *Alia causa videtur, & magis ad intentionem Dei, quare expectare fecit istis tribus diebus & pluribus alijs transitum Iordanis, scilicet vt haberet locum transitus miraculosus: nam poterant Israelitæ transire alijs temporibus per vada Iordanis, sicut postea sæpè faciebant tam ipsi, quàm aliæ gentes. Iudic. 3. & 8. Et non voluit Deus, quod illo tempore transirent, quia non esset miraculum, sed expectauit tempus necessarium, vt necessarium esset miraculum: nam in omnibus temporibus habebat Iordanis aliqua vada nisi tempore messis, quando implebat ripas aluei sui, & hoc modico tempore durabat, nam solùm illo tempore fiebat, vt patet Eccles. 24. Et causa momentanea erat, id est, pauci temporis; scilicet, resolutio niuium de monte Libano, quia in monte Libano semper sunt niues. Ieremiæ 18. Et in tempore messis resoluuntur, & implent Iordanem, in quem influunt, quia Iordanis oritur ad radices Libani, & quia resolutio aquarum ex niuibus fit subdito, durat illa impletio Iordanis paucis diebus. Et hoc notauit littera infrà cap. 3. scilicet, Iordanis ripas aluei sui tempore messis impleuerat, quasi dicat: si non fuisset istud tempus in quo Iordanis solet implere ripas sui aluei, non fuisset necessè fieri miraculum ad transeundum.*

Dub. 6. Ad illa verba, Ruth. 1. ver. 6. *Quod respexisset Dominus populum suū.* Quidam legunt: *Quia requisiuit Iehoua populum suum.* Hebræus habet: *Quia visitauit Iehouah populum suum.* Cur dicit Elimelech, quod Dominus respexit populum suum, seu visitauit, requisiuit, scilicet, quod dedit Moabitis escas?

Optimi Principis est, requirere in necessitate constitutos, vt leuet.

Respond. Quod cum terra Moab fame præmeretur, Deus respexit illam, famen leuauit, fructusque terræ dedit. Hinc hic respectus Dei, visitatio, & requisitio eius dicitur. Ad hoc enim respiciunt oculi Dei, vt necessitate pressos requirat, & leuet. Optimi Principis est requirere in necessitate positos, vt leuet. Maluenda Hebr. *Quia visitauit Iehoua populum suum, in bonum hic verbum visitandi sumitur, id est, quod famen leuasset, benignè, ac largiter prouentum terræ, & annonam dedisset, vt statim se exponit. Quidam: quia requisiuit Iehoua populum suum.*

Dub. 7. Ad illa verba, 1. Reg. 10. v. 4. *Dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.* Cur illi tres viri solùm de panibus, nihil autem de hædis, aut de vino contulerunt Sauli, cum

vnus portaret tres hædos, & alius lagenam vini?

Qui in necessitate positus, experrus est inopiam, sciet qualiter in necessitate constitutis debeat subuenire,

R. Quod Saul tractabatur more pauperum, quibus solitum est solum panē erogari, vt Saul in Regē sublimatus, benevole se gereret erga pauperes. Hinc illi viri solum panem dederunt Sauli, nec hædos, nec vinum dederunt, vt qui per experientiam nouit quid esset in paupertate degere vitam, sciret etiam pauperibus in necessitate subuenire. Qui enim passus est in necessitate inopiam, sciet in necessitate positis succurrere. Mendoça: *Adde solius panis stipem esse tenuorem, & pauperibus, & frequentius erogari solitam: debuisse autem Saulem more pauperum tractari, vt Rex factus benevole, tractandis, curandisq; pauperibus diligentius prouideret.*

CAP. LXXV.

De Nobilitate.

DVb. 1. Ad illa verba, Leuit. 4. v. 23 *Offeret hostia Domino hircum de capris immaculatum.* Septuaginta habent: Hircum *chimaron.* Cur Princeps pro peccato debuit offerre hircum, seu chimaron, seu chimarum.

Nobiles grauius peccant quam priuatæ personæ, & peccatum eorum magis fœtet.

R. Quod hircus caprarum, seu chimarus fœtidum odorem de se emittit, & significat Principem, seu Nobilem virum, cuius peccatū plus fœtet, quam priuatæ personæ. Hinc iubetur offerre hircum, seu chimarum caprarum cum similis sit hirco: peccata enim nobiliū magis fœtent, quàm alteris priuatæ personæ. Hugo Card. *Hircum quia similis ei in hoc est, quia Princeps est caprarū. Nota vbi nos habemus hircum, Septuaginta habent chimaron, quod est nomen Græcum: latinè verò chimarus Chimara sunt fœtus caprarum grandiusculi, qui in hyeme nascuntur. Pariunt enim capræ bis in illa Regione, sicut in Mesopotamia in hyeme, scilicet, & æstate. Chimaron ergo offert Princeps pro peccato suo, quia grauius peccat quam priuata persona, vnde ei olidum, & fœtidum animal offerri præcipitur, cuius peccatum magis fœtet.*

Dub. 2. Ad illa verba, Gen. 37. ver. 2 *Accusauitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Notat *Caietan.* Quod Ioseph non omnes fratres accusauit de crimine pessimo, sed solos filios ancillarum; scilicet, Balæ, & Zelphæ. Cur Ioseph potius filios ancillarum, quam alios accusauit?

Nobilitas à vitijs retrahit, ignobilitas ad vitia trahit.

R. Quod filij ancillarum erant genere ignobiliores, ac proinde ad vitia audatiores. Hinc solos filios ancillarū Belæ; scilicet, & Zelphæ accusauit de crimine pessimo, non alios fratres, qui tali crimine non erant infecti, vtpote genere illustriores ex parte matrum: splendor enim generis à vitijs retrahit, sicut ignobilitas ad vitia inclinat. Mendoç. *Ratio vna est, quia illi tantum erant eo crimine pessimo infecti: sicut enim erant genere deteriores, ita & ad crimina pessima patranda audaciores: nam vt claritas generis à vitijs retrahit, ita obscuritas ad vitia impellit.*

Dub. 3. Ad illa verba, Numer. 25. v. 4. *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis.* Cur Dominus iubet Principes suspendi, & non alios de populo, cum populus fornicatus fuerit etiam cum Madianitis?

Peccata nobilium, & illustrium virorum, durius debent vindicari.

R. Quod licet populus turpi libidine cum Madianitis fuerit fœdatus, sicut & Principes populi: tamen iubet Dominus solos Principes in patibulis suspendi: cum enim isti essent clariores, durius puniuntur, quam populus de cuius vltione tacuit textus. Peccata enim nobilium, & illustrium virorum sæuerius debent vlcisci. D. Petr. Dam. *Dominus cum omnis Israelitica plebs non dispari crimine teneretur obnoxia, de populo quidem tacuit, aduersus autem solos Principes in furorem se dignæ animaduersionis erexit, quia reatus adulterij in personis clarioribus debet durius vindicari.*

Dub. 4. Ad illa verba, Deuteronom. 1. vers. 15. *Nobiles.* Cur Moyses inter conditiones, quas requirit in viris, quos præcipit Israelitis eligere, vt iuuent eum in regimine populi, vna est, quod sint nobiles?

Nobiles ad maiora tenē tur, quàm plebei.

R. Quod sanguinis nobilitas inducit obligationem in habentibus eam, Deo vigilantius inseruiendi, præcepta eius obseruandi, maiorum gloriosa vestigia sequendi. Hinc præcipit Moyses, quòd Israelitæ eligant viros nobiles, vt adiuuent in regimine populi. Nobiles enim ad maiora tenentur, quàm plebei. Abulen. *Primò, quia magis noti sunt mores nobilium, quàm ignobilium, quia propter generis altitudinem famosiores sunt. Item quia nobilitas quandam necessitatem videtur imponere hominibus vt strenuos mores sui generis insequantur: sic enim ait Boetius de consol. lib. 3. prosa 5. Et videtur namque esse nobilitas quædam de meritis venientis laus parentum, & postea concludit, quod si quid in nobilitate bonum est, id arbitramur esse solum, vt imposita nobilibus necessitudo videatur, ne a maiorum virtu-*

Nobilium mores magis noti.

Nobilis à maiorum virtute, non degeneret.

Facilius toleratur nobilis in regimine, quam plebeius.

Nobiles inter alios debent eminere virtute.

Nobilium munus est populum vnire, in pace, & cõcordia coniungere.

te degenerent. Item quia facilius homines tolerant aliquem nobilem generis eis dominari, quam aliquem plebeium, & maiori reuerentia tenentur, quod requiritur in Principatu: nihil enim Princeps prodest, quem subditi non verentur, etiam quia cum homines paruæ conditionis, magnæ multitudini dominantur, aliqui animosi eius dominatui se subijci non ferentes, dissensiones faciunt, & plerumque vrbium dessidia, & legum violatio causatur, nisi ille qui paruæ conditionis est, ita virtute excellat, vt omnibus de politia, de eius bonitate complaceat, quod rarissimum valde est.

Dub. 5. Ad illa verba, Iudic. 20. v. 2. *Omnesque anguli populorum, & cunctæ Tribus Israel in Ecclesiam populi Dei conuenerunt.* Anguli populorum dicuntur Principes, & nobiles populi. Cur nobiles angulis comparantur, & non lapidibus quibus struitur paries?

Resp. Quod anguli in ædificijs sunt præpoliti, speciosi maiores, & meliores lapides, qui inter alios eminent, & præstant. Hinc Principes angulis assimilantur propter virtutem, qua præ cæteris debent pollere. Nobiles enim inter alios debent virtute eminere. Maluenda: *Quia in angulis ponuntur maiores, & meliores lapides, qui duos parietes coniungant, sustententque ædificium: atque etiam pinnæ sunt ædificiorum fastigia, & ornamenta, inde hoc nomen figurate transumitur, pro Principibus, primoribus, magnatibus, proceribus populi, qui sunt ceu anguli, pinnæ & fastigia humanorum cœtuum, qui populum regunt, & sustinent, ac inter cæteros eminent, vt fastigia, & ornamenta populi.*

2. Resp. Quod anguli in ædificijs duos parietes coniungunt. Recte ergo nobiles anguli dicuntur populorum, quia eorũ munus est plebem in vnum, in pacem, & concordiam coniungere. Hugo Card. *Anguli populorum, id est, Principes, qui coniungunt populum in vnum sicut anguli parietes, similiter accipitur. Sophon. 1. Dies tubæ. & clangoris super Ciuitates munitas, & super angulos excelsos id est, Principes.*

Dub. 6. Ad illa verba, Iob 1. vers. 3. *Eratque vir ille magnus inter omnes orientales.* Cur dicitur magnus præ omnibus Regibus, & Principibus orientis? An magnitudine potentiæ, & opum? Notat *Origines in Gloss.* Iobum fuisse de genere optimo, non ex Esau, neque ex posteritate Edon? Quod nam fuit genus optimum ratione, cuius dicitur magnus?

R. Quod Iob magnus fuit sanctitate, iustitia, pietate, fide, misericordia, cultu Dei, vero animo, corde puro, bonis cogitationibus. Hinc dicitur esse de genere optimo, non de clara stirpe Esau, sed de illustri ornamento virtutum. Vera enim nobilitas ex virtute magis quam ex stemmate pensanda est. Lyranus: *Erat valde famosus propter bonitatem suam, & virtutem.* Vnde Seneca Epist. 44. *Non facit nobile n atrium plenum fumosis imaginibus, animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione supra fortunam licet surgere.* Et Philo Hebræus lib. de Nobilitate: *Quo magis liqueret nobilitatem nihil prodesse indignis hac prærogatiua generis, quia mali è bonis prognati nihil adiuti sunt paternis virtutibus quod ipsorum anima sit multimodis oblæsa vitijs.* Vide in Indice *Nobilitas.*

Vera nobilitas venanda est ex virtute, non ex generis claritate.

CAP. LXXVI.

De Nomine.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 1. v. 5. *Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem.* A quo dies dicitur, à quoque nox appellatur?

R. Quod dies claritatem trahit, nox vero nocumentum importat, quia nocet oculis, ne videant. Hinc dies à claritate dicitur, nox vero à nocumento. Boni enim à vtilitate quam adferunt nomen sibi adsciscunt, mali autem à damno, quod inferunt nomen sibi acquirunt. Petrus Comestor in Historia Scholast. c. 3. *Appellauit lucem diem à Dyam Græco, quod est claritas sicut lux dicitur, quia luit, id est, purgat tenebras: tenebras dixit noctem à nocendo, quia nocet oculis, ne videant, sicut tenebræ quia tenent oculos, ne videant.*

Boni ab vtilitate quam adferunt, mali à damno, quod inferũt nomen sibi accipiunt.

Dub. 2. Ad illa verba Exodi 3. ver. 2. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis.* Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit visus Angelus.* Cur dicitur, quod Angelus visus est Moysi in rubo, cum Dominus apparuerit ei in flamma ignis?

R. Quod Angelus loquebatur Moysi in persona Dei: aliquando appellatur Dominus, aliquando vero Angelus. Minister enim Principis à Principe, quem representat, nomen sortitur. Lyranus: *Angelus ille apparebat, & loquebatur in persona Dei, & ideo aliquando Angelus, aliquando Dominus nominatur, secundum quod dicit D. Gregorius sicut Isaiæ 6. Angelus qui purgauit labia Isaiæ cum calculo ardenti vocatur Seraphim, ratione inflammationis, licet non esset de ordine Seraphico.*

Minister Principis à Principe, quem representat, nomen sortitur.

Iustus ab operibus nominantur.

Dub 3. Ad illa verba, Numer. 13. vers. 17. *Vocauitque Osee filium Num Iosue.* Alij legunt: *Et vocauerat Moseh Osee filium Num Iosue.* Cur Moyses vocauit Osee, Iosue? Cur hoc nomen ei inditum antea, & post?

Homo illustris á glorio sis operibus nomen sibi acquirit.

Respondetur. Quod licet Osee nominatus fuerit ante hanc legationem *Iosue*, modo idem nomen ei imponitur à Moyse. Cum enim hoc nomen *Iosue* significet salutem, & Iosue salutaris fuerit populo in prælio contra Amalecitas, à salute, & operibus, quæ fecit antea, & post Iosue appellatur, id est, salutaris, seu seruator. Homo illustris à glorioſis facinoribus nomen sibi acquirit. Maluenda: *Hebræorum nonnulli non hic primum Moysem ipsi Iosue nomen commuta sse existimant, sed tunc antea quando delectus Imperator aduersus Amalecitas eos concidit, & salutem populo attulit, Exod. 17. vers. 9. Sic Antiochus Assyriæ Rex soter, id est, seruator est dictus a victoria de Galatis. Constat à salute nomen dictum, & recte ei ab euentu nomẽ impositum, quod Dux, & Imperator populi, ipsum in terra promissit introduxit, typus verus Æterni Filij Dei Iesu Christi generis humani Assertoris & Monarchæ qui nos seruauit, atque in cœlum introduxit, atque vtrique idem omnino nomen Iehosuagh, vel Iesuagh.* Hic ratione, Angelus noluit indicare Iacobo quo nomine vocaretur, quia nomina sortiuntur multi ex operibus, quæ faciunt, & dum facinora addunt, diuersa nomina acquirunt: vnde cum Angelus diuersa opera facturus esset erga Iacobum, inde suum nomen indicare noluit. Nomina enim varia habet quis propter diuersa opera quæ facit. Abulens. in cap. 13. Iudic. *Quia sæpe facturus erat aliqua opera Iacob, ex quibus diuersa nomina sortiri deberet, noluit aliquod sibi nomen imponere, ne illud solum habere putaretur.*

Nomina varia habet quis propter diuersa opera quæ facit.

2. Respondetur. Quod Moyses nomen Iosue iam inditum Osee, commemorat cum eum præficit reliquis Principibus, vt intelligat Osee, quod in illa præfectura ratione nominis Iosue, quod salutem sonat, tenetur, & obligatur esse vtilem populo. Nomen enim impositum obstringit hominem ad agenda negotia illustria. Caietanus: *Narratur autem hic nomen Iosue, quia præpositus fuit a Moyse reliquis Principibus, vtpote qui fuerat Dux in prælio contra Amalecitas, & quia tunc salutaris fuit Dux, ideo nomen, quod ei tunc forte impositum fuit, commemoratur, vt salutaris proficiscatur alijs præfectus.*

Nomen impositum obstringit hominem ad salutariter, & fructuose agenda negotia illustria.

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 15. vers. 17. *Cæpitque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb.* Cur Caleb dicitur frater Cenez: cum *Iosue 13. vers. 6.* Caleb vocetur: *Filius Iephone Cenezeus.* Ergo Cenez non fuit frater Caleb, sed pater.

Respondetur. Quod Iephone pater Caleb habuit duo nomina, dictusque est Cenez, & Iephone, vel tria habuit nempè Iephone, Cenez, Esthon. Hinc vere Caleb vocatur filius Iephone, Cenez, cum iste fuerit binomius, vel trinomius. Viri enim illustres non vno nomine, sed multis exprimunt suam dignitatem. Hugo Cardinalis: *Forte Iephone pater Caleb binomius fuit, & dictus est Cenez & Iephone, vel etiam trinomius: dictus est enim Esthon, vt dicit D. Heronymus in quadam Epistola.*

Viri illustres multis nomi nibus gaudent, vt explicent suam dignitatem.

Dub. 5. Ad illa verba, 1. Paralipom. 2. ver. 17. *Abigail autem genuit Amasa, cuius pater fuit Iether Ismaelites.* Cur Iether Ismaelita dicitur pater Amasæ, cum 2. *Regum 17. vers. 25.* Dicatur filius Ietra de Israeli, qui ingressus est ad Abigail, non ergo Iether, sed Ietra fuit pater Amasæ: at si Ietra, & Iether nomina sunt duo eiusdem persona; cur Ietra dictus est Iether?

Respondetur. Quod pater Amasæ dictus est Iether, & Ietra; Iether quidem Ismaelites, quia malus fuit, postea dictus est Ietra, quod interpretatur *residuum*, & Israelita, quia factus est bonus, & in melius mores mutauit: Homo enim secundum mores bonos, vel malos, & vitæ statum nomen sibi accipiat. Hugo Cardin. *Dicit D. Hieronymus in gloſſa, quod diuersitatem nominum facit diuersitas meritorum. Pater Amasæ primo dicebatur Iether, quod interpretatur modicum residuum, & Ismaelites, vel quia malus, vel quia de Ismaelitis erat: postea dictus est Ietra, quod interpretatur residuum, & Israelita, quia factus est bonus, & proselytus. Vnde D. Hieronymus Iether interpretatur modicum residuum, Ietra residuum, residuo tungitur Israelitis, modico residuo Ismaelitis.*

Homo secundum mores bonos, & malos, & statum vitæ, nomen debet sibi accipere.

Dub. 6. Ad illa verba, Lucæ 7. vers. 37. *Ecce mulier quæ erat in Ciuitate peccatrix.* Cur D. Lucas tacet nomen mulieris. D. vero Ioannes commemorat *Ioann. 12.*

Peccator indignus est, quod nominetur.

Respondetur. Quod D. Lucas agit de ea, vt peccatrice. D. vero Ioannes quatenus iam in statu gratiæ prouecta.

Hinc

Hinc D. Lucas tacet nomen mulieris, quod D. Ioannes describit. Peccator enim indignus est, quod nominetur. Hugo Cardinalis: *Vide quod non nominatur hic, quia in peccato erat adhuc, sicut Lucæ 16. non nominatur dives: sed in statu gratiæ iam proiecta nominatur. Ioann. 11. & 12.* Vide in Indice *Nomen.*

O

CAP. LXXVII.

De Obedientia.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 22. v. 1. *Tolle filium tuum vnigenitum quem dilegis Isaac, & offert eum ibi in holocaustum.* Iuxta Hebræum habetur: *Quem dilexisti Isaac.* Cur Dominus posuit has conditiones filium tuum, vnicum tuum, quem dilexisti, cum iubet offerre filium in holocaustum?

Vera obediẽtia in difficilibus quæ iubeotur, manifestatur.

Respondetur. Quod Abrahamum poterat retardare ab obedientia Dei, quod Isaac quẽ offerre præcepit in holocaustum, erat filius vnicus, quod eum valde dilexerat. Hinc non obstantibus his propositis difficultatibus, iubet offerre filium vnicum, & dilectum, vt eius experiatur obedientiam. Vera enim obedientia in difficilibus, quæ iubentur, manifestatur. Caietanus: *Collige conditiones tres præter nomen proprium Isaac, primam à natura, filium tuum, secundam ab electione Diuina vnicum tuum, tertiam à vehementia amoris, quem dilexisti: ac si apertius dixisset. Non obstantibus his omnibus fac, quod præcipio.*

Dub. 2. Ad illa verba, Leuitici 1. v. 9. *Adolebitque ea Sacerdos super altare in holocaustum suauem odorem Domini.* Cur illa sacrificia suauia erant Domino: cum Isaiæ 1. dicatur: *Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanginem vitulorum, & hircorum nolui. Et Ieremiæ 7. Non præcipi patribus vestris de verbo holocaustomatum. Item Amos 5. Odi, & proieci festiuitates vestras, & non capiam odorem cœtum vestrorum.* Non ergo illa sacrificia odora erant Domino, neque ei placebant.

Opus factum ex obedientia valde acceptum est Deo.

Respondetur. Quod licet res oblata non esset iucunda, nec accepta Deo, tamen placebat ei ex obedientia offerentis. Hinc cum eas adolebat Sacerdos super altare in holocaustum suaui odoris erant Deo: opus enim factum ex obedientia, valde placet Deo. Lyranus: *Non intelligendum, quod odor inde progrediens esset suauis, seu acceptus Domino ex re oblata, sed ex obedientia & fide offerentium, in quantum illa sacrificia figurabant Christum pro salute humani generis immolandum.*

Dub. 3. Ad illa verba, Numeror. 31. vers. 3. *Statimque Moyses armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionem Domini de Madianitis.* Cur Moyses accelerat se ad bellum? Nonne Dominus dixit ei vers. 1. & 2. *Vleiscere prius filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum.* Si enim post vltionem de Madianitis moriturus erat Moyses, cur accelerat bellum, simul cum acceleratione mortis?

Perfectus obẽdiens prius eliget mortem quam in obedientiã.

Respondetur. Quod verus obediens magis cupit obedire, quam viuere, & ita positis in medio inobedientia, & morte eliget mortem, quàm in obedientiam. Hinc Moyses, cum præcipitur à Domino, quod priusquam colligatur ad populum suum, vindictam sumat de Madianitis, statim armauit viros ad pugnam, licet mortem sibi acceleraret, & non solùm mortem, sed etiam accelerationem voluit, antequam nec per vnum instans deficeret obedientiæ: verus enim obediens potius eliget mortem, quàm inobedientiam. Abulens. *Statim, id est, immediatè post præceptum Domini Moyses fecit quod sequetur, scilicet, disposuit viros ad bellum. In quo apparet verus amor subditorum & perfectio maxima pastoris: magis enim populi salutem, quam propriam diligebat, quia mors sua delectabatur vsque ad consumationem illius belli: si autem salutem suam nimis dilexisset dilataisset illam pugnam, vt diutius veneret.*

Dub. 4. Ad illa verba, Numeror. 9. vers. 18. *Cunctis diebus, quibus stabat nubes super Tabernaculum, manebant in eodem loco.* Cur Israelitæ ad terram promissionis non tendebant licet staret nubes?

Vera obediẽtia illa est, quæ nec facit, quod nõ præcipitur, nec quod præcipitur, omittit.

Respondetur. Quod verus obediens ille est, qui nec facit, quod illi non præcipitur, nec aliquid, quod sit præceptum omittit. Hinc filij Israel sequentes nubem in deserto stabant stante nube, ambulabant ambulante nube. Nubes ducens subditos ad veram promissionis terram, est obedientia, & voluntas Prælati, si hæc stat, quia nihil præcipit stet subditus, & nihil operetur, si illa mouetur præcipiendo, moueatur subditus

ditus faciendo, quod ille imperat. Verus obediens ille est, qui nec facit, quod illi non præcipitur, nec quod præcipitur, omittit. Abulens. *Istud erat signum Israelitis ad manendum, scilicet, statio nubis: Ideo si valde magno tempore stetisset, ipsi quoque manebant, quia non habebant alium directorem, & si pauco tempore, eodem modo immediate recedebant.*

Dub. 5. Ad illa verba, Numerorum 20. vers. 11. *Cumque elevasset Moyses manum percutiens virga bis silicem egressæ sunt aquæ largissimæ.* Cur ad primam silicis percussionem non sunt egressæ aquæ? Cur iterata percussione opus fuit? Quare facta est tantula miraculi dilatatio?

Propter inobedientiam vnius, Deus multis dilatat sua beneficia.

Respondetur. Quod Dominus præceperat Moysi, quod loqueretur ad petram coram populo, vt daret illa aquam, qua educta biberet omnis multitudo, & iumenta: Moyses vero inobediens fuit Deo, nec loquutus est ad petram, sed iterum atque iterum percussit silicem. Hinc tantula mora intercessit, vsque ad secundam, scilicet, percussionem, vt petra largiter daret aquas populo bibituro. Propter inobedientiam enim vnius, multis dilatat Deus sua beneficia. Maluenda: *Obseruant fuisse inobsequens factum, nam à mandato discedunt, cum petram alloqui iussit versu 8. eam non alloquuntur, sed percutiunt, quod eis mandatum non fuerat, & quidem iterato percutiunt. Atque Deus satis facto ostendit sibi animum Moysis, & Aaron displicuisse, cum non ad primum ictum aquæ eruperint.*

Dub. 6. Ad illa verba 1. Reg. 16. vers. 11. *Nec enim discumbemus prius quam huc ille veniat.* Cur Samuel tam festinanter volebat quod Dauid veniret, vt vngeretur in Regem? Cur noluit ad conuiuium sedere prius quam vngeret Dauidem?

Verus obediens commodo proprio anteponit obedientiam.

Respondetur. Quod Samuel volebat exequi diuinum mandatum de vngendo Dauide in Regem cito, & festinanter, nullaque interposita mora. Hinc noluit considere ad mensam cum commensalibus, vsque quo re ipsa vnctionem præstaret, & perficeret. Verus enim obediens commodo proprio anteponit obedientiam. Abulens. *Respondendum quod sollicitus erat circa mandatum Domini explendum, & in hoc erat sibi cibus, & potus, ita vt interdum non curaret de cibis, vt expleret mandatum Dei: Ista est enim conditio virorum habentium zelum Dei. Samuel autem erat vir valde zelans pro Deo, ideo desiderabat explere mandatum istud velociter.*

Dub. 7. Ad illa verba, 1. Reg. 13. *Dixitque Samuel ad Saul: Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi.* Cur Samuel reprehendit Saulem, quod non custodierit mandata Dei, scilicet, quod expectaret Samuelem septem diebus in Galgalam, donec Samuel veniret ad eum, vt patet 1. *Reg.* 10. *ver.* 8. Cum Saul expectasset septem diebus Samuelem, vt ipse fatetur hic *vers.* 11. *Tu non veneras iuxta placitos dies.* Non ergo Samuel bene arguit Saul, quod violauerit mandatum Dei.

Graue reprehensione dignus, qui in re obedientiæ in aliquo, vel minimo deliquit.

Respondetur. Quod Saul expectauit quidem septem diebus Samuelem, vt facto holocausto consuleret eum circa bellum in eundum, non tamen expectauit septimum diem integrum, quod si per duas horas septimi diei amplius expectasset, non offerret holocaustum sine Samuele: Hinc quia diem septimum non expectauit vsque ad vltimam horam diei, de inobedientia arguitur Saul à Samuele, cum saltē per vnam horam, vel duas deficeret ab obedientia diuini mandati. Graue enim reprehensione castigandus, qui in re obedientiæ in aliquo, vel minimo deliquit. Caietanus: *Violatio Saulis consistere videtur in hoc quod non expectauit septimum diem integrum: ita quod & verificatur Scriptura, quod expectauit dies septem, quoniam etiam aliquanta parte diei septimi expectauit: & verificatur promissio Samuelis, scripta tam cap. 10. quam hic insinuata, videlicet, quod veniret infra septem dies: Implesse siquidem promissionem suam Samuelem significat Scriptura, narrando quod in fine oblationis holocaustum venit Samuel, manifestans per hoc, quod si Saul per vnam, vel duas horas amplius expectasset; non obtulisset holocaustum sine Samuele. Igitur quia in non expectatione horarum inobedientia fuit, concludendum est, violatam esse expectationem septimi diei integri ad concludendum Deum per holocaustum præsente Samuele, vt dictum est.*

Dub. 8. Ad illa verba, Ezechiel 1. v. 14. *Animalia ibant, & reuertebantur.* Cur dicitur, quod cuntia animalia reuertebantur? Cum antea dixisset: *Nec reuertebantur cum ambulabant.* Videtur enim esse contrarietas,

Verus obediens expeditus est, & paratus ad obediendum præcipienti.

Respondetur. Quod animalia ibant ad exequendum munus ex obedientia im-

impositum, & expleto munere, & officio reuertebantur expectantia aliud munus sibi imponi ad exercendum, quasi accinta, & præparata ad obediendum cuilibet nutui præcipientis. Verus enim obediens expedit se, & præparat ad munera obeunda. Hector Pintus: *Antea dixerat, nec reuertebantur cum ambularent, nunc ait, & reuertebantur. Hæc quæ inter se prima fronte repugnare videntur, magnopere cohærent. Nam prius significatur in opere incœpto firma constantia: hic autem post opus finitum obedientia. Igitur cuncta non reuertebantur, donec munus suũ perficerent, & functionem suam accurate, & perfecte exercerent: at absoluto opere reuertebantur ad aliam functionem obeundam parata.* Vide in Indice, *Obedientia.*

CAP. LXXVIII.

De Otiositate.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 15. *Posuit Dominus Deus hominem in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Iuxa Hebręum habetur: *Ad inseruire ei.* Propriè de cultura Paradisi, quod homo terram excolens, illi inseruire videatur. Quęnam fuit hæc cultura Adami in Paradiso? An fodit terram, vt plantas sereret? Ad quid huiusmodi cultura?

Qui otiosus est in multa mala labitur.

Respondetur. Quod cultus Adami hic erat; scilicet, explanare, & adæquare semitas, quibus commodè deambulare posset, vt huic cultui intentus, otio non torperet, ex quo in multa mala prolaberetur. Hinc posuit Dominus Deus Adamum in Paradiso, vt terræ inseruiret complanando vias, ne si otiosus esset, in mala deflueret. Moyses Barcephas apud Maluendam de Paradiso, cap. 65. *Quid sibi volunt verba ista, vt coleret eum? Respondemus, non id significare fodiendas illi fuisse scrobes, in quibus plantas cõsereret, vt Noe vineam, aut laboriosis ipsum instrumentis operando molestiam vllam subire debuisse, sed in eo positum fuisse cultum illum, vt imbi locum sibi pro habitatione aptaret, viasque ad semitas, quibus commodè posset obambulare, complanaret, ne scilicet otiosus esset quando ex otio plurima nascuntur mala.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 8. v. 16 *Egredere de arca tu, & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum.* Cur noluit Deus Noe vxorem eius, & filij saltem per aliquot tempus postquam exiccata esset superficies terræ, in arca immorari?

Iusti nec per breue tempus cum possint laborare, otio languẽt.

Resp. Quod Noe, & vxor, & filij otiosè, & vacuo animo degebant vitam in arca. Hinc non sinit eos exiccata superficie terræ, per aliquam moram in arca detinere, sed ad laborem mittit. Iusti enim nec per breue tempus debent otio languere, & vacare. Oleaster: *Suadet nos littera hæc otiosos esse à nidis expellendos, & ad laborem mittendos.*

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 9. vers. 20. *Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam.* Dicunt aliqui, non hic significari, tunc primum agris colendis, operam dedisse Noe; sed potius ipsum collecto animo, quantumuis esset senex, rediisse ad agrorum culturam, & pristinos labores. Cur Noe ætate grandis, redijt ad agrorum culturam?

Qui otiosi sunt, impœnitẽtes sunt.

Respondetur. Quod Deus imposuit homini hanc pœnitentiam, vt laboraret, & in sudore suo comederet panem. Hinc Noe licet senex, multosque numerans dies, rediit ad culturam agrorum, ad proscindendam terram, irrogatam, & iniunctam pœnitentiam à Domino exequens. Vnde qui otio languent, impœnitentes sunt, nec assignatam pœnam subeunt. Oleaster. *Quam benè iusti illi priores voluerunt taxatam sibi pœnitentiam à Domino, facere, vt in labore, & sudore panem suum quemmadmodum Deus præceperat, comederent. Vnde qui otio torpent, aut laborare contemnunt, sed in aliorum sudores luxuriare volunt, impositum sibi onus reijcere videntur.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 17. vers. 15. *Ascende in syluam, & succide tibi spatia in terra Pherezæi.* Cur Iosue asperè respondit Ephraitis, & Manasitis conquærentibus se paruam terram accepisse, & postulantibus aliam in additamentum? Cur præcipit eis ascendere in syluam, & succedere spatia, cum melius fuisset aliam partem terræ addere traditæ, vt illorum quærelas resecaret?

Otiosi ad laborem vocãdi, vt sibi proficiant.

Respondetur. Quod multi sunt homines otiosi, & vagi, qui solum vagando, & plateas circunferendo vitam degunt, nolentes in aliquo officio laborare cum damno plurimorum, qui vitandi sunt, & corrigendi, & ad aliquid laboris obligandi, vt sibi proficiant, vnde cum Ephraitæ, & Manasitæ otio torperent, duo illis Iosue proposui-

posuit media ad habitandum, vel pugnando contra hostes, vel syluas purgando, neutrum eligebant, sed otiari, merito ergo negatur eis quod petunt, reprehenduntur, & ad laborem vocantur. Otiosi ad labor m excitandi sunt, vt sibi vtiles sint. Abulens. *Primò, quod non deberent petere sortem, quam receperant iusto funiculo distributionis, quia poterant sibi aliter prouidere; scilicet, quod ascenderent in syluam, & purgarent spatia ad habitandum, & colendum. Secundò arguuntur, quia si multi erant, poterant pugnare contra hostes habitantes in syluis, & accipere loca eorum ad habitandum, vel syluas saltem, quæ erant in terra eorum, etiam si loca non acciperent.*

Dub. 5. Ad illa verba, Iudic. 3. vers. 3 *Congregatique sunt ad eum viri inopes, & latrocinantes.* Cur viri qui congregati fuerunt ad Iephte, mali mortis erant, ex prædaque, & rapto viuebant?

Otiositas peditissimos homines generat.

Respondetur. Quod illi viri in terra Tob otio defluebant. Hinc mirum non est quod latrocinia exercerent, corruptis, deprauatisque moribus essent infames. Otiositas enim perditissimos gignit homines. Maluenda in margine: *Congregatique sunt ad eum viri inopes, & latrocinantes, otiosi, perditi.* Vnde Ecclesiast. 33. vers. 29. dicitur, quod *Multam malitiam docuit otiositas.* Cur dicit quod multam malitiam docet otiositas, non vero quod docet vnam, vel alteram? Nimirum, quia otiositas multorum malorum occasio est. Hugo Cardinalis: *Multam enim malitiam docuit otiositas, id est, multorum malorum fuit occasio. Diabolus enim animam otiosam facile inclinat ad vanitatem cogitationum, de vanitate cogitationum ad voluptatem affectionum, & tandem ad cõsensum, & operationem. Vnde Matt. 12. Cum spiritus immundus exierit ab homine ambulat per loca arida, quærens requiẽ, & non inuenit: tunc dicit, reuertar in domum meam, vnde exiui, & veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem spiritus, septem nequiores se, & inhabitant ibi. Et ideo dicit D. Hieron. Semper aliquid operis facito ne diabolus te inueniat otiosum. Dauid enim vacans otio, incurrit in adulterium Bersabee. 2. Reg. 11. Quærit Egisthus, quare sit factus adulter? In promptu causa est, desidiosus erat. Ezechiel 16. Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ: superbia saturitas panis, & vini, & otium ipsius.*

Otiositas multorum malorũ occasio est.

Prouerb. 28. Qui operatur terram suam saturabitur panibus, qui autem sectatur otium, replebitur egestate. Vide in Indice, *Otiositas.*

CAP. LXXIX.

De Odio.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 16. vers. 12. *Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes.* Cur Ismael hostis omnium prædicitur? Cur cum omnibus iurgia denuntiatur habiturus?

Dissimilitudo morum, causa est odij, & inimicitiæ.

R. Quod Ismael dissimilis omnibus in moribus futurus erat. Hinc omnium hostis prædicitur, omnibus inimicus, omnes odiens. Dissimilitudo enim morum causa est odij, & inimicitiæ. Caietanus: *Fortis, ac hostis omnium prædicitur futurus: dissimilitudo siquidem ratio est inimicitiæ, sicut similitudo amoris.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 29. vers. 31. *Videns autem Dominus quod despiceret Liam.* Ab Hebræo: *Sana*, deducuntur alij, *sanè*, *odio habuit*, quasi Iacob odio haberet Liam, ideo dicitur Lia despecta, & neglecta, quia ea quæ odimus, despicimus, & contemnimus. Cur dicitur quod Liam Iacob odio habuit? Cum eam amaret?

Subditus, qui minus amatur à Prælato quam alius, putat se odio haberi à Prælato.

Respondetur. Quod Iacob amore quidem prosequebatur Liam, sed non ita amabat sicut Rachelem, vnde non propriè odio habebat eam, sed præ Rachele, quam vnicè amabat, videbatur Lia odio habita a Iacob. Subditus enim qui minus amatur à Prælato, quàm alius, putat se odio haberi à Prælato. Maluenda: *Despiceret Liam. Sana, odit, odio habuit, aiunt esse contemptus, & neglectus, quia ea quæ odimus, negligimus, & contemnimus. Dici autem interdum notant per comparationem alterius, quod magis amatur, non quod propriè odio habeatur, vt hic. non oderat Iacob Liam, sed præ Rachel, quam vnicè amabat, videtur odio habuisse quod eam negligeret, & despiceret, nec erga eam, eam amoris vim exerebat, vt erga Rachelem?*

Dub. 7. Ad illa verba Exod. 14. vers. 4. *Constituamus nobis Ducem, vt reuertamur in Ægyptum.* Cur Israelitæ petunt Ducem, qui ducat eos in Ægyptum, cum haberent Moysem, qui duxit populum vsque in illum locum?

Odium facit à nobis expellere illos, quos ad nostram vtilitatem idoneos esse iudicamus.

Respondetur. Quod quando aliquis contradicit voluntati nostræ, tam offensos contra illum nos metipsos offendimus,

dimus, quod illum à nostro consortio repellimus, ita vt nolimus eum habere socium nobiscum, etiam in rebus illis circa quas antea vtilis nobis erat: vnde cum Moyses increparet peccata populi; licet fuisset idoneus ad ducendum populum sicut antea; eum tamen reijciunt Israelitæ, in illa in quo proficuus esse poterat, quia exosus illi erat. Odium enim facit à nobis expellere illos, quos ad nostram vtilitatem idoneos esse iudicamus. Abulens. *Dato quod Moyses ire velet cum eis, non acciperent eum in Ducem, quia eis fuerat obuius, increpans peccata eorum, & ante hoc contra ipsum murmurati fuerant, quod eduxisset eos in solitudinem, ideo nolent eum in Ducem habere, quia exosus erat.*

Dub. 4. Ad illa verba, 1. Reg. 18. vers. 25. *Non habet Rex sponsalia necessa, nisi tantum centum præputia Philisthinorum.* Cur Saul petiuit à Dauide loco dotis centum præputia Philisthinorum?

Homo qui alterum odio habet, cogitat modos, vt intereat.

Respondetur. Quod Saul cogitabat tradere Dauidem in manus Philisthinorum ab ipsis interficiendum; vnde vt maius conciperent odium aduersus Dauidem, & sic perimerent eum Philisthæi, petiuit ab eo Saul loco dotis centum præputia Philisthinorū, quasi diceret Saul: Egrediatur Dauid aduersus Philisthæos, adferat centum præputia eorum. Hac enim capta occasione, maiori odio prosequentur Philisthæi Dauidem propter hoc opprobrium eis inferendum, vnde insurgent in Dauidem, & de medio tollent. Homo enim, qui alterum odio habet, modos cogitat, vt intereat. Lyranus: *Quia Philistæi horrebant circuncisionem tanquam mortem, & ideo per hoc conciperent maius odium contra Dauid propter tale opprobrium illatum eis per ipsum, & sic magis mouerentur ad interficiendum Dauid, quod intendebat Saul.* Imo quod crudelius est, in aliquibus hominibus tam immane præualet aduersus suos inimicos odium, quod si de illis viuis, vindictam capere non possunt, de illis mortuis eam accipere non recusant. Vnde Abulens. in Prologo Dini Hieronymi in epist. ad Paulinum, fol. 38. littera D. ex Diuo Hieronymo: *Quod mortuo Rege Idumæorum, & sepulto, recordati Moabitæ, quid egisset contra eos in obsidione, extractum de sepulchro combusserunt igni, & in cinerem redigerunt, vt quod non potuerunt in viuo, vlciscerentur in mortuo.*

Odium inimicorum vltra vitam in aliquibus trãsit vsque ad vindictam de mortuis.

Dub. 5. Ad illa verba, 1. Reg. 17. vers. 55. *De qua stirpe descendit hic adolescens?* Disquirunt multi, qua ratione Saul ignotum habebat Dauidem, qui eum iam psallentem audierat, & Ministrum habuerat, 1. *Reg.* 16. *vers.* 8.

Respondetur. Saul infectabatur Dauidem odio, sanguinem eius sitiebat, illoque suum odium explere, aut extinguere desiderabat. Hinc Saul ignotum habebat Dauidem. Odium enim ita excæcat hominem, quod eum nescire, & ignorare faciat. Maluend. *Alij referunt ad perturbationem animi Saulis, qui iam inuidia, & odio excæcatus, Dauidem non agnoscebat.*

Odium ita excæcat hominē, quod eum quem odit, quasi non agnoscere faciat.

Dub. 6. Ad illa verba, Luc. 11. ver. 4. *Dimitte nobis peccata nostra: siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis.* An homo teneatur dimittere offensam, & pœnam iustam debitam offendenti?

Respondetur. Quod offensus tenetur dimittere odium, & appetitum vindicandi se per se ipsum, potest tamen eam exigere à Iudice, vt vindicet castigando offendentem. Vnde non pœnam iustam, sed odium tenemur dimittere. Caietanus: *Intelligẽ obligari hominem ad dimittendum pœnam, non vindictam pro offensa, & iniuriam illatam debitam illi, qui offendit; quoniam potest petere & exigere à Iudice vt vindicet puniendo: sed teneri ad dimittendum odium, & appetitum vindicandi se per se ipsum, quoniam vtrumque est iniquum.*

Offensus tenetur dimittere odium, sed non pœnam iustam, & debitam offendenti.

CAP. LXXX.

De Offensa.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 4. vers. 15. *Omnis qui occiderit Cain septuplum punietur.* Cur Dominus denuntiat pœnam non vnam, vel duas, sed multas interfectori Caini?

Respondetur. Quod Deus volebat absterrere homines ab effusione sanguinis Caini. Hinc denuntiat, & prædicit multas pœnas, quod scilicet septies, id est, multis pœnis vindicabitur. Minis enim insectandus est, qui paratus est alteri malum inferre, vt absterreatur ab offensa. Maluen. *Per grauissimæ pœnæ denuntiationem cauet, ne quis temere in eadem illius, ausit prorrumpere. Septuplum punietur interfector ipsius Caini. Hebraice. Septuplum vindicator, ipse scilicet Cainus, quasi dicat: Supplicium de interfectore ipsius Caini multo gra-*

Minis insequendus est, qui paratus est alterum offendere, vt absterreatur ab offensa.

grauius sumitor, quam sit de ipso Caino sumptum. Numerus finitus pro infinito.

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 32. vers. 31. *Dimitte illis hanc noxam.* Cur Moyses petit à Deo, quod dimittat peccatum populi? Si Deum amabat, illius offensam debuit sentire, & contra peccatorem populum iratus, supplicia pro illo postulare.

Respondetur. Quod quando quis iniuriatus est ab alio, & offensus, & ob iniuriam illatam sibi iratus valde est, non debemus moueri coram offenso contra offensorem, etiam si culpatum illum iudicemus, & contra illum irati simus, sed debemus iram nostram occultare, & offensum temperare, aliàs actum erit de offensore, & hoc exigit vera charitas: ideo Moyses bene fecit iuxta rectum ordinem charitatis non postulans à Deo vindictam pro populo, quia vidit Deum offensum, & iratum valde, etsi tunc ipse suam etiam iram declararet, non esset aliquis in defensionem populi, vnde tunc congruebat suum furorem simulare, & pro populo deprecari, suam iram, & vltionem pro commodiori tempore reseruando. In præsentia enim offensi, non est exaggeranda offensa contra illum, sed mitiganda. Abulens. *Tunc autem in Moyse valde magnus motus iræ esse debebat, sed quia diligebat populum Israel, & videbat Deum iratum contra illum, si ipse quoque iraesceretur, nullus deprecaretur pro populo Israel, & Deus deleret illum. Amor ergo vicit iram, & magis habuit vultum pro eorum scelere deprecantis, quam iniquitati eorum iuste indignantis, quia tunc non oportuit in Dei præsentia indignari, sed furorem Dei mollibus verbis deprecari.*

Coram offenso non est exaggeranda culpa offendentis, sed mitiganda.

Dub. 3. Ad illa verba, Deuteronom. 32. vers. 5. *Peccauerunt ei, & non filij eius.* Septuaginta habent: *Peccauerunt non ei filij vituperabiles.* Et Diuus Augustinus dicit: *Qui peccat, non Deo, sed sibi peccat*, id est, peccato nocet. Cur dicitur, quod homo non peccat Deo, sed sibi? Cum Dauid *Psalm.* 50. *Vers.* 6. dicat Deo: *Tibi soli peccaui. Et Psalm.* 40. *Vers.* 5. *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Ergo qui alteri peccat, Deo peccat.

Respondetur. Quod qui offendit hominem, Deum offendit, cum homo ad Deum attineat, vnde Dauid peccans in Vriam, in Deum peccauit. Cum enim homo offenditur ab homine, Deus ab homine læsus dolet. Diuus Augustinus: *Peccare in Deum est in his quæ ad cultum Dei pertinent peccare, sic peccabant filij Heli 1. Reg. 2. Vnde ibi dicitur: Si in Deum peccauerit vir, quis orabit pro ipso. Sic etiam peccat, qui peccat in homines, qui pertinent ad Deum. Vnde Genes. 20. dictum est: Abimelech propterea peperci tibi, ne peccares in me, auferendo; scilicet, Abraham vxorem suam.*

Deus se offensum, & læsum queritur, cum offenditur homo.

Dub. 4. Ad illa verba, 2. Reg. 19. ver. 13. *Et Amasæ dicite: Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non Magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.* Cur Dauid nominat Amasam, cum Dauidem offenderit, quando fuit Princeps exercitus Absalon?

Respondetur. Quod Amasa non auderet coram Dauide, & aliis Principibus sequentibus Dauidem comparere, quia Dauidis animum offenderat, cum esset sectarius Absalonis, & Dux illius exercitus. Hinc ipsum nominauit, vt coram Dauide, & aliis appareat. Qui enim in alicuius offensione incurrit, non audet comparere coram offenso. Lyra: *Iste Amasa inter omnes plus peccauerat contra Dauid, quia fuit Princeps exercitus Absalon, vt habetur cap. 17. Cum tamen esset nepos Dauid, & ideo ipsum specialiter nominauit, sicut & Christus post Resurrectionem suam per Angelum expressit specialiter Petrum dicens: Dicite Discipulis suis, & Petro. Marci 16. Quia propter Christi negationem non fuisset ausus inter Discipulos comparere, nisi fuisset specialiter nominatus.*

Qui in alicuius offensione incurrit, non audet comparere coram offenso.

Dub. 5. Ad illa verba, 4. Reg. 2. vers. 24. *Qui cum respexisset, vidit eos.* Iuxta Hebræum habetur: *Et respiciens post tergum suum, vidit eos.* Cur pueri à tergo illudebant Eliseo dicentes: *Ascende calue, ascende calue.*

Resp. Quod pueri illi inducti à parentibus, non audebant illudere Eliseo, & conuitiari ei coram, & in conspectu eius, sed post tergum Eliseï ascendentis in montem clamabant, *ascende calue.* Hinc Elisæus post tergum aspexit pueros cum verbis illudentis offendentes. Homo enim non audet alium ante oculos offendere, sed post tergum. Malunda: *Et respiciens post tergum suum vidit eos, a tergo enim pueri insultabant Prophetæ.*

Homo non audet alterū coram offendere, sed post tergum.

Dub. 6. Ad illa verba, Esther 5. vers. 11. *Exposuit illis magnitudinem diuitiarum suarum, filiorumque turbam, & quanta cum gloria super omes Principes, & seruos suos Rex eleuasset.* Cur

Aman

Aman expoſuit vxori Zarès, & amicis ſuis magnitudinem diuitiarum, filiorum turbam, & gloriam, quam ſuper omnes Principes habebat magnificatus à Rege?

Et dignitate offenſi accumulatur irrogata offenſa.

Reſpondetur. Quod Amam voluit nimis augere verbis, & exaggerare offenſam ſibi illatam à Mardochæo, qui non flectebat genua ei, nec aſſurgebat, ſed nec motum quidem de loco ſeſſionis ſuæ indicabat: hinc vxori ſuæ, & amicis manifeſtauit magnitudinem diuitiarum ſuarum, expoſuit filiorum turbam, & gloriam ad quam ſuper omnes Principes, & ſeruos eum Rex eleuauit, vt ab offenſi dignitate, & gloria, maior appareret Mardochæi offenſa. Ex dignitate enim offenſi, augetur, & exaggeratur offenſa. Maluenda: *Expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum, vt exaggerat factum Mardochæi accumulatione vtitur.*

Dub. 7. Ad illa verba, Ierem. 15. verſ. 3. *Et viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies dicit Dominus: Gladium ad occiſionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cœli, & beſtias terræ ad deuorandum.* Cur corpora Iudæorum tradita fuerunt beſtijs, & volatilibus, vt deuorarentur ab eis, cum in pœnam eorum ſufficeret deuorari, vel à beſtijs, vel à volucribus?

Offenſo Deo contra ſuos offenſores inſurgit omnis creatura.

Reſpondentur. Quod populus Ieruſalem maximè Deum læſit, & offendit, quia caſtigatus, non eſt emendatus. Hinc Deo læſo, & offenſo omnes beſtiæ, & volucres conſpirarunt aduerſus Iudæos, vt corpora eorum deuorarent, & diſiparent. Cum enim Deus offenſus eſt, omnis creatura armatur aduerſus peccatorem ad pœnam. Hugo Cardin. *Beſtias autem vocat canes, & volatilia, vt hic dicitur, quibus tradita ſunt corpora Iudæorum deuoranda. Vt enim hic dicit Diuus Hieronymus, offenſo Creatore contra ſuos offenſores inſurgit omnis creatura, vnde Sapientiæ 5. Pugnauit cum illo Orbis terrarum contra inſenſatos.* Vide in Indice, *Offenſa.*

CAP. LXXXI.

De Offerendis.

DVB. 1. Ad illa verba, Geneſ. 4. verſ. 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum.* Cur Abel obtulit Deo de adipibus primogenitorum gregis ſui, non verò carnes primogenitorum gregis?

Signum probatæ fidei eſt, offerre Deo optima, & ſelectiſſima.

Reſp. Quod Abel habebat probatam, & electam fidem erga Deum. Hinc non quamlibet partem primogenitorum gregis obtulit Deo, ſed de primogenitis craſſiſsima, pinguiſsima, optima, & electiſsima, quod adeps ſit optima, & lectiſsima pars carnis. Signum enim probatæ fidei eſt, offere Deo optima, & ſelectiſsima. D. Thom. ad Hebræos 11. lect. 2. *Ex quo obtulit ſacrificium electum, quia de primogenitis gregis, & de adipibus eorum, oſtenditur electa fides eius. Optimum enim ſacrificij ſignum fuit electæ fidei, & probatæ. Malach. 1. Maledictus fraudolentus qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino.*

Dub. 2. Ad illa verba, Leuitici 3. verſ. 3. *Offerent de hoſtia pacificorum in oblationem Domino, adipem qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis eſt intrinſecus.* Cur Dominus non præcipit carnem pinguem ſecari, & particulas pingues incendi, & offerri ſibi, ſed ſolum adipem, qui vitalia operit, & pinguedinem intrinſecam?

Magis placet Deo oblatio hominis interni, quàm externi.

Reſp. Quod Deus mauult ſibi offerri interiora noſtra, quàm exteriora, quia interiora bona diligit: externa enim bona quæ facimus non videntur eſſe ſolius Dei, etiamſi propter ipſum ſolum fiant: interiora verò, quæ ſolus ipſe videt qualia ſunt cor noſtrum, & viſcera, & alia interna, ſunt illi acceptabiliora. Hinc præcipit ſibi offerri adipem, qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis eſt intrinſecus, cum intima ſint ei gratiora. Magis enim placet Deo oblatio interioris hominis, quàm externi. Maluend. *Quod noſter dixit vitalia, hebraicè eſt hereb. Significat autem, quidquid in homine, ſeu pecude eſt propinquiſsimum, & intimum, vt ſunt cor, pulmo, iecur, & cætera viſcera, communiter reddunt ventrem, intima, intranea, inteſtina, viſcera, exta, vitalia.*

Dub. 3. Ad illa verba, Numerorum 23. verſ. 29. *Ædifica mihi hic ſeptem aras, & para totidem vitulos, eiuſdemq; numeri arietes.* Cur Dominus præcepit Balaah immolare Deo ſeptem vitulos, & arietes, cum Deus huiuſmodi ſacrificijs non delectetur. Iſaiæ enim 1. verſ. 11. legitur dixiſſe Deum: *Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* Non ergo talis immolatio placuit Domino?

Reſpon. Quod Deus delectatur non in eo quod ei offertur, ſed in modo

Oblationes virtutibus comitatæ placent Deo, simulque Christum significantes.

cui offertur, & circunstantijs, quibus res oblata comitatur: hinc licet non delectaretur, nec noluerit holocausta arietum, nec adipem pinguium & alia, delectabatur tamen in eis secundum, quod illæ oblationes efformabantur virtutibus, scilicet, spe, & charitate, simulque significabant Christum. Placent enim Deo oblationes virtutibus sociatæ, simulque Christum representantes. Hugo Cardinalis: *Potest dici quod delectabatur in hostijs Dominus, & non delectabatur, in opere operato non delectabatur in opere operante, & formato fide, spe, & charitate delectabatur. Item in signo non delectabatur, in signato vero delectabatur.*

Dub. 4. Ad illa verba, Numerorum 18. verb. 15. *Ita duntaxat, vt pro hominis primogenito pretium accipias, & omne animal quod immundum est redimi facias.* Cur omne primogenitum immundum redimebatur: cum *Deuteronomij* 23. *vers.* 18. legamus, quod primogenitum canis non redimebatur: *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui.*

Deo offerenda sunt pretiosa non vilia.

Resp. Quod primogenitum canis, sicut aliorum animalium vilium noluit Dominus sibi offerri, quia vilia sunt: hinc præcepit non offerri sibi pretium canis in domo sua. Deo enim offerenda sunt pretiosa, non vilia. Caietanus loco citato Deuteronomij: *Intellige per canem, non solum canem, sed quolibet aliud animal immundum paris vilitatis, ita quod nec primogenita huiusmodi animalium digna censentur commutatione propter eorum vilitatem. Indigna ergo Diuino voto, indigna Diuina dedicatione censentur à lege huiusmodi vilia.*

Dub. 5. Ad illa verba, 1. Paralipom. 22. ver. 8. *Non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.* Cur Dominus noluit Dauidem ædificare domum? Cur repulit opus hoc in Dei obsequium exhibendum?

Qui pollutus est peccato, ineptus est ad offerendum Domino, nec accepta est eius oblatio.

Resp. Quod de mandato Dauidis effusus est sanguis Vriæ, & aliorum cum eo interfectorum, Sacerdotum quoque effusus fuit sanguis occasione Dauid: sanguis quoque multorum iustorum, & innocentum effusus fuit cum Dauid malos debellauit: hinc noluit acceptare domum sibi ædificandam, cum tanto effuso sanguine esset pollutus. Multa enim puritas, & sanctitas requiritur in offerente, vt Deus accepret oblatum. Lyranus: *Dicunt Hebræi quod hoc intelligitur principaliter de sanguine Vriæ, & aliorum cum eo occisorum ad mandatum Dauid nequissimorum, vt habetur 2. Reg. 11. Et de sanguine Sacerdotum effuso occasione Dauid, vt habetur 1. Reg. 22. Et de sanguine etiam multorum iustorum, & innocentum qui fuerunt inter alios Gentiles malos, quos Dauid pluries debellauit, & ideo ex hoc ineptus fuit ad ædificandum domum.* Hac ratione qui Deo offerendus est debet habere puritatem dolorem, & pœnitentiam, quia puritas sine dolore non sufficit. Leuitici 1. vers. 14. *Si autem de auibus holocausti oblatio fuerit, de Turturibus, aut pullis Columbæ.* Cur noluit Deus, quod ex auibus aliquæ aues præter Turturem, & Columbam Israelitæ sibi offerrent?

Quæ Deo offerenda sunt sint cum puritate, & dolore.

Respondetur. Quod qui Deo in sacrificio offertur, vt illi gratus sit, debet habere munditiam in mente, & gemitum in corde, quia debet habere ea quæ Christus Patri oblatus habuit, vt illi gratum esset suum sacrificium: hinc voluit Deus sibi offerri Columbam in qua puritas, & Turtur in qua dolor, & gemitus representatur. Quæ enim Deo offeruntur, sint cum munditia, & dolore. Abulensis: *Ex eo quod Columba quæ sine felle est, mansuetudinem Christi significat in cuius ore fraus non fuit: Turtur autem significat Christi gemitum in passione, quoniam Turtur semper gemit. Aliæ autem aues non habent aliam significationem conformem Christi, ideo non decuit eas immolare.* Vide in Indice *Offerre.*

CAP. LXXXII.

De Operibus.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 4. vers. 1. *Adam vero cognouit vxorem suam Euam.* Cur primi parentes in Paradiso non coierunt? An quia erto de Paradiso ejiciendi?

Homo debet agere secundum voluntatem Dei, non propriam.

R. Quod Adam, & Eua non secundum voluntatem suam, sed Dei quam expectabant, coire volebant: hinc cum in Paradiso de voluntate Dei non eis constaret, in Paradiso Adam non cognouit Euam. Homo enim non debet operari secundum suam cupiditatem, sed iuxta Dei voluntatem debet agere. D. Thom. 1. p. q. 98. art. 2. ad 2. *Quia expectabatur Diuina auctoritas ad determinatum tempus commixtionis, à qua acceperunt vniuersale mandatum.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 18. vers. 17. *Nunc celare potero Abraham quæ gesturus sum.* Cur dicit Dominus quod

quod celare non poterat Abrahæ quæ gesturus erat? An non poterat occultare euersionem Sodomorum, quam volebat facere?

Homo operæ det nacta occasione, & cõgruo tempore

Respondetur. Quod Deus volebat congruo tempore, oblataque occasione prædicere Abrahæ euersionem Sodomorum: hinc dicit quod non poterat celare Deus Abrahæ, quæ facturus erat erga Sodomitas, quasi diceret: tempus opportunum, & occasio est manifestandi Abrahæ euersionem futuram. E re enim nacta, & ex occasione operam det homo. Diuus Thomas 3. part. quæst. 43. art. 2. ad 1. *Num celare potero Abrahæ quæ gesturus sum, hoc non est referendum ad potentiam absolutam, sed ad id quod potest fieri congruenter, secundum eum modum loquendi, quo infra etiam vtitur, cap. 19. Non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc, & Matthæi 6. Non poterat ibi; scilicet, in patria sua Virtutem vllam facere: non enim congruum erat, vt inter incredulos operaretur miracula.*

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 1. v. 22. *Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos*, id est, sobole, familia, & re familiari auxit obstetrices. Cur Deus benefecit Sephoræ, & Phuæ augendo familiam, ædificando eis domos, augendo temporalia? Quare ergo has non alias ditauit?

Deus soluit ea opera, ad quæ alias tenemur.

Respondetur. Quod Rex Ægypti præceperat obstetricibus, quod quando obstreticarent Hebræas, & tempus partus aduenirent, masculos interficerent: Sephora autem & Phua quæ erant obstetrices, noluerunt crudeli Regis mandato obedire, occidendo Hebræos in ventre matrum, quia hoc erat contra legem naturæ: hinc quia fecerunt hoc opus ad quod lege naturæ tenebantur, benefecit Deus eis, auxit familiam, & rem familiarem. Deus enim soluit ea opera ad quæ alias tenemur facere. Oleaster: *Cogita Deum soluere ea opera, ad quæ alias tenemur. Tenebantur enim naturæ lege obstetrices mares non perdere, sed etiam hoc soluit eis Deus.*

Dub 4. Ad illa verba, Leuitici 21. v. 1. *Ne contaminetur Sacerdos in mortibus ciuium suorum, nisi tantum in consanguinis ac propinquis, id est, super patre, & matre, & filio, & filia, fratre quoque.* Cur licitum erat Sacerdotibus interesse funeribus patris, matris, filij, & filiæ, fratris quoque: cum hic Vers. 1. interdicatur Sacerdotibus quod non accedant ad aliquem mortuum, nec intrent in Tabernaculum eius, nec comitentur eum ad sepulchrum, nec deplorent, quæ omnia intelliguntur nomine contaminationis, non ergo fuit licitum interesse, nec funeribus patris, matris, filij, & filiæ, nec fratris.

Homo in suis operibus nihil agat quod præiudicet suæ dignitati, & statui; operetur tamen quæ eum decent.

Resp. Quod indecens erat Sacerdotibus ad omnes mortuos egredi plangendo eos; sic enim deflecteret à dignitate ministerij sui, at ad patres mortuos plorandos indecorum non erat, cum hæc pietas sic congrueret humanitati quæ debetur patribus, filijs, & fratribus: hinc non prohibuit lex Sacerdotes pollui in funeribus patrum, & filiorum, & fratrum: vetuit tamen accedere ad alios mortuos, ne præiudicarent suæ dignitati. Homo enim ita debet agere, quod in suis operibus non degeneret à sua dignitate. Abulens. *Dei lex valde iusta est, ideo nec humanitatis pietatem debuit auferre, nec inhonestatem tolerare. Erat autem Sacerdotibus inhonestum quod ad omnes mortuos egrederentur plangendo eos, quoniam sic præiudicaret dignitati ministerij sui, & resurrectionis spem abstulisse viderentur: si autem ad mortem patris, & matris, & filiorum egredi non liceret, tota humanitatis pietas ablata videretur, quod legem hanc satis crudam aemonstraret. Decuit igitur vt ab omnibus mortibus lex Sacerdotes contaminari vetans in horum propinquorum funeribus pollui permisisset, vt sic humanitati, & honestati satisfactum videretur.*

Dub 5. Ad illa verba, Iudic. 16. vers. 26. *Dimitte me, vt tangam columnas quibus tota imminet domus.* Cur cum Sanson occidit mille Philistæos, qui erant in Templo Dagon ruente domo super eos, & columnis quæ sustentabant illam, tetigit columnas? Si tantæ rotunditatis, & quantitatis erant, quod illas comprehendere non valebat, quid conducebat illas tangere?

Deus operatur opera nostra, si apponimus aliquid ex parte nostra.

R. Quod in omnibus operibus quæ facimus, Deus Author est, vtpote dans auxilia, sine quibus minimè faceremus illa, & tamen semper ex parte nostra aliquid apponendum est, vt dicatur esse opus vtriusque: scilicet, Dei, & hominis: vnde licet tangere columnas Templi ex se paucum esset, posito tamen Dei auxilio erat multum; volebat ergo quod tueret domus iunctis columnis, & quod esset opus Dei, & Sansonis simul, & ad hoc saltem leuis tactus Sansonis apponendus erat. Deus enim operatur nostra, si aliquid apponimus ex parte nostra. Abulensis: *Leuiter tan-*

tangendo illas contusit, & postrauit.

Dub. 6. Ad illa verba, 2. Reg. 23. vers. 24. *Asael frater Ioab inter triginta.* Cur Ioab non nominatur in Cathalogo virorum illustrium Dauid, cum fuerit fortis in bello?

Opera pessima maculat, & obscurant gloriam bonorum, & illustrium opérum.

Respondetur. Quod Ioab dedecore affecit gloriam suam, operaque fortia fœdauit occidens Abner, Amasam, Absalonem. Hinc non nominatur in Cathalogo illustrium, & fortium virorum Dauid: opera enim pessima obscurant multa illustria. Lyranus: *Alij dicunt, quod nomen eius tacetur inter fortes, quia posuit maculam in gloria sua, quia occidit proditiosè Abner, vt habetur supra cap. 3. Et Amasam similiter, vt habetur supra cap. 20. Absalon contra inhibitionem Regis supra cap. 18.*

Dub. 7. Ad illa verba, 4. Reg. 10. vers. 1. *Venit tentare eum in ænigmatibus.* Refert *Cedrenus* apud *Maluendam* de Regina Saba: Postquam coram cum Salomone est, quæ voluit locuta, isque ei omnia sermone composito, & elegantissima interpretatione dissoluit, denuo eum sic tentauit. Formosos puellos, & formosas puellas eodem vestitu, & ornatu structos coram eo constituit, petijtque vt inter sexum internosceret, nam & ipsa Sybilla ob ingenij promptitudinem, sapientiamque, & rerum multarum peritiam: magni erat nominis. Inquires in quo cognouit Salomon puellos, & puellas, cum omnes eodem ornatu instructi essent, & tam formosi puelli, quàm puellæ?

In modo agendi dignoscitur, quis vnusquisque est.

Resp. Quod Salomon fecit omnes se lauare faciem, & attentè perpendit, quod mares fortiter, & validè tergebant faciem, fœminæ verò teneriter, blandè, & timidè. Hinc Salomon deprehendit sexus discrimen, & dixit isti sunt mares, quia validè se abstergunt, & hominis est fortiter, & validè agere: istæ sunt fœminæ, quia teneriter, & timidè se tergunt, & fœminæ est agere timidè. In modo enim agendi dignoscitur quis vnusquisque est. Cedrenus vbi supra: *Rex omnes lauare faciem iussit, itaque discrimen sensus deprehendit, cum mares fortiter, atque validè facies tergerent, femellæ teneriter, & timidè.* Hinc est, quod opera sunt gressus animæ; vnde sicut per gressus corporis corpora cognoscuntur, ita per opera gressus animæ Iosue 1. vers. 8. *Tunc diriges viam tuam.* Cur dicit Dominus Iosue, quod custodiens legem diriget viam suam? Quæ conuenientia est inter obseruantiam legis, & gressuum directionem?

Per opera proditur bonitas, vel malitia operantis.

Respondetur. Quod per opera, animæ hominum cognoscuntur, sicut per gressus corpora eorum. Hinc dixit Dominus Iosue, quod custodiat legem Dei, & tunc diriget viam suam; quasi dicat: Nescimus de homine, si claudicat, an non ambulet, & statim per gressum, quod non claudicet manifestabitur: ita nescimus an anima bona, vel mala sit, iusta, vel peccatrix, operetur, & bonitatem, vel malitiam illius cognoscemus, secundùm illud ex fructibus eorum cognoscetis eos. Per opera enim cognoscitur bonitas, vel malitia operantis. Abulensis: *Tunc diriges viam tuam, nam sicut ambulans antequam ambulet, nihil de se ipso manifestat, postea verò via eum manifestat, ita operatio operantem prodijt, nam nihil de nobis constat nisi per operationem, quia quod non agentes in potentia sumus, hoc actus annuntiat, vt ait Aristotel. Ethicor. lib. 9.*

Dub. 8. Ad illa verba, 1. Corinth. 9. vers. 16. *Nam si euangelizauero non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit.* Cur dicit Apostolus quod euangelizando, non habebit gloriam, seu præmium?

Opera supererogationis præmiat Deus.

Respondetur. Quod Minister Euangelicus tenetur ad prædicationem Euangelij, & pro hac non debet gloriari, nec noua merces ei debetur, cùm ei incumbat necessitas ad hoc faciendum: at verò non accipere sumptus pro prædicatione, est opus supererogationis, & spontaneum, vnde est meritum gloriationis, & mercedis, & præmij. Hinc dicit Apostolus, quod si euangelizauerit, quod opus necessarium est non est ei materia gloriationis, nec mercedis, si autem supererogat non accipiendo sumptus ex prædicatione, materia est gloriationis, & præmij, cum faciat opus indebitum. Opera enim supererogationis præmiat Deus Caietanus: *Declarat materiam, seu meritum gloriationis penes differentiam inter euangelizare, & abstinere ab alieno sumptu. Et intendit quod euangelizare est debitum, & consequenter non est materia gloriationis, nec mercedis: abstinentia autem ab alieno sumptu adiun-*

Eta

da Euangelio, non est debita, sed spontanea, ac per hoc meritum gloriationis, & mercedis est. Et si vis penetrare hæc, considera in ministro duo operum genera, alterum ad quod tenetur, alterum ad quod non tenetur, sed sponte superaddit intuitu Domini. Et cum perspexeris, quod ex his operibus ad quæ tenetur minister, non debetur ei noua merces, non habet vnde glorietur, sed tantum quod debuit fecit, ex ijs verò quæ sponte supererogauit, habet vnde glorietur; & noua ei debetur merces. Non est mihi gloria, prò gloriatio, non habeo vnde glorier: necessitas enim mihi incumbit, necessitas debiti, necessitas iustitiæ incumbit mihi, quo ad officium euangelizandi. Vide in Indice, *Opera.*

CAP. LXXXIII.

De Oratione.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 25. vers. 21. *Deprecatusque est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis.* Iuxta Hebræum habetur: *Et multiplicauit Isaac vxori suæ, eo quod esset sterilis.* Cur Rebecca orante, Isaac multiplicat preces pro vxore sua sterili?

Perseuerantia in oratione necessaria ad impetrandum.

Respondetur. Quod oratio debet esse assidua, & frequens, & perseuerans. Hinc Rebecca deprecante pro se, vt gigneret filium, Isaac orabat multiplicans preces, & perseuerans. Perseuerantia enim in oratione necessaria ad impetrandum. Caietan. *Multa narrantur, & quod Rebecca orabat, & quod Isaac multiplicauit orationem, & situs vtriusque perseuerans cum prolixa oratione, & quod ad Deum fontem essendi, vt gignerent filium, fusa est.* Mirabenda: *Multiplicauit, id est, multiplicibus, copiosis, & densis precibus supplicauit.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 32. v. 26 *Non dimittam te nisi benedixeris mihi.* Cur Iacob noluit dimittere Deum quem Angelus representabat in lucta, quousque benediceret ei? An non benediceret Dominus Iacobo post luctam dimisso?

Ab oratione non cessandum nisi obtineatur, quod petitur.

R. Quod Iacob petebat à Deo benedictionem. Hinc noluit Iacob Deum dimittere, vsquequo benedictione eum impleret. Non enim cessandum est in oratione, nisi obtineat homo, quæ postulat. Oleaster: *Non est Deus dimittendus, neque ab oratione cessandum, nisi obtinueris quæ postulas. Vnde & Sponsa in Cant. 3. Tenui eum, nec dimittam, donec inducam eum in domum genitricis me. Multa enim videntur facere sancti coacti, quæ antea facere nolebant, vt patet de Elisæo, & Sunamite, quæ illius vestigia apprehendit, neque dimisit, donec ad resuscitandum filium compulit.*

Dub. 3. Ad illa verba, Iudicum 3. vers. 8. *Seruieruntque ei octo annis.* Cur Israelitæ captiui in Syria octo annis permanserunt, absque eo quod à Domino misericordiam implorarent, ad Dominum clamassent?

Peccatores propter peccata sua non statim exaudiuntur, & Deus differt suam misericordiam.

Respondetur. Quod peccata nostra demerentur, quod licet à Deo liberationem à malis, quæ patimur, repetitis vicibus imploremus, non statim impetremus, sed quod multo tempore differat Deus nos ab illis liberare. Hinc licet Israelitæ clamassent ad Dominum, tamen non fuerunt exauditi, sed in captiuitate octo annis seruierunt Regi Mesopotamiæ, quia fecerunt malum in conspectu Domini. Orationes enim nostræ non statim exaudiuntur, vt cognoscamus grauitatem peccatorum, quæ hanc dilationem misericordiæ Dei promerentur. Abulensis: *Israelitæ postquam traditi sunt in manus Regis Mesopotamiæ, clamauerunt ad Dominum, tamen non exauditi sunt vsque ad annum octauum, & istud est verisimilius. Ratio huius est, quia Israelitæ peccauerant recedendo à Deo, & putabant se quasi nihil agere, ideo Deus voluit, quod sustinerent pro hoc conuenientem pœnam, scilicet, captiuitatem octo annorum.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iudicum 5. vers. 14. *De Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum.* Iuxta Hebræum habetur: *Potentes calamo Scribæ.* Cur isti de Zabulon laudantur de arte scribendi, cum potius deberent commendari de arte militandi?

Potentior est contra hostes oratio vocalis, quã machina militaris.

Respondetur. Quod isti milites de Zabulon processerunt ad bellum, non solùm cum armis ad præliandum, sed etiam cum scriptis carminibus, quibus Deum vocali oratione laudabant. Hinc non tam præliatores, quàm laudatores oratione vocali, & carminibus scriptis laudantur, quia maius præsidium habebant ab oratione hac, & diuinis laudibus quam ab armis. Potentior enim est contra hostes oratio vocalis, quam machina militaris. Mendoza ex Ruperto: *Mirabitur aliquis laudari de arte scribendi, qui accomodatius laudari*

debuissent de arte militandi: eos non solum cum armis ad bellandum, sed etiam cum scriptis carminibus ad Deum laudandum processisse. Vnde non tam vt bellatores, quam vt laudatores commendantur, quasi longe maius contra hostes præsidium à diuinis laudibus, quam à bellicis machinis desumeretur.

Dub. 5. Ad illa verba, Iosue 5. vers. 13. *Perrexit ad Deum, & ait: Noster es, an aduersariorum?* Cur Iosue tam intrepide accessit ad Angelum tenentem euaginatum gladium in manu? Cur timore percitus non aufugit? Vnde illi animus impauidus?

Oratio tribuit vires ad quælibet pericula subeunda.

Respondetur. Quod oratio præstat robur, & vires ad quælibet pericula subeunda: vnde cum Iosue esset in agro solus meditans, & orans, non mirum quod accederet ad Angelum impauide, licet Angelus haberet in manu gladium euaginatum. Oratio enim vires tribuit ad quæuis pericula subeunda. Abulensis, *Perrexit ad eum, vt sciret quid sibi vellet gladius euaginatus in quo Iosue monstrauit se impauidum. Quia cum esset extra castra sua, & solus, atq; inermis in agro meditans, occurrit viro armato, nesciens an hostis esset.*

Dub. 6 Ad illa verba, 1. Reg. 2. v. 22. *Quæ obseruabant ad ostium Tabernaculi.* Hebraice habetur: *Militantibus hostio tentorij conuentus.* Cur mulieres quæ orabant ad ostium Tabernaculi militasse dicuntur? An militiã agebant?

Oratio multorum exercitus est fortissimus contra hostes.

Resp. Quod mulieres die, ac nocte ad ostium Tabernaculi preces ad Deum fundebant, quasi in statione manentes: hinc dicitur quod mulieres obseruabant, quod est participium præsentis temporis, deductum ab exercitu, quasi orantes militabant. Oratio enim multorum, exercitus est contra hostes. Maluenda: *Nihil rectius quam fuisse mulieres honestas, & religiosas, quæ circum Tabernaculum in cellulis, aut domunculis die noctuque vigilijs, precibus, alijsque pietatis exercitamentis velut in statione manentes Deo militabant.*

Dub. 7. Ad illa verba, Psalm. 34. vers. 14. *Oratio mea in sinu conuertetur.* Cur dicit Dauid, quod oratio quam fundebat pro inimicis suis in sinu suo conuertebatur, seu vt alij legunt, *Versabatur?*

Oratio, vt accepta sit Deo, fit secreta.

Respondetur. Quod Dauid secretè latenter, & sine teste fundebat preces ad Dominum pro inimicis suis. Hinc dicit, quod oratio eius in sinu suo conuertebatur, seu in sinu, qui occultus est, versabatur. Oratio enim debet esse secreta. Maluenda: *Quidam exponunt, in sinu meo, id est, tacite, silenter, apud me, submisse intus in sinu, remotis arbitris orabam pro ipsis.*

Dub. 8. Ad illa verba, Matth. 17. vers. 1. *Duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Quid agebat Dominus quando transfiguratus est?

Oratio hominem in alium mutat.

Respondetur. Quod Christus montem ascendit ad orandum, & cum oraret, transfiguratus est, vt innuat quod oratio hominem in alium transformat, & mutat. Caietanus: *Nullus Euangelista explicat, quis mons fuerit, sed quod ad orandum ascenderit, & orando transformatus est.*

Dub 9. Ad illa verba, Luc. 1. vers. 9. *Vt incensum poneret.* Incensum significat orationem. Cur oratio poni dicitur, & non dici?

Non valet oratio quæ operibus nõ iuuatur.

Respondetur. Quod oratio debet bonis operibus adiuuari. Hinc oratio non dici, sed poni dicitur manu, id est, operibus. Non enim valet oratio, quæ operibus non adiuuatur. Hugo Cardinalis: *Incensum est deuota oratio. Psalm. 40. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, quæ non dici, sed poni dicitur, quia sine dubio non valet oratio, quæ manu non ponitur ante Deum id est, quæ operibus non iuuatur. Threnor. 4. Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos. Apocalyps. 8. Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Vide in Indice *Petere.*

P

CAP. LXXXIIII.

De Passione Laborum.

DVb. 1. Ad illa verba, Iudic. 21. vers. 10. *Percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij tam vxores quam paruulos eorum.* Cur vxores, & paruoli de Galaad gladio percussi sunt cum essent innocentes? Ad quem finem mors ordinabatur?

Labores quos patiuntur homines, innocentibus sunt ad coronam, pœnitentibus vero ad purgationem.

Respondetur. Quod illa mors innocentum ad maiorem eorum coronam ordinabatur, vxorum vero, quæ in mortali non erant, ad earum purgationem, & purificationem. Labores enim innocentibus sunt ad coronam, alijs qui non sunt in culpa mortali deseruiunt ad purificationem. Cartusianus:

Fuit

Fuit mors illa innocentibus maior corona, & fœminis quæ pœnituerunt, vel in mortali culpa non erant purgatis. Vnde Iosue 7. vers. 25. *Lapidauit Hacanum omnis Israel.* Cur Hacam lapidibus obrutus, cum confessus fuerit peccatum, vers. 20. *Verè ego peccaui Domino Deo Israel?* Nempè quia Dominus voluit, Hacanum per huiusmodi pœnam quã patiebatur, expiare scelus, & pœnam inferni. Per præsentes huius mundi pœnas, quas homines patiuntur expiatur pœna, & emaculatur culpa. Maluenda: *Facile eorum sententiam amplectimur, qui alium Hacanem vera illa, & ingenua peccati sui confessione, & præsenti supplicio, culpam sceleris apud Deum, & æternam gehennæ pœnam expiasse.*

Dub. 2. Ad illa verba, Iosue 7. vers. 25. *Lapidauitque eum omnis Israel, & cuncta quæ illius erant igne consumpta sunt.* Iuxta Hebræum habetur: *Et combusserunt eos igni, & lapidauerunt eos lapidibus.* Cur Hacam duabus pœnis affectus fuit lapidationis, & combustionis? Videtur enim durissima iustitia.

Pœnam quã patiuntur homines, temperat Deus cum clementia.

Respondetur. Quod Iosue non rigidè, & seuerè puniuit Hacam, sed clementer, & misericorditer, temperans incendium lapidatione, vt citius, & mitius moreretur: hinc Hacan duplici pœna lapidationis, & combustionis fuit punitus. Temperat enim Deus pœnam cum misericordia, duplicando pœnas, vt patiens minus sentiat vnam, aut vt citius moriatur. Caietanus: *Duplicis autem pœnæ ratio non rigor iustitiæ, sed clementia potius videtur: præcepérat siquidem Deus inuentum in hoc crimine comburi, nec fas erat diuinam sententiam præterire: quia tamen Acham confessus est, dando Deo gloriam, peccatum suum, temperauit Iosua incendium lapidatione. Vt confessus qui absolui non poterat, minus sentiret tormentum incendij lapidatione, & citius, & mitius in igne moriens.*

Præuisa aduersitas minus ferit.

Dub. 3. Ad illa verba, 1. Reg. 4. vers. 12. *Curriens autem Vir de Beniamin ex acie venit in silo scissa veste, & conspersus puluere caput.* Cur vir de Benjamin venit scissa veste, & conspersus puluere caput? An non poterat nuntiare calamitatem Israel, quin vestem scinderet, & caput puluere aspergeret?

Respondetur. Quod ille vir volebat tristem euentum, quem fando præ lachrymis exprimere non poterat, lugubri habitu testari, vt lenior fieret dolor audientibus aduersitatem Israelis, dum in viro nuntiante excidium; præuidetur calamitas. Hinc nuntius vestem scidit, caput puluere aspersit, ne audientium aures repentino nuntio ferirent, sed quodammodo præpararet; dum prius habitu quam ore loqueretur. Præuisa enim mala, & aduersa minus feriunt. Mendoza: *Ne audientium aures repentino nuntio ferirẽt, sed quodammodo ad ictum præpararent, dum prius habitu, quam ore loquerentur: sic ille nuntius qui Dauidi mortem Saulis, & Ionathæ nuntiauit, apparuit veste conscissa & puluere conspersus caput. 2. Reg. 1. vers. 2. Et qui Ezechiæ blasphemias Rabsacis denuntiarunt scissis vestibus accesserunt. 4. Reg. 18. vers 37. Lenior enim fit dolor, qui non repente infunditur, sed sensim stillatur. Vnde quæri potest, cur ille nuntius, qui tam multas Iobo calamitates nuntiauit Iob 1. vers. 14. Non dicitur scissa veste, & puluere conspersus accessisse? Responderi enim potest, quia hic nuntius cum fuerit ipse diabolus, vt vult Diuus Chrisostomus, vel saltem diaboli fraude submissus & subrogatus, vt Origenes, & alij Interpretes testantur, voluit Iobi aures telo minime præuiso vulnerare, vt Sanctissimus Patriarcha repentino dolore consternatus, facilius ad impatientiam, & blasphemias contrà Deum adigeretur.*

Mala quæ patiuntur mali, sunt multa, & grauia considerato fine, bonorũ vero modica, & leuia.

Dub. 4. Ad illa verba, Psalm. 31. ver. 10. *Multa flagella peccatoris.* Cur flagella peccatorum dicuntur multa? Cum *Ieremiæ* 12. *vers.* 1. Dicatur de impijs: *Via iniquorum prosperatur, bene est omnibus qui inique agunt.* Et *Iob* 12. *vers.* 6. *Abundant Tabernacula prædonum.* Maiora quoque sunt flagella iustorum. Nam Diuus Paulus ad Hebræos 12. vers. 6. ait: *Quem enim diligit, Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Non ergo sunt multa flagella peccatorum.

Respondetur. Quod flagella, quæ patiuntur mali, sunt multa considerato fine malorum, qui licet hic flagellentur ad breue tempus, flagellabuntur tamen in æternum: flagella verò bonorum non dicuntur mala, sed bona, non grauia, sed leuia, non multa, sed pauca, quia licet hic sustineant flagella, & patiantur mala; tamen considerato fine, ad breue tempus patiuntur, vt gaudeant in æternum. Mala enim malorum sunt multa, & grauia considerato fine; bonorum verò modica, & leuia. Incognitus: *Flagellantur boni in*

præ-

præsenti vita ad breue tempus, vt gaudeant in æternum; mali autem gaudent hic ad breue tempus, vt flagellentur in æternum: cum igitur à fine res denominetur bona, vel mala, grauis, vel leuis, multiplex, vel non, hinc est quod quia finis flagellorum bonorum, qui flagellantur & corriguntur est bonus, & perpetuus, ideo ipsorum flagella non mala, sed bona, non grauia, sed leuia, non multa, sed pauca dicuntur. E contra autem considerato fine malorum, eorum flagella dicuntur mala, grauia, aut multa. Similiter quia consideratio præmij minuit vim flagelli, sic & consideratio cruciatus perpetui augere debet vim flagelli præsentis. ponamus quod duo sint in eodem carcere positi, eisdem vinculis mancipati, vnus vt probata sua innocentia coronetur, alius vt probata sua malitia decapiteturi cui carcer erit maioris flagellij? Nonne decapitando? Sic in proposito considerato fine, flagella iustorum sunt leuia, & modica, sed malorum multa, & grauia.

Dub. 5. Ad illa verba, Sapientiæ 3. vers. 5. *Quoniam Deus tentauit eos.* Cur dicitur, quod Deus tentauit iustos: cum *Iacobi* 1. *vers.* 13. dicatur de Deo: *Ipse autem neminem tentat.* Cur tanquam aurum in fornace tentat eos?

Afflictiones, quas patiuntur iusti, meliores reddũt eos.

Respondetur. Quod aurum in fornace non deterius fit, sed melius redditur, & efficitur: ita iusti cum affliguntur, & vexantur, non deteriorantur, sed meliorantur. Afflictiones enim quas iusti patiuntur, meliores reddunt eos. Lyranus: *Tentare est accipere experimentum de ignorantia, vnde & illa pars Logicæ, quæ ad hoc ordinatur, dicitur tentatiua; Deus autem nihil ignorat, & ideo non tentat sanctos per afflictiones corporis vt accipiat inde aliquam notitiam sed vt virtus patientiæ eorum nota fiat alijs ad exemplum imitationis, & propter augmentum suæ retributionis, ideo subditur tanquam aurum in fornace quod ibi non deterioratur, sed melioratur.*

Patiuntur iusti, vt patientia eorum miretur.

Dub. 6. Ad illa verba, 2. Corinth 6. vers. 4. *In omnibus exhibeamus nos ipsos sicut Dei ministros in plagis, & carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieunijs.* Cur consulit Apostolus, quod exhibeamus nos, sicut Dei ministros in laboribus, & tribulationibus. Cum *Matthæi* 11. *vers.* 30. dicat Christus: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Si ergo in tribulationibus multis debemus nos exhibere sicut Ministros Dei, non suaue, sed grauissimum est iugum Christi?

Omnes afflictiones suaues reddit amor.

Respondetur. Quod licet plagę, carceres, labores, quos patiuntur boni aspera sunt, & duri Dei ministris, quia tamen amore, & interiori feruore quo sustinentur, suaues fiunt, & dulcorantur. Hinc dicit Apostolus, quod exhibeamus nos sicut Dei ministros in plagis, & carceribus, in laboribus, & vigilijs. Cũ quo tamẽ stat iugũ Christi suaue esse, quia omnes afflictiones suaues reddit amor. D. Thomas: *Hæc sunt in seipsis aspera, sed propter amorem, & interiorem feruorem spiritus dulcorantur. Vnde Diuus Augustinus: Omnia grauia, & immania, facilia, & prope nulla facit amor.* Pro hac materia vide *Aduersitas, Pœna.*

CAP. LXXXV.

De Patientia.

Dvb. 1. Ad illa verba, Numeror. 12. vers. 1. *Locuta est Maria, & Aaron contra Moysen.* Cur Maria, & Aaron ausi fuerunt murmurare contra Moysen, quia timere debebant, quod Moyses redderet eis vicem maledicendo illis, aut cum esset Princeps populi, inferendo eis pœnam pro hac murmuratione?

Patientia alicuius causa est aliquando, quod alij audaces sint contra eum.

Respondetur. Quod aliquando patientia vnius, est causa alijs, vt contra illum agant, & illum offendant: si enim scirent se ipsum vindicaturum, eum iniurijs impetere non auderent. Hinc Maria, & Aaron ausi sunt loqui contra Moysen, quia sciebant ipsum esse mitissimum, & summe patientem, nec murmurationem, licet esset Princeps populi puniturum. Patientia enim alicuius causa est aliquando, quod contra illum alij insurgere audeant. Abulensis: *Dicitur quod non timuerunt, quia cum Moyses esset vir mitissimus, neque malediceret, neque murmuratores puniret: si tamen scirent eum non esse mitem, non auderent murmurare contra ipsum timentes vicissitudinem.*

Dub. 2. Ad illa verba, 2. Reg. 16. vers. 12. *Si forte recipiat Dominus afflictionem meam*, id est, sustinentiam afflictionis. Cur Dauid dixit Abisai, & vniuersis seruis eius, quod Dominus respexit sustinentiam afflictionis eius, cum Semei mittebat lapides contra Dauidem, & malediceret ei?

Deus non delectatur in pœna iustorum, sed in patientia quã habent in pœna.

Respondetur. Quod Dominus non gaudebat de hoc quod Semei iaceret lapis

lapides in Dauidem ; nec lætabatur, quod eum maledictione impetereț, oblectabatur tamen, quod Dauid toleranter, & æquo animo lapides, & maledictiones Semei sustineret: hinc dicit Dauid quod Deus respexit afflictionem suam, quia delectabatur Dominus in sustinentia afflictionis, & tolerantia pœnarum Dauid. Valde enim Deus delectatur in patientia iustorum. Hugo Cardinalis: *Afflictionem, id est, sustinentiam afflictionis. Dominus enim non delectatur in pœna, sed in sustinentia, seu in patientia pœnæ. Pro maledictione, id est, pro patientia maledictionis. Vnde Glossa D. Gregorij. Qui verborum contumelijs præsus virtutem patientiæ seruare non potest, vel sufficit, factum Dauid ad memoriam reuocet.*

Ad habendā patientiam valde iuuat exemplū iustorum.

2. Respondetur. Quod Dauid afflictionem suam, licet iustam, imputari sibi sperabat ad meritum. Hinc dicit Dauid, quod Dominus misericorditer forte respiceret afflictionem suam, sustinentiam suam contumelijs lacessitus. Patientia enim adhuc in ijs, quæ iuste patimur, habet meritum. Caietanus: *Forsitam respiciet Dominus ad afflictionem meam, & reddet mihi Dominus bonum pro maledictione eius die hac sciens se iuste pati, non audet in spem certam præmij, sed sub dubio ponit dicendo: Forte videbit oculo misericordiæ afflictionem meam, & imputabit ad meritum patientiam meam.*

Dub. 3. Ad illa verba, Prouerb. 16. vers. 32. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium* Iuxta Hebræum habetur: *Melior est longus furorum quam potens, & dominator spiritus sui, quam capiens vrbem.* Cur vir patiens est melior viro forti, & qui dominatur sibi, quam capiens vrbem?

Qui se ipsum sibi subijcit, melior est quam ille, qui alijs præualet.

Respondetur. Quod vrbem capiens aduersus alios præualet, qui vero ab ira se continet possidet se ipsum, & se ipsum sibi subijcit. Hinc dicitur, quod melior est patiens viro forti, & qui dominatur sibi, expugnatore vrbium. Qui enim se ipsum sibi subicit, melior est, quam ille, qui aliis præualet. Caietanus: *Iam dictum est quod longus furorum est, qui in longum protrahit irasci. Qui itaque nouit se continere ab iræ impetu, melior est, quam potens viribus exercere vindictam: & similiter longè melior est dominator spiritus proprij, quam expugnator vrbium: eo quod iste aduersus alios præualet: ille vero se ipsum possidet, se ipsum sibi subijcit, quod est maximum in virtute morali.* Vnde *Iacobi* 1. *vers.* 4. Dicit Apostolus: *Patientia opus perfectum habet*, nimirum, quia tribuit homini se ipsum possidere, quod maius est quam regna mundi possidere; & hoc est maxima perfectio operis, cum per patientiam animus proprius expugnetur, & possideatur. Caietanus: *Tantam autem perfectionem operis habet patientia, vt præstet homini possidere proprium animum, quod plus est, quam possidere Imperium olim Romanum. Vnde, & dicit, vt sitis perfecti, & integri, perfectum opponitur imperfecto, & integrum opponitur mutilo, vtrumque præstat patientia, & perfectionem vitæ, & integritatem virtutum, & quod plus est, præstat in nulla actione necessaria deficere.*

Patientia præstat integritatem virturum.

Dub. 4. Ad illa verba, Prouerb. 19. vers. 11. *Doctrina viri per patientiam noscitur.* Quommodo doctrina viri noscitur per patientiam?

Doctrina Doctoris per patientiam mēsuratur.

Respondetur. Quod patientia mensura est doctrinæ, qui multum sustinet, multum doctus manifestatur: qui parum patiens est, parum doctus est. Hinc dicitur, quod doctrina viri per patientiam noscitur, & ostenditur. Secundum enim quod homo magis, vel minus patiens est, magis, vel minus doctus ostenditur. Doctrina per patientiam mensuratur. Hugo Cardinalis: *Doctrina viri, id est, cuiuslibet Doctoris per patientiam suam noscitur, quia si multum patiens est, multum doctus ostenditur, si parum: parum; patientia enim quasi probatorium, & mensura est doctrinæ. Vnde Psalm.* 91. *Benè patientes erunt, vt annuntient Vel sic doctrina viri, id est, Christi, per patientiam propriam noscitur ab omnibus, qui cogitant quanta passus est. Quanto magis enim quis patientiam eius cognoscit, tanto ampliorem sapientiam eius agnoscit.*

Dub. 5. Ad illa verba, 1. ad Thessalonicens. 5. vers. 14. *Patientes estote ad omnes.* Cur Apostolus consulit Prælatis, quod sint patientes?

Patientia maximè Prælato necessaria

Respondetur. Quod Prælatus maximè se debet custodire ab impatientia, vnde debet infirmos fouere; cum eorum vittus sit debilis ad resistendum malis, vel ad facienda bona. Hinc consulit Apostolus Prælatis, vt patientes sint. Prælato enim maximè patientia est necessaria. D. Thom. *Subditi pati possunt defectum in virtute, quando, vel ex infirmitate peccant, vel debilitantur in bono actu, & isti sunt fouendi. Vnde dicit suscipite, scilicet, in visceribus charitatis fouendo infirmos quorum est virtus*

debi-

debilis, vel ad resistendum malis, vel ad faciendum bona. Rom. 15. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere. Prælatus autem debet se custodire à defectu cuiuscumque modi, & maximè ab impatientia, quia ipse portat totum pondus multitudinis. Numer.* 11. *Non possum solus sustinere omnem hanc multitudinem, quia grauis est mihi, & ideo dicit patientes estote ad omnes. Prouerbior.* 19. *Doctrina viri per patientiam noscitur. Psalm.* 91. *Benè patientes erunt, vt annuntient.*

Dub 6. Ad illa verba, Iacobi 1. vers. 4. *Patientia opus perfectum habet.* Cur dicitur de patientia, quod habet opus perfectum, cum omnis virtus exercitata habeat opus perfectum? Virtus enim si est virtus non errat, alioquin si errat non est virtus, quare ergo hic magis dicitur de patientia?

Qui amore Dei plenus est, tolerãter, & patienter fert aduersa.

Respondetur. Quod qui charitatis habet abundantiam, patienter tolerat, & sustinet aduersa. Hinc dicitur, quod patientia habet opus perfectum, scilicet, in ordine ad charitatem. Qui enim amore Dei plenus est, toleranter, & patienter fert aduersa. D. Thomas 2. 2. q. 184. art. 1. ad 3. *Patientia dicitur habere opus perfectum in ordine ad charitatem, in quantum ex abundantia charitatis prouenit, quod aliquis patienter toleret aduersa.* Vnde D. Thomas ad Romanos 1. Lect. 5. ait: *Manifestum est, quod detrimentum alicuius rei de facili sustinemus propter rem quam magis amamus, vnde si aliquis in rebus corporalibus, & temporalibus patienter sustinet propter bona consequenda æterna, sufficienter ex hoc probatur, quod talis plus amat bona æterna, quam temporalia.*

Dub. 7. Ad illa verba, Iacobi 1. vers. 5. *Si quis autem indiget sapientia*, qua scilicet, cognoscat vtilitatem patientiæ, *postulet à Deo.* Cur dicit D. Iacobus, si quis indiget? Nonne perfectis loquitur, qui cognoscunt vtilitatem patientiæ? Cur ergo dicit, si quis indiget sapientia, vt cognoscat patientiæ vtilitatem?

Sapor, & dulcedo patientiæ non impetratur nisi per orationem.

Respondetur. Quod multi viri adhuc perfecti vtilitatem quidem patientiæ cognoscunt non tamen cognoscunt eam cum sapore, nec eius dulcedinem sentiunt, nisi quę postulant à Deo. Hinc consulit Apostolus, quod qui indiget sapientia, vt cognoscat vtilitatem sapientiæ, postulet à Deo, quia sapientia est cognitio cum sapore? Sapor enim, & dulcedo patientiæ non impetratur nisi per orationem. Hugo Cardinalis: *Sed hoc quod dicit, quia multi cognoscunt vtilitatem patientiæ, qui non cognoscunt eam cum sapore, vnde non sine causa dicit, sapientia, id est, cognitione, quæ est cum sapore, quæ per orationem debitam impetratur. Et quod omnes perfecti non semper habent hunc saporem patet per B. Antonium qui tota nocte tribulatus Iesum vidit, & quæsiuit ab eo, vbi eras in nocte. Cui Dominus respondit: Tecum eram gaudens in tuo certamine: sed contra nunquid ipse dulcissimus est, & sapidissimus, & palatum animæ benè dispositum in perfectis; ipse autem præsens est palato animæ vt dicit Psalm.* 90. *Cum ipso sum in tribulatione, & sapor eius sentitur, sicut impossibile, quin sapor cibi materialis sentiatur, si coniunctus fuerit palato benè disposito? Solutio voluntarie saporem suum infundit Dominus, cibus autem corporalis naturaliter. Vnde non est simile, quod dicit cum ipso sum in tribulatione: verum est quod quo ad conseruationem, non quantum ad sensum, vel saporem.*

CAP. LXXXVI.

De Paupertate.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 18. v. 1. *In ostio Tabernaculi.* Cur Abraham erat in ostio Tabernaculi, potius quam intra domum?

Eleemosyna dãda est pauperi, etiam si eam non petat.

Respondetur. Quod pauperes non solum sunt recipiendi, sed inuitandi, & in vniuersum non solum impendendæ sunt pauperibus illas petentibus, sed etiam illis qui eas non efflagitant. Hinc Abraham non fuit inuentus in domo sua, sed in ostio Tabernaculi expectans peregrinos, & pauperes, quibus eleemosynam erogaret, & charitatis officia exhiberet. Pauperibus enim danda est eleemosyna, etiam illam non petentibus. Abulens. *In ostio Tabernaculi, forte faciebat ad videndum, si transirent aliqui viatores, vt reciperet eos in domum suam: multum enim hospitalis erat.*

Pauper dans minorẽ eleemosynam quàm diues, nõ inuideat diuiti, quia amittet meritum eleemosynæ.

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 30. vers. 15. *Diues non addet ad dimidium sicli, & pauper nihil minuat.* Cur diuites, & pauperes æquales esse in oblatione præcepit Deus? Cur cum tanta in æqualitate bonorum, debebat esse tanta æqualitas in rebus oblatis?

Respondetur. Quod pauper qui ob sui penuriam non potest Deo offerre in eius cultum, aut in egenorum sublevationem tantam quantitatem sicut diues, non debet ex hoc inuidiam habere,

re, quia paupertas quæ erat pauperi in meritum, in demeritum conuertetur: ideo præcepit Dominus, quod diuites, & pauperes æqualiter offerrent dimidium sicli, quia si diuites magis offerrent quàm pauperes, isti videntes se excedi à diuitibus, istis inuiderent, & quod mereri poterant pauperes ex oblatione, amitterent ex inuidia, vt ergo ista vitetur, erat in omnibus æqualis oblatio. Pauper dans minorem eleemosynam quàm dives, isti non inuideat, quia amittet meritum eleemosynæ. Abulensis: *Pauperes ex hoc sumerent occasionem inuidendi.*

Æqua est fortuna pauperis, & diuitis, cum tanti æstimet Deus munus pauperis, ac diuitis.

2. Respondetur. Quod dives est paupertas: ideo à diuite, & paupere dimidium siclum exigit Dominus. Apud Dominum enim non minus est paupertatis quam diuitiarum oblatio. Oleast. *Nunquid sapientissimè distributor, æqua est pauperis, diuitisque fortuna, vt vtrumque in soluenda redemptione æquare velis? Nunquid sapiens dispensator tam inique (vt videtur) distribuère onera præcipis? Absit, sed voluit latenter ostendere, non minus esse paupertatis quam diuitiarum munus. Quid bone pauper ingemiscis? Cogita æquam tibi cum diuite esse fortunam, aut potius Dei distributionem, & scito non tantundem Dominum a te, quam à diuite exacturum nisi tuam putaret diuitem paupertatem.*

Dub. 3. Ad illa verba, Iudic 4. vers. 2. *Et tradidit illos Dominus in manus Iabin Regis Canaam.* Cur viuente Sangar fuit pax in populo, illo vero mortuo bellum?

Pauper pacē possidet, dives bellum sibi acquirit.

Respondetur. Quod Sangar qui interpretatur incola typum gerit viri temporalium contemptoris, qui temporalia contemnit, & pauper est, in pace vivit, qui dives est curis, & sollicitudinibus tanquàm à bello vexatur. Hinc viuente Sangar pax fuit in populo, illo deficiente, populus fuit oppressus, & traditus in manus Iabin Regis Chanaam. Pauperes enim pace fruuntur. Hugo Cardinalis: *Sangar interpretatur incola, & significat viros bonos, & fortes temporalium contemptores, de quibus 1. Ioannis 2. Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & vicistis malignum: isti reputant se peregrinos mundi, non ciues, vnde Psalm. 118. Incola ego sum in terra, Sangar viuente terra fuit in pace, quia dum tales fuerunt Prælati in Ecclesia pax fuit: nullus enim de paupertate contendit. Vnde secundus Philosophus. Paupertas est odibile bonum, sanitatis mater, curarum remotio, reparatrix sapientiæ, negotium sine damno, possessio absque calumnia, sine sollicitudine fœlicitas. Sangar, id est, Prælati contemptores temporalium defecerunt. Psalm. 11. Saluum me fac Domine quoniam defecit Sanctus, id est, agios, id est, sine terra, id est, contemptor terrenorum, & ideo Israel traditus est in manus Iabin Regis Chanaam.*

Dub. 4. Ad illa verba, Ruth. 2. vers. 1. *Homo potens, & magnarum opum nomine Booz.* Cur homo tam honorabilis, & tam potens, & dives duxit in vxorem fœminam pauperem nomine Ruth colligentem spicas, vt ex illis se, & socrum suam sustentaret?

Pauperi propter Deum facto retribuit Deus plus quā reliquit.

Respondetur. Quod Ruth, reliquit terram suam, bona sua, propter Deum pauper facta est in cuius paupertatis signum spicas colligebat, & Deus nulli non retribuit abundantissimè ex ijs quæ pro eius amore homo reliquit: vnde illi qui pro eo pauper effectus est vouendo in Religione paupertatem, plus tribuit, quam reliquit, cum illi supetant omnia: supersunt enim illi, qui nihil desiderat, sed fastidit omnia. Hinc pauperrima Ruth ducta fuit in vxorem à potente, & magnarum opum viro Booz. Pauperi enim propter Deum facto retribuit Deus plus quam reliquit. Abulensis: *Ad ostendendum qualiter Deus retribuit sperantibus in se. Nam ista puella reliquerat terram suam & Deos suos, vt veniret ad colendum Deum Israel, & habitaret in terra eius: ideo iustum erat, quod Deus retribueret, & hoc ostenditur hic cum ipsa Ruth accepta fuerit in vxorem à viro potentissimo, & ditissimo.* Vnde qui propter Deum pauper effectus est omnia habet sua, & quæ reliquit, & quæ non habebat 2. *Corinth. 6. vers. 10. Nihil habentes, & omnia possidentes.* Cur omnia possidet, qui nihil habet? Abulens. in Prologo D. Hieron. ad Paulin. *Potest intelligi de illis, qui pauca habent non sufficientia sibi, sed confidentes in Domino omnia necessaria acquirunt: & tunc est sensus, quasi nihil habentes, id est, modica habentes, quæ sunt quasi nihil, quia nihil, & in vtile, vel modicum æquiparantur; & omnia possidentes, id est in illis gaudemus, & abundamus, quasi omnia possideremus.*

Qui pauper propter Deū effectus est, in præmium quæ reliquit, & quæ non habuit possidet.

Dub. 5. Ad illa verba 1. Paralipom. 22. vers. 14. *Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini.* Cur Dauid dicit, quod domus Domini ædificata fuit in paupertate: cur non in diuitijs?

Respondetur. Quod Dominus Dei de

Permanebit Ecclesia si Ecclesiastici in paupertate viuant, ruet si diuitijs abundēt.

de qua loquitur Dauid significat Ecclesiam Christi, quæ in paupertate ædificata fuit, vt permaneret, modo autem quia Ecclesiastici diuitijs abundant, non subsistit, sed ruit, cum spiritus non sit in eis. Hinc Dauid dixit quod in paupertate præparauit impensas domum Domini. Non enim ruet Ecclesia si Ecclesiastici in paupertate viuant. Hugo Cardinalis: *Argumentum est hic, quod Ecclesia fundata est in paupertate. Substractum est hic fundamentum, & ideo non mirum si ruat. Abacuc 2. Ecce iste coopertus est auro, & argento, & omnis spiritus non est in visceribus eorum. Sophoniæ 1. Argentum eorum, & aurum eorum, non poterit eos liberare in die iræ Domini.* In calce huius capitis pro paupertate Religiosa nota, quod nihil suum professo relinquit, omnia quæ habet, facit illius cuius, & ipse est, scilicet, communitatis. Tres enim sunt differentiæ communitatis, vna est in qua possessiones sunt communes, fructus vero vniuscuiusque in particulari, altera è contra in qua fructus communes sunt, possessiones vero sunt particulares: tertia in qua possessiones, & fructus sunt communitatis, & hæc est omnium perfectissima. Ex quo patet male sentiri de paupertate religiosa, quæ cum possessionibus in communi viuit, cum hæc Euangelicam paupertatem imitetur. Abulens. in cap. 3. Genes. *Fuit autem ista tertia communitas in Ecclesia primitiua inter omnes credentes in Ierusalem vt patet Actor. 3. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Ista autem communitas obseruatur apud veros Religiosos. & forte perfectius, quam tempore Primitiuæ Ecclesiæ.*

Paupertas religiosa perfecta est.

CAP. LXXXVII.

De Pace.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 49. v. 7. *Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel.* Cur Tribus Leui diuisa vagabatur, & alijs Tribus immixta erat?

Qui non habet pacem cū alijs, in pœnam, nec secum habet pacem, imò á se ipso diuisus est.

Respondetur. Quod Simeon, & Leui Sichimitas diuiserant, eorumque pacem turbauerunt. Hinc á te ipsa Tribus Leui vagabatur, & alijs tribubus immixta, & circumuaga habitabat, & diuisa, vt patet *Iosue 21. Vers. 20.* Qui enim non habet pacem cum alijs, in pœnam nec secum habet pacem, & á se ipso diuisus est. Maluenda: *Leuitæ enim non habuerunt hæreditatē, aut possessionem in terram Promissam separatam, seiunctam ab alijs fratribus: sed in alijs tribubus assignatæ fuerunt portiones, & vrbes, hinc inde procul interse diuisæ: Simeonitis non contigit sorte propria, & distincta Regio, sed Tribui Iudæ fuerunt permixti. Iosue 19. Vers. 1. & 9. Deinde sub Ezechia Rege Iuda profecti in Gador, habitauerunt ibi, aliaque pars eorum abierunt in montem Seir, & expulsis inde Amalechitis, Regionem incoluerunt, vti late refertur 1. Paralip. 4. Vers. 39. Et sequentibus: Vide S. Hieronymum.*

Dub. 2. Ad illa verba, Leuit. 3. vers. 1. *Quod si hostia pacificorum fuerit eius oblatio.* Cur illa hostia vocabatur pacifica?

In Republica vbi pax est, vnicuique redditur quod suum est.

Respondetur. Quod illa hostia faciebat pacem reddendo vnicuique, quod suum erat, scilicet, Deo, & homini, cuius erat Sacrificium, & Sacerdoti offerenti. Hinc hostia pacifica vocabatur. Vt innuat, quod in Republica vbi pax est, vnicuique redditur, quod suum est. Mercerus apud Maluendam: *Schelem, præstat in neutro genere dicere pacificum, genus Sacrificij, sic dictum, iuxta Hebræos ex libro Siphra, quod pacem faceret inter offerentes, Deum, & Sacerdotes. In eo enim suum cuique tribuebatur, sanguis, & adeps Altari, pectus, & armus Sacerdoti, reliqua caro, & cutis ei cuius erat oblatio.*

Qui paci studet, omnia bona habet, fortunatus est, fœlix, & beatus.

2. Respondetur. Quod vbi nos habemus *hostia pacificorum*, alij legunt: *Sacrificiorum integritatum, & perfectionum*, quia hoc Sacrificium offerebatur pro integritate domus, & incolumitate, vt nihil illi deesset, nec aliquid mali accideret, omnia essent, & prospera, & secunda. Qui enim paci studet, omnia bona habet, fortunatus est, & beatus. Oleaster ad litteram: *Quia verbum salam significat proprie perficere, complere finire, interare, melius vertendum puto Sacrificium integritatum, seu perfectionem. quoniam pro domus incolumitate, & integritate, vt scilicet, nihil ille deesset, nihil mali accideret offerebatur. Vnde cum quæritur aliquando de pace in sacris litteris, & dicitur, est ne pax tali? Potius vertendum puto, est ne illi integritas? Vt sit sensus: accidit ne illi aliquid infortunij, quo illi aliquid desit, puta salus, aut substantia, aut quid simile.* Et Maluenda: *Sacrificium pacium. Pacificorum integritatum, incolumitatum, perfectionum, salutum, fœlicitatum, fortunatorum.* Vnde bona quasi bona non

sunt

sunt deficiente pace, & mala quasi mala non sunt habita pace. Leuitic. 26. ver. 5. *Absque pauore habitabitis in terra vestra.* Cur Israelitis promittit Dominus habitaturos sine terrore? An quia temporalibus abundabant, & temporalibus affluentes, cum timore viuunt?

Sine pace bona quasi bona non sunt.

Resp. Quod qui pacem non habet, non potest dicere quod habet bona temporalia, esto multis abundet, quia cum pauore nulla bona possunt talia reputari. Hinc Dominus promittit Israelitis pacem, & securitatem ab hostibus, cum multis diuitijs locupletati esse. Sine pace enim bona quasi bona non sunt, & ea habita mala quasi mala esse desinunt. Abulensis. *Hic promittitur secundum bonum; scilicet, securitas ab hoste, quod est habitare sine terrore. Homines enim habentes hostes sine terrore non habitant, ne hostes per insidias, aut impetum factum præualeant contra ipsos: & hoc est magnum bonum quoniam sine pace, & securitate hominis non fruuntur bonis suis: pax autem efficit dominos hominum rerum suarum, bellum autem omnia inquieta reddit.* Et infra ver. 6. *Dabo pacem in finibus vestris.* Prosequitur Abulens. *Id est, ego faciam esse pacem in tota terra vestra. intra terminos possessionis vestræ. Est enim magnum bonum hoc quod Deus promittit hic, sine quo nullius boni temporalis potest esse iocunda possessio. Supra namq; promiserat Deus Iudæis fertilitatem in terræ uascentibus, hic autem promittit pacem ad delectationem in possessione illorum, nihil quippe ista bona cumulata cum continuata mentis inquietudine, & formidine prosunt.*

Dub. 3. Ad illa verba, Leuit. 21. vers. 14. *Puellam de populo suo ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ.* Hinc dicit *Rodulphus*, quod summo Pontifici non licebat ducere vxorem nisi nobilem, & de Tribu sua, id est. Leuitica. Cur non licebat Pontifici vxorem accipere de alia Tribu præter Leuiticam? Cum 4. *Reg.* 11. Sacerdos magnus Iojadas acceperit in vxorem Iosabam filiam Regis Ioram: ergo de Tribu Regia poterant Summi Sacerdotes accipere vxorem. Similiter Aaron duxit vxorem Elizabeth sororem Naason, quæ erat de Tribu Iuda, vt legitur *Exod.* 6. Poterat ergo Summus Sacerdos ducere vxorem de alia Tribu quam Leuitica.

Resp. Quod licet prohibitum fuerit Summo Sacerdoti ducere vxorem de alia Tribu à Leuitica, tamen concessum est ei accipere vxorem de Tribu Regia, quod congruebat ad bonum regimen Reipublicæ, quia sic erat pax, & concordia inter Regem, qui gubernabat in temporalibus, & Sacerdotem Summum, qui regebat in spiritualibus. Non erit rectum regimen Reipublicæ nisi fuerit pax inter Gubernatores Ecclesiasticos, & temporales Lyran. *Fuit concessum, vt posset accipere vxorem de stirpe Regia, vt Rex qui præesset in temporalibus, & Summus Sacerdos qui præesset in spiritualibus, essent magis concordes, quod faciebat ad bonum regimen populi, & talis commixtio videtur concedi, per hoc quod subditur, ne commisceat stirpem generis sui, vulgo gentis suæ, id est, communibus de populo, & per hoc videtur concedi commixtio cum stirpe Regia.*

Non erit bonum regimen populi, nisi fuerit pax inter Rectores Ecclesiasticos, & temporales, inter Sacerdotes, & Sæculares.

Dub. 4. Ad illa verba, 2. Paralipom. 8. vers. 2. *Ciuitates quas dederat Hiram Salomoni ædificauit Salomon.* Cur dicitur quod Hiram Rex Tyri dedit Salomoni Ciuitates. Cum 3. Reg. 9. vers. 11 legatur oppositum: *Tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galileæ.* Ergo Salomon dedit Hiram Ciuitates, non Hiram Salomoni.

R. Quod Salomon dedit Hiramo viginti Ciuitates, & Hiramus amica vicissitudine dedit Salomoni alias viginti Vrbes in ditione sua, vt mutua largitione munerum pax inter eos firmaretur. Pax enim stabilitur, vbi est amica munerum vicissitudo. Maluenda: *Conciliant, Salomonem dedisse viginti Vrbes ipsi Hiramo, vt 1. Regum dicitur, & vicissim ipsum Hiramum dedisse ipsi Salomoni alias viginti Vrbes in ditione sua, quo pax inter eos firmior, & stabilior haberetur.*

Pax stabilitur, vbi est amica munerum vicissitudo.

Dub. 5. Ad illa verba, Psalm. 72. vers. 3. *Pacem peccatorum videns.* Cur dicit Dauid quod pax est peccatoribus. Cum *Isaiæ* 5. *Vers.* 21. scriptum sit: *Non est pax impijs.* Cur ergo dicit Psalmista, quod pax est peccatoribus.

R. Quod peccatores habent pacem huius mundi, quæ non est vera pax, & de hac dicit Dauid, quod vidit pacem peccatorum, quia in prosperitate, & tranquilitate viuunt, pacataque sunt eorum domus, sine perturbatione: non tamen habent pacem pectoris, & æternitatis, cum corde, & pectore: & animo sint inquieti, & de hac loquitur Isaias, *quod non est pax impijs*, quia etiam secum vexantur, nec est pax conscientiæ, siue pectoris.

Peccatores habent pacem huius mundi: iusti vero pacem conscientiæ.

nec pax æternitatis, sed pax mundanæ prosperitatis, at illa pax non est pax, sed guerra. Iusti vero pacem habent conscientiæ, & æternitatis. Hugo Cardinalis: *Triplex est pax, mundi, pectoris, æternitatis de prima. Iob 21. vers. 9. Domus eorum securæ sunt, & pacatæ; hanc habent impij, secundam vero, & tertiam non habent impij, sed Discipuli Christi. De quibus Ioann. 14. vers. 27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*

Dub. 6. Ad illa verba, Isaiæ 60. vers. 17. *Ponam Visitationem tuam pacem.* Alij legunt: *Ponam præfecturam tuam pacem, vel Episcopatum tuum.* Quasi dicat: præficiam tibi homines pacificos: cur Prælatis, & Episcopis pax commendatur?

Prælati munus, & Episcopi officiū est populum in pace continere, & conseruare.

Respondetur. Quod munus, & officium Prælati est populum in pace continere, & conseruare, dissidentes componere. Hinc Prælatis pax mandatur, committitur, & imponitur. Officium enim Prælati est pacem in Republica tueri. Maluenda: *Ponam præfecturam tuam, vel Episcopatum tuum: sic enim hæc vox redditur. Psal. 108. v. 8. Et id proprie significat pacem, id est, munus, & officium pastorum, Episcoporum, Magistratuum tuorum, pacificum, tranquillum pacatum salutare. Quantus sane fuit hactenus numerus Sanctissimorum Episcoporum Ecclesiæ, qui rem Ecclesiasticam Diuinitus administrarunt. Etsi hæc de Magistratibus Ecclesiasticis, & politicis accipi queant, singulariter tamen in Pontificatum, seu Episcopatum Romanum mirifice competunt, quem posuit Deus in Ecclesia pacem, id est, vt pacem inter dissidentes Principes, & Fideles Ecclesiæ componat, vt omnia in pace, & tranquillitate contineat, tuuatur, conseruet quasi dicat. Supremum Iudicem controuersiarum Religionis, vel pacem, id est, opulentissimum, prosperrimum, fortunatissimum, fœlicissimum: hæc enim in scriptura nomine pacis solent designari, aduersus quem portæ inferi nunquam sunt prævalituræ.*

(***) (***)

(***) (***)

(***)

CAP. LXXXVIII.

De Peccatore.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 6. vers. 5. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra.* Cur describitur tunc temporis hominum malitia non vna, sed multa?

Qui non ex imbecillitate, aut passione, sed ex malitia peccat, insanabilis, & incorrigibilis est.

Respondetur. Quod homines illi non peccabant ex imbecillitate, aut passione, sed ex malitia vnde incorrigibiles erant. Hinc Moyses describens illius temporis homines, narrat, quod ex malitia peccabant, vt ostendat fuisse insanabiles, & difficiles domandi, incorregibiles quoque. Qui enim non ex imbecillitate, nec passione, sed ex malitia peccat, insanabilis, & incorregibilis est. Caietanus: *Primum vitium describitur in voluntate hominum malitia, non imbecillitas, non passio, sed quod in voluntate pessimum est malitia: nec ea parua, aut vna, sed multa: vt hinc intelligamus homines vsque adeo declinasse in malum, quod peccabant ex malitia, ac per hoc incorregibiles erant.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 35. vers. 4. *Et inaures quæ erant in auribus eorum infodit eis.* Cur Iacob noluit fundere in aures illas, & aurum, & argentum in vsus suos conuertere? Cur infodit eas?

Qui perfectioni studet, omnia quæ sunt materia, & irritamenta peccati, debet à se abijcere, ne si maneant reliquiæ, & materia peccatorum, iterū ad pristina peccata reddeat.

Resp. Quod Iacob ad statum perfectionis ascendens, voluit abijcere omnia idola, ne in posterum ad nouos deos conflandos materia essent, & irritamentum. Hinc Iacob omni domui suæ dixit, quod abijcerent omnes deos alienos, quia Rachel secum asportabat idola patris sui, & alij qui erant in eius societate alia ad idololatriam attinentia, gestabant, in aures quoque infodit in terra, nec in vsus domus suæ conuertit, ne aliquid relinqueretur, quod eis iterum ad idololatriam, & peccatum traheret. Qui enim perfectioni vult studere, omnia quæ sunt materia, & irritamentum peccati, debet à se abijcere, ne iterum ad pristina peccata reddeat. Lyranus: *Hoc autem dixit, quia Rachel vxor sua secum asportauerat idola patris sui, vt supra dictum est cap. 31. Alij etiam qui erant in societate sua, quia conuersati fuerant inter idololatras plura secum habebant, ad idololatriam pertinentia, & quia in præda Sichem, idola acceperant, ideo Iacob ad statum perfectionis ascen-*

ascendens, omnia talia voluit abijcere, & infidit eas tanquam res detestabiles, & ideo noluit fundere illa & aurum, & argentum de idolis in vsus suos conuertere.

Dub. 3. Ad illa verba, Numeror. 26. vers. 10 *Aperiens terra os suum deuorauit chore.* Cur chore dicitur deuoratus à terra: cum Numeror. 16. vers. 35. Legatur quod *ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum*, non ergo chore fuit deuoratus à terra, sed exustus.

Respondetur. Quod chore combustus fuit, & à terra deuoratus, nam exustus, subito terra cadauer eius excepit. Hinc dicitur, quod aperiens terra os suum deglutiuit eum, similiter quod incendio perijt. Deus enim multiplici pœna afficit peccatorem. Hugo Cardinalis: *Reuera incendio periit chore, sed dicitur absortus à terra, quia subito exustum, terra eius cadauer accepit.*

Deus multiplici pœna afficit peccatorem.

2. Respondetur. Quod Datham, & Abiron fuerunt absorpti à terra, similiter, & chore dicitur, & intelligitur cum complicibus suis à terra deuoratus. Qui enim similes sunt in culpa, erunt similes in pœna. Hugo Cardinalis: *Attribuitur chore, quod complicibus suis accidit scilicet, Datham, & Abiron.* Vide dub. 5. *Pœna.*

Qui similes sunt in culpa similes erunt in pœna.

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 2. vers. 2. *Qui pergentes ingressi sunt in domum mulieris meretricis nomine Rahab, & quieuerunt apud eam.* Cur exploratores ingressi sunt in domum meretricis: cum *Matthæi* 10. *vers.* 11. dicat Dominus Discipulis: *In quancumque autem Ciuitatem, aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis.* Sed meretrix non erat digna talium hospitum, nec interrogauerunt exploratores, quæ, & qualis erat mulier non ergo debuerunt ingredi domum eius.

Respondetur. Quod Rahab meretrix fuerat, tamen iam non erat meretrix: vnde exploratores conuenienter ingressi sunt ad eam, quia digna erat talium hospitum, cum vitæ suæ mutationem fuisset, licet vero meretrix non esset, tamen vocatur meretrix non pro eo quod in præsentiarum erat, sed pro eo quod fuit. Qui enim fuit peccator, licet nunc meliorem vitam instituerit, pro peccatore habetur. Hugo Cardinalis: *Meretrix fuit ante, tunc non erat, tamen dicebatur meretrix, sicut Simon, leprosus vocabatur, sicut quando fuerat leprosus.*

Qui fuit peccator, licet nunc meliorem vitam instituerit, pro peccatore habetur.

Dub. 5. Ad illa verba, Iosue 23. vers. 14. *Auferte Deos quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia, & in Ægypto, ac seruite Domino.* Cur Iosue dicit istis Hebræis, quod abiiciant Deos alienos, cum nunquam isti habuerint Deos alienos. Dicitur enim Iosue 23, vers. 8. *Adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis vsque in diem hanc.* Ergo si isti semper adhæserunt Deo vero, non habuerunt Deos alienos quos abijcere debebant.

Respondetur. Quod Hebræi quibus loquebatur Iosue licet semper adhæserint Deo vero, tamen cogitabant Deos alienos colere. Hinc dicit Iosue, quod abijciant Deos alienos, id est, malas cogitationes de Dijs alienis obseruandis, ne ex cogitatione mala ad executionem, & cultum Deorum protrahantur. Malas cogitationes debet peccator abijcere, ne in consensum dilabatur. Hugo Cardinalis: *Diuus Augustinus dicit, quod quasdam malas cogitationes habebant de Dijs colendis, quas monet abijcere Iosue.*

Malas cogitationes debet peccator abijcere, ne in cõsensum labatur.

Dub. 6. Ad illa verba 1. Reg. 13. vers. 1. *Filius vnius anni erat Saul cum regnare cæpisset: duobus autem annis regnauit super Israel.* Cur dicitur, quod Saul regnauit duobus annis super Israel: cum Actor. 13. vers. 21. dicatur quod Saul regnauit quadraginta annis: *Postulauerunt Regem, & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de Tribu Beniamin annis quadraginta*, ergo non est verum, quod regnauit tantum duobus annis super Israel.

Respondetur. Quod Saul regnauit quadraginta annis, vt dicitur in actis, regnauit tamen existens in malitia, & peruersitate: duobus vero annis regnauit in bonitate, & innocentia, & simplicitate, & isti tantum numerantur hic, non illi in quibus malus fuit. Solum enim numerandi sunt anni vitæ quibus homo benè viuit, non vero quibus malus est. Maluenda: *Filius vnius anni, seu anniculus erat Saul, id est, purus, simplex, innocens, candidus, tanquam infans vnius anni erat Saul cum Regnum occepit, & duobus annis eadem integritate, & innocentia Regnum gessit.* Auctor Traditionum: *Sic enim erat innocens quando regnare cœpit, sicut filius est vnius anni, & in eadem innocentia duobus regnasse annis dicitur.*

Solum numerandi sunt anni vitæ, quibus homo benè viuit, non vero quibus malus est.

Dub. 7. Ad illa verba 2. Reg. 12. vers. 14. *Verum tamen quoniam blasphemare*

mare feciſti inimicos Domini propter verbum hoc, filius qui natus tibi morietur. Cur pro peccato Dauidis filius erat morte puniendus? Cum Ezechielis 18. verſ. 20. dicatur: *Quod filius non portabit iniquitatem patris.* Ergo filius non debuit morte puniri pro peccato patris ſui.

Miſericordia Dei eſt vitam auferre peccatori oppotuno tempore, ne deterior fiat.

Reſp. Quod Ezechiel loquitur de pœna æterna, qua filius non punietur pro peccato patris: hic autem punitur filius pro peccato pœna temporali, ne ſi diutius viueret, deterior fieret, & in peius rueret. Hinc dicit Dominus Dauidi, quod pœna temporali punietur filius eius, quod miſericordiæ Dei eſt. Miſericordia Dei eſt vitam auferre peccatori opportuno tempore, ne deterior fiat. Hugo Cardinalis: *Ezechiel loquitur de pœna æterna: hic vero filius punitur pœna temporali pro peccato patris, & hoc quandoque facit Deus, vt dicit Diuus Auguſtinus: Sed quæ iuſtitia eſt, vt vnus peccet, & alius puniatur etiam temporaliter? Sed dicimus, quod iuſtitia eſt quo ad patrem, qui punitur in filio, miſericordia vero quo ad filium, qui ſi viueret, peior forſitam efficeretur, & melius eſt ei, ſic mori quam viuere.*

Deus gerit ſe cum peccatore, ſicut peccator gerit ſe cum Deo.

Dub. 8. Ad illa verba, Pſalm. 70. ver. 12. *Deus ne elongeris à me.* Cur petit Dauid, quod Deus non elongetur ab eo cum Deus ſpiritus incircunſcriptus ſit, qui loco non comprehenditur, qui eſt vbique per præſentiam, eſſentiam, & potentiam, & nullibi deeſſe poteſt, & perconſequens à nulla re poteſt elongari.

Reſp. Quod Deus elongatur à peccatore, quando homo elongatur à Deo per peccatum: inde dicit Dauid, Deus ne elongeris à me; licet per peccatum elongauerim me à te: Deus enim gerit ſe cum peccatore, ſicut peccator gerit ſe cum Deo. Incognitus: *Specialiori modo eſt Deus cum hominibus iuſtis, quam in cæteris rebus, vt oſtendit Diuus Auguſtinus lib. de Præſentia Dei ad Dardanum, dicens: Cum Deus ſit naturaincorporea, & incommutabiliter vna æterna ſtabilitate in ſe ipſa manens, totus adeſt rebus omnibus, & ſingulis ineſt totus, ſed in quibuſdam habitat, habent eum pro ſuæ capacitatis diuerſitate, alij amplius alij minus. Quamuis ergo ſit impoſsibile Deum ab aliqua re elongari per eſſentiam, potentiam, & præſentiam, tamen eo modo quo eſt in iuſtis per gratiam elongari poteſt; ſcilicet quando ſubtracta gratia, vel protectione ſua ipſos ſuis viribus exponit. Et ſic Deus elongatur à nobis quando nos per peccatum elongamur ab eo.*

Dub. 9. Ad illa verba Pſalmi 118. verſ. 8. *Non me derelinquas vſque quaq;* Quid eſt derelinqui vſque quaque à Deo? Cur Dauid petit ſic non derelinqui cum ipſum Chriſtum dereliquerit Deus. Vnde Matth. 27. verſ. 44. Patri dicit filius: *Vt quid me dereliquiſti? Et Pſalm. 21. verſ. 1. Deus Deus meus reſpici in me, quare me dereliquiſti?* Ergo ſi Chriſtum dereliquit Deus, quanto magis nos?

Obſtinatos peccatores, & contumaces ſolet Deus ex toto derelinquere.

Reſpondetur. Quod Deus ſolet derelinquere iuſtum ad horam, vt probet eum, ſed derelinquere vſque quaque, ſcilicet, ex toto, vel totaliter deſerere, non conſueuit Dominus, niſi peccatores obſtinatos, vt Iudam, qui pertinaciter tenax fuit ſuæ malitiæ. Hinc Dauid petit ne derelinquatur à Deo, nec ex toto deſeri, cum in peccato non fuerit pertinax. Obſtinatos enim peccatores, & contumaces ſolet Deus ex toto deſerere. Hugo Cardin. *Solutio habetur per hoc quod dicit Vſque quaque, quaſi dicat etſi ad horam derelinquas, vt probes, ſicut Iob 2. Vel vt mihi infirmitatem meam notam facias, ſicut Petro hicæ 22. Non tamen derelinquas vſque quaque, id eſt, ex toto, ſicut Iudam, Ioan. 13. De hac hora, vel relictione. Iſaiæ 54. verſ. 7. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. Iſaiæ 60. verſ. 15. Pro eo quod fuiſti derelicta, & odio habita, ponam te in ſuperbiam ſæculorum.*

Deus aſſiduus eſt in vocatione peccatorum.

Dub. 10. Ad illa verba, Cant. 6. verſ 12. *Reuertere, reuertere, Sulamitis, reuertere, reuertere.* Vox eſt Dei ad peccatorem. Cur quater vocat Dominus peccatorem, cum ſufficeret, ſemel vocare?

Reſpondetur. Quod Dominus multis modis vocat peccatorem, beneficiendo, ei puniendo, inſpirando, prædicando. Hinc quater vocat peccatorem, ne vllum omittat vocationis modum. Deus enim aſſiduus eſt in vocatione peccatorum. Hugo Card. 2. Reg. 14. in fine: *Quater dicit reuertere, quia quatuor modis vocat Dominus peccatores, ſcilicet, per beneficia, per flagella, per prædicationem, per inſpirationem. Vnde Prouerb. 1. Sapientia foris prædicat in plateis, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua, dicens: Vſque quo paruuli diligitis infantiam? Ecce quatuor vocationes, & tamen*

nullus

nullus audit, vnde ibidem sequitur: Vocasti, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, & despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. sic reprobri nolunt Domino respondere. Boni verò statim respondent. Vnde 1. Reg. 3. Vocauit Dominus Samuel qui respondens, ait: Ecce ego. Item Iob 14. Vocabis me, & ego respondebo tibi. Item Abacuc 2. Contemplabor vt videam, quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me, id est, qualiter. Primæ enim vocationi respondendum est per gratiarum actionem. Vnde 1. Thessalonic. 5. In omnibus gratias agite. Secundæ per patientiam. Vnde Sapientiæ 2. Contumelia, & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam illius, & probemus patientiam. Tertiæ per fidei obedientiam. Hebr. 11. Credere oportet accedentem ad Deum. Quartæ per consensum, & operationem, quod multi non faciunt, quibus dicit Apostolus 1. Thessalonic. 5. Spiritum nolite extinguere.

Peccator qualiter debet respondere vocationi diuinæ.

Dub. 11. Ad illa verba, 1. Petri 2. vers. 16 *Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem.* Quommodo libertas est velamen malitiæ.

Homines tanto licentius, quanto minus sunt subiecti.

R. Quod multi sunt homines, quod gaudentes aliqua exemptione, & priuilegio liberius peccant. Hinc dicit Apostolus, quod suam libertatem faciunt velamen malitiæ, cum ipsi deberent esse liberi à seruitute peccati. Homines enim tanto licentius peccant, quanto minus sunt subiecti. D. Thom. *In velamen malitiæ, vt tanto licentius peccetis, quanto minus iugo seruitij estis præsi. Hoc autem dicit Apostolus, contra quosdam qui dicebant, quia filius scilicet, Dei nos liberauit, verè liberi sumus, & nemini seruire debemus, & ideo superioribus negabant iura sua, tales erant Iudæi dicentes Ioannis 8. Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam. Talia sunt aliqua Monasteria, & aliquæ personæ, quæ habent libertatem, quasi velamen malitiæ, quia gaudent priuilegio exemptionis, ne visitentur ab ordinarijs & sic liberius peccant. Ad Galatas 5. Vos in libertatem vocati estis fratres, nec tamen libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem seruite inuicem.*

Dub. 12. Ad illa verba, 2. Petri 2. vers. vlt. *Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in voluntabro luti.* Cur peccatores comparantur cani reuertenti ad vomitum.

Iteratio peccatorem abominabiliorē quam antea reddit peccatorem.

R. Quod canis reuersus ad vomitum sordidior, & abominabilior est: ita peccator ad peccata reuertens magis sordidus, & abominabilis fit coram Deo. Iteratio enim peccatorum abominabiliorem quam ante reddit peccatorem apud Deum, D. Thom. *Hoc autem dicit, quia sicut canis comedit iterum quod euomuit, & immundior, & abominabilior postquam comedit quod euomuit, quam ante: sic isti prius loti à peccatis in Baptismo, vel pœnitentia, cum postea recidinant, immundiores sunt, & magis abominabiles quam prius. Talibus nihil prodest sua lotio. Ecclesiast. 34. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid prodest lauatio eius. Et supple tales sunt sicut sus lota in voluntabro luti, id est, in luto, in quo se reuoluit. Glossa: Sus dum in luto lauatur, sordidior redditur, sic qui peccatum plangit, nec tamen deserit, pœnæ grauiori se subijcit. Ierem. 2. Quam vilis facta est rursum iterans vias tuas.* Hinc relapsus in peccatum, maius peccatum est, & maiori pœna dignus, quam si semel tale peccatum committeretur. Iosue 22. vers. 17. *Vsque in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet.* Cur duæ Tribus, & dimidia constituentes altare, arguuntur à nouem Tribubus?

Peccati iteratio maius peccatum est & nimis vituperabile.

Resp. Quod mirum erat quod adorassent Beelphegor: & non solum quod fecissent, sed quod vsque modo perseuerarent in eius adoratione. Hinc à nouem Tribubus reprehenduntur, quia peccati iteratio maius peccatum est, & grauiori pœna dignum. Abulen. *Hoc erat nimis reprehensibile, quia quod aliquis semel peccet, non est tam vituperabile, quod autem maneat desiderium ad peccandum, & repetat actum, vituperabile nimis est.* Vide in Indice, *Peccator.*

CAP. LXXXIX.

De Peccato.

Vnum peccatū in alia peccatorem trahit.

DVB. 1. Ad illa verba, Genes. 9. vers. 22. *Et nunciauit fratribus suis foras.* Cur Cham nuntiauit fratribus quod Noe haberet verenda nudata? Cur exiuit foras, vt nuntiaret? Cur non vni, sed duobus retulit?

Resp. Quod Cham multa peccata congessit. Hinc non operuit patrem nudatum in Tabernaculo suo, nuntiauit non vni tantum, sed duobus fratribus, & ad hoc nuntiandum

foras egressus est. Vnum enim peccatum in alia peccatorem trahit. Caietanus: *Multiplex peccatum congeritur, & quod non operuit patrem; & quod nuntiauit non vni tantum, sed duobus fratribus, & quod foras ad hoc exiuit.* Vnde peccatoris proprietas est vnum peccatum alteri addere. Deuteronom. 1. vers. 41. *Peccauimus Domino: ascendemus, & pugnabimus.* Cur mentio fit de peccato inobedientiæ commisso, cum Deus mandauerat eis intrare terram Promissionis, & noluerunt?

Peccatum ita excæcat peccatorem, quod peccatis addit peccata.

Respondetur. Quod proprium est peccatoris vnum peccatum post aliud committere, & ab vno viam ad aliud parare. Hinc cum Israelitæ peccassent, non obediendo Deo, qui præceperat ingressum in terram illam, nunc præcipiente ne ingrederentur, ingredi promittunt addendo super priorem inobedientiam secundam. Peccator peccata peccatis ex sua proprietate addit. Abulensis: *Excæcabat eos peccatum graue vt priori inobedientiæ nouam inobedientiam superadderent. Prius mandauerat Deus ascendere, & noluerunt, nunc mandat eos non ascendere, & ascenderunt. Ecce facti sunt filij contradictionis, & vt arcus prauus conuersus contra tenentem se.*

Dub. 2. Ad illa verba, Gen. 49. vers. 4. *Effusus es sicut aqua.* Alij legunt: *Festinus, aut leuis sicut aqua.* Cur Iacob comparat Ruben festinantiæ aquæ?

Peccator multa temporalia propter peccatum amittit, & alijs dantur.

Respondetur. Quod sicut aqua cum festinatione transit: ita dignitas primogenituræ Rubenis cito transitura erat propter peccatum Rubenis, & incestum patratum, cognoscendo vxorem paternam, vt habetur *Genes.* 35. Hinc Ruben dicitur festinus, seu festinantia, leuitas, rapiditas, instabilitas, velocitas, motus. Peccator enim multa temporalia propter peccatum amittit. Oleaster ad litteram: *Si ergo hic festinum vertas: sensus est, eris festinus, id est, cito perdes dignitatem primogenituræ, quem admodum aquæ cum festinatione transeunt. Nam 1. Paralipom. 5. Habes de Ruben: ipse fuit primogenitus, & cum violasset thorum patris sui, data est primogenitura eius filijs Ioseph filij Israel: transiit ergo cito eius primogenitura in aliam Tribum; scilicet, Ioseph, qui duobus filijs; scilicet, Ephraim & Manasse duplicem portionem substantiæ paternæ hæreditauit. Et idem sensus est si leuem legas, aut festinus vt aqua, id est, non considerans malum quod volebas perpetrare quantum esset.*

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 44. vers. 15. *Cur sic agere voluistis?* Cur Ioseph fratres suos de voluntate furandi scyphum arguit, non vero de furto?

Peccata voluntatis impunita non manebunt.

Respondetur. Quod peccata voluntatis seuerè puniet Dominus. Hinc Ioseph arguit fratres suos, quod voluntatem habuerint furandi scyphum. Non enim peccata voluntatis impunita manebunt. Hugo Cardinalis: *Nota voluntatem arguit Ioseph quia solius voluntatis opera punientur.* Diuus Bernardus: *Tolle propriam voluntatem & infernus non erit.* Et Diuus Augustinus: *Omne peccatum adeo est voluntarium, quod si non sit voluntarium non est peccatum.*

Dub. 4. Ad illa verba, Exod. 32. vers. 3. *Fecitque populus quæ iusserat deferens in aures ad Aaron.* Iuxta Hebræum habetur: *Et abrumpere se fecerunt omnis populus monilia auri.* Cur populus statim, ac Aaron iussit afferre in aures tam facile, & propè fregerunt ea?

Peccator facilis, & promptus est ad peccatum.

Respondetur. Quod paratus erat populus ad idolatriam. Hinc abrumpere voluerunt monilia auri ad cõflandum vitulum, statim ac Aaron adferre iussit ad se in aures, vt promptum animũ, & paratum ad peccatum ostenderet. Peccator enim facilis, & promptus est ad peccatum. Maluenda: *Rectè notant Hebræi ipsum hic Moysem verbo, vt indicaret quam magno & prompto animo priuauerunt se pretiosis quibusque, vt idolum conflarent. Nota immanem rabiem idolatriæ.* Vnde Moyses arripiens vitulum quem fecerant combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & *dedit ex eo potum filijs Israel.* Cur ex puluere vituli dedit eis potum? Vt insinuaret Moyses quod ea facilitate patrabant peccatum, ac homo bibit aquam. Maluenda: *Possit quoque eo facto videri Moyses voluisse traducere effrænem, ac præcipitem Israelitarum temeritatem, qua in scelus idolatriæ tanta facilitate, & leuitate ruerunt: quod eo modo bibendi in sacris litteris indicatur: factum valde fœdum, ac pudendum. Iuxta illud Iob 15. vers. 16. Abominabilis, & putidus, fœtidus vir bibit, sicut aquam iniquitatem.*

Dub. 5. Ad illa verba, Leuitici 10. vers. 3. *Quod audiens tacuit Aaron.* Cur Aaron non rogauit pro filijs suis Nadab & Abiu, cum à Domino puniti fuerunt?

Peccator nullam excusationem habet coram Deo.

Respondetur. Quod Nadab, & Abiu

Abiu peccauerunt offerentes coram Domino ignem alienum, id est, externum peregrinum, id est, non diuinum, non à Deo miraculosè immissum, non sumptum ex altari holocaustorum, non deinde sacrum, quod fecerunt contra verbum Dei, vnde nullum habuerunt excusationis velamen. Hinc cum ignis deuorauit eos, examinauit, vitam ademit, Aaron tacuit, neque preces fudit pro filijs suis iustè à Deo puniti. Peccator enim nullam excusationem habet coram Deo. Malenda: *Obmutuit Aaron, vel obmutescere factus fuit nam est verbum passiuum, hoc est, nihil habuit, quod iudicio diuino opponeret in filiorum excusationem.*

Dub. 6. Ad illa verba, Numeror. 16. vers. 2 *Surrexerunt contra Moysem & qui tempore Concilij per nomina vocabantur.* Iuxta Hebræum habetur: *Vocati præparationis, viri nominis.* Cur Principatus, & dignitas horum qui insurrexerunt contra Moysem describitur?

Peccatum augetur ex dignitate personæ peccantis.

Respondetur. Quod ij erant de primoribus Israelitis, quos Moyses de rebus magnis, vel consulturus, vel sententiam dicturus aduocabat, & viri nominis dicti, quia famosi, celebres, & inclyti, & vt habet Hispanica translatio, *de los del Consejo*, vel *llamados del Ayuntamiento.* Hinc eorum dignitas refertur vt à qualitate personarum conspirantium, & insurgentium contra Moysem, grauitas peccati eorum deprehendatur. Peccatum augetur ex dignitate personæ peccantis. Caietanus: *Describuntur isti complices, non solùm à Principatu quod erant Principes populi, sed etiam ex eo quod erant patres conscripti: hoc enim ad litteram significatur dicendo Vocati præparationis, hoc est, non ab aliquo euentu, non ex gratia, sed ex præparatione vocabantur ad Concilium. Erant enim deputati, seu electi ordinarij Consiliarij. Commendantur quoque tertio à fama dicendo, quod erant viri nominis proculdubio in populo. Et hæc omnia scribuntur, vt magnitudo conspirationis contra Moysem, & Aaron, ex qualitate conspirantium perpendatur.*

Dub. 7. Ad illa verba, Iosue 7. vers. 25. *Lapidauitque eum omnis Israel, & cuncta quæ illius erant igne consumpta sunt.* Cur cuncta quæ erant Hacanis, igne combusta fuerunt, cum sufficeret eum lapidare?

Punit Deus peccatorem, & omnia quæ sunt instrumenta peccati eius.

Respondetur. Quod omnia quæ fuerunt Hacanis, materia fuerunt, & instrumenta peccati. Hinc non solum pro peccato fuit lapidatus, & exustus: sed & omnia eius igne combusta fuerunt. Vindicat enim Deus non solùm in peccatorem, sed & in omnia quæ sunt instrumenta peccati eius. Malenda: *Damnauit in personis contagionem conscientiæ in rebus verò & bonis contagionis instrumenta, & materiam: adeo exosum est peccatum, & instrumentum peccati.*

Dub. 8 Ad illa verba, Iudic. 9. vers. 50. *Abimelech autem inde proficiscens venit ad oppidum Thebes quod circundans obsidebat exercitu.* Cur Abimelech ausus fuit contra Thebes dimicare periculum mortis non pertimescens?

Peccator postquã peccat, non semper habet fœlicem exitũ, tandem in periculo peribit.

Respondetur. Quod homines ducti impulsu suæ malæ inclinationis malum perpetrant, & peccant, videntes in suo peccato non periisse, iterato cursu tendunt, & tamen miserabiliter pereunt, non habentes secundo illum fœlicem exitum, quem primo habuerunt: vnde Abimelech videns se in præteritis præliis, victoriam ab inimicis reportasse, & putans idem semper futurum, audax contra Tesbem dimicauit; & sua eum fefellit cogitatio, quia vnde putauit fœlicem exitum habiturum, infœlicem suæ mortis inuenit, vt ibi periret, confringente eius cerebrum lapide mulier, vbi insolens, & superbus dimicauerat. Peccator enim quia in prima vice, vel secunda, quibus peccauit, fœlicissimum exitum habuit, iterum reddit ad peccatum, putans fœliciter exire posse, & fallitur, quia in illo peribit. Abulensis: *Nesciebat autem Abimelech à quo moueretur in tantum desiderium pugnandi, sed trahebant illum scelera sua.*

Dub. 9. Ad illa verba, Psalm. 39. vers. 13. *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.* Cur iniquitates comparantur capillis?

Peccatum excæcat peccatorem.

Respondetur. Quod capilli operiunt oculos, ita peccata oculos cordis. Excæcat enim peccatum peccatorem. Hugo Cardinalis. *Est recta comparatio: sicut enim cum crescunt capilli, operiunt oculos: ita peccata oculos cordis.*

Peccata ex abundantia temporalium nascuntur.

2. Respondet. Quod capilli ex superfluitate nascuntur, sic peccata ex abundantia temporalium. Hugo Cardinalis: *Alia ratio est quare peccata comparantur capillis, quia sicut capilli ex superfluitate nascuntur, sic peccata ex abundantia temporalium. Vnde in*

Psalm.

Peccata radicem habent in corde.

Hypocritæ fuscant peccata sua.

Psalm. 77. Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, & in cantico Deuteronom. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit. 3. ratio est, sicut capilli radices habent in capite, sic peccata in corde. Matth. 15. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria. 4. ratio est, quia sicut quidam fuscant capillos suos, sic aliqui fuscant peccata sicut hypocritæ. Ierem. 12. Nunquid auis discolor hæreditas mea mihi. Vide in Indice *Peccatum.*

CAP. LXXXX.

De Persecutione.

Iustus laudabiliter fugit persecutionem cum in magno periculo, & discrimine versatur.

DVb. 1. Ad illa verba, Exodi 2. vers. 14. *Qui fugiens de conspectu eius moratus est in terra Madiam.* Cur Moyses timore Pharaonis reliquit Ægyptum: cum Apostolus ad *Hebræ.* 11. *vers.* 27. dicat de Moyse: *Fide reliquit Ægyptum non veritus animositatem Regis*, ergo non timore Regis, sed fide reliquit Ægyptum.

Respondetur. Quod Moyses timens Pharaonem fugit Ægyptum ad tempus, vitans imminens periculum, quod est valde laudibile. Hinc dicit quod fugit de conspectu Pharaonis de Ægypto, cum quo tamen stat, quod dicit Apostolus, quod fide reliquit Ægyptum, quia confidens de Diuino auxilio fugit persecutionem Regis. Iustus enim laudabiliter fugit persecutionem cum in magno discrimine versatur. D. Thomas ad Hebr. 11. lect. 6. *In timore duo consideranda sunt, vnum quod aliquando potest esse vituperabile, scilicet quando propter timorem facit aliquid non faciendum, vel dimittit faciendum, & sic non timuit Moyses, quia propter timorem non dimisit iuuare fratres suos. Aliud est quod potest esse laudabile, quando scilicet, salua fide refugit periculum propter timorem instantem. Matth. 10. Cum persequentur vos in Ciuitate ista fugite in aliam: si enim aliquis salua bona statu sua potest vitare periculū, & non vitaret, stultus esset, & tentaret Deum, quod est diabolicum, & sic Iesus cæsit volentibus ipsum lapidare, nec ad suggestionem diaboli voluit se præcipitare, ita Moyses confidens de Diuino auxilio fugit propter timorem Regis ad tempus.*

Dub. 2. Ad illa verba, Iosue 6. vers. 24. *Vrbem autem, & omnia quæ erant in ea succenderunt absque auro, & argento, & vasis æneis, ac ferro, quæ in ærario Domini consecrarunt.* Cur Dominus noluit in Sanctuarium mitti neque sibi offerri aliquid de suppellectilibus domus, & vestium, sed solum aurum, argentum, æs, & ferrum, cum ex suppellectilibus multa erant pretiosa, quæ Deo, & Sanctuario possent deseruire?

Qui Deo consecrandus est debet tolerare persecutionis detrimentum.

Respondetur. Quod licet suppellectilia multa fuissent in tam opulenta vrbe pretiosa valde, & pulchra, cum tamen offerenda Deo purganda essent per ignem, & hunc ferre non sustinere possent vestes, & alia suppellectilia, cum ab illo cremarentur: ideo hæc non fuerunt seruata, nec applicata Deo, sed solum aurum, argentum, æs, & ferrum quæ ignem sustinēt: vt innuat quod qui Deo consecrandus est debet ignem persecutionum sustinere. Abulens. *Ista est causa, quare non suscepta sunt alia pretiosa suppellectilia Iericunthinæ vrbis in thesauris Dei, quia nihil aliud poterat pati ignem.*

Dub. 3. Ad illa verba 2. Reg. 15. vers. 34. *Si autem in Ciuitatem reuertaris, & dixeris Absalon: seruus tuus sum Rex: sicut fui seruus patris tui, sic ero seruus tuus: dissipabis consiliū Achitophel.* Cur Dauid dixit Chusai, quod dissiparet consilium Achitophel, qui erat in coniuratione cum Absalone contra Dauid, cum Dauid securus esset de Diuino auxilio, quod infatuaret consilium, & coniurationem Achitophel?

In persecutione debet homo de Diuino auxilio cōfidere, nec omittere quæ tenetur facere ad eā vitandā.

Respondetur. Quod licet Dauid securus esset, quod Dominus infatuaret consilium Achitophel, & liberaret eum à periculo, persecutione, & coniuratione Achitophel, tamen non omisit diligentiam, quam via humana debuit adhibere ad vitandam persecutionem. Hic dicit Dauid Chusai, quod si reuertatur in Ciuitatem, dissipet coniurationem Achitophel. Homo enim in persecutione debet de Diuino auxilio confidere, & non omittere, quæ tenetur facere ad eam vitandam. Lyranus: *Per hoc quod Dauid eum remisit, vt consilium Achitophel dissiparet, & statum negotiorum per certos nuntios sibi significaret, ostenditur, quod licet bonus vir, & Sanctus in persecutione positus de Dei auxilio principaliter confidat, tamen ea quæ fieri possunt via humana ad sui liberationem, & malorum repressionem, non debet scienter omittere.*

Dub. 4. Ad illa verba 4. Reg. 14. vers. 2. *Viginti autem, & nouem annis regnauit in Ierusalem.* Cur dicitur, quod Amasias regnauit viginti & nouem annis: cum Ioas filius Ioachaz regna-

uc-

uerit sex decim annis, vt dicitur 4. *Reg.* 13. *Vers.* 10. Et Amasias cœpit regnare secundo anno eius, vt legitur in hoc *cap. Vers.* 1. Ergo simul regnauerunt Ioas, & Amasias quindecim, vel quatuor decim annis, & post mortem Ioas viuit Amasias viginti quinque annis, vt patet hic *Vers.* 17. Ergo quadraginta annis, vel triginta nouem regnauit Amasias, ergo non est verum, quod regnauerit Amasias tantum viginti nouem annis.

Qui persecutionem patitur, toto tempore, quo eã sustinet, quasi non viuere reputatur.

Respondetur. Quod Amasias ex his viginti nouem annis, decem, & septem annis regnauit, anni vero duodecim, qui residui sunt ad complementum viginti nouem annorum, non numerantur, quia mortuo Ioas Rege Israel, coniuratio facta est contra Amasiam in Ierusalem, & fugit ad Ciuitatem Lachis, in qua vixit multis annis, & interfectus fuit in fine duodecim annorum à fuga. Hinc duodecim anni, quibus exulem vitam duxit propter persecutionem, & conspirationem in eum non recensentur in numero annorum, quibus regnauit. Qui enim persecutionem patitur, toto tempore, quo eam sustinet quasi non viuere reputatur. Maluenda: *Notant ex his viginti annis, septem decim annos regnasse, reliquos vero duodecim propter conspirationem vitam transegisse exulem.*

Dub. 5. Ad illa verba, Ieremiæ 5. vers. 18. *Verum tamen in diebus illis non faciam vos in consumationem*; cur dicit Dominus, quod Iudæi captiui non erant in captiuitate consumendi; cum *Ieremiæ* 42. *Vers.* 17. dicitur: *Omnes viri qui posuerunt faciem suam, vt ingrediantur Ægyptum, vt habitent ibi, morientur gladio, & fame, & peste, & nullus de eis remanebit, nec effugiet à facie mali, quod ego afferam super eos* Ergo Iudæi captiui consumpti, & occisi gladio fuerut.

Qui in persecutione cõstitutus, in virtute perseuerat, in discrimine, & persecutione non perijt.

Respondetur. Quod Iudæi qui crudelissimo seruitutis iugo opprimebantur in captiuitate, virtutem, & fidem non dimiserunt. Hinc dicit Dominus, quod in captiuitate non consumpti fuerunt, licet alij qui virtutem, & fidem relinquerunt exagitati in illa captiuitate fuerint occisi. Qui enim in persecutione constitutus, in virtute perseuerat, in discrimine, & persecutione non periit. Hugo Cardinalis: *Reuera omnes multa mala passi sunt, sed non omnes fuerunt occisi. Multi enim in suis persecutionibus fidem Christi non dimiserunt, & hi redierunt, vel non contriti sunt, alij etiam per fugam euaserunt.*

Dub. 6. Ad illa verba 2. Petri 1. vers. 2. *Simon Petrus, Ieruus, & Apostolus Iesu Christi.* Cur D. Petrus in prima Epistola quam scripsit non apposuit hoc nomen Simon, sed tantum dixit *Petrus*, hic autem vocatur *Simon Petrus*?

Homo in persecutione nõ cadat animo, sed firmus stet in virtute.

Respondetur. Quod in prima Epistola inuitabat D. Petrus proselytos, id est, eos qui de Gentilitate ad Iudaismum, & de Iudaismo venerant ad fidem Christi, ad sustinentiam persecutionum, & passionum: *In quo exultabitis modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, vt probatio vestræ fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur.* Hinc tantummodo posuit hoc nomen *Petrus*, quod significat firmitatem in persecutione, & volebat Apostolus eos firmos esse in sustinentia persecutionum. In persecutione enim non cadat animo homo, sed firmus stet in virtute. Hugo Cardinalis: *In prima Epistola tantummodo posuit hoc nomen Petrus, quia tunc inuitabat eos ad patientiam: quasi dicat: Ego firmus sum ad sustinendam persecutionem, & expertus, & sic volo vos esse. Petrus enim interpretatur agnoscens, quasi dicat experto credite. Nec posuit ibi nomẽ seruitutis ad innuendum quod persecutiones non debent seruiliter sustineri, quia dignitates sunt. Act.* 5. *Et illi ibant gaudentes à conspectu consilij quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati: in hac autem Epistola, quia inuitat ad sapientiam, præmittit nomen humile, scilicet, Simon, & nomen dominij scilicet, Petrus vt per hoc notetur, quod in obedientia, & constantia fidei est firmiter permanendum.*

Deus honorat hominem cum persecutionibus vexatur.

Obedientia ad constantiam infidei.

CAP. LXXXXI.

De Perseuerantia.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 3. *Fiat lux, & facta est lux.* Iuxta Hebræum habetur: *Erit lux, & fuit lux.* Cur Moyses vtitur verbo de futuro *erit lux*, cum de creatione lucis agit? Nonne statim, ac dixit *fiat lux* facta est lux? Vtique: non ergo vtatur Moyses verbo futuri temporis *erit lux*; sic enim videbitur, quod inter dicere Dei *fiat lux*, & creationem lucis, aliquam interceſisse moram?

Non est laudabilis virtus quæ non perseuerat.

Respondetur. Quod lux perseuerafura erat in illa claritate in qua fuit à Deo creata. Hinc licet idem fuerit in

Deo

Deo dicere *fiat lux*, & fieri lucis, quia ipse dixit, & facta sunt, tamen Moyses vtitur verbo futuri temporis *erit lux*, quasi non esset laudabile in luce, quod in principio suæ creationis habuerit splendorem, nisi futuris tẽporibus perseueraret in claritate. Virtus enim quæ tẽ perseverat non est laudabilis. Malu. *Futurum erit lux, constantiam, & perennitatem, essendi in scriptura designat: id circo videtur Moyses vsus futuris essendi in descriptione creationis, vt constantiam, & stabilitatem eorum, quæ Deus condiderat indicaret. Futurum enim tria tempora includit, & perpetuitatem innuit.* Vnde Genes. 37. vers. 3. Iacob fecit filio suo Ioseph *vestem polymitam*, Aquila interpretatus est *Astrologon*, id est, *talarem*, quæ vsque ad talos descendebat. Quid significat tunica Ioseph vsque ad talos descendens? Tunica talaris ad talos defluens, est actio bona perseuerans, & consumata: quia ergo Ioseph vsque ad vitæ finem perseuerauit in virtute, recte tunicam talarem solus habuisse refertur, quia virtus quæ ad vitæ terminum perseverat, laude digna est. D. Gregorius apud Hugon. Cardin. *Quia Ioseph inter fratres vsque ad finem vitæ iustus perseuerasse describitur, solus talarem tunicam habuisse perhibetur. Quid est talaris tunica nisi actio consumata Quasi enim tunica protensa talum corporis operit, cum bona actio ante oculos Dei vsque ad terminos vitæ nos regit. Vnde Moyses caudam hostiæ offerri præcepit, vt opus bonum quod incipimus, perseueranti fine compleamus.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 37. vers. 7. *Quasi consurgere manipulum meum, & stare.* Cur manipulus Ioseph stat erectus, manipuli vero fratrum inclinati?

Perseuerant boni in operibus suis, nõ vero mali.

Respondetur. Quod manipulus Ioseph est bonum opus, quod erectum stare dicitur, quia iusti in bonis operibus perseuerant, & persistant; manipuli vero fratrum sunt opera malorum, quæ iacere dicuntur, quia mali in operibus bonis sunt instabiles. Boni enim in operibus suis perseuerant, non vero mali. Lyranus: *Stare manipulum meum, huius autem manipulus stat erectus, id est, eius opera bona stabilia sunt perseuerando: malorum vero manipuli inclinantur, nam instabiles sunt in operibus suis.* Vnde Exodi 7. vers. 12. virga Aaron deuorauit virgas maleficorum Pharaonis: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Cur virga Aaron deuorauit virgas maleficorum, non vero virga maleficorum deuorauerunt virgam Aaronis? Quia miracula quæ faciebant malefici Pharaonis, erant opera malorum facta per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam; ideo præstigia eorum euanuerunt, & virga Aaron deuorauit virgas eorum: at quæ faciebat virga sua Aaron, erant opera boni viri, quæ persistunt, & permanent, hinc virga maleficorum non deuorauit virgam Aaronis. Perseuerant enim opera bonorum, non vero malorum. Oleaster: *Manent, & perseuerant opera Sanctorum, hypocritarum vero veluti paleæ comburentur vt dicit Diuus Paulus 1. Corint. 3.*

Dub. 3. Ad illa verba, Leuit. 26. vers. 9. *Firmabo pactum meum vobiscum.* Cur Deus promittit pactum firmare cum Israelitis? Nonne Deus stat verbis suis?

Sine dono perseuerantiæ alia dona non prosunt.

Respondetur. Quod donum perseuerantiæ est donum donorum, adeo, vt sine illo cætera dona quasi ad nihilum valent, & nihil prosint. Hinc postquam Deus multa bona Hebræis promiserat, promittit, firmare pactum cum eis perseuerando in conferendis bonis. Perseuerantia enim est donum donorum, quia sine illa quasi nullum est aliud quodcumque donum. Abulens. *Hic ponitur bonum completiuum omnium supra positorum, nam quamquam supra multa bona Deus promisisset Iudæis, illa tamen poterant Cito desinere: ideo parum proderat Iudæis incipere fœlicitari, si immediate in calamitates deijciendi erant: ideo melius esset eis nullam prosperitatem vnquam gustauisse, quia in omni aduersitate fortunæ, infœlicissimum infortunij genus est esse fœlicem, vt ait Boeti de Consolatio cap. 2. prosa 4.*

Dub. 4. Ad illa verba, Matthæi 15. vers. 28. *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, & sanata est filia eius ex illa hora.* Cur Dominus non commendauit constantiam Cananeæ petentis salutem pro filia, sed fidem laudauit? Cur petentes discipuli pro ea, non impetrarunt, & ipsa obtinuit?

Perseuerantia impetrat, quod alij nõ perseuerantes non obtinent.

Respondetur. Quod Apostoli non perstiterunt orantes pro ea: Cananea vero perseuerauit post negatam responsionem, repulsam, & ignominias, constantique fide stetit. Hinc quod Apostoli non obtinuerunt, ipsa perfecit. Perseuerantia enim impetrat, quod alij non perseuerantes non obtinent. Caietanus: *Putasses debuisse dici, magna est constantia tua, perseuerans non solum pluries habita indigna responsione, post-*

postquas repulsos intercessores Apostolos, sed etiam nuncupata panis. Sed Iesus qui intuetur Cor, fidem commendat magnam: quia fides in ipsum Iesum, sua magnitudine superauit negatas responsiones, & repulsas, & ignominias fiat tibi sicut vis, & sanata est filia eius ex illa hora. Vnde Genes. 27. vers. 38. Esau ciulatu magno fleuit, & obtinuit benedictionem à Patre suo Iacob: cur benedixit ei, cum negasset ei benedictionem *vers.* 35. Quia perseuerauit in oratione importune, licet patet prius denegasset benedictionem, & importuna perseuerantia in rogando potentior est ab obtinendum, quam se ipsa in negando. Olcaster: *Eleuauit vocem, & fleuit. Ecce quid valeant lachrymæ, & importunæ precationes, vt nouam benedictionem prodire ex dura voluntate faciant.* Vide in Indice *Perseuerantia.*

CAP. LXXXII.

De Petitione.

DVb. 1. Ad illa verba, Exodi 2. vers. 23. *Post multum vero temporis mortuus est Rex Ægypti. Et ingemuerunt filij Israel propter opera, & vociferati sunt.* Cur mortuo Rege Ægypti ingemuerunt filij Israel oppressi ab oneribus, quibus premebantur in Ægypto? An si non vociferati essent ad Deum, Deus non respexisset filios Israel? Respexit vtique afflictionem eorum, & liberauit eos, cur ergo clamauerunt ad Deum?

Deus cum vult exaudire, solet excitare homines ad hoc, vt recurrant in laboribus ad Deum.

Respondetur. Quod filij Israel premebantur in Ægypto à laboribus, & oneribus luti, & lateris, & Dominus excitauit eos, vt grauati tot malis, recurrerent ad Deum, quia volebat eos exaudire. Hinc ingemuerunt filij Israel, & ad Deum clamauerunt mouente eos Domino ad clamorem. Deus enim cum vult exaudire, solet excitare hominem à recessum in Deum. Caietanus: *Vbi aduerte Diuinæ prouidentiæ suauem dispositionem in hoc quod quando vult exaudire, excitat precatores, excitat homines grauatos temporalibus malis, vt recurrant ad ipsum.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 24. vers. 5. *Misitque iuuenes de filijs Israel, & obtulerunt holocausta, immolauerunt que victimas pacificas Domino.* Cur victimas pacificas, id est, pro pace obtulerunt?

Respondetur. Quod quando à Deo aliquid petimus, siue in orationibus priuatis, siue in publicis, vt secure impetretur, quod petitur, vnicum medium est petitiones in gratia, & amicitia Dei facere, quia amicus nihil denegat amico, & ab inimico nulla potest esse securitas impetrandi; vnde Israelitæ prius quam peterent à Deo beneficia, & pacem obtulerunt victimas pacificas Deo, vt se benevolum, & amicum eis ostenderet. Petitiones enim nostræ, apud Deum, vt effectum consequantur, debent in gratia, & amicitia Dei fieri. Abulensis: *Vocantur victimæ pacificæ illæ, quæ pro pace fiunt. Pax autem est duplex, vel habita, vel habenda, aliquando pax est habita, & tunc ista sacrificia sunt gratiarum actiones: aliquando rogatur pro pace habenda, & tunc sunt sacrificia ista supplicationes. Cum enim aliquis petit aliquid a Deo, si Deus est illi benevolus, & pacificatus dabit ei quæ petit, quia amicus nihil amico negare nouit, cum amicitia vera sit idem velle, & idem nolle in rebus licitis, & honestis, vt ait Tullius in lib. de Vera amicitia & Aristot. in 9. Ethicor. ait: Amicus est alter ipse.*

Petitiones vt habeant effectum fiant in gratia, & amicitia Dei.

Dub. 3. Ad illa verba, Iosue 10. vers. 12. *Tunc locutus est Iosue Domino. Dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon.* Cur Iosue prius loquutus est ad Dominum, deinde dixerint sermonem ad Solem, & Lunam?

Solet Deus aliquando iustis inspirare quæ petere debent.

Respondetur. Quod Iosue prius rogauit Dominum pro victoria de inimicis: Deus autem inspirauit illi quod Soli, & Lunæ indiceret moram, ne scilicet, Sol occideret eis in Gabaone pugnantibus, & Luna ne eis afferret noctem. Hinc Iosue prius loquutus est Domino supplicans pro victoria, deinde loquutus est Soli, & Lunæ, Deo hoc ei inspirante. Solet aliquando Deus iustis inspirare quæ petere debent. Caietanus: *Iunge prudens lector duo hic scripta, videlicet quod tunc locutus est Iosue Domino fonti essendi & quod direxit sermonem ad Solem, & Lunam. Vt perpendas quod primum eleuauit mentem in Deum supplicando pro integra victoria, & quod Deus inspirauit illi vt indiceret Soli, ac Lunæ moram.*

Dub. 4. Ad illa verba, Esther 5. ver. 8. *Cras aperiam Regi voluntatem meam.* Cur Esther petitionem suam non indicauit Regi statim, ac Rex de petitione eam interrogauit? Cur distulit petitionem proponere Regi die sequenti?

Qui vult aliquid impetrare, petat tempore opportuno, & obseruet occasionem.

Respondetur. Quod licet Assuerus in-

interrogasset Esther de sua petitione, dicens vers. 3. *Quid vis Esther Regina? Quæ est petitio tua.* Tamen noluit indicare ei tunc suam petitionem, sed die sequenti: cum Rex certior factus fuerat de beneficio Mardochæi erga Regem: cum nunciauit Regi insidias Bagatham, & Thares Regem Assuerum iugulare cupientium: tunc enim nacta occasione, Esther in conuiuio Regem pro sua, & populi sui vita precata est, & Aman Iudæorum aduersarium accusauit: tunc enim oblata fuit Esther occasio aperiendi voluntatem suam, & petitionem Regi. Qui enim vult aliquid impetrare, petat tempore opportuno: & cum se offert occasio. Maluenda: *Et cras aperiam Regi voluntatem meam. Exponunt, id est explicaturam petitionem meam. Sic promittit certior facta Diuinitus occasionem explicandæ petitionis intra illud tempus non defuturam, vt sane non defuit patefacto Iudæi hominis erga Regem tam insigni beneficio, & tuello Mardochæo ad tantam dignitatem.*

Dub. 5. Ad illa verba, Psalm. 20. vers. 3. *Desiderium cordis eorum tribuisti eis.* Cur dicit Dauid, quod Deus desiderium iustorum perficit: cum 2. *Corinthior.* 12. *vers.* 9. dicat D. Paulus: *Ter Dominum rogaui, vt amoueretur stimulus carnis*, & tamen non dedit Dominus illud desiderium, ergo Deus non tribuit iustis quæ petunt, & desiderant.

Negat Deus petita ad maius meritum petentis.

Respondetur. Quod Deus multoties denegat iustis desideria sua, & postulationes, vt mereantur, cum non concedit eis petita. Hinc licet D. Paulus ter Dominum rogauerit, vt amoueretur stimulus carnis, Dominus non concessit ei, vt eius meritum augeretur. Negat enim Deus aliquando petita ad maius meritum petentis. Hugo Cardinalis: *Hoc soluit D. Gregorius dicens. Tunc magis exaudiuntur ad meritum, cum non exaudiuntur ad votum, id est, ad voluntatem.*

Dub. 6. Ad illa verba, Psalmi 21. v. 3. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies.* Cur dicit Christus, quod exauditus non fuit à Patre quando clamauit, cum ad *Hebræos* 5. *vers.* 7. dicat Apostolus de Christo: *Cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.*

Respondetur. Quod Christus hic agit personam Ecclesiæ, vel iusti quæ multoties non exauditur rogans, & clamans, nisi cum conuenit, & expedit, petitumque vtile est petenti. Hinc Christus licet exauditus fuerit pro se à Patre, vt dicit Apostolus, tamen quatenus refert personam iusti, dicit Dauid, quod clamans non exauditur, quia iustus non semper exauditur, nisi sit ad vtilitatem eius, quod petit. Deus enim exaudit hominem, cum quod petit, vtile est, & expedit homini. Incognitus: secundum Magistrum in Glossa: *Hic loquitur Christus in persona corporis sui, quod est Ecclesia, quæ non semper exauditur ad votum, sed ad vtilitatem sicut nec infirmus a medico. Vnde sicut dicit Magister. Hoc de corpore suo dicit Christus, qui corporis sui, id est, Ecclesiæ hic gerebat personam, sicut, & alibi cum dicit. Transeat a me calix iste, pro nobis loquitur. Sed infirmitatem nostram representans pro suis infirmis, qui timent mori, hoc dixit. illorum enim vox erat; sic hic vox membrorum est non capitis, clamabo per diem, & non exaudies, quia multi clamant in tribulatione, & non exaudiuntur ad voluntatem, sed ad salutem. Sic medicus non ad voluntatem ægri agit, sed ad sanitatem.*

Deus exaudit hominẽ, eũ quod petit vtile est, & expedit petenti.

Dub. 7. Ad illa verba, Psalm. 118. vers. 49. *Memor esto verbi tui seruo tuo.* Cur Dauid dicit Deo, quod memor sit verbi sui, quod promisit Dauidi: cum in Deo nulla cadat obliuio, nec mutabilis dici possit, qui tamen in scriptura quandoque orator, vt memoretur; vt *Memento Domine Dauid. Psalm.* 131. *vers.* 1. Quandoque vero rogatur, vt non memoretur. *Psalm.* 78. *vers* 8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum.* Non ergo Dauid rogare debuit Deum, quod memor esset verbi sui.

Cum Deus tardat concedere quæ postulat homo, putat homo Deum eius obliuiscì.

Respondetur. Quod Deus promisserat Patribus antiquis verbum suum mittere per carnis susceptionem: & Dauid rogabat Deum, vt cito fieret hoc, & impleret promissum. Hinc dicit Dauid: *Memor esto verbi tui seruo tuo*, id est, quod facturus est, fac citius, cito imple promissum, actutum, & sine mora. Qui enim petit non suffert moram in concedente, quod petit, quam primum vult obtinere. Incognitus: *Non vt hominibus ista contingunt, ita intelliguntur in Deo; nam sicut Deo pœnitere dicimus, quando præter hominum spem res mutat, consilio non mutato, quia consilium Domini manet in æternum. Ita dicitur obliuiscì quando tardare videtur adiutorium, vel promissum, vel non retribuere digna peccantibus, tanquam eius memoriæ sit elapsum, quod speratur siue timetur, & non sit. Sic ergo Psalmista, quia sibi videbatur Domini adiutorium tarda-*

Qui petit nõ suffert morã in concedente, quam primum vult petita obtinere,

re,

re, quod ardenter sperabat; Deum exorans ait: *Memor esto Verbi tui. Deus enim per antiquos Prophetas promiserat Verbum suum ad nos per carnis susceptionem mittere, ideo Vt hoc cito fiat, orabat Psalmista dicens: Memor esto Verbi tui seruo tuo.* Vide *Oratio.*

CAP. LXXXXIII.
De Pœna.

DVB. 1. Ad illa verba, Numeror. 14. vers. 23. *Non videbunt terram pro qua iurauí patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam.* Cur dicitur quod Hebræis ob murmurationem interdictus fuerit ingressus in terram Promissionis: cum in hoc cap. vers. 20. dicatur, quod Deus dimisserat eis propter Moysem: *Dixitque Dominus, dimisi iuxta Verbum tuum.* Si ergo murmuratio fuit dimissa, non debuit puniri populus ob eam.

Dimittit Deus peccatori partem pœnæ, vel totam pœnam secundum quod iusti petunt pro peccatore.

Respondetur. Quod Deus dimisit murmurationem populi propter orationem Moysi, qui non orauit, vt dimitteret peccatum simpliciter quantum ad omnem pœnam, cum Deum videret quasi volentem delere omnem multitudinem; dimisit verò Deus populum quantum ad aliquam pœnam secundum formam orationis Moysis. Hinc cum non orasset pro dimissione totius pœnæ, interdictus est populo ingressus in terram in pœnam murmurationis. Dimittit enim Deus peccatori partem pœnæ, vel omnem pœnam debitam iuxta formam orationis iustorum. Abulensis: *Peccatum istud non fuit simpliciter dimissum, sed solum secundum Verbum Moisi, id est, secundum formam orationis eius. Viderat enim Moyses, quod Deus monstrasset quasi habitudinem Volentis delere totum populum, & timuit, ideo satis est Visum sibi orare, ne Deus totam multitudinem simul deleret, & forte non est recordatus orare, Vt dimitteret peccatum simpliciter quantum ad omnem pœnam Vergente calamitate deletionis totius populi & non orauit.*

Dub 2. Ad illa verba, Iosue 22. vers. 17. *Vsque in præsentem diem macula huius sceleris in nobis permanet.* Cur dicunt filij Israel, quod macula illius sceleris idololatriæ, & cultus idoli Beelphegor, permanebat in eis vsque in præsentem diem: cum *Numeror. 25. Ver. 11.* legatur: Quod Phinees filius Eleazari filij Aaron Sacerdotis auertit iram Dei à filijs Israel, quia zelo Dei commotus est contra eos, vt Deus non deleret filios Israel: si ergo Phinees auertit iram Dei, ergo macula illius sceleris non permansit in filijs Israel.

Non tollitur macula culpæ vsquequo soluatur pœna debita culpæ.

Respond. Quod licet Phinees auerterit iram Dei à filijs Israel cum pœnas exposcit à Madianitis, & Moabitis, qui allicientibus mulieribus coluerunt Beelphegor, tamen filij Israel non fuerunt mundati ab illo scelere, vel quia Deus suspendit vltionem, vel quia adhuc puniebantur à Deo. Et peccator non mundatur à peccato vsque puniatur, cum per pœnam mundetur ab iniquitate. Non enim tollitur culpæ macula, vsquequo soluatur pœna. Caietanus: *Commune agnoscunt, & fatentur peccatum commissum tempore Moysis, allicientibus mulieribus Madianitis & Moabitis ad cultum Beelphegor, Vt scriptum est Numer. 25. Aiunt autem non esse mundos adhunc ab illa iniquitate, Vel quia reliquæ pœnarum adhuc erant, Vel quod potius crediderint, intelligebant Diuinam Vltionem esse suspensam.*

Dub 3. Ad illa verba Iudicum 8. v. 16 *Tulit ergo Seniores Ciuitatis, & spinas deserti, & tribulos, & contriuit cum eis atque comminuit viros Soccoth.* Alij legunt: *Et documentum in eis dedit Viris Suchotanis.* Cur dicitur quod Gedeon flagellando viros Socchot spinis, & tribulis, eo quod negauerunt cibaria populo, qui cum Gedeone erat, erudiuit eos?

Pœna erudit peccatorem qualiter in posterum debet se gerere & abstinere à malo quod fecit.

R. Quod Gedeon promisserat Principibus Socchot, terere eorum carnes spinis, & rubis, eo quod noluerunt dare panes exercitui, qui præ lassitudine non potuit persequi Zebee, & Salmana Reges Madiam, & sicut dixerat Gedeon, impleuit affligendo Principes Succoth cum spinis, & rubis, siue per modum flagellationis, siue alio modo, & hæc flagellatio dicitur documentū, seu doctrina, siue instructio Principum Socchot, quia videntes se sic cæsos, didicerunt qualiter in posterum debebant se gerere erga homines fame deficientes. Pœna enim informat peccatorem, qualiter in posterum debet agere, Maloen. *Documentum in eis dedit Viris Suchotanis, id est, eos cum illis cædendo Suchothanos informauit, Vt in posterum saperent.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iudic. 8. vers. 17. *Occisis habitatoribus Ciuitatis.* Iuxta Hæbræum habetur: *Interfecit Viros Vrbis*; scilicet, magnates. Cur Gedeon tantum magna-

tes vrbis Phanuel occidit, nec alios de plebe delevit?

Solus qui in culpa est, puniendus est, non vero à culpa purus, & liber.

Respondetur, Quod Primarij viri Ciuitatis Phanuel in culpa fuerunt, vtpote Auctores negationis panis postulati à Gedeone pro famelcente populo. Hinc Gedeon non occidit populares homines, & ex infima classe viros Ciuitatis, sed Primarios, & magnates, cæteris manentibus impunitis, puniuit qui sontes erant, & rei. Solus enim qui in culpa est, puniendus est, non verò à culpa purus. Maluenda: *Quidam viros Vrbis Primarios, & magnates intelligunt: non enim volant cunctos Ciues interfectos, sed Primarios tantum è Senatoribus.* Hugo Cardinalis: *Quia ipsi fuerant Auctores negationis, & subsannationis, & ideo cæteris manentibus impunitis illi soli punitifuerunt.*

Dub. 5. Ad illa verba Psalmi 108. vers. 10. *Natantes transferantur filij eius, & mendicent.* Cur filij Iudæ, & populi Iudaici puniendi erant pro peccato parentum: cum *Ezechielis* 18. *vers.* 19. legatur: *Quod filius non portabit iniquitatem patris*, non ergo filij Iudæ proditoris, nec filij Iudæorum debuerunt puniri pro peccato parentum.

Qui similes sunt in culpa, similes debēt esse in pœnas.

Respondetur. Quod vxor, & filij Iudæ proditoris comedebant quæ ipse Domino furabatur; filij Iudæorum imitati sunt patres suos in peccato, quia patres Christum occiderunt, & filij resurrectionem voluerunt occultare. Vnde cum filij Iudæ proditoris similes fuerunt in culpa, & filij Iudæorum similes patribus in peccato, similes fuerunt in pœna. Qui enim similes sunt in culpa, similes debent esse in pœna. Hugo Cardinalis: *Filius non portat iniquitatem patris, vt puniatur æternaliter pro patre: sed quandoque punitur temporaliter pro eo, licet ipse non peccauerit cum patre: si verò imitetur patrem cum peccato, tunc & temporaliter, & æternaliter punietur. Vnde benè debuerunt puniri filij Iudæ, & vxor eius, quia ea comedebant, quæ ipse Domino furabatur: & filij Iudæorum, quia patres fecerunt Christum occidi, & filij eius resurrectionem volebant sepelire. Vnde benè eis accidere debuit, quia & ipsi imprecati sunt sibi. Matth. 27. vers. 25. Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Vide *Peccator* dub. 3.

Dub. 6. Ad illa verba Prouerb. 6. vers. 31. *Deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet.* Cur deprehensus in furto tenebatur reddere septuplum: cum *Exodi* 22. *vers.* 1. legatur: *Si quis furatus fuerit bouem, vel ouem, & occiderit, vel vendiderit quinque boues pro vno boue, restituet, & quatuor oues pro vna oue.* Ergo deprehensus in furto reddere tenebatur quadruplum, non septuplum.

Grauissima pœna homines retrahit à peccato.

Respondetur. Quod Spiritus Sanctus volebat arcere homines à culpa, & peccato furti. Hinc grauem pœnam statuit transgressoribus huius præcepti; scilicet, quod deprehensus in furto reddat septuplum, vt timentes homines pœnæ grauitatem abstineant à culpa. Grauissima pœna homines retrahit à peccato. Hugo Cardinalis: *Forte à pluribus fuit statutum sic, vt in furto septuplum reddatur, vt magis timeretur, vel a Spiritu Sancto.*

Dub. 7. Ad illa verba Iacobi 1. vers. 11. *Exortus est Sol cum ardore, & aresecit fœnum.* Quod exponitur de Christo, qui in iudicio malis exorietur per pœnam. Cur dicitur quod Christus exorietur malis in futuro sæculo puniens eos? Quare non dicitur: orietur: cum *Malach.* 4. dicatur: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol Iustitiæ.*

Deus extra se oritur cum punit.

Respondetur. Quod Deus quando punit extra se oritur, cum ei proprium sit misereri, & parcere. Hinc cum pœnas exposcit, non dicitur Sol oriens, sed exoriens, quasi extra se oriatur, cum punit. Diuus Thomas: *Dicit autem exortus est, id est, extra se ortus, quia quasi extra se oritur puniens per iustitiam, cum sit eius proprium misereri.* Hugo Cardinalis: *Sol modo oritur bonis per gratiam, sed in futuro per gloriam. Malach.* 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol Iustitiæ, sed malis exorietur in iudicio per pœnam. Ipse enim cui proprium est misereri quasi extrà se oritur quando punit. Vnde Isaiæ* 28. *Alienum est opus eius, vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo. Threnor.* 3. *Non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum.* Vide in Indice *Culpa, Pœna.*

CAP.

CAP. LXXXXIIII.

De Pœnitentia.

DVB. 1. Ad illa verba Exodi 30. vers. 23. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ.* Cur Dominus præcepit, quod in conficiendo vnguento, quo vngi debebant Sacerdos, & aliæ res Templi, primum quod ad confectionem illius ingrederetur esset myrrha prima?

Pœnitentia voluntaria, magis placet Deo, quam coacta.

Respondetur. Quod myrrha significat pœnitentiam: myrrha autem est duplex prima quæ ab arbore sponte emanat, & significat pœnitentiam voluntariam; secunda myrrha est, quæ ab arbore incisa fluit, & hæc significat pœnitentiam coactam. Vnde cum pœnitentia voluntaria sit magis meritoria, & placeat Deo, quam coacta, hinc præcipit Dominus quod conficiendo vnguento sumeretur myrrha prima, quæ sponte ab arbore emanat, non quæ per incisionem fluit. Pœnitentia enim voluntaria magis placet Deo, quam coacta. Abulensis: *Myrrha quædam est quæ ab arbore procedit per modum emanationis, & est multum efficax, & vocatur myrrha prima: secunda, quæ fluit ab arbore per corticis incisionem, & grossior est, nec est magni valoris de prima myrrha manante sponte sua per modum cuiusdam euaporationis est hic sermo, quia melior est, & magis odorifera.*

Dub. 2. Ad illa verba Leuitici 19. vers. 28. *Neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis.* Quæ stigmata prohibet Dominus in nobis fieri; cum Diuus Paulus *ad Galat. 6.* dicat, quod stigmata Iesu in corpore suo portabat: ergo licet facere stigmata in nobis.

Per pœnitentiam profitetur homo se Dei esse, non de mundo.

Respondetur. Quod stigmata, quibus homines profitentur subiectionem Principibus sicut faciebant milites in manibus suis, vt de militia Imperatoris viderentur esse, inhibuit Dominus fieri, cum homines signis exterioribus teneantur profiteri seruos Dei esse: at stigmata, quæ sunt pœnitentiæ signa, vt macerationes carnis, & huiusmodi monet Apostolus ab hominibus fieri, quia per hæc signa cognoscuntur homines esse non de mundo, sed Dei. Per pœnitentiam enim dignoscitur homo, quod sit Dei, non mundi. Hugo Cardinalis: *Stigmata dicebantur quædam signa, quæ fiebant in manibus militum, vt de militia Imperatoris esse viderentur, & cognoscerentur. Prohibet ergo ne huiusmodi characteres faciant, quibus humanam videantur profiteri subiectionem, qui Diuinam professi sunt firmitatem. Alterius modi sunt stigmata, de quibus dicit Apostolus ad Galatas vltimo. Stigmata Domini Iesu in corpore meo iugiter porto, quæ sunt signa pœnitentiæ; scilicet, paupertas, macerationes carnis, & huiusmodi. Hæc enim fieri monet Apostolus; illa fieri prohibet Dominus.*

Dub. 3. Ad illa verba, Leuitic. 20. vers. 10. *Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauit cum coniuge proximi sui, morte moriantur, & mœchus & adultera.* Cur mœchus, & adultera morte puniendi erant: cum Dauid adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, qui tamen non fuit punitus: non ergo mœchus, & adultera morte puniendi erant.

Peccator per confessionē, & pœnitentiā culpam delet, & Diuinā euadit sententiam.

Respondetur. Quod Dauid confessus fuit peccatum suum, de eoque pœnituit, vnde pœnitentia, & confessione abstersit culpam, & pœnam à lege sancitam euasit, nec morte fuit punitus: mœchus quoque & adultera si confiterentur peccatum, & pœniterent, culpam abluerent, nec secundum legem puniendi erant, quia verò nec confessi, nec pœnitentes futuros esse sperabatur, morte vindicandi erant iuxta legem. Peccator enim per confessionem, & pœnitentiam culpam delet, & Diuinam euadit sententiam. Hugo Cardinalis: *Dominus transtulit a Dauide peccatum suum, 2. Reg. 12. Et in illo Euangelicæ mansuetudinis, & misericordiæ forma fuit, dum pœnitendo, & confitendo ablatum est culpam, & legalem euasit sententiam.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 2. vers. 15. *Dimisit ergo eos per funem de fenestra.* Cur Raab dimisit Exploratores de fenestra, & per funem, cum facilius esset dimittere eos per portam domus?

Respondetur. Quod Raab meretrix consueuerat per fenestram domus suæ, & per funem excipere fornicarios venientes ad se. Hinc cum voluit satisfacere pro peccatis suis Deo, dimisit

Peccator assumat instrumenta peccati, in instrumenta ad satisfaciendum, vt quibus peccauit, satisfaciat.

Exploratores per fenestram, & per funem, quæ fuerunt instrumenta, quibus vsa est mulier ad peccandum. Peccator enim assumat instrumenta peccati, in instrumenta satisfactionis. Lyranus: *Hebræi dicunt Raab fuisse meretricem, dicunt quod solita fuerat per funem illum recipere fornicarios, & emittere, vt sicut fuerat ei instrumentum peccati, & transgressionis, sic ei fieret instrumentum saluationis.* Vnde Lucæ 7. v. 38. Maria Magdalena: *Lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Cur Magdalena hìc quatuor officia egit; scilicet, abluere lachrymis pedes Iesu, capillis tergere, osculari eosdem, & demum vnguento vngere? Quia hæc mulier in Ciuitate peccatrix, oculis peccauit, capillis, ore, & vnguentis. Hinc ad Deum conuersa, egit pœnitentiam oculis lachrymando, capillis pedes Iesu tergendo, ore eosdem osculando, vnguentis vngendo, vt instrumenta quæ seruierant pro culpa, seruirent pro pœnitentia. Diuus Gregorius in Cathena Diui Thomæ: *Oculis enim terrena cupierat, sed hos iam per pœnitentiam conterens, flebat, capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lachrymas tergebat, ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans; hos in Redemptoris sui vestigia figebat, vnguentum sibi pro odore suæ carnis exhibuit, quod ergo sibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat, quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta, conuertit in virtutum numerum, numerum criminum vt totum Deo seruiret in pœnitentia, quidquid se Deum contempserat in culpa.*

Dub. 5. Ad illa verba, Iosue 23. vers. 8. *Adhæretis Domino Deo vestro quod fecistis vsque in diem hanc.* Cur dicit Iosue quod Israelitæ adhæserunt Deo vsque illum diem: cum *Numerorum* 25. *vers.* 3. legatur: *Initiatusque est Israel Beelphegor, & iratus est Dominus, id est,* Israel adhæsit Beelphegor; scilicet, Priapo idolo Moabitarum, ergo Israelitæ non adhæserunt Deo vsque in illum diem.

Pœnitentia ita delet peccatum, quod eius, non recordatur Deus, & pro non facto reputatur, & habetur.

Respondetur. Quod licet Israelitæ initiati fuerint Beelphegor, id est, adhæserint Priapo idolo Moabitarum, tamen pœnituerunt, & doluerunt de hoc peccato, & quia pœnituerunt, quasi oblitus fuit Deus, nec memor huius peccati. Hinc dicit Iosue, quod Israelitæ vsque in diem illum quo loquebatur eis, adhæserunt Deo, quia peccatum deletum per pœnitentiam, pro non facto habetur. Pœnitentia enim ita delet peccatum, quod eius obliuiscitur Deus, & pro non facto reputatur. Hugo Cardinalis: *Iam pœnituerant, vnde pro non facto habebatur, iuxta illud Ezechielis* 18. *Quacumque hora ingemuerit peccator, & cætera.*

Dub. 6. Ad illa verba, 2. Paralipom. 29. vers. 24. *Et immolauerunt illos Sacerdotes, & asperserunt sanguinem eorum coram Altari pro piaculo vniuersi Israelis, pro omni quippè Israel præceperat Rex, vt holocaustum fieret, & pro peccato.* Cur multi tauri, arietes, agni, hirci mactandi erant pro peccato: cum *Leuitici* 4. *vers.* 22. pro peccato Principis offerebatur vnus hircus, pro peccato Sacerdotis vnus vitulus, vers. 3. Et similiter pro peccato multitudinis, ergo pro peccato vniuersi Israelis non debuerunt mactari tot animalia; scilicet tauri septem, arietes septem, agni septem, hirci septem.

Plura peccata multam, & magnam petunt satisfactionem.

Respondetur. Quod in Regno Israel fuit magna peccatorum multiplicatio, quia clauserunt hostia, quæ erant in porticu, extinxerunt lucernas, incensumque non adoleuerunt, & holocausta non obtulerunt in Sanctuario Deo Israel, vt dicitur *vers.* 7. Propter quæ peccata populi concitatus fuit furor Domini super Iudam, & Ierusalem, & tradit eos in interitum, & in sibilum. Hinc licet pro peccato Principis non ponatur nisi vnus hircus offerendus, & peccato Sacerdotis vnus vitulus, sicut pro peccato multitudinis, vt dicitur *Leuitici* 4. Tamen non excludebatur quod in sacrificio pro peccato plura possent offerri, vt pro pluribus, & multiplicatis peccatis, plura animalia offerrent. Plura enim peccata multam, & magnam petunt satisfactionem. Lyranus licet Leuitici 4. *Pro peccato Principis non ponatur nisi vnus hircus offerendus, & peccato Sacerdotis vnus vitulus, & similiter pro peccato multitudinis; tamen Numerorum* 15. *dicitur, quod cum hirco offerendo pro peccato offerebatur etiam vitulus*

lus cum hoc in holocaustum, & ideo illud quod ponitur Leuitici 4. non excludit quod in sacrificio pro peccato plura offerri possent, & debent aliquando, maxime quando fuerat magna peccatorum multiplicatio, sicut fuerat propositio, & ideo cum septem hircis oblatis pro peccatis Regis, & Principum, & Sacerdotum, & Leuitarum, & communis populi, fuerunt oblati tauri, arietes, & agni in eodem numero in holocaustum.

Dub. 7 Ad illa verba Psalmi 50. ver. 16. *Et exultabit lingua mea iustitiam tuam.* Cur Dauid à peccato liberatus voluit laudare iustitiam Dei cum peccator per misericordiam Dei liberetur à peccato Vnde Psalm. 88. vers. 1. ait Dauid: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Ergo potius debuit laudare misericordiam Dei quam iustitiam, quia misericordiæ est peccata dimittere, & iustitiæ peccata punire.

Respondetur. Quod Deus vtitur misericordia, & iustitia cum peccatore pœnitente; misericordia quidem infundendo gratiam pœnitentiæ; iustitia verò dimittendo peccata, quod promisit iam pœnitenti. Hinc Dauid laudans iustitiam Dei, simul commendat misericordiam. Cum enim Deus parcit pœnitenti, simul in eo splendent iustitia, & misericordia. Hugo Cardinalis: *Misericordia Dei est quod Dominus primo infundit gratiam pœnitentiæ; iustitiæ autem est quod parcit iam pœnitenti, eo quod promisit. & hoc dicit se velle exultando laudare.* Vide *Venia*, & in Indice *Pœnitentia*.

Cum Deus parcit pœnitenti, simul in Deo splẽdent iustitia & misericordia.

CAP. LXXXV.

De Prælato.

DVB. 1. Ad illa verba Exodi 17. vers. 5. *Virgam qua percussisti fluuium, tolle in manu tua, & vade.* Cur dicitur quod Moyses virga fluuium percusit, cum Exod. 7. vers. dicatur de Aarone: *At eleuans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone.* Ergo non Moyses, sed Aaron percusit virga aquam fluminis.

Actiones subditorum adscribũtur Prælatis.

Respondetur. Quod Aaron virga percusit aquam fluminis, non verò Moyses, sed quia Moysi attribuitur, quod fecit Aaron, de Moyse dicitur, quod virga percusit flumen; Moyses gerebat typum Prælati, Aaron subditi, & actiones subditi adscribuntur Prælato. Diuus Augustinus quæst. 64. in Exodum: *Aaron non Moyses legitur flumen virga percussisse. Moyses enim eadem virga mare diuisit, non flumen. Quid ergo sibi vult: accipe virgam in qua percussisti flumen? An quod Aaron fecit Moysi potius attribuitur est, quia per Moysem iubebat Deus, quæ faceret Aaron? Et in hoc authoritas, & in illo ministerium?* Et Hugo Cardinalis: *Moyses percussit authoritate imperantis, Aaron ministerio operantis.* Vide infra dub. 4.

Dub. 2. Ad illa verba Numeror. 11. vers. 7. *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi.* Cur conquæritur Moyses quod solus portaret onus populi: cum *Exod.* 18. *vers.* 25. legatur, quod de consilio Iethro: *Electis viris strenuis de cuncto Israel constituit eos Principes populi Tribunos, & Centuriones & Quinquagenarios, & Decanos.* Ergo non benè conquærebatur Moyses, quod solus sustineret onus populi.

Prælato graue onus est prælatio, si non habet sufficientes Ministros, & leue si habeat necessarios.

Resp. Quod Moyses licet haberet Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios ad negotia gerenda, tamen quia isti non sufficiebant, regimen populi grauissimum onus reputabat. Hinc dicebat, quod non poterat sustinere populum, quia grauis erat ei. Prælatis graue onus est prælatio, si non habet sufficientes Ministros, & leue est, si habeat necessarios. Hugo: *More hominum loquitur hic Moyses, qui habent magnam familiam, qui quando sunt cum paucis, dicunt se solos: ita Moyses, etsi haberent illos, tamen reputaret se solum, quia illi non sufficiebant, & ideo petit alios.*

Dub. 3. Ad illa verba Deuteron. 27. vers. 14. *Et pronuntiabunt Leuitæ, dicentque ad omnem virum Israel excelsa voce*, vers. 15. *Maledictus vir, qui facit sculptile, & conflatile.* Cur dicitur de Leuitis, quod pronuntiabant maledictiones: cum *in hoc cap. vers.* 12. dicatur quod Leui fuit vna de sex, quæ erant in monte Garizim ad benedicendum: *Et stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim Iordane transmisso, Simeon, Leui, Iudas, Isacar, Ioseph, & Beniamin.* Ergo Leuitæ pronuntiabant benedictiones, non maledictiones.

Respondetur. Quod Tribus Leui numemeratur cum benedicentibus tantum, quia cum Tribus Leuitica

Ad Prælatum Ecclesiasticũ per se attinet misericordia & benedictio in populum, peraccidens vero iustitia, & maledictio.

typum gerat Prælatorum, ad ipsos potius pertinet misericordia, quam significant benedictiones, quam iustitia, quę in maledictionibus intelligitur. Vnde licet Sacerdotes, & Leuitę pronuntiarent benedictiones, & maledictiones, benedictiones quidem pronuntiabant per se; maledictiones verò peraccidens peccatoribus; scilicet contumacibus. Ad Prælatum enim Ecclesiasticũ per se attinet misericordia, peraccidens verò iustitia. Lyranus: *Dicunt aliqui Expositores, quod Sacerdotes, & Leuitæ primo cum arca ascendebant montem Garizim, & pronuntiabant ibi benedictiones, & populus ibi existens per singulos, respondebat, Amen: & post ad maledicendum cum arca ascendebant montem Habal, & populus ibi existens respondebat, Amen. Tamen supra Tribus Leui nominata est cum benedicentibus tantum ad designandum quod ad Prælatos, & ad Rectores Ecclesiæ per se pertinet benedicere, non autem maledicere, nisi peraccidens per peccantium contumatiam.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 14. ver. 12. *Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt, si forte sit Dominus mecum, & potuero delere eos, sicut promisit mihi.* Cur dicitur quod Caleb deleuit Enacim de montanis Hebron, cum *Iosue* 11. *vers.* 21. legatur, quod Iosue: *Interfecit Enacim de montanis Hebron.*

Prælato, & Principi attribuitur quidquid subditi faciunt.

Respondetur. Quod Caleb deluit Enacinos de montanis Hebron; tamen Iosue tribuitur, & refertur horum deletio, & interfectio, quia fuit Dux Principalis. Prælato enim, & Principi assignatur, & attribuitur, quidquid subditi faciunt. Hugo Cardinalis: *Iosue Dux erat Principalis totius exercitus, & ideo quidquid factum est ibi, dicitur fecisse Iosue, sicut Rex dicitur fecisse quod facit exercitus suus.* Vide hic dub. 5.

Dub. 6. Ad illa verba, Iosue 17. vers. 15. *Ascende in syluam, & succide tibi spatia in terra Pherezæi, & Raphaim, quia angusta est tibi possessio montis Ephraim.* Cur Iosue dedit terram hanc filijs Ioseph sine sorte: cum Numeror. 33. vers. 53. præceperit Dominus: *Ego enim dedi vobis illam; scilicet, terram in possessionem.* vers. 54. *quam diuidetis vobis sorte singulis, vt sors ceciderit, ita tribuetur hæreditas.* Ergo Iosue debuit sorte dare filijs Ioseph Ephraim, & Manasse syluam, & terram Pherezæi, & Raphaim.

Prælatus diuidat honores, distribuat dignitates, & officia nõ æqualiter omnibus, sed secundũ quod videtur ei iustum.

Respondetur. Quod terra Promissionis, quæ fuit obtenta, sorte diuisa fuit, sicut fieri præceperat Dominus, *Numeror.* 33. Alia verò terra, quæ postea fuit acquisita, sine sorte data est à Iosue, non æqualiter omnibus Tribubus, sed pro suo arbitrio, & secundum quod videbatur ei iustum. Hinc Iosue non malefecit dando terram Pherezæi, & Raphaim filijs Ioseph sine sorte, cum eam dederit iuste, & secundum quod æquitatis ratio postulabat. Prælatus enim distribuat honores, dignitates, officia non æqualiter, sed secundum quod videtur ei iustum. Hugo Cardinalis: *Alij dicunt quod terra Promissionis non fuit tota obtententa, nec adhuc quando diuersa fuit, sed postea magnam partem obtinuerunt, illa quæ erat obtenta, fuit sorte diuisa, & de illa loquitur in Numeris 24. Ego dedi vobis illam in possessionem, alia quæ postea acquisita fuit, sine sorte data est à Iosue Tribubus pro arbitrio suo, non æqualiter, sed secundum quod videbatur ei iustum.*

Dub. 6. Ad illa verba, Iosue 23. vers. 8. *Adhæreatis Domino Deo nostro quod fecistis vsque in diem hanc.* Cur dicit Iosue, quod Israelitæ adhæserunt Deo vsque in diem illum. Cum *Numeror.* 25. *vers.* 3. *Quod initiatusque est Israel Beelphegor, & iratus est Dominus*, id est, quod Israel adhæsit Beelphegor; scilicet, Priapo idolo Moabitarum, ergo Israel non adhæsit Deo vsque in illum diem.

Splendet virtus in Republica, cum Prælatus virtuosus est.

Respondetur. Quod toto tempore, quo Iosue Hebræorum Reipublicæ præfuit, Israelitę Domino adhæserunt. Hinc licet adhæserint idolo Moabitarum alio tempore, tamen tempore Principatus Iosue adhæsisse dicuntur Deo, cum Iosue studiosus virtutis esset, & optimus. Splendet enim virtus in Republica, cum Prælatus honestus, & virtuosus est. Caietanus: *Adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis vsque in diem hanc, hoc verificatur de tempore quo præfuit Iosue. Affirmat enim Iosue quod toto tempore sui Principatus vsque in diem illum populus adhæserit Domino.*

Dub. 7. Ad illa verba, Iudicum 10. vers. 1. *Post Abimelech surrexit Dux in Israel, & iudicauit Israelem viginti, & tribus annis.* Cur dicitur, quod Abimelech filius Gedeonis fuit Iudex in Israel,

rael, quia præter Abimelech fuerunt duodecim Iudices in Israel, & non fuerunt nisi duodecim Iudices, vt patet ex Sacra Pagina, scilicet, Othoniel, Azoth, Sangar, Dalbora, Gedeon, Thola, Sair, Ieptha, Abessan, Abialon, Sanson, item *Ecclesiastici* 46. vbi laudantur Iudices Israel, non fit mentio de Abimelech, sed de alijs, ergo non fuit Iudex.

Prælatus qui nequam, & malus est, in albo illustriũ Prælatorum non est referendus.

Respondetur. Quod Iudices Israel, qui vitam traduxerunt honestissimam, vitæque satisfacerunt probe ætate, & gloria fuerunt duodecim, & illi numerantur in Ecclesiastico: Abimelech verò fuit Iudex perditis moribus multis sceleribus, & flagitijs contaminatus, ideo non est adscriptus illustrium Iudicum numero in Ecclesiastico. Prælatus enim qui nequam, & malus est, in albo illustrium Prælatorum non est reponendus. Hugo Cardinalis: *Duodecim fuerunt Iudices Israel, qui non habuerunt cor corruptum, & illi numerantur in Ecclesiastico: Abimelech habuit cor corruptum & ideo non numeratur ibi.*

Dub. 8. Ad illa verba 1. Reg. 10. vers. 24. *Certe videtis quem elegit Dominus* Cur placuit Deo electio Saulis in Regem Iudæorum: cum *Oseæ* 13. *Vers.* 10. dicat Dominus: *Dabo tibi Regem in furore meo*; ergo non placuit Deo, quod Iudæi haberent Saul in Regem.

Ex misericordia Dei prouenit, quod subditi habeant optimum Principem, & Prælatum, qui conferret.

Respondetur. Quod Deus misericorditer respexit populum Israel dando eis Saulem in Regem, quando Saul erat humilis, & poterat liberare, & eruere populum de manibus inimicorum. Hinc cum Saul erat bonus, placuit Deo electio eius, & ex misericordia concessit eis. Misericordia enim Dei est, quod populus, & subditi habeant bonum Prælatum, & Principem. Hugo Cardinalis: *Quod Saul esset Rex eorum, hoc placuit Domino in principio, scilicet, dum fuit humilis, & in hoc respexit eos Dominus misericorditer, quod dedit eis talem Regem, qui posset eos liberare de manibus inimicorum.*

Dub. 9. Ad illa verba 1. ad Timotheum 1. vers. 12. *Ponens in ministerio.* Cur Apostolus non dicit se positum in dominio, sed in ministerio, & opere?

Prælatus non constituitur in dignitate, vt dominetur, & requiescat, sed vt operetur, & laboret.

Respondetur. Quod prælatio non datur à Deo ad dominandum, ad quietem, & ocium, sed ad opus, & laborem. Hinc fatetur Apostolus se esse constitutum à Deo non in dominio, sed in ministerio, proculdubio in opus ad propagationem Regni cœlorum. Non enim Prælatus constituitur in dignitate, vt Dominetur, & requiescat, sed vt operetur, & laboret. Hugo Cardinalis: *In ministerio non dicit in dominio.* Actuum 13. *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod eos assumpsi, in opus dixit, non in ocium, in laborem, non in honorem.* Vt de Actuum 25. vers. 6. *Festus sedit pro Tribunali.* Cur non dicitur in Tribunali, quod videtur melius sonare? Quia *pro* dicit finem pro quo sedetur in loco iudicij, ad faciendum, scilicet, iudicium, *in* autem significat sessionem, & quietem, & Prælatus, & Iudex non eligitur, vt sedeat, sed vt in officio laboret. Hugo Cardinalis: *Pro, notat finem pro quo sedetur ibi, scilicet, vt faciat iudicium, in vero tantum sonat sessionem, & quietem.* Vide *Dignitas Rex*, & in Indice *Prælatus.*

CAP. LXXXXVI.

De Præmio.

DVb. 1. Ad illa verba, Daniel 12. vers. 12. *Beatus qui expectat, & peruenit ad dies mille trecentos triginta quinque.* Cur quadraginta quinque dies effluent à morte Antichristi, vsque ad finem sæculi, & vniuersale iudicium?

Iustis differt Deus præmium, vt virtus iustorum probetur.

Respondetur. Quod Deus multoties differt præmium iustis, vt virtus eorum probetur. Hinc post interitum Antichristi requies aliquantula futura creditur in Ecclesia quadraginta, scilicet, & quinque dies, iuxta vaticinium Danielis post quos apparebit Dominus veniens in nubibus cœli præmia iustis redditurus: differt enim Deus præmia iustis, vt eorum comprobetur patientia. D. Hieronym. apud Maluendam lib 13. de Antichrist. cap. 10. *Beatus qui interfecto Antichristo dies supra numerum præfinitum* (nimirum MCCXC) *quadraginta quinque præstolatur, quibus est Dominus atque Saluator in sua maiestate venturus. Quare autem post interfectionem Antichristi, quadraginta quinque dierum silentium sit, Diuinæ scientiæ est, nisi forte dicamus dilatio Regni Sanctorum patientiæ comprobatio est.*

Quælibet persona particularis præmiabitur, vel punietur pro propijs meritis, vel demeritis non pro alienis.

Dub. 2. Ad illa verba, ad Galat 6. vers. 5. *Vnusquisque enim onus suum portabit.* Cur dicit Apostolus, quod portabit vnusquisque onus suum: cum in hoc cap. *Vers.* 2. dicat, *alter alterius onera portate*, ergo vnusquisque non portabit onus suum, sed alterius.

Respondetur. Quod in Sacra Scriptura onus significat rationem reddendam

dam siue pro præmio consequendo, siue pro pœna sustinenda. Hinc dicit Apostolus, quod vnusquisque onus suum portabit, vt in die iudicij præmietur, vel puniatur. Quælibet enim persona particularis præmiabitur, vel punietur pro propriis meritis, vel demeritis, non pro alienis. D. Thomas: *Ibi loquitur de onere sustinendæ infirmitatis, quod debemus mutuo portare. Hic loquitur de onere reddendæ rationis, quod quilibet proprium portabit, siue sit onus præmij, siue pœnæ. Nam onus aliquando quidem ponit eius pœnæ, aliquando præmij significat, 2. Corinth. 4. vers. 17. Æternum gloriæ pondus operatur.* Isaiæ 3. vers. 10. *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet, væ impio in malum. Si autem dicantur aliqui rationem reddere pro alijs, puta Prælati pro subditis, secundum illud Exodi 3. vers. 18. Sanguinem eius de manu tua requiram. & Hebr. vltimo vers. 12. Obedite præpositis vestris: ipsi enim perui gilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris, non est contrarium dicto Apostoli, quia non puniuntur pro peccatis subditorum, sed pro propriis, quæ in custodia subditorum commiserunt.*

Dub. 3. Ad illa verba 2. ad Timoth. 4. vers. 8. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Cur corona quam Deus reddet, dicitur iustitiæ? cum ad *Romanos 6. vers. 23.* legatur: *Gratia Dei vita æterna.* & cap. 8. vers. 10. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Ergo cum vita æterna ex gratia detur, non debet dici corona iustitiæ.

Præmiat Deus hominem secundum sua merita.

Respondetur. Quod illa corona dabitur iustis secundum opera iusta. Hinc dicit Apostolus, quod reposita est ei corona iustitiæ, quia præmium secundum sua opera dabitur. Præmiat enim Deus hominem secundum sua merita. D. Thomas: *Est ibi gratia quantum ad radicem merendi, iustitia quantum ad actum, qui procedit ex voluntate, vel corona iustitiæ est, quæ datur ex iustitia, quia datur iustis secundum opera iusta.* Isaiæ 3. vers. 10. *Dicite iusto: quoniam benè, fructum adinuentionum suarum comedet.*

Dub. 4. Ad illa verba, ad Hebr. 1. vers. 8. *Virga æquitatis virga Regni tui.* Cur Christi regimen dicitur virga æquitatis?

Non est rectum, & æquum regimen si boni non præmiantur, & mali non puniantur?

Respondetur. Quod Dominus nullum bonum opus relinquit sine præmio, nec malum sine pœna. Hinc eius regimen vocatur ab Apostolo virga æquitatis. Non enim est rectum, & æquum regimen, si boni non præmiantur, & mali non puniantur. Caietanus: *Hoc est singularissimum in Regno Messiæ, quod virga regiminis eius est in omnibus, & per omnia regimen æqui recti, iusti, vtpote nullum bonum immune, & nullum malum impune relinquens, sed omnia ad rectum reducens.*

Dub. 5. Ad illa verba, Apocal. 21. vers. 24. *Et ambulabunt gentes in lumine eius.* Cur dicit D. Ioannes, quod Gentes ambulabunt in lumine gloriæ, cum gloria hic non detur, sed in futuro?

Spes præmij excitat ad laborem, & virtutem.

Respondetur. Quod iusti ambulant de virtute in virtute pro præmio futuro obtinendo, & gloria consequenda. Hinc dicit D. Ioannes, quod ambulabunt gentes in lumine eius, scilicet, pro spe, vel in spe habendi lumen eius: spes enim præmij excitat ad laborem, & virtutem. Hugo Cardinalis: *Describit Ciuitatem à seruientium Deo industria, & sollicitudine, quæ est, quia prospe tantæ claritatis habendæ, & tantæ beatitudinis conuertentur multi ad Dominum, & proficient in operibus bonis. Vnde dicit, & ambulabunt gentes ad fidem Christi, de virtute in virtutem proficient, & hoc in lumine, id est, prospe, vel in spe habendi lumen eius.* Pro præmio Vide *Meritum.*

CAP. LXXXXVII.

De Promissione.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 30. vers. 25. *Dimitte me, vt reuertar in patriam meam.* Cur Iacob vocat terram Chanaam locum suum, & patriam suam? An quia natus in ea?

Quod semel promittitur, eius est cui promittitur.

Respondetur. Quod terra Chanaam promissa fuit à Deo Iacobo. Hinc dicitur terra sua, seu locus suus appellatur ab eo, non solum quia in ea fuit natus, sed quia ei à Deo pollicita. Quod enim semel promittitur, eius est, cui promittitur. Caietanus: *Terram Chanaam sibi promissam à Deo, in qua natus erat, appellat locum suum, & terram suam.*

Dub. 2. Ad illa verba, Numeror. 17. vers. 8. *Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Cur Deus dedit virgæ germen, flores, frondes, & fructus, cum vnum tantum promiserit, scilicet, germen virgæ? vers. 5. quem *ex his elegero germinabit virga eius.*

Respo-

Deus plus dat quam promittat.

Respond. Quod Deus licet vnum tantum promiserit; scilicet, germen virgę tamen quatuor dedit; scilicet, germen, flores, frondes, & fructus. Hinc turgentibus gemmis, eruperunt flores, qui foliis dilatatis in amygdalas transformati sunt. Deus enim plus dat quam promittat. Hugo Cardinalis: *Hic dicit Origenes, quod Deus promisit germen virgæ & plura dedit: vnum promisit; scilicet, germen, & quatuor dedit; scilicet germen, flores, frondes, fructus. Vnde solet dici: plus dat quam tollat, aut spondeat, atque petatur.*

Promissis deficere maximum dedecus est.

Dub. 3. Ad illa verba, Iosue 7. vers. 9. *Et quid facies magno nomini tuo.* Cur Iosue cum petit à Deo, vt populo suo subueniat, dicit Deo: *Quid facies magno nomini tuo?* Cum sufficeret orare Dominum pro liberatione populi.

Respondetur. Quod in personis honoris, & magnitudinis, gloria est adimplere promissa; oppositum verò maximum dedecus, & ignominia: vnde cum Deus promisisset inferre populum suum in terram Chanaan, si inimici omnino debellassent eos, deficeret Deus promissis: & hoc dedecus esset Deo, & glorioso nomini eius, cum non haberetur, vt stans verbo suo. Hinc Iosue querelas tenerrimè Deo præsentauit, quando Haytæ Israelitas fugauerunt, & aliquos ex illis occiderunt, & petens, ac orans, vt populo suo subueniat, inter alia dixit, & quid facies magno nomini tuo, quasi dicat, dedecus erit nomini tuo, si non adimples quæ promisisti; scilicet, liberare populum. Promissis enim deficere maximum dedecus est. Abulensis. *Est sensus: Nomen Dei est glorioſum; scilicet, quod erat Deus Omnipotens in cœlo, & in terra, sicut dixerat Rahab, vt patet supra 2. cap. si autem non defenderet Iudæos, quos introduxerat in terram Chanaam, non iudicaretur Omnipotens à gentibus, quod cedebat in dedecus nominis Dei ideo non expediebat quod talia faceret Deus nomini suo, id est, quod non inferret talem ignominiam nomini suo.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 21. vers. 41. *Deditque Dominus Deus Israeli omnem terram, quam traditurum se patribus eorum iurauit, & possederunt illam.* Cur dicitur quod Deus dedit Israelitis omnem terram, quam iurauit, dare patribus eorum: cum *Genes. 15. vers. 18.* legatur, quod terram promissionis habitabant vndecim gentes, in multis legitur, quod habitabant septem. Item *Iosue 23. vers. 4.* legitur multam adhuc supereſſe terram non acquisitam. *Et nunc quia vobis adhuc sorte diuisit omnem terram ab Orientali parte Iordanis vsque ad mare magnum, multæque adhuc supersunt nationes.* Ergo non est verum, quod tunc Dominus dederit Israelitis omnem terram, quam promisserat patribus eorum, cum multa adhuc terra superesset non acquisita.

Promissa paulatim implenda sunt, cum expediunt vtilitati eorum, quibus promittuntur.

Respondetur. Quod licet Deus promisserit patribus eorum dare terram omnem, non tamen statim dedit, sed paulatim promissa impleuit, & Israelitæ obtinuerunt cunctanter, & gradatim, ne si statim eam possiderent, & hostes ex omnibus locis totaliter exturbassent, cum Israelitæ pauci essent ad omnia loca habitanda, crescerent bestiæ, & feræ infestantes Vrbes, & inhabitabiles eas redderent. Hinc pedetentim promissa patribus Israelitarum impleuit, & indo eis terram paulatim, & gradatim. Promissa enim paulatim implenda sunt, cum conuenit vtilitati eius, cui promittuntur. Maluenda: *Aliqui optima ratione factum putant, vt Israelitæ non statim omnem terram, sed paulatim occuparent: ne si in ipso ingressu hostes ex omnibus locis funditus eliminassent, & ipsi, aut numero pares fuissent ad loca omnia implenda creuissent bestiæ, & feræ, & Vrbes desertas Israelitis reddidissent, quæ ratio explicatur Exodi 23. Vers. 29.*

Quæ promittuntur danda sunt eis, qui attinent ad eos, quibus pollicita sunt.

2. Respon. Quod Deus terram quam pollicitus fuit patribus, dedit filijs eorum, quod ad impletum fuit sub Salomone. Quæ enim promittuntur, danda sunt eis, qui attinent ad eos, quibus spondentur. Hugo Cardinalis: *Dedit Israeli omnem terram, id est, inuestiuit eum omni terra, id est, tus possidendi dedit, quod ad impletum est sub Salomone, qui omnes sibi subiugauit, & facta est pax in omni terra eius. Illa autem verba, quam traditurum se patribus eorum iurauit, sic intelliguntur, iurauerat se daturum patribus, & verum fuit, quia dedit patribus in filijs.*

Dub. 5. Ad illa verba, Ezechielis 34. vers. 29. *Non erunt vltra imminuti fame in terra.* Cur dicitur quod Iudæi post redditum in terram suam non habuerunt penuriam ciborum: cum *Esdr. 4. & 5. vers. 3. & 1. Machabæorum 1.* legatur Iudæos postea famem, & incommoda sustinuisse: ergo Hebręi post redditum in terram suam penuriam habuerunt ciborum.

Deus promissa sua ad impletum iustis.

Respondetur. Quod Deus promisit Iudæis iustis abundantiam frugum, & ci-

ciborum, non impijs Iudæis. Hinc dicit Dominus per Prophetam, quod Iudæi post redditum in terram suam fame non imminuentur. Deus enim promissa sua adimplet iustis. Hugo Cardinalis. *Nescio quommodo se poterunt à dubijs explicare, cum constet ex lib. 1. Esdræ, cap. 4. & 5. & ex 1. Machabæor. Iudæos postea famem sustinuisse, nisi dicant hanc abundantiam promissam fuisse iustis, non impijs. Et infra: Hæc omnia promittebantur eis sub conditione, & in processu temporis completa sunt in illis, qui boni fuerunt, & cultum Dei tenuerunt.*

Dub. 6. Ad illa verba, 1. Esdræ 10. vers. 44. *Omnes hi acceperant vxores alienigenas.* An qui acceperant vxores alienigenas eas repudiauerint? videtur quod non, quia in hoc capite nulla re vera ejecta vxor reperitur. Soli enim filij Pontificis in speciem promisserunt ejicere vxores suas, vt patet vers. 19. Nulla tamen executio subiungitur, ergo qui duxerunt vxores alienigenas eas non repudiarunt.

Principalium virorum est præstare, & exequi, quæ promittunt.

Respondetur. Quod Sechenias nomine suo, & aliorum principalium promisserant repudiare vxores exteras, alieni sanguinis, & generis, externæ Religionis, & fœderis, spurij, & falsi cultus, alienas à fœdere Dei, & sicut spoponderunt, re ipsa præstarunt. Principalium est quæ promittunt præstare.

Non placent Deo hominũ oblationes, si promissa non perficiuntur, & implent.

Lyranus: *Licet non dicatur hic quod ejecerint pueros cum vxoribus alienigenis, tenendum tamen est, quia sic fuit factum, quia promisserat Sechenias nomine suo & aliorum principalium, vt habetur vers. 3. Percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro vt proijciamus vniuersas vxores, & eos qui de his nati sunt.* Maluenda: *Congruentius est re vera exequutionem mandati proactam, & vxores alienigenas pulsas, & sanè non potuissent arietem propiaculo offerre, vt dicitur vers. 19. Si in piaculo perstitissent.*

CAP. LXXXVIII.

De Prouidentia.

DVB. 1. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & vniuersis quæ mouentur in terra, vt habeant ad vescendum.* Quibus animantibus Dominus prouidit de cibo?

Dei prouidentia omnibus tam paruis quam magnis necessaria supeditat, sic Prælatus omnibus subditis siue paruis siue magnis necessaria ministret.

Respondetur. Quod nomine animantis intelligitur omne animal, siue paruum, siue magnum, siue domesticum, siue siluestre, siue herbiuorum, siue carniuorum, quibus Dominus prouidit de alimẽto fructuum, seminum, & herbarum, vt in textu dicitur. Dei enim prouidẽtia omnibus tam paruis, quàm magnis, tam domesticis, quàm feris necessaria ministrat. Maluenda: *Generaliter summi volunt pro omni animali irrationali, siue magno, siue paruo, siue domestico, & cicuro, siue fero, & siluestri, siue herbiuoro, siue carniuoro, quod tamen pedibus alte gradiatur super terram.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 16. vers. 4. *Egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies.* Cur Dominus non dedit eis panem ad mensem, aut quem ad hebdomadam saltem seruare possent, sed ad singulos dies?

Prouidentia Dei quotidiana, qua singulis diebus hominibus prouidit, obligat homines, quod quotidie memores sint Dei.

Respondetur. Quod Deus voluit, vt nullus præteriret dies, in quo eius beneficentiam, & erga se prouidentiam non sentirent, atque ob id semper Dei essent memores. Hinc voluit dare eis cibos non in singulos menses, sed in singulos dies. Quotidiana enim Dei prouidentia, qua singulis diebus hominibus prouidit, astringit hominem, vt quotidie memor sit Dei. Oleaster: *Vult Dominus nos semper ab eius prouidentia pendere, quoniam nouit nos non adituros nisi indigeamus quæ in re melior est pauperum, quàm diuitum conditio. Sunt enim singulis diebus pauperum oculi ad Deum vt eorum misereatur, & necessaria saltem ad illum diem tribuat.*

Dub. 3. Ad illa verba, Numeror. 11. vers. 17. *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi.* Cur septuaginta Senioribus datur de spiritu Moysi spiritus prophetiæ? Cur spiritu prophetico donandi?

Munus Prælati, & Principis est prouidere malis Reipublicæ antequã veniant.

Respondetur. Quod Prælati, & Principes debent futura prænoscere, vt prouideant malis antequam veniant. Hinc dicit Dominus, quod de spiritu prophetiæ Moysis ablaturus erat spiritum, & traditurus septuaginta Senioribus Reipublicæ Rectoribus. Munus enim Prælati, & Principis est prouidere malis antequam veniant. Oleaster: *Mirum valde est quare detur Rectoribus spiritus prophetiæ vt scilicet futura præno scant, & prædicent. Præcipuum munus Principis est diuinare, vt scilicet prouideat malis antequam veniant.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 3. vers. 3. *Quando videritis arcam fœderis Domini*

ni sequimini præcedentes. Cur post mortem Moyses disparuit nubes, quæ ducebat populum Israel? Cur amplius iam non direxit, nec apparuit, sed motum arcæ sequebantur, quæ loco nubis ducebat eos?

Prouidentiæ Dei est succurrere nobis in his quæ, vel nescimus, nec possumus.

Respondetur. Quod quando homo ignorat, & nescire non potest quid debeat facere, ad Dei prouidentiam pertinet eum dirigere, & docere: quando vero agnoscit quid sibi opus est subtrahit se Deus, vt sequatur iam homo viam quam scit, vel potest faciliter scire: vnde cum terra per quam pergebant Israelitæ esset deserta, & nescirent per quam eundum eis erat, habebant nubem à Deo præstantem ducatum: at vero in terra promissa non indigebant nube, quia iam sciebant viam, vnde sufficiebat arca eos præcedens. Prouidentiæ enim Dei est succurrere nobis in his quæ, vel nescimus, nec possumus, non vero in illis quibus possumus nobis metipsis succurrere. Abulensis: *Nam terra illa per quam ibant Israelitæ erat deserta & in via ita, vt nescirent, qua progrediendum eis erat: & dato quod scirent aliquam viam, nesciebant per quam partem terræ Deus vellet ingredi Israelitas. Dedit ergo Deus nubem dirigentem per diem & speciem ignis per noctem. Hæc autem necessitas non mansit in terra Promissionis, nam cum Iudæi tunc essent in terra populata, non erat eis necessarius motus nubis: ipsi namque scirent ad quas Ciuitates, vel loca mouere vellent: & ad hoc sufficiebat eis arca præcedens per viam illam, quam ipsi determinassent.*

Dub. 5. Ad illa verba, Psalm. 112. vers. 7. *Suscitans à terra inopem*, vers. 9. *Qui habitare facit sterilem in domo.* Cur Dauid singulariter narrat de Deo duo hæc, quod erigit pauperem de stercore, & facit eum Principem, alterum quod sterilem efficit matrem filiorum?

Diuina prouidentia ad minima se extendit,

Respondetur. Quod Dauid voluit commendare Diuinam prouidentiam, quæ se extendit vsque ad minima. Hinc singulariter duo hæc narrat, alterum quod erigit mendicum de stercore, & quod plus est Principem in populo proprio ipsius pauperis, quod constat in Saule, & Dauide verificari: nam Saul de puluere erectus est in Regem, qui etiam factus Rex sequebatur boues, vt testatur Historia 1. *Regum.* Dauid etiam cum prius pasceret oues patris sui factus est Rex: secundum autem, quod sterilem efficit matrem filiorum, verificatur in Sara sterili, effecta matre totius populi Israel, & in Anna matre Samuelis, cum ergo ex hijs vnum sit fortuitum: erectio scilicet, pauperis in Regnum, & alterum sit casuale, scilicet sterilem effici matrem, & hæc sint minima, Diuina prouidentia ad minima se extendit. Caietanus: *Intendit Propheta in erectione pauperis de stercore ad Principatum proprij populi, significare omnia fortuita: hoc enim maximæ fortunæ attribuimus, & præter humanorum negotiorum ordinem rarissimè accidit. In fœcunditate autem mulieris sterilis, significat omnia casualia: quæ scilicet, præter naturæ ordinem eueniunt: sterilem enim fœcundam effici, præter naturam manifeste est. Ita quod intentio Prophetæ est declarare extensionem Diuinæ prouidentiæ vsque ad minima, describendo ipsa minima in vno fortuito & in vno casuali quia fortuita, & casualia sunt verè minima. & vsque adeo minima, vt multi Philosophorum numeranda putauerint inter non entia: cum tamen secundum veritatem sint entia per accidens quæ constat infimum locum in vniuerso tenere.*

Dub. 6. Ad illa verba, Psalmi 104. vers. 16. *Vocauit famem super terram, misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph.* Cur dicitur, quod Deus misit Iosephum in Ægyptum, cum fratres vendiderint eum ex malitia, & ductus fuerit in Ægyptum?

Prouidentia Dei ex malis nostris bona elicit.

Respondetur. Quod licet Ioseph malitiosè fuerit venditus à fratribus, tamen nutu Dei factum est hoc, vnde ipse dicit eis. *Genes.* 45. *Pro salute vestra misit me Dominus ante vos.* Hinc dicit Dauid, quod Dominus vocauit famem super terram, & quod misit ante eos virum Ioseph qui Hebræos aleret, misit in quam mediante venditione fratrum. Prouidentia enim Dei ex malis nostris bona elicit. Maluenda: *Historiam hanc venditi in Ægypto Ioseph, vide Genes. 37. vers. 28. & 36. & quomodo id factum fuerit Diuina prouidentia, vt Israelitas aleret. Genes. 45. vers. 5.* Et Caietanus: *Aduerte quod licet fratres Ioseph vendiderint ipsum, Deus autem ex intentione misit Ioseph mediante venditione fratrum, & propterea hanc mediam causam subdit: in seruum venundatus est Ioseph.*

(§) (§) (§)
(¶) (¶)
(***)

CAP.

CAP. LXI.

De Prudentia.

DVB 1. Ad illa verba Leuit. 3. vers. 13. *Quidquid obtuleris sacrificij sale condies.* Cur quodlibet sacrificium sale condiendum?

Sine prudentia virtus moralis nulla esse potest.

Respondetur. Quod sal significat prudentiam, vnde sicut sal est condimentum generale omnium ciborum. Ita prudentia omnium virtutum, etenim differt sal ab alijs condimentis in hoc, quod alia aliquas res condiunt, non verò cęteras, sicut oleum saporem dat pani, non verò carni. Ideo Deus præcipiebat quod mitteretur oleum in panibus, non verò in carnibus, at sal omnia condit, non vnum cibum, aut alium, sed omnes; ita prudentia se habet respectu cæterarum virtutum: aliæ enim sine alijs virtutes esse possunt, vt iustitia sine fortitudine; at sine prudentia nulla, & hanc præeminētiam habet etiam charitas supra omnes virtutes, quia sine illa virtus aliqua esse non potest. Prudentia ergo talis est, quod sine illa nulla virtus esse potest Abulensis: *Signat discretionem. Discretionem autem, quam Philosophorum more loquentes prudentiam appellamus omni virtuti viam præbet, omnibusque actibus interesse debet, quoniam sine illa virtus moralis nulla esse potest, & cum illa fuerit necessarium est morales virtutes inesse iuxta Aristoteles doctrinam in 6. Ethic. Ideo nostra, aut actio, aut locutio sine discretione esse non debet, alias qualitercumque fiat, illicita est.*

Dub. 2. Ad illa verba 1. Reg. 11. vers. 11 *Ingressus est Saul media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon.* Cur Saul in vigilia matutina egressus est hostes? Cur non irruit in eos cum incaluit Sol?

Vir prudens expectat tēpus ad agendum, & nacta occasione operatur.

Respondetur. Quod hostes in vigilia matutina profundo obruebantur somno. Hinc Saul prudenter in vigilia matutina cum erant somno correpti, adorsus est hostes repente, & subito inopinatus, & inspectatus inuasit castra. Vir enim prudens expectat tempus, & nacta occasione operatur. Caietanus: *In vigilia matutina, hoc est, in custodia matutina, quæ est vltima custodia noctis. Et hic apparet prudentia Saulis: nocte siquidem magnum iter peregerunt vt ex improuiso aggrederentur hostes dormientes: semper enim huiusmodi celeritas peperit victoriam.*

Dub. 3. Ad illa verba 1. Reg. 21. v. 13. *Et immutauit cor suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum & impingebat in ostia portæ, defluebantque saliuæ eius in barbam.* Cur Dauid coram Achis insanum, & fatuum agebat? Cur furiosum se simulabat: cum 1. *Reg.* 29. *vers.* 9. Angelus Dei videretur?

Coram inimicis prudēter agendū.

Respondetur. Quod Dauid extimuit valde à facie Achis Regis Geth. Hinc immutauit cor suum, seu vt alij legunt: *Mutauit ipse saporem suum*, id est, prudentiam, ostendens se imprudentem esse, & non sapere; mutauit sermonem suum, id est, loquebatur stulta, & fatua, mutauit gustum suum, id est, simulauit se animo turbatum, mente motum, & amentem, tandem in sanum se ostendebat, fatuum se simulabat, & fingebat, vt coram inimicis prudenter ageret. Caietanus: *Mutauit os suum coram eis. Iuxta Hebræum habetur: Et mutauit ipse saporem suum in oculis eorum. Nomine saporis prudentia significatur, tanquam dictum sit, quod mutauit sapere suum in oculis eorum, hoc est, in apparenti conspectu illorum; & fecit descendere saliuam suam ad barbam; vniuersa huiusmodi fictio ex timore procedens ea ratione excusatur, qua dicitur, stultitiam simulare loco, prudentia summa est.*

Dub. 4. Ad illa verba Prouerb. 15. v. 24. *Semita vitæ super eruditum.* Alij legunt: *Via vitæ sursum ducit prudentem.* Cur prudentia ducit hominem sursum? Quommodo euehit eum?

Prudens euēhendus ad honores, & dignitates.

Respondetur. Quod prudentia gradum facit ad honores, & dignitates, item ad cœlestem Patriam. Vnde merito dicit Salomon, quod via vitæ sursum ducit prudentem, id est, exaltat ad honores, vel ad cœlum. Prudens enim exaltatur in hoc mundo, & exaltabitur in futuro. Maluenda: *Semita vitæ super eruditum. Alij ex Hebræo: Semita vitæ ad ascensionem, siue gradum superiorem intelligenti, id est, semita vitæ ducit ad dignitates, gradus honores intelligentem, vel via vitæ sursum ducit prudentem, id est ad cœlestem Patriam. Vel iter vitæ sursum est intelligenti, id est, in cœlis vita est, ac proinde cogitat de cœlestibus. & ad cœlestia tendit. Philipens. 3. vers. 20. & Colosens. 3. vers. 1.*

Prudētia ducit ad cœlū.

Prudentis conuersatio in cœlis est.

Dub. 5. Ad illa verba Ecclesiastic. 34. vers. 11. *Plasmata sermonum meorum intellectus meus.* Alij reddunt: *Plurima negotiorum meorum, vel rerum mearum prudentia mea.* Cur dicit Ecclesiasti-

siasticus quod ex pluribus rebus, & negotiis prudens est.

Experientia docet hominem qualiter prudenter se debet gerere.

R. Quod prudentiæ mater est experientia. Hinc dicit Ecclesiasticus, quod ex rebus, & negotijs multam eruditionem rerum peritiam, & prudentiam collegit. Experientia enim docet hominem qualiter prudenter se debet gerere. Maluen. *Plasmata sermonum meorum intellectus meus. Alij reddunt: plurima negotiorum meorum, vel rerum mearum, prudentia mea, id est, ex multis negotijs seu rebus, quæ administraui, vel expertus fuum prudentia mihi comparata est.*

Dub. 6. Ad illa verba Eccles. 51. vers. 36. *Assumite disciplinam in multo numero argenti, & copiosum aurum possidete in ea.* Cur dicit quod multum aurū possidebit homo cum prudentia?

Vir prudens facile diuitias compārare potest.

R. Quod prudentiam, & doctrinam sæpè comitantur diuitiæ. Hinc consulit Ecclesiasticus, quod participes simus eruditionis cum magno numero pecuniæ, & multum aurum possidebimus cum ea. Prudentes enim, & sapientes facile pecunias, & diuitias comparant. Maluen. *Significat cum prudentia, & eruditione simul aduenire pecunias: nam viri sapientes facile eas parare possunt, vt est exemplum Thaletis apud Laertiū.*

R

CAP. LL.

De Religiosis.

DVB. 1. Ad illa verba Genes. 2. v. 3. *Et sanctificauit illum.* Quid est hoc quod Dominus benedixit, & sanctificauit diem septimum? In quo consistit benedictio, & sanctificatio?

Deus benefacit homini, honorat eum, fœlicēque reddit, cum ad Religionem vocat, vt eius cultui, & seruitio maneret pactus.

R. Quod Deum benedicere est benefacere, honorare, fœlicem facere, sanctificare verò est sibi dedicare, consecrare: vnde diem septimum benedicere, & sanctificare idem est, quod Deus illum diem honorauit valde, vt esset dedicatus cultui eius, & in eo pactus eius seruitio. Deus enim valde honorat hominem, cum ad Religionem vocat, vt eius cultui deseruiat. Malonda: *Benedixit diei septimo, id est, celebrem, honorabilem, laudabilem, faustum, fœlicem, fortunatum, augustum reddidit, statimque se exponit & sanctificauit illum, propriè sanciuit, sanctificauit, consecrauit, dedicauit, accommodauit vsibus diuinis, ad sacrum vsum destinauit, a communi, & prophano vsu segregauit in vsum sacrum, cultui Dei assumpsit, seruitio Dei præparauit ad ministerium, & sacras cæremonias instituit.* Vnde Amos 2. vers. 12. dicit Dominus: *Suscitaui de filijs vestris in Prophetas, & de iuuenibus vestros Nazareos.* Cur Dominus reuocat in memoriam patribus Hebræorum, quod de iuuenibus eorū fecit Nazaræos? Quia hoc erat magnum Dei beneficium filios facere Nazaræos, id est, sibi consecratos. Benefacit enim Deus parentibus, cum filios suos cultui, & seruitio suo in Religione mancipat. Hugo Card. *Nota quod inter magna beneficia hoc enumerat quod tamen hodie multi parui pendunt.*

Dub. 2. Ad illa verba Genes. 8. vers. 16. *Egredere de arca tu, & vxor tua, & filij tui.* Cur Noe vxor, & filij non egressi sunt de arca ante mandatum Domini?

Religiosus non debet voluntarie, nec qualibet de causa egredi clausurā, nisi iubente Prælato.

R. Quod inclusi erant in arca, sub clausura erant. Hinc egredi noluerunt nisi iubente Domino, vt innuat Religiosos non debere voluntariè de Claustris egredi, nec quolibet ex causa, nisi Prælato iubente. O cast. *Admonemur hic non egredi clausuram, in qua nos Deus inclusit, nisi de mandato eius, Vnde de quodam recluso a B. Remigio legimus, quod ab Angelo monitus, vt recluforium exiret, responderit: Dominus meus Remigius me inclusit, & eo non iubente, minimè egrediar.*

Dub. 3. Ad illa verba, Exod. 16. v. 3. *Murmurauit omnis Congregatio filiorū Israel contra Moysem, & Aaron in solitudine.* Cur murmurant pro victu in deserto, qui in sua patria tenui victu vtebantur?

Mali Religiosi in Religione quærunt delicios, cum in sæculo parcissimo cibo vsi fuerint.

R. Quod filij Israel typum gerunt aliquorum Religiosorum, qui in sæculo parcissimo cibo, & simplici mensa contenti, volunt in Religione curare molliter, & laute, cum Religio in ingressu Religionis non promiserit talibus delitias, sed paupertatem. Lyran. *Per quod significatur murmuratio Religiosorum, qui per Israel significatur, contra bonum Prælatum propter paupertatem victus, dixerunt quo, in Ægypto, id est, vsque ad mortem mansissemus in sæculo per Ægyptum significato eo quod interpretatur tenebræ sæculum autem tenebrosum est ignorantia, & culpa, quando sedebamus hæc autē frequentius dicunt conquærendo illi qui fuerunt pauperiores in sæculo, & fuissent ibi contenti illis quæ administrantur sibi. Religiosi vero Mendicantes talia dicentes multum deberent confundi, cum in ingressu Religionis nihil sibi promissum*

missum fuerit nisi paupertas.

Dub. 4. Ad illa verba Leuit. 11. v. 45 *Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de terra Ægypti.* Cur Deus hoc beneficium, & non aliud ante oculos eius proponebat?

Religiosi speciali cura obseruent Dei legem, cum sint specialiter Dei, & à sæculo ad Religionē educti.

R. Quod Deus quem educit de sæculo, facit specialiter suum, & hoc est, maximum beneficium inter omnia, quæ illi retribuere potest homo: vnde quando Deus educit aliquem de Ægypto sæculi ad statum Religionis propter speciale hoc beneficium, facit eum specialiter suum, quia cætera beneficia creationis, & vocationis, sunt multis alijs communia, & ideo nullus propter illa dicitur specialiter esse Dei, sicut dicitur Religiosus. Hinc vt populus Israeliticus præcepta Dei adimpleret, & in eius adoratione perseueraret, semper Deus in illius memoriam reuocabat, quod eduxerat eum de seruitute Ægyptiorum. Religiosus speciali cura obseruet Diuina præcepta cum è sæculo eductus sit ad Religionem. Abulen. *Causa principalior est, quia quamuis per quemlibet specialem actum, quem Deus habebat ad aliquem populum, facit eum specialem populum suum tamen iste actus, qui fuit educere Israelitas de Ægypto, fuit specialiter ad faciendum, quod ipsi Israelitæ essent populus Dei, alij autem actus, & posteriora beneficia, non fuerunt ad faciendum Israelitas populum Dei, sed magis impendebantur eis, tanquam iam essent populus Dei, ideo de isto beneficio specialiter debet fieri mentio, quandocumque Deus vocatur Israelitarum.* Vnde in Religiosis idem peccatum grauius est, quàm in sæcularibus. Deuteronom. 32. vers. 19. *Prouocauerunt eum filij sui, & filiæ.* Cur Iudæi prouocantes Deum peccato idolatriæ vocantur filij Dei?

Grauius est peccatū Religiosorum, & Monialiū quam aliorū.

R. Quod Iudæi specialiter erant Deo dicati, & speciale peculium Dei, ex quo in eis erat maior obligatio illum non offendēdi, & præcepta sua seruandi: vnde grauius est peccatum in Christianis, quàm in Gentilibus, & grauius peccatum in Religiosis, quàm in sæcularibus, quia sunt populus specialis, & specialiter Deo dicati. Hinc ad exaggerationem peccati Israelitarum, dicitur quod prouocauerunt Deum filij sui, & filiæ, quia quod Deum offenderent alij malum erat, quod verò filij, & filiæ valde peius. Grauius est enim peccatum Religiosorum, & Monialium, quàm aliorum. Abulen. *Israelitæ qui erant specialiter filij sui, & hoc detestabilius est quia quando illi, quos Deus non suscepit in singularem custodiam, nec eos dotat singularibus donis Deum offendunt per idolatriam, licet peccatum sit, tamen non ita graue. sicut cum illi offendunt, qui dilecti eius vocantur. Ideo Deus in solos Iudæos irascebatur, cum idola colebant, non autem in Gentiles.*

Dub. 5. Ad illa verba Ierem. 2. v. 2. *Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta est me in deserto.* Cur Dominus dicitur recordari populi Israelis, & in memoriam reuocare illum amorem, quem Hebræi exhibuerunt Deo, in principio adolescentię suę id est, amorem quo populus prosequutus est eum, cum educeretur ex Ægypto à Deo?

Religiosi alij qui arguendi, quod non persistunt in feruore quē habuerunt in ingressu Religionis.

R. Quod Dominus voluit arguere Israelis teporem, & remissionem amoris, quem habuit populus in progressu per desertum erga Deum. Hinc in memoriam recolit Dominus illum feruorem, & amorem, quem Israel in principio adolescentiæ cum educeretur de Ægypto, exhibuit Deo: sicut cum aliquis attendit, quod vxor eius quę modo cum omnibus fornicatur, prius valde dilexit eum, & ille eam misereretur illius conferens bonum statum priorem, posteriori malo: quæ exponuntur de aliquibus Religiosis, quibus ad memoriam reducitur feruor deuotionis suæ in Religionis ingressu, vt conuenientius arguatur tepor, & remissio in progressu, & sic dicitur in persona Domini arguentis teporem eorum recordantis in principio professionis, quando secuti sunt Religionem, non de omnibus qui perseuerant in primo illo feruore, & ardore animi. Arguendi enim sunt aliqui Religiosi, qui non persistunt in illo feruore, quando professi sunt in Religione. Hugo Card. *Hoc potest dici Monachis, & Religiosis quorum feruorem in principio suæ Institutionis recordatur Dominus, sed modo peruersi facti sunt, & ideo dolet Dominus. Osee 9. Quasi vuas in deserto inueni Israel. In principio enim præ feruoris magnitudine dulces erant Domino, sicut vua quæ reperitur in deserto. Prouerb. 5. Lætare iuuenis cum muliere adolescentiæ tuæ. Malach. 2. Custodite spiritum vestrum, & vxorem adolescentiæ vestræ nolite despicere. Et charitatem desponsationis tuæ id est, feruorē quem ad me habebant Religiosi antiquitus, quando primo mihi coniuncti sunt: cum tamen sicut dicitur Num. 28 Pinguior agnus offeretur in ves-*

Multi Religiosi perseuerant in illo ardore impetu, & feruore quem habuerunt in principio.

pere

pere quam in mane. Debent enim esse Religiosi, vt candelæ, quæ in principio debiliter ardent, & quanto magis ardent magis crescit ignis. Prouerb. 4. Iustorum semita quasi lux splendens, crescit vsque ad perfectum diem. Iaeo Cant. 1. Adolescentulæ dilexerunt te nimis. Sed Ieremiæ 51. Deuorauit me Nabuchodonosor Rex Babilonis, reddidit me quasi vas inane.

Dub. 6. Ad illa verba Matth. 28. v. 6 *Videte locum vbi positus erat Dominus.* Cur mulieres corpus Iesu non inuenerunt, sed tantum Sudarium, & lintheamina, quæ erant signa, quod ioi fuerat?

In malis Religiosis inuenitur tantum habitus Religionis, non tamen Iesus, secus in bonis Religiosis

R. Quod Christi Sepulchrum religio est, lintheamina, & Sudarium est habitus exterior Religiosi, quia in eo sepeliuntur. Quid est enim quod mulieres, Petrus, & Ioannes inuenerunt locum, vbi positus fuerat Iesu, Sudarium, & lintheamina non vero Iesum, nisi quod in aliquibus Religiosis solùm inueniatur habitus Religiosi, non tamen in eis reperitur Iesus. In malis enim Religiosis inuenitur habitus Religionis, non tamen Christus. Hugo Card. *Videte locum, vbi positus erat Dominus. Ioann. 20. dicit: Corpus autem Iesu non inuenerunt, sed tantum Sudarium, & lintheamina, quæ erant signa, quod ibi fuerat Sic est in multis Claustralibus Sudarium, & lintheamina, id est, habitum Monachalem, qui est Sudarium Monachorum quia in eo sepeliuntur, & Claustrum id est locum ipsum qualemcumque posses reperire, sed Iesum non reperies quia surrexit non est hic. 1. Reg 19. Porro Dauid abijt & aufugit, & saluatus est: tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum ad caput eius, & operuit eam vestimentis: cumque venissent Nuntij Saul, inuentum est Simulacrum super lectum, & pelles caprarum.* Vide in Indice, *Religiosus.*

CAP. LLI.

De Reprehensione.

DVB. 1. Ad illa verba Genes. 49. v. 28. *Benedixitque singulis benedictionibus propriis.* Cur dicitur quod Iacob singulis filijs benedixit: cum *in hoc capite, vers. 5.* maledixit Simeoni, & Leui vocans eos vasa iniquitatis, prædixitque eos dispergendos in signum maledictionis, non ergo omnibus filijs benedixit.

R. Quod licet Iacob male dixerit Simeoni, & Leui propter factum in Sichimitas: tamen loco benedictionis fuit maledictio, cum fuerit argutio, & reprehensio facti præmonitioque. Reprehensio enim Prælati, qua arguit subditum pro benedictione reputanda est. Hugo Card. *Benedixit singulis benedictionibus propriis, quia hoc quod dixit, fuit loco benedictionis.* Caiet. n. *Vt hic intelligeremus quod etiam illa, quæ mala sunt, puta Simeon, & Leui Vasa iniquitatis, & alia similia mala culpæ, vel pœnæ, sunt dicta benedicendo: nam arguere, & punire, & præmonere aliena non sunt a paternis benedictionibus.*

Prælatus cum reprehendit subditum, idem est, ac si benedicat subdito.

Dub. 2. Ad illa verba Exod. 10. v. 3. *Introierunt ergo Moyses, & Aaron ad Pharaonem.* Cur dicitur quod Moyses & Aaron introierunt ad Pharaonem: cum *in hoc cap. vers. 1.* Solus Moyses videatur ingressus ad Pharaonem: *Et dixit Dominus ad Moysem ingredere ad Pharaonem.* Et cap. 9. vers. 1. *Dixit Dominus ad Moysem ingredere ad Pharaonem.* Ergo solus Moyses, non Aaron ingressus est ad Pharaonem.

Respondetur Quod solus Moyses intrabat ad Pharaonem: at cum Pharao durior effectus est Moyses, & Aaron ingressi sunt ad eum increpandum, & arguendum. Hinc dicitur quod Moyses, & Aaron ingressi sunt ad Pharaonem. Peccatorenim cum multiplicat peccata, & durior efficitur, plurium indiget reprehensione. Hugo Cardinalis. *Supra solus Moyses intrabat ad Pharaonem. Hic vero Moyses, & Aaron quia quanto durior effectus est Pharao tanto plurium increpationibus eget. Vnde Matth. 28. Si peccauerit in te frater tuus, si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum.*

Peccator eò multiplicat peccata, & durior efficitur, plurib indiget reprehensione.

Dub. 3. Ad illa verba 2. Reg. 13. vers. 21. *Cum autem audisset Rex Dauid verba hæc, contristatus est valde.* Dicunt aliqui, quod non peccauit Dauid non puniendo incestum Amnonis cum Thamar: cur non peccauit omissa correctione Amnonis, cum Amnon oppresserit vi virginem, & incestum commisserit in sororem suam filiam patris sui: vtrumque enim crimen in lege Moysis decernitur puniendum, ergo peccauit Dauid non corigendo, & puniendo Amnonem filium suum. Tum etiam quia 2. *Reg.* 4. legitur, quod Heli ob hoc reprobatus est, quod non corripuit filios suos, cum sciret eos malefacere: ergo peccauit Dauid non corripiendo Amnon, cum sciret eum peccasse.

Resp. Quod Dauid vidit Amnonem pœnitentem de incestu cum sorore Thamar, & pudore suffusum. Hinc

Correctio est prudens, & discreta, nec arguatur, qui de peccato pœnitet.

à reprehensione Amnonis discretè, & prudenter abstinuit. Reprehensio enim debet esse prudens, & discreta, nec arguendus, qui pœnitet. Hugo Cardin. *Omnis correctio debet esse discreta. Vnde & tempus, & modus, & persona quæ corrigi debet considerandæ sunt, Vnde aliquando omittenda est correctio, quia non esset vtilis, imo forte abundatiori tristitia absorberetur qui debebat corrigi. Ideo quia vidit Dauid Amnon pœnitentem super peccato suo, & tristem, ne penitus absorberetur à tristitia, dissimulauit prudenter. Heli verò videbat filios pertinaces in malo, & non corigebat, ideo peccauit.*

Peccat Prælatus si non reprehendat subditos, cum correctio vtilis esse speratur.

Dub. 4. Ad illa verba, Prouerb. 26. v. 4. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam.* Cur dicit Salomon, quod non respondeas stulto iuxta stultitiam suam: cum in hoc cap. vers. 5. legatur: *Responde stulto iuxta stultitiam suam.* Ergo respondendum est stulto iuxta stultitiam suam.

Incorrigibili nō est danda reprehensio, cum non speratur emenda, corrigibili verò sic, quia speratur resipiscentia.

R. Quod stultis incorrigibilibus non est respondendum, quia non recipiunt correctionem. Et in hoc sensu loquitur Salomon vers. 4. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam.* At stultis corrigibilibus respondendum est suauiter, vel durè, vt corrigantur. Et in hoc sensu instruit Salomon vers. 5. quod respondeas stulto iuxta stultitiam suam, quia cum sit corrigibilis, proderit reprehensio. Incorrigibili non est danda reprehensio, cum non speratur emenda, corrigibili vero sic, quia speratur resipiscentia, & emendatio. Hugo Card. *Non est contrarietas, quidam enim stulti sunt omnino incorrigibiles, quia non recipiunt sapientiam. His nullo modo respondendum est, & quantum ad huiusmodi dicit: Ne respondeas stulto. Vnde & Dominus. Matth. 21. vers. 23. Principibus Sacerdotum quærentibus, in qua potestate hoc facis, noluit respondere, sed quæsiuit: Baptismus Ioannis vnde erat è cœlo, an ex hominibus, & respondentibus nescimus, ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio, nec etiam Herodi voluit respondere. Luc. 23. Neque Pilato. Matt. 27. Alij sunt stulti corrigibiles quorum duplex est differentia: nam quidam corriguntur responsionis suauitate, alij sermonis austeritate. Vnde Seneca, quædam vitia frangenda sunt, alia verò emmendanda, quod huiusmodi dicit Salomon, respondeas stulto iux stultitiam suam.*

Dub. 5. Ad illa verba Actor. 22. ver. 29. *Tribunus quoq; timuit, postquam resciuit quia Ciuis Romanus esset, & quia alligasset eum.* Cur Tribunus timuit alligando Paulum Ciuem Romanum? An timuit à Cæsare puniri?

Illustris vir, & honoratus ægrius fert reprehensionem, quam pœnam.

R. Quod Paulus indemnatus erat, & Tribunus iniudiciario ordine de nullo reatu conuictum Paulum Ciuem Romanum, iussit astringi loris ad flagellandum: vnde timuit non pœnam, nec à Cæsare puniri, sed reprehendi, quod flagellaret Ciuem Romanum. Illustris enim vir, & honoratus ægrius sustinet reprehensionem, quam pœnam. Caietanus: *Timuit enim Tribunus reprehendi, quod iussu suo fuerit Romanus Ciuis alligatus ad flagra suscipiēda.*

Dub. 6. Ad illa verba Ad Titum 1. vers. 13. *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventris pigri, quam ob causam increpa illos dure.* Cur Apostolus præcipit Tito, quod Cretenses increpet durè, cum Thimothæo præcipiat, quod Ephesios in patientia, & lenitate reprehendat *in omni patientia.*

Duri homines durè sunt arguendi.

R. Quod Cretenses erant homines feroces, & duri. Hinc Apostolus iubet reprehendere eos dure: ferales enim, & duræ conditionis homines, durè sunt arguendi. D. Thom. *Cretenses enim duri & pertinaces erant: & ideo durè eos reprehendi iubet, non autem Ephesij, quorum Archiepiscopus erat Timothæus.* Hinc est, quod reprehensio dura, & aspera danda est superbis peccatoribus, lenis verò humilibus, Genes. 50. vers. 21. *Blandè, & leniter est locutus.* Cur Ioseph tam blandè loquitur fratribus, qui eum vendiderunt?

Reprehensio dura superbis, & duris danda est, lenis verò humilibus.

Respondetur. Quod cum peccatoribus duri cordis vtendum est asperis reprehensionibus, humilibus verò, & blandis, suauitate, & dulcedine, vt illi duritia emolliantur, isti suauitate consolentur. Vnde cum fratres Ioseph humiliter petierint ab eo, Ioseph blandè, & leniter eis respondet. Abulensis: *Hinc consolabatur eos Ioseph, ne absorberentur præ tristitia mali, quod egerunt excluso adhuc timore, & lenit dulcibus verbis eorum duram iniquitatem. Et in hoc attendere valde debent, qui confitentes vadiunt, vt iuxta eorum dispositionem, respondeant. Sunt enim qui cum multa mala patrauerint, nihil se fecisse existimant, malefacta paruipendentes. Hos autem duris verbis de scelerum grauitate prolatis ad factorum pœnitentiam, & sui ipsorum detestationem inducere oportet. Sunt autem alij, qui criminis grauitate pensata tam vehementi, inconsolabilique tristitia absorbentur, vt penè indiffidentiam adducantur.*

tur. Hoc autem verborum mulcebris ita mollire oportet grauitatem criminis leniendo, & opportunitates scelerum, mutabilemque naturæ, & figmenti humani fragilem conditionem, Deumque promptè pœnitentium miserentem proponendo, vt ad hilaritatem quandam, & dispositionem meliora esperandi reducantur.

Mansuetus cum rigore arguat, rigidus cum lenitate reprehendat.

2. Resp. Quod Titus erat naturæ leni, lenitate animi præditus, valde humanus, & affabilis. Vnde iubetur durè increpare Cretenses, quia mansuetus homo cum reprehendit, debet durè, & asperè arguere. Timotheus verò erat rigidus, seuerus, & austerus, vnde inducitur, vt cum pacientia reprehendat. Qui lenis est natura durè arguit, qui verò rigidus cum pacientia, & lenitate reprehendat. D. Thom. *Titus fuit lenis, & mansuetus, & ideo inducitur quasi ad contrarium, sed Timotheus eras rigidus, & ideo inducitur ad pacientiam.* Hugo Card. *Nota quod iste Titus mansuetus erat nimis, & ideo sti mulandus erat ad rigorem. Timotheus autem rigidus erat, & ideo frænandus erat. Vnde 1. Timoth. 4. Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem.* Vide in Indice, *Reprehensio.*

CAP. LII.

De Rege.

DVB. 1. Ad illa verba Genes. 48. v. 22. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Cur dicit Iacob quod terram Sichem emit in gladio, & arcu suo: cum *Genes. 33. vers. 19.* dicatur quod Iacob: *Emit partem agri in qua fixerat Tabernacula a filijs Hemor patris Sichem, centum agnis.* Ergo Iacob non obtinuit terram illam in gladio, & arcu suo.

Rex tenetur Rempublicã quam possidet, ab inimicis tueri.

R. Quod Iacob emit terram illam centum agnis, vt dicitur *Genes. 33.* tamen quia illam emptam retinuit, & tutatus est, & defendit, dicit quod eam tulit in gladio, & arcu suo. Parum erat eam retinere, nisi defenderet propulsando inimicos ab ea. Rex enim tenetur scuto suæ defensionis Rempublicam, quam possidet, seruare, & tueri. Hugo Card. *Tuli in gladio, & arcu, id est, emptam retinui, & defendi.*

Dub. 2. Ad illa verba Leuitici 21. v. 14. *Puellam de populo suo ne commisceat stirpem generis sui, vulgo gentis suæ*, dicit *Radulphus*, quod Summo Pontifici non licebat ducere vxorem, nisi nobilem, & virginem, & de Tribu sua. Cur Summus Sacerdos non poterat ducere vxorem de alia Tribu, quam Leuitica, cum fuerit ei concessum, vt posset accipere vxorem de stirpe Regia: vnde 4. *Reg.* 11. dicitur, quod Sacerdos magnus Ioiadas accepit in vxorem Iosabam filiam Regis Ioram. Ergo de Tribu Regia poterant Summi Sacerdotes accipere vxorem.

Reges debẽt esse instructi in lege Dei, vt benè regant.

R. Quod Summus Sacerdos non poterat ducere vxorem nisi de Tribu Leuitica, tamen concessum est ei accipere vxorem de stirpe Regia in fauorem Regis, vt scilicet Rex familiariter, & amicissimè conuersans cum Summo Sacerdote, edoceretur in lege Diuina, vt rectè administraret Regnum, & secundùm legem Dei regeret. Reges enim debent esse instructi in lege Dei, vt benè regant. Lyran. *Fuit concessum, vt possent accipere vxorem de stirpe Regia vt Reges per familiaritatem Sacerdotum essent magis edocti in lege Diuina & talis commixtio videtur concedi, per hoc quod subditur, ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ, id est, communibus de populo, & per hoc videtur concedi commixtio cum stirpe Regia.*

Dub. 3. Ad illa verba Numer. 20. v. 18. *Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi.* Cur dicitur quod Israelitæ ad terram promissam tendentes, non transierunt per terram Edom: cum *Deuteron. 2. v. 26.* dicatur, Quod Moyses misit Nuntios de solitudine Cademoth ad Sehon Regẽ Hesebon, dicens: *Transiuimus per terram tuam, publica gradiemur via, non declinabimus, nec ad dexteram, neque ad sinistrã.* Ergo Israelitæ pergentes in terram promissam transierunt per terrã Edom.

Reges si multum ab eis petatur, aliquid concedant petenti.

R. Quod Israelitæ petierunt transitum per terram Edom à Sehone Rege Hesebon gressuri publica via; tamen Rex Edom non concessit transitum per medium terræ suæ; concessit tamen transitum per extremitates Regni sui. Hinc dicit Rex non transibis per me, id est, per medium terræ meæ, concedo tamen transitum per extremitates Regni mei. Reges enim si multum ab eis petatur, aliquid concedant. Lyranus: *Doctores nostri communiter dicunt quod licet Rex Edom non concesserit filijs Israel transitum per medium terræ suæ, sicut petebant, tamen concessit eis transitum per extremitates Regni sui.*

Dub. 4. Ad illa verba Deuteron. 17. vers. 20. *Non eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos.* Cur vt fratres debet subditos habere cum sit superior

Regius honor datus Regi propter subditos, vt eos regat, & eis deseruiat

Respondetur. Quod Rex cognoscere debet, quod est quasi seruus populi, & quod Regalis dignitas data est sibi subditis propter subditos, non soli sibi, & ita debet subditos tractare, non vt seruos, sed tanquam illos quorum vtilitate, & cura in Regiam dignitatem assumptus est. Hinc Rex legem Dei scire debet, vt sciat Regiam potestatem sibi datam, vt seruus sit subditorum. Rex enim scire debet quod est seruus Regni, & quod assumptus in Regno seruiet. Abulensis: *Rex enim inter homines aliquid maximum, & excellentissimum est, si ergo Rex consideraret solum statum suum; scilicet, quod omnibus alijs maior erat, & alij subditi ei, putaret se nihil debere alijs, ita quod nullum ius esset inter eum, & alios, sicut nec est inter hominem, & possessionem suam, vt patet in 5. Ethicor. Sed quidquid faceret licitum fore putaret. Vult ergo Deus quod Rex non efferatur ex magnitudine honoris sui, sed consideret quod ille honor non est ei datus propter se ipsum, sed propter alios, vt eos regat, & vt deseruiat.*

Rex erga vasallos suos tãquam frater cura, & amore se debet gerere.

2. R. Quod Rex superbia intumescere super alios homines non debet, sed vt æquales sibi existimare: ideo dicitur ei, & intimatur, quod non eleuet cor eius in superbiam super fratres suos. Rex enim erga vasallos suos tanquam frater amore, & cura debet se gerere. Abulensis: *Super fratres suos: in hoc enim declarat, quod Rex non debet superbire super alios homines, quia sunt fratres sui, frater autem æqualitatis nomen est: debet ergo alios æquales sibi Rex existimare in natura, se autem solum voluntate Dei ad regendum positum, in honore illos excedere, in perfectione autem non: ideo non debet ingrauare super eos iugum suum tanquam essent animalia bruta, nec etiam vocabit alios homines seruos Regis, ne putet vtendum eis sicut seruis, quia secundum veritatem serui non sunt, sed vasalli, & licet Sacra Scriptura vocauerit hic Regem fratrem aliorum hominum, Aristotel. tamen 8. Ethicor. vocat eum patrem, & illud est proprium nomen.*

Dub. 5. Ad illa verba 1. Reg. 23. vers. 28. *Reuersus est ergo Saul desistens persequi Dauidem & perrexit in occursum Philisthinorum.* Cur Saul desitit persequi Dauidem? Nonne præcepit Ziphæis, vt considerarent, & viderent omnia latibula Dauid, in quibus abscondebatur? An non persecutus est Dauidem in deserto Maon, vbi versabatur? Cur ergo Saul non insectatus modo Dauidem, imò à persecutione destitit.

Boni Regis est præponere bonum publicum priuato

Respondetur. Quod cum Saul persequebatur Dauidem, Nuntius venit ad Saul, dicens: Festina, & veni, quoniam infunderunt se, seu irruerunt Philisthini super terram. Hinc Saul destitit persequi Dauidem occursurus Philistheis, qui grassabantur super terram, & præponens bonum publicum priuato, iuit in occursum inimicorum. Boni enim Regis est præponere bonum publicum priuato. Caietanus: *Reuersusque est Saul à persequendo Dauidem, & perrexit in occursum Philisthinorum. Boni Regis officio functus est, præponens bonum publicum priuato.*

Dub. 6. Ad illa verba 2. Reg. 19. vers. 13. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.* Cur Dauid deposuit Ioabum à Principatu militiæ: cum Ioab Principatum exercitus obtinuerit iure, & iustitia, cum primus ascenderit ad arcem Sion, vt scribitur 1. *Paralipomen.* 11. Non ergo iustum erat, vt Ioab priuaretur Principatu, quem obtinuit in exercitu.

Rex iustè priuat malos Ministros honoribus, & dignitatibus

Respondetur. Quod Ioab non rectè se gesit erga Dauidem, fuit Minister imperiosus, ambitiosus, peruersus, inuidus, & exitialis Reipublicæ. Hinc licet Dauid promiserit Principatum primo ascendenti in arcum Sion, & Ioab primus ascenderit, iustè priuauit eum tali Principatu, cum noxius esset, & Regi, & Regno. Rex enim iustè priuat malos Ministros honoribus, & dignitatibus. Maluenda: *Notant Ioabum, licet dignitatem illam imperatoriam sua strenuitate in expugnatione Ierusalem. 1. Paralipomen. 11. vers. 6. sibi comparasset, iam tamen Absalomi cæde contra præceptum Regis patrata, & proteruo isto sermone, supra vers. 5. 6. & 7. Ex arrogato imperio, iustè iam abdicari. Satis ex Scriptura apparet, Ioabum arrogantius cum Rege egisse quam pro modo Ministri, grauem & imperiosum fuisse, & hominem ambitiosum, malignum, inuidum, & Reipublicæ noxium.*

Dub. 7. Ad illa verba 2. Reg. 24. vers. 9. *Dedit ergo Ioab numerum descriptionis populi Regi, & inuenta sunt de Israel octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium, & de Iuda quingenta millia pugnatorum.* Cur ponitur numerus descriptorum de Israel à Ioabo octoginta virorum fortium?

Mali Regum Ministri occultant Regibus veritatem.

tium: cum 1. *Paralipomen.* 21. *Vers.* 25. recenseantur: *Ex Israel mille millia, & centum milia virorum fortium.*

Respondetur. Quod in octigentis milibus non negantur alia trecenta millia, de quibus agitur, & quæ recensentur 1. *Paralipomen.* 21. *Vers.* 5. Tamen in præcipuas Regis tabulas, nondum fuerunt relata nisi octoginta millia omissis trecentis milibus ex Leuitis, & Benjamitis, quæ noluit recensere Ioab, & referre Dauidi veritatem, quod scilicet haberet ex Israel mille millia, & centum millia virorum fortium. Ministri enim Regis occultant Regi veritatem. Malùenta: *Alij volunt trecenta illa millia, quæ adduntur* 1. *Paralipomen* 21. *Vers.* 5. *Rectè colligi potuisse ex Tribus Beniamin, & Leui, quas Ioab recensere noluit, ac proinde in censu octigentorum millium, quæ ex alijs Tribubus Israel numerata sunt, omitti trecenta illa millia ex Leuitis, & Beniamitis.*

Dub. 8. Ad illa verba 4. Reg. 14. vers. 17. *Vixit autem Amasias postquam mortuus est Ioas filius Ioachaz Regis Israel viginti quinque annis.* Cur dicitur, quod Amasias vixit viginti quinque annis: cum 2. *Paralipom.* 25. *Vers.* 25. dicatur: *Vixit autem Amasias postquam mortuus est Ioas filius Ioachaz Rex Israel quindecim annis*, ergo non est verum, quod vixerit post mortem Ioas viginti quinque annis.

Non numerantur apud Deum anni vitæ, quibus Rex malè viuit.

Respondetur. Quod Amasias viginti annis vixit postquam mortuus est Ioas Rex Israel: tamen quia decem annis vitam traduxit non honestam, sed malam, ab illis viginti annis quibus vixit post mortem Ioas, decem auferuntur ab Amasia propter eius malitiam, & tacentur 2. *Paralipomen.* Non enim numerantur anni vitæ quibus Rex male viuit. Lyranus: *Decem anni quibus Amasias fugiens de Ierusalem latuit in Iachis tacentur hic, & in Hebræo, & 2. Paralipom. propter malitiam Amasiæ.*

Dub. 9. Ad illa verba, ad Romanos 13. vers. 1. *Non est enim potestas nisi à Deo.* Cur dicit Apostolus, quod potestas Regum est à Deo: cum *Osee* 4. *Vers.* 8. dicat Dominus: *Ipsi regnauerunt, & non ex me, Principes astiterunt, & non cognoui.* Ergo Reges non regnant ex Dei potestate, sed à se.

Rex qui abutitur potestate sibi à Deo concessa, signum est quod nõ regnat per Deũ, nec Deus eũ cõstituit, sed à se.

Respondetur. Quod Reges qui benè vtuntur potestate quam habent, & secundum præcepta Diuinæ Iustitiæ regnant ex potestate Dei, & de hac loquitur Apostolus: qui vero abutuntur potestate, & agunt contra Diuinam Iustitiam, & legem, non per Deum regnant, sed a se, & de his loquitur Oseas, Rex qui abutitur concessa sibi potestate, signum est quod non regnat per Deum, sed à se. D. Thomas: *Potestas potest considerari quantum ad vsum ipsius, & sic quandoque est à Deo, puta cum aliquis secundum præcepta Diuinæ Iustitiæ vtuntur concessa sibi potestate. Secundum illud Prouerb. 8. Vers. 5. Per me Reges regnant. Quandoque autem non est a Deo, puta cum aliqui potestate sibi data vtuntur contra Diuinam Iustitiam, secundum illud, Psalmi 2. Vers. 2. Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum.* Vide in Indice *Princeps.*

S

CAP. LIII.

De Sacerdot.

DVB. 1. Ad illa verba, Exodi 20. vers. 26 *Non ascendens per gradus ad Altare meum.* Cur præcipitur Sacerdoti non ascendere per gradus ad Altare: cum *Exodi* 28. legatur, quod Sacerdos quando immolabat, ascendebat per gradus propter Altaris altitudinem, ergo licitum erat Sacerdotibus ascendere ad Altare per gradus.

Qui Altari ministrant summam honestatem debent habere.

Respondetur. Quod hic multi gradus prohibentur, cum erat periculum conspiciendi ab existentibus in planitie pudenda Sacerdotis absque fœminalibus: non tamen prohibentur pauci gradus ad ascendendum ad Altare, cum non est periculum videndi pudenda. Qui enim Altari ministrant, summam honestatem debent habere. Caietanus: *Multitudo graduum tanta prohibetur, quæ pudenda viri absque fœminalibus conspicienda redderet existentibus in planitie, & non prohibentur gradus pauci alieni à periculo huiusmodi.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 25. vers. 18. *De auro purissimo.* Cur præcepit Dominus Cherubinos esse de auro purissimo, nec de argento, nec lignis Sethim fieri?

Sacerdotes ratione sui ministerij in Altari puriores debent esse, quam seculares.

Respondetur. Quod propitiatorium in quo Deus mansionem faciebat, erat aureum. Hinc præcepit Deus duos Cherubim esse de auro purissimo: in signum quod Sacerdotes ob sui admirabile ministerium, & Christum in Altari

tari sumunt, puriores, & sanctiores debent esse quam sæculares. Vnde si sæculares recepturi corpus Christi, qui nec consecrant corpus Christi, nec in Altari officium habent, eo solum quod debet Christus in illis, vt in Throno suo esse, de auro amoris debent habere Animas, quanto magis Sacerdotes, qui non solum sunt Thronus Christi, sed id quod in Altari perfectissimum est; scilicet qui consecrant corpus Christi. Abulensis: *De auro purissimo. Nam ipsum propitiatorium, super quod sedebat Deus erat aureum totum, quanto magis ipsi Cherubim, qui naturæ perfecturis sunt circundantes Deum in Throno? Non enim decuit in eis esse ligna Sethim, nec argentum, aut aliquid imperfectius auro, cum ipsi Cherubim sint id quod in toto Tabernaculo perfectius erat.*

Dub. 3. Ad illa verba, Leuitici 10. vers. 6. *Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere.* Interlinealis: quasi nolite mortuos lugere. Cur prohibetur Sacerdotibus lugere mortuos: cum Ecclesiastici 38. vers. 16. dicatur: *Filij in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare.* Ergo inconuenienter prohibetur Sacerdotibus lugere mortuos, & alij mores plangentium funera.

Sacerdotes non decent mores sæcularium.

Respondetur. Quod scindere vestes, nudare caput, tollere capillos, sunt ceremoniæ sæcularium, qui plangunt funera charorum, & amicorum suorum, hoc autem illicitum erat Sacerdotibus, quamuis deceret eos facere alias exequias mortuorum. Hinc præcipitur ne nudent capita sua tollendo capillos, nec scindant vestes, cum plangunt mortuos suos, quia istæ ceremoniæ sunt sæcularium. Sacerdotes enim non decent mores sæcularium. Abulensis: *Istæ sunt ceremoniæ plangentium funera charorum suorum, scilicet, scindere vestes, & nudare caput. Dicit autem nudare caput, tollere capillos, quoniam sicut vestes corporis nuditatem auferunt, ita, & capilli tollunt capitis nuditatem. Cum autem aliquis capillos abstulerit, caput nudare dicitur, hoc illicitum erat Sacerdotibus.*

Dub. 4. Ad illa verba, Leuitici 10. vers. 9 *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu, & filij tui quando intratis in Tabernaculum.* Cur Dominus prohibet Sacerdotibus vinum, & omne quod inebriare potest? Cur non dicit, quod Nadab, & Abiu filij Aaron propter ebrietatem fuerunt occisi à Domino, vt sic Sacerdotes semoueret ab ebrietate?

Respondetur. Quod Hebræi ex hoc loco, *Vinum, & omne quod inebriare potest non bibetis*, colligunt Nadab, & Abiu filios Aaron, bene potos fuisse, & ex potus turbatione non aduertisse ignem esse alienum, de quo in hoc *cap. vers.* 1. & propter hoc Dominum potum omnem inebriatiuum Sacerdotibus interdixisse, vnde Dominus, vt artificiose, & occulte arguat peccata suorum Sacerdotum Nadab, & Abiu; prohibet Aaroni, & filijs eius, id in quo peccauerant Nadab, & Abiu; scilicet, vinum, nec dicit illos propter ebrietatem fuisse à Deo punitos. Peccata enim Sacerdotum non sunt propalanda, sed occulte, & artificiose arguenda. Oleaster: *Considera Dei sapientiam quam latenter arguat suorum Sacerdotum peccata: non enim dicit se iuuenes propter ebrietatem occidisse, sed prohibendo id in quo peccauerant, latentis peccati eos arguere videtur, quod valde aduertant Prælati, & discant, quam prudenter peccata eorum, qui alicuius sunt dignitatis in communitate debeant arguere.*

Peccata Sacerdotum nõ sunt propalanda, sed occulte, & artificiose arguenda.

Dub. 5. Ad illa verba 4. Reg. 16. vers. 10. *Cumque vidisset Altare Damasci, misit Rex Achaz ad Vriam Sacerdotem exemplar eius, & similitudinem iuxta omne opus eius.* Cur Vrias Sacerdos extruxit Altare iuxta omnia quæ præceperat ei Rex Achaz de Damasco obiecto Altari Moysi?

Respondetur. Quod Vrias Sacerdos typum gerit Prælatorum, & Sacerdotum qui cum debeant esse exemplar sæcularium, formam sæcularium, & pompam introducunt in Ecclesia, vt similitudinem arripiant sæcularium, vita Ecclesiastica penitus obiecta. Hinc Achaz Rex Iuda exemplar Altaris Damasci secundum materiam, qualitatem, quantitatem, & cœlaturas misit Vriæ Sacerdoti, vt abiecto Altari Moysi, simile faceret in Ierusalem secundum totum artificium eius, super quod populus immolaret. Multi enim Ecclesiastici, & Sacerdotes ad similitudinem, & formam sæcularium viuunt. Hugo Cardinalis: *Achaz Rex Iudæ exemplar Altaris Damasci misit Vriæ Sacerdoti, vt simile faceret in Ierusalem super quod populus immolaret. Et quid est hoc nisi, quod Prælati nostri, qui deberent alios exemplo suo regere, exemplar, & formam pompæ sæcularis in Ecclesiam introducunt. Altari Moysi abiecto, id est, Vita Ecclesiastica penitus eliminata. Iam enim non est differentia inter Clericos, & Laicos, inter*

Multi Ecclesiastici, & Sacerdotes ad similitudinẽ, & formam sæcularium viuunt.

Præ-

Prælatos Ecclesiasticos, & Principes sæculares. Osee 4. Et erit sicut populus sic Sacerdos. Beatus Bernardus: Et vtinam non peior quam populus sit Sacerdos. Item Osee 5. Audite Sacerdotes, & attendite, domus Israel, & domus Regis auscultate, quia vobis est iudicium, quoniam laqueus facti estis speculationi. Rom. 12. Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri. Osee 9. Noli lætari Israel, sicut populi.

Dub. 6. Ad illa verba, Ezechielis 16. vers. 3. *Radix tua, & generatio tua de terra Chanaam:* Quod de Clericis interpretatur. *Hugo Cardinalis.* Cur Clerici dicuntur esse de terra Chanaam potius quam de alia?

Multi Clericorũ in ignominiã Sacerdotalis dignitatis negotia sæcularia agunt.

Respondetur. Quod Chanaam interpretatur negotiatio, & significat aliquos Sacerdotes, qui negotia gerunt, & agunt. Hinc dicuntur esse de terra Chanaam, quia multi Clericorum in ignominiam Sacerdotalis dignitatis negotiatores sunt, & negotiorum procuratores. Hugo Cardinalis: *Chanaam interpretatur commotio, vel negotiatio, & in malo sumitur, & est contra Clericos. Vnde Canon: Clericum negotiatorem quasi pestem fuge. Psalm 70. Quoniam non cognoui litteraturam alia litteras non cognoui negotiationem.*

Dub. 7. Ad illa verba, Ezechielis 44. vers. 28. *Non erit autem eis hæreditas, ego hæreditas eorum, & possessionem non dabitis eis in Israel: ego enim possessio eorum.* Cur Dominus noluit Sacerdotes habere possessionem: cum *Leuitici Vltimo*, ager aliquando vendebatur Domino, & erat Sacerdotis: item Sacerdotes habebant suburbana, & villas plures sibi datas, vt patet *Numeror. 25. vers. 2. & 3. & Iosue 21. vers. 2. & 3.* ergo habebant possessiones.

Sacerdotes non debent occupari circa temporalia, sed toti Deo intendere.

Respondetur. Quod licet Sacerdotes possent habere loca ad habitandum, & pecora alenda, non tamen hæreditatem, sed sustentari debebant ex oblatis, Domino quorum vna pars erat Sacerdotis, quod faciebat Dominus, vt semoueret Sacerdotes à Cura temporalium, vt se totos consecrarent Dei cultui, vnde iura dicunt, quod Clericus non potest habere proprium. Hinc dicit Dominus, quod non habeant hæreditatem, cum Dominus sit eorum hæreditas. Sacerdotes enim non debent vacare temporalibus, sed toti Deo intendere. Hector Pintus: *Non erit autem eis hæreditas, ego hæreditas eorum, id est, hæreditates non habebunt, nam ego, inquit Deus ero eis hæreditas, hoc est oblatis mihi sustentabuntur: omnes Tribus Israelis habebant in terra Promissionis possessiones, & hæreditates præter Tribum Leui, quæ erat Tribus Sacerdotum. Nam qui Altari seruiebant eo se ipsos sustentabant. Poterant nihilominus Sacerdotes loca quædam possidere ad habitandum, & pecora alenda, vt videre licet in lib. Iosue 21. & apud Ezechielem cap. vltim. non autem hæreditatem more aliarum Tribuum.* Vnde D. Hieronymus apud Hugonem Cardin. *Qui dominum possidet, & cum Propheta dicit: pars mea Dominus, nihil extra Dominum potest habere, quasi si quippiam præter Dominum habuerit, pars eius non erit Dominus, verbi gratia si aurum, si argentum, si possessiones, si varia supellectilem cum istis partibus non dignatur Dominus fieri pars eius. Hoc etiam videtur per hoc, quod in clericatura dicimus. Dominus pars hæreditatis meæ.* Vnde Sacerdotes ratione sui officij ab omnibus sæcularibus negotijs abstracti, & separati esse debent. Exodi 28. ver. 1. *De medio filiorum Israel* Cur Deus eligens in Sacerdotes populi sui Aaron, & filios eius, præcepit Moysi, vt separaret eos de medio filiorum Israel? Si iam personæ suis nominibus designatæ erant, vt quid dicitur de medio filiorum Israel? Iam enim sciebat Moyses, qui erant instituendi Sacerdotes, & in qua parte populi essent, & de qua Tribu, & de qua domo, vt quid ergo dicitur *de medio?*

Sacerdotes contẽptis Curis sæcularibus soli Deo debent vacare.

Respondetur. Quod Sacerdotes Diuino cultui solum assistere, & ab omnibus sæcularibus negotijs abstracti, & separati esse debent: vnde cum filij Israel curis Sæcularibus intenderent, voluit Deus Aaron, & filios eius de medio populi auferri à Moyse, vt soli Deo vacarent, nec negotijs sæcularibus distraherentur. Deus enim ad hoc elegit Sacerdotes, vt cultui Dei principaliter intendant. Abulensis: *Filij Israel erant homines dediti curis mundanis; scilicet, quod quilibet suis intendebat negotijs: voluit autem aliquos segregare, qui non suis negotijs intenderent sed cultum Dei solum principaliter exercerent, & isti fuerunt Aaron, & filij eius, qui de medio populi ablati sunt ne talia essent studia sua, sicut popularia.* Vide in indice *Ecclesiastica.*

CAP. LIIII.

De Saluatione.

DVB. 1. Ad illa verba, Psalmi 33. vers. 17. *Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Diuus Augustinus, *vt nec mentio*, id est, intercessio fiat pro eis inter bonos. Cur dicit quod Sancti non habent hominum malorum memoriam, vt orent pro eis: cum *Matthæi* 5. *vers.* 44. præceptum sit: *Orate pro inimicis vestris, pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Ergo Deus non perdet de terra memoriam malorum, ita vt Sancti non orent pro eis.

Sancti orant pro malis, qui finaliter saluari debẽt & hoc suis orationibus mediantibus

Respondetur. Quod Sancti non orant pro malis qui damnabuntur, sed pro illis qui finaliter saluari debent. Saluatio enim tam arduum negotium est, quod Sancti orant pro malis, quos finaliter Deus vult saluare. Incognitus: *Nunquid orant pro malis in præsenti vita existentibus? Respondeo. Quod Sancti videntes clare Essentiam Diuinam, vident quos finaliter Deus vult saluare, & quos damnabit finaliter, cum ergo voluntatem suam omnibus modis voluntati Diuinæ conforment, orant pro illis malis, qui finaliter saluari debent, & hoc suis orationibus mediantibus, non autem pro illis, quos finaliter vident damnandos, quia tunc eorum orationes frustrarentur: & de talibus dicit. Quod vultus Domini super facientes mala, vt perdat de terra; scilicet bonorum, memoriam eorum.*

Dub. 2. Ad illa verba, Psalm. 118. vers. 132. *Aspice in me, & miserere mei.* Cur Dauid rogat Dominum, quod aspiciat in eum: cum *Prouerb.* 15. *vers.* 3. dicatur: *Oculi Domini contemplantur bonos, & malos.* Ergo cum Deus omnia aspiciat, non debuit rogare Deum, quod aspiceret eum.

Saluatio petenda est à Deo

Respondetur. Quod Deus oculis præscientiæ contemplatur bonos, & malos, & de his loquitur Salomon: at Dauid petit aspici à Deo oculis prædestinationis, & misericordiæ, & hic aspectus petendus est à Deo, vt saluet. Saluatio enim petenda est à Deo. Hugo Cardinalis: *In Prouerbijs loquitur de oculis præscientiæ. De quibus Amos. 9. vers. 4. Ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum. Hic autem loquitur de oculis prædestinationis, & misericordiæ. Vnde subdit, & miserere mei. Ieremiæ 24. vers. 6. Ponam oculos meos super eos ad placandum, & reducam eos in terram hanc.*

Dub. 3. Ad illa verba, Lucæ 3. vers. 24. *Contendite intrare per angustam portam.* Cur Dominus quærenti an pauci sunt qui saluabuntur, dixit *contendite intrare per angustam portam*? Cur directe non respondet quæsito, pauci erunt, vel multi qui saluabuntur?

Bona opera requiruntur ad salutem.

Respondetur. Quod angusta porta est via virtutis, per quam homines debent ingredi, vt saluentur. Hinc dicit Dominus interroganti, an pauci sunt qui saluantur, contendite intrare per angustam portam, satagite ambulare per viam virtutis, vt salutem consequamini. Nõ enim saluabuntur nisi qui per viam virtutis ambulant, cum bona opera requirantur ad salutem. Caietanus: *Appellatur angusta porta via virtutis media inter extrema vitia: extrema siquidem sphæræ seu circuli lata, & spatiosa sunt, medium autem angustum: sic enim se habet virtus ad vitia. & significantius dicit certate, vt festinent. quodammodo alter alterum præuenire, dum tempus est introeundi. Quia multi dico vobis quærent intrare, & non poterunt. Ecce ratio festinandi, quia multi quærent intrare, & non poterunt. Illi describuntur, qui non super opus, sed fidem, exteriores cæremonias, & verba, fundant merita sua: his enim meritis quærent in fine vitæ intrare in salutem & non poterunt.* Hugo Cardinalis: *Per angustam portam, id est, per ieiunia, & labores Actor. 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum cœlorum, quasi dicat, verè pauci saluabuntur, & illi cum magnis laboribus. Matth. 8. Angusta est porta, & arcta via, pauci sunt qui inueniunt eam, & pauciores, qui intrant per eam. Micheæ 6. Væ mihi quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vendemiæ. Et mirum est, quia omnes credunt esse de illis paucis, & tamen nolunt ire per viam quæ ducit ad portam. Prouerb. 13. Vult, & non vult piger. D. Chrisostomus. Nisi ambulauerit quis per viam, non potest peruenire ad portam, si nec fuisti, nec es in via iustitiæ & putas te cognoscere Christum mentiris.*

In re salutis non est super sedendũ, sed festinandum.

Dub. 4. Ad illa verba, Actor. 10. vers. 35. *In omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Cur timens Deum, & operans iustitiam acceptus est Deo? Cur timor Dei, & operatio iustitiæ requiruntur, vt homo acceptus sit Deo, & saluus fiat?

Patienti opera iustitiæ, & virtutũ prouidet Deus de necessarijs ad salutem.

Respondetur. Quod Deus omnibus proui-

prouidet de necessarijs ad salutem fideiutus Deum timentibus, & pacientibus quantum est ex se iustitiam, id est, operantibus eleemosynas, orationes ieiunia: vnde Deus non est acceptor personarum, nec discernit inter Iudæos, & Gentiles, sed in omni gente tam Gentili quàm Iudæa quæ timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est sicut Cornelium acceptauit. Oportet ergo timere Deum, & facere opera virtutum, vt hominem Deus acceptet, & saluet. Caietanus: *Verissimam sententiam protulit Petrus, & exemplo Cornelij Centurionis comprobatur quod cuicunque intus in animo timenti Deum, & in opere facienti iustitiam, quantumcunque Barbarus fuerit, & nihil sciens de fide Christi Deus prouidet illi de necessaria fide ad salutem: hanc enim Dei vtinam Prouidentiam Petrus se compeviſſe asserit.* Vide in Indice *Sacerdos.*

CAP. LLV.

De Scandalo.

DVb. 1. Ad illa verba, Leuitici 14. vers. 36. *Qui intrauerit domum quando clausa est, immundus erit.* Cur qui domum leprosi ingrediebatur, immundus erat, maximè cum ex ingressu in illam nullam immunditiam contraxisset?

Propter scandalum peccat homo, etiamsi non committat culpam ex qua oritur.

Respondetur. Quod quando quis ingreditur domum aliquam malæ famæ, peccat, licet ad mulierem peccatricem ibi habitantem non accedat, propter scandalum ortum in illis qui nouerunt mulierem, & ingressum vident ad eam; sufficit manifestus ingressus in domum impudicæ mulieris ad peccandum, licet non coeat cum ea, saltem propter scandalum: hinc cum domus aliqua suspecta erat de lepra, qui in illam ingrediebatur, manebat immundus, quamuis ex ingressu in illam, nullam immunditiam contraxisset. Propter scandalum enim peccat homo, etiamsi non committat culpam ex qua oritur. Abulensis: *Quamquam non esset aliqua immunditia realis, erat tamen aliqua immunditia saltem secundum opinionem, quia cum ille accessisset ad remiare immundam, iudicabatur ex hoc esse immundus.*

Dub. 2. Ad illa verba, Numerorum 14. vers. 37. *Mortui sunt atque peremsi in conspectu Domini.* Cur Israelitæ detrahentes terræ paulatim percussi fuerunt à Domino, exploratores vero statim mortui sunt? Si simul detraxerunt terræ, cur tanta differentia pœnæ in identitate culpæ?

Scandalum facit peccatum grauius altero, licet sit eiusdem speciei cum illo.

Respondetur. Quod stantibus duobus hominibus, idem peccatum specificè committentibus, ille qui cum peccato suo malum exemplum dedit, & scandalizat, grauius peccat, & maiori pœna dignus est, vnde cum exploratores dederint scandalum Israelitis detrahendo de terra Chanam quam viderant, grauius peccauere quam Israelitæ murmurando de terra quam non viderunt: hinc licet idem peccatum commiserint Israelitæ, & exploratores missi à Moyse ad explorandam terram murmurando de ea, in pœnam mortui sunt omnes; cum hac tamen differentia, quod exploratores scandalizantes Israelitas repentina morte mortui sunt, Israelitæ vero paulatim. Scandalum enim facit peccatum grauius altero, licet sit eiusdem speciei cum illo. Abulens. in cap. 5. Iosuæ: *Quia Deus distinguit quantitatem pœnarum per quantitatem culparum, sed non tantum peccauerant cæteri Israelitæ, quantum exploratores, ideo non æquè puniri debuerunt: patet quia cum vidissent exploratores terram bonam, & detraherent de ea, grauius peccabant, quam alij Israelitæ, qui nihil viderant. Etiam quia exploratores non solum murmurauerunt, sed ad murmurandum cæteros Israelitas impulerunt, ergo grauius peccabant, & consequenter maiori pœna plectendi erant. Vnde data fuit decem viris exploratoribus mors subitanea. & pœnalis, Israelitis autem cæteris post aliquanta tempora successiue mors eueniebat, & velocius eis, qui magis murmurando peccauerant.*

Dub. 3. Ad illa verba, 1. Corinth. 9. vers. 22. *Factus sum infirmis tanquam infirmus.* Quid est hoc quod Apostolus infirmus factus est infirmis? An cum infirmis infirmabatur?

Iusti à licitis abstinent, ne exemplo suo vulnerent.

Respondetur. Quod Apostolus abstinebat à licitis, vt Iudæos conuersos non scandalizaret, nec eis prauum præberet exemplum: hinc dicit quod Iudæis infirmis, id est, conuersis factus fuit infirmus. Iusti enim ita circumspecti sunt, quod à licitis abstinent ne alios exemplo suo vulnerent. Caietanus: *Est sermo de infirmis animo, quos dixerat non scandalizandos: factus est enim infirmis tanquam infirmus abstinendo à licitis quæ potuissent parere aliquid scandali in mentibus, aut actibus infirmorum.*

Vitandum est scandalū non solum ortum, sed oriundum.

2. Respondetur. Quod Apostolus aliqua faciebat ad quæ non tenebatur, vt quando se purificauit propter infirmos Iudæos, ne scandalum præberet, si legis obseruantiam non impleret. Vnde factus est infirmis infirmus exequendo ea, ne scandalizati Iudæi omitterent ea ad quæ obligabantur. Vitandum est enim scandalum non solùm ortum, sed oriundum. Hugo Cardinalis: *Infirmis infirmus, vt quando se purificauit, factus est infirmus propter infirmos Iudæos, qui credebant quod destrueret legem Moysi.*

Dob. 4. Ad illa verba ad Thessalon. 5. vers. 22. *Ab omni specie mali abstinete vos.* Cur Apostolus contulit quod ab specie mali abstineant, non verò dixit à re mala abstinente?

Non solum à vere malo, sed ab specie mali abstinēdum est, propter scandalū.

Respondetur. Quod non solùm à vere malo opere, sed etiam ab apparenter malo opere abstinendum præcipit, & hoc propter aliorum scandalum. Abstinendum est enim ab apparenter malis operibus, ne præbeatur scandalum. Diuus Thomas: *Dicit specie quia etiam quæ habent similitudinem malitiæ vitare debemus, quæ scilicet non possemus seruare coram hominibus absque scandalum eorum.* Vide *Exemplum.*

CAP. LLVI.

De Secreto.

DVB. 1. Ad illa verba Genes. 27. vers. 42. *Ecce Esau frater tuus minatur, vt occidat te.* Cur minæ Esau contra fratrem Iacob nuntiatæ fuerunt Rebeccæ: cum hic vers. 41. Esau in corde suo de morte fratris sui tractauit: *Dixitque in corde suo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Ergo cum in corde tractaret de occisione fratris: nullus potuit nuntiare Rebeccæ minas Esau contra Iacob.

Secretum, quod vni, vel paucis reuelatur, statim ad aures omnium peruenit.

Respondetur. Quod Esau reuelauit aliquibus amicis secretam machinationem aduersus fratrem Iacob, & inde peruenit ad aures Rebeccæ. Hinc Rebecca dixit Iacob, quod frater Esau minabatur eum, vt occideret, & deleret. Secretum enim quod amicis reuelatur, statim ad aures omnium peruenit. Abulensis: *Esau non totaliter tacuerat, sed aliquibus amicis reuelauerat, vnde peruenit ad aures Rebeccæ.*

Dob 2. Ad illa verba 1. Reg. 10. ver. 16. *De seruone autem Regni non indicauit ei, quem locutus fuerat ei Samuel.* Cur Saul non indicauit patruo suo, quidquid dixit ei Samuel, & negotium Regni, cum postea Samuel publicauerit?

Fauores, & honores Principis secrete accepti non sunt publicandi.

Respondetur. Quod Samuel vnxerat Saulem in Regem secretè, & absconditè, propter quod puerum Saulis fecit præire, ne audiret verba eius. Hinc Saul noluit annuntiare patruo quod vnctus fuerit in Regem, nec hunc honorem secretè impensum indicare, sed tenere secretum, quousque Samuel negotiū publicaret. Fauores, & honores Principis secretè accepti non sunt publicandi. Maluenda: *Verbum, rem, negotium Regni non enuntiauit ei, quod dixit Samuel, nec patruo indicauit negotium Regni, quod edixerat, seu præceperat Samuel, ne cuiquam indicare, quapropter etiam puerum Saulis præmisserat, cum Saulem vncturus esset supra cap. 9. vers. 27.* Vnde Isaiæ 42. ver. 20. de populo Israeli dicit Dominus: *Qui vides multa nonne custodies?* Quasi dicat: *Multa beneficia secretè impensa vidisti, sed non obseruasti conferens in corde tuo.* Hugo Card. in cap. 1. Lucæ, vers. 22. *Nonne custodies, id est, celabis, Paulus celat quatuor decim annos, & tunc reuelat inuitus 2. Corint. 14. Si gloriari oportet, non expedit quidem veniam ad visiones, & reuelationes Dei. Sic B. Virgo, nec etiam Angeli salutationem, & cætera secreta legitur reuelasse, sed conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Lucæ 2. Prouerb. 25. Gloria Dei est celare verbum.* Vnde patet non esse visiones, quæ tam cito publicantur. *Ecclesiastici 33. Præcordia fatui, quasi rota carri, quæ non potest tacere. Iob. 32. en venter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit. Ecclesiastici 34. Somnia extollunt imprudentes.* Ideo quærit D. Vincentius Ferrer in vigilia Natalis Domini quare B. Virgo non reuelauit D. Iosepho, qui voluit occulter dimittere eam, quod fœcunda erat, cum videret. D. Iosephi tristitiam, & perplexitatem: ipse enim credidisset sibi, licet modo sponsus non credat sponsæ suę? Quia cū concepisset de Spiritu Sancto, & hic honor, & fauor secrete fuerit B. Virgini impensus, noluit D. Iosepho reuelare, ne Deum offenderet. Offenditur enim Deus cum fauores secrete collati reuelantur: *Quia secretum commissum, non est reuelandum vbi deuote committitur, ex quo secretum est bonum tutum & Sanctum. Tob. 12. Secretum Regis abscondere bonum est, ideo Virgo Maria noluit reuelare, ne Regem*

Offenditur Deus, vel homo cum fauores secrete collati reuelantur.

offen-

offenderet, vel Deum præcipuè.

Dub. 3. Ad illa verba, Prouerb. 25. vers. 9. *Secretum extraneo ne reueles, ne forte insultet tibi, cum audierit, & exprobrare non cesset.* iuxta Hebr. habetur: *Lis tua, lis socij tui, & secretum alterius non deteges, nec opprobrabit tibi audiens, & infamia tua non quiescet.* Cur dicit Salomon quod qui secretum amici detegit, fama reuelantis secretum non quiescet?

Fama reuelantis secretum damnũ patitur irreparabile.

Respondetur. Quod qui secretum detegit sibi ignominiosus est, damnum infert famæ suæ irreuocabile: hinc dicit Salomon quod infamia reuelantis secretum non quiescet, id est, infamia nunquam recedet ab eo, infamia erit diuturna. Fama enim reuelantis secretum damnum patitur irreparabile. Caietanus: *Charitatis plena monitio, vt secretum alterius non detegas, sed tanquam secretum tuum habeas, & ratio subditur. Ne propria fama damnum patiatur irreparabile, afficiente te contumelia audiente detegi secreta, causamque amici à te non æstimari. Irreparabilitas enim famæ significatur dicendo: & infamia tua non requiescet.*

CAP. LVII.

De Societate.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 12. vers. 4. *Septuaginta annorum erat Abraham cum egrederetur de Aram.* Cur dicitur quod Abraham septuaginta erat annorum quando egressus fuit de Aram post mortem patris sui Tharè: cum *Genes.* 11. *Vers.* 28. dicatur: *Vixit Tharè septuaginta annis, & genuit Abraham.* Et vers. 32. *Et facti sunt dies Tharè ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Aram.* Ergo cum à nat iuitate Abrahæ vsque ad mortem patris eius, centum triginta quinque anni fuisse dicantur, Abraham habuit centum & triginta quinque annos; cum egressus fuit de Aram post mortem patris.

Non viuit qui in societate malorũ viuit.

Respondetur. Quod Abraham plures annos quam septuaginta quinque habebat quando egressus est de Aram, sed illi anni non computantur, quando apud Hur Chaldæorum comes, & socius viuebat, inter flagitiososque homines manſit: hinc tantum computantur septuaginta anni quos habuit Abraham quando egressus est de Aram post mortem patris sui Tharè, non vero numerantur illi, quibus inter Chaldæos perditissimos homines vixit. Non enim viuit, qui in societate malorum viuit. Hugo Cardinalis: *Hebræi dicunt, quod Abraham plurium annorum erat, quando egressus est de Aram, quam septuaginta quinque, sed illud tempus pro amisso habetur, quo mansit in Hur Chaldæorum, & ideo non computatur hic.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 10. vers. 29. *Recede à me, & caue ne vltra videas faciem meam.* Cur dicitur quod Moyses post hæc dicta à Pharaone non vidit faciem Pharaonis: cum *Exodi* 12. *vers.* 31. dicatur: *Vocatisque Pharao Moyse, & Aaron nocte ait: Surgite egredimini à populo meo.* Ergo Moyses post dicta a Pharaone, vidit faciem Pharaonis.

Societas malorum ita fugienda quod nec oculis aspicienda est.

Respondetur. Quod Moyses non iuit ad videndum Pharaonem, sed potius Pharao iuit ad quærendum Moysem, cum vltima plaga affligeretur Rex: hinc dicitur quod Moyses non vidit faciem Pharaonis post dicta à Pharaone; cum non iuerit ad videndum Regem. Societas malorum ita fugienda quod nec videnda. Abulensis: *Non videbo vltrà faciem tuam, id est non veniam ad videndum, sed potius tu ibis ad me, cum illata vltimâ plagâ, Pharo, & serui eius surrexerunt media nocte dicentes Moysi, vt recederet de Ægypto.*

Dub. 3. Ad illa verba, Numerorum 33. vers. 52. *Disperdite cunctos habitatores terræ illius.* Cur Dominus iubet delere omnes habitatores Chanaam, senes adolescentes iuuenes, pueros, mulieres? An mulieres in omni bello non reseruantur à morte? Cur ergo mulieres Chananeæ non iubet reseruare?

Socij facilè trahunt alios ad se, præcipuè ad malũ.

Respondetur. Quod qui in societate aliorum viuunt, facile ad mores illorum trahuntur præcipuè ad malos ad quos prona velocitate in natura lapsa currunt; Chananei erant pravis moribus corrupti, idololatræ, & ad idololatriam traherent Iudæos ibi commorantes: hinc iubet Dominus Iudæis quod omnis habitatores Chanaam interimant; ne societas Chananæorum, præcipuè mulierum Iudæos traheret ad vitia sua. Socij enim facile trahunt alios ad se præ-

cinuè ad malum. Abulensis: *Quia in terra illa moraturi erant Iudæi etsi ibi manerent, aliqui de Chananæis possent eos ad idololatriam, & alia vitia trahere ideo prohibebantur ducere vxores de mulieribus terræ illius.*

Dub. 4. Ad illa verba, Deuteronomii 7. vers. 2. *Non inibis cum eis fœdus.* Cur cum gentibus, & infidelibus prohibitum est Iudæis contrahere societatem: cum 1. *ad Corinth.* 10. dicat Apostolus: *Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate*: sed ad cœnam alicuius ire, est ei communicare, ergo licet cum gentibus, & infidelibus communicare:

Fugiendum est consortiũ malorum, cum ex eorum societate timetur iactura virtutis.

Respondetur. Quod Dominus prohibuit Iudæis inire fœdus cum gentibus, & infidelibus cum timebatur, quod Iudæi vtpote ad idololatriam proclives, in societate eorum amitterent fidem, seu alienarentur à fide: vbi tamen periculum non est, non prohibet Apostolus ire ad cœnam infidelium cum inuitant. Fugiendum enim est consortium malorum, cum ex eorum societate timetur iactura virtutis. Diuus Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 1. ad 1. *Dominus illud præcipit de illis gentibus quarum terram ingressuri erant Iudæi, qui erant proni ad idololatriam; & ideo timendum erat ne per continuam conuersationem cum eis alienarentur à fide, & ideo ibidem subditur, quia seducet filium tuum, ne sequatur me.*

Dub. 5. Ad illa verba, Matth. 27. vers. 44. *Id ipsum autem, & latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant ei.* Cur dicit D. Matth. quod duo latrones improperabant Christo: cum *Lucæ* 23. *vers.* 39. dicatur: *Vnus autem de iis qui pendebant latronibus, blasphemabant eum.* Ergo vnus, non duo latrones improperabant Christo.

Homo ex malo socio cui associatur, deprehẽditur qualis sit, & similis in moribus æputatur.

Respondetur. Quod bonus latro simul pendebat cum malo: hinc ex prauo socio notari poterat, quod improperaret Christo, ac si blasphemus esset. Homo enim ex malo socio deprehenditur qualis sit. Caietanus: *Hæc verba neque tu times Deum, sonant latronem non pœnitentem conuitij proprij, sed increpantem alterum, quod nec ipse timeat Deum, sed simul cum alijs insultet Iesu. Quod & amplius manifestatur subiungendo, quod nos iuste patimur, digna factis recipiendo, & non accusando se, quod conuitium alij quod dixerit in Iesum. Aduertè à Matthæo, & Marco in numero plurali dici crucifixos latrones conuitiatos esse Iesu. Lucas autem vnum eorum dicit blasphemasse.* Vide in Indice *Societas.*

CAP. LVIII.

De Spe.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 28. v. 31 *Ipse vero claudicabat pede.* Cur Iacobo post luctam cum Angelo relicta fuit claudicatio?

In tribulatione constitutus, non in se ipso, sed totã spem in vno Deo defigat.

Respondetur. Quod Iacob valde timebat fratrem suum Esau, ne forte veniens percuteret matrem cum filijs: vt autem non in se ipso fideret, sed totam spem in Deo poneret, in eiusque Diuino auxilio, quod qui præualuit in lucta Deo, etiam fratri Esau præualeret, relicta est ei claudicatio, vt nullum aliud in se quam Diuinum refugium tua spes spectaret. In tribulatione constitutus, spem totam suam in vno Deo defigat. Maluenda: *Quidam annotant pugnam, seu luctam Iacob cum Angelo læsionem, seu luxationem coxendicis, & claudicationem, eo omnia spectasse, vt eiusmodi luctæ præexercitamento voluerit Deus Iacobum metu liberare ab aduentu fratris, & fidem eius de præsidio Diuino confirmare, dum ei robur subministrat etiam cum Angelo luctanti: vt sciret se praualiturum fratri, qui tam strenuus cum Angelo stetisset, atque intelligeret se non sua, sed cœlesti virtute stetisse, vt non succumberet, ob id relictam ei claudicationem.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 48. ver. 22. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Cur Iacob dixit terram promissam acquisiuisse in gladio, & arcu suo, cum nondum eam possideret?

Spes firma in Deo æquiualet possessioni.

Respondetur. Quod Deus terram illam promisit Iacobo, & postea posteri eius vi armata eam acquisierunt: & de hac acquisitione habuit firmam spem in Deo: hinc licet eam non possideret in re, disponebat de illa ac si possideret, propter spem quam collocauit in Deo. Spes enim firma in Deo æquiualet possessioni. Maluenda: *Nonnulli exponunt quam*

cæ-

cœpi è manu Amorræi, hoc est, nondum re, sed fide possidens, ac omnino de promissione Dei confirmatus, perinde de ea dispono, ac si iam possiderem gladio, & arcu meo, id est, armis: ita designat fore, vt posteri sui vi armata promissam terram acquirant, Deo ipsos armante, & inimicos debilitante. Vnde Iosue 13. vers. 6. Præcepit Dominus Iosue: *Nunc diuide terram istam in hæreditatem nouem Tribubus, & dimidiæ Tribui Manasse.* Cur Dominus præcepit Iosue diuidere terram illam, cum nondum fuisset acquisita? Potest ne quis vti re quam non possidet?

Qui fideliter sperat in Deo bonũ, quod sperat, quasi possidet.

Respondetur. Quod filij Israel sperabant terram illam obtinere exclusis habitatoribus, qui in ea commorabantur; quia promiserat eis Dominus expellere omnes habitatores terræ, & in hæreditatem dare filijs Israel, & ex vi Diuinæ promissionis eam acquirere sperabant. Hinc licet tota terra Promissionis nondum fuerit acquisita, tamen Dominus iubet Iosue, quod forte diuidat eam, ac si iam obtenta fuerit. Qui enim fideliter sperat in eo, bonum quod sperat, quasi possidet. Caietanus: *Quamuis non sit acquisita tota terra Promissionis, ac per hoc non potest ponere Israelem in possessionem totius: attamen fac dum taxat diffinitionem omnium partium terræ, ita quod facias cadere sub sortibus portionum vniuscuiusque Tribus etiam terras acquirendas, & propterea subditur, & nunc diuide terram istam in hæreditatem nouem Tribubus, & dimidiæ Tribui Manasse. Noli expectare, vt acquiratur tota, sed diuide nunc terram.*

Dub. 3. Ad illa verba, Numeror. 14. vers. 23. *Non videbunt terram pro qua iurauí patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi intuebitur eam.* Cur in pœnam detractionis Israelitarum. Dicit Dominus, quod non videbunt terram, quam iurauit patribus eorum, cùm Iudæi exosam haberent terram Chanaam: dixerunt enim in hoc cap. vers. 3. *Vtinam mortui essemus in Ægypto, & in hac vasta solitudine vtinam pereámus, & non inducat nos Dominus in terram istam.* Ergo cum exosam eam haberent, non erat pœna eis eam non videre.

Spes boni, quod desideratur, & differtur, animã affligit.

Respondetur. Quod Iudæi maximè desiderabant introire terram illam Chanaam: inde quia ingressus eis impediebatur, magna pœna erat eis non introire in eam, cum spes boni, quod differtur affligat animam, & magna pœna erat Iudæis, quod differebatur, quod sperabant. Spes enim boni quod desideratur, & differtur, animam affligit. Abulensis: *Omnes Israelitæ desiderabant nimis transire in terram Chanaam impediri tamen aliquem ab eo, quod sperat magna pœna est, quia spes quæ differtur affligit animam, vt patet Prouerb. 26. Ideo magna pœna erat Israelitis, quod differretur eis, quod sperabant. Quod autem dixerunt se magis velle mori in solitudine, quam introire in terram Chanaam fuit ex perturbatione mentis, quia terruerant eos exploratores, dicentes quod non poterant pugnare contra habitatores terræ illius, quia robustissimi erant, cessante tamen illa amaritudine cordis, valde desiderabant ire in terram illam.* Vnde Apocalips. 5. vers. 4. *Et ego flebam multum, quia nemo dignus inuentus est aperire librum,* id est, redimere genus humanum nisi filius Dei. Cur D. Ioannes flebat de hoc, quod nemo inuentus sit dignus aperire librum? Aut intelligebat Diuus Ioannes, aut non? Si non, ergo non debuit flere, quia nesciebat quid erat; si sic, ergo similiter non debuit flere, quia sciebat hoc esse impletum.

Respondetur. Quod D. Ioannes figurabat priores Patres, qui desiderabant Christum venturum, vt ipsi à Limbo liberarentur, vt Dei, & hominis blandam familiaritatem assequerentur, & quia patres Veteris Testamenti dolebant de dilata hominum reparatione; dicit D. Ioannes in persona patrum, quod flebat, & hac spe dilata affligebatur. Hugo Cardinalis: *Ostenditur afflictio de dilatione. Glossa dicit, quod hoc in persona priorum Patrum dicit, non in sua, qui propter hoc flebant, quia dilatam reparationem dolebant, & non intelligebant. Prouerb. 13. Spes quæ differtur affligit animam. Dicit ergo, & ego in persona patrum antiquorum dicit Ioannes flebam, quia nemo dignus inuentus est aperire librum, quia omnes inquinati. Ephes. 2. Eramus natura filij iræ sicut, & cæteri.*

Dub. 4. Ad illa verba 4. Reg. 4. vers. 31. *Giezi posuerat baculum super faciem pueri, & non erat vox, neque sensus.* Cur Giezi ponens baculum super faciem pueri non suscitauit eum, cum Eliæus baculum tradiderit ministro ad hunc effectum?

Spes firma habenda est ad obtinendum, quod cõsequi spectamus.

Respondetur. Quod mater pueri, nec Eliseus plenam habuit spem in baculo. Hinc Giezi posito baculo super faciem pueri non suscitabit eum. Spes enim firma habenda est ad obtinendum. Maluenda: *Alij existimant, nec matris, nec Prophetæ plenam fiduciam miraculo baculi suffragatam.*

Dub. 5. Ad illa verba, Actor. 12. vers. 6. *In ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites.* Notat Hugo Cardinalis. Quod in D. Petro euanuit spes euadendi de carcere. Cur spes euolauit in D. Petro quod de carcere euaderet?

Homo amittit spem, cum magnæ difficultates ad consequendum, quod desiderat, occurrunt.

Respondetur. Quod Diuus Petrus videbat multas difficultates, vt de carcere exiret; scilicet, milites inter quos dormiebat, catenas quibus vinctus erat, carcerem, & custodes ante ostium custodientes carcerem. Hinc tot visis difficultatibus, nulla affulsit D. Petro spes salutis, ereptaque est ei omnis spes euadendi. Homo enim amittit spem, cum magnæ difficultates ad consequendum, quod desiderat, occurrunt. Hugo Cardinalis: *Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte quando opportuna erat solutio, erat Petrus dormiens, non habens spem euandi illa hora, inter duos milites vinctus catenis duabus, & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Quatuor difficultates cumulant custodiam, milites, catenæ, carcer, custodes.*

CAP. LLVIIII.

De Superbia.

DVB. 1. Ad illa verba, Genes. 43. vers. 32. *Quibus appositis seorsum Ioseph seorsum fratribus, Ægyptijs quoque qui vescebantur simul, seorsum, illicitum est enim Ægyptijs comedere cum Hebræis, & profanum putant huiusmodi conuiuium.* Cur Ægyptij abominabantur comedere cum Hebræis?

Superbus se meliorẽ alijs esse putat, & alios contemnit.

Respondetur. Quod Ægyptij superbiebant de puritate, & munditia, & despiciebant propter immunditiam Hebræos; nam vt *cap. 46. Genes.* patet, Ægyptij abominabantur omnes Pastores ouium, & cum tales essent Hebræi, arbitrabantur eos Ægyptij immundos, sicut re vera inculti, & immundi sunt fere omnes. Hinc Ægyptij præ superbia abominabantur comedere cum Hebræis, & exosum habebant huiusmodi conuiuium. Superbus ita elatus est, quod se meliorem alijs iudicat, aliosque contemnit. Marginalis Caietani: *Tradunt Historiæ Ægyptios olim adeo elatos puritatis, & iustitiæ fiducia, vt cum exteris cibum non sumerent, quasi omnibus immundis, ipsi soli mundi essent.*

Dub. 2. Ad illa verba, Numeror. 12. vers. 13. *Deus, obsecro, sana eam.* Cur Maria non rogauit Moysem, vt oraret pro ea? Cur reliquit Aaron, vt ipse solus rogaret ad Moysem?

Superbus etiam pro sua vtilitate non se humiliabit.

Respondetur. Quod qui vere superbus est, etiam quando punitus est, & eget precatore, non se humiliabit ad petendam veniam, etiam ob suum profectum, & vtilitatem: vnde cum Maria superba esset, noluit se humiliare, petendo à Moyse, quod oraret Dominum pro ea, & rogaret veniam pro murmuratione contra Moysem, simulque impetraret à lepra sanitatem. Superbus enim etiam pro sua vtilitate non se humiliabit. Abulensis: *Aliqui dicunt, quod fuit ex superbia, quia ipsa est, quæ valde murmurauerat contra Moysem, & sic etiam nunc non voluit humiliari.*

Dub. 3. Ad illa verba, Numeror. 16. vers. 1. *Ecce autem Core, Hon quoque filius Pheleth de filijs Ruben, iuxta exerunt contra Moysem.* Notat *Oleaster*, quod Core fuit causa conspirationis contra Aaron, quia Sacerdotium ambiebat, quia ipse erat de filijs Merari, qui erat maior natu Caath. Cur Core ambiebat Sacerdotium? Si primogenitis debebatur Sacerdotium, cum Gerson esset primogenitus inter filios Leui, Gersonitis debebatur Sacerdotium. Cur ergo Corè ambit dignitatem contra Aaron?

Respondetur. Quod licet Gersonitis vtpote primogenitis Leui debe-

retur

Superbia ita excæcat hominē, quod homo ratione non ducitur, nec superbus, iudicat quod rectum est.

retur dignitas Sacerdotalis, tamen Core ex superbia cæcus, Sacerdotium ambiebat. Hinc causa fuit huius conspirationis contra Moysen, & magnates Tribus Ruben primogeniti Iacob, quibus debebatur Principatus, quo fungebatur Moyses incitauit aspirans ad Sacerdotium cum auxilio illorum contra Aaronem. Superbia enim ita excæcat hominem, quod ratione non ducitur, nec sinit eum iudicare quod rectum est. Caietanus: *Incitauit Core Magnates Tribus Ruben primogeniti Iacob patris totius populi, tanquam eos, quibus debebatur Principatus, quo fungebatur Moyses: ipse autem Core ad Summum aspirabat Sacerdotium cum fauore illorum contra Aaron cum tamen si ad primumgenitum Leui spectaretur, non ipsi, sed Gersonitis deberetur Pontificatus, quia Gerson fuit primogenitus Leui. Sed superbia nescit rationem.*

Dub. 4. Ad illa verba Iudicum 8. vers. 2. *Quid enim tale facere potui, quale vos feciſtis?* Quasi dicat. Præclariora, & fortiora multo facinora vos in hoc bello edidistis quam ego, vt exponit *Maluenda*: cur Gedeonem interrogatus ab Ephraitis, cur non vocauisset eos ad bellum contra Madianitas, respondit illis laudando eos, & non directè assignando veram causam illius omissionis?

Superbus iratus laudibus placatur.

Respondetur. Quod ad sedandum animum iratum superbi, vnicum remedium est laudare illum præcipuè in illa materia, ex qua iracundia illius originem traxit, vt vanitate inæscatus, iram depellat, & causæ illius obliuiscatur. Hinc Gedeon iratos, superbosque Ephraitas laudauit, quod in illo bello præclariora facinora egerunt quam ipse, vt laudati à Gedeone Ephraitæ placarentur. Superbus enim iratus, placatur laudibus. Abulensis: *Quia cum cognosceret eos superbos, sciebat quod hoc lenimento egebat, ideo sic respondet.*

Dub. 5. Ad illa 2. Reg. 24. vers. 9. *Dedit ergo Ioab numerum discriptionis populi Regis, & inuenta sunt de Israel octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium.* Cur Ioab retulit tantum octingenta millia virorum fortium de Israel: cum 1. Paralipomen. 21. vers. 5. recenseantur: *Ex Israel mille millia, & centum millia virorum fortium.*

Respondetur. Quod Ioab voluit retundere superbiam Dauid, qui tumidus, & superbia turgens efficeretur, si laudaretur de maiori numero fortium, quem habebat de Israel. Hinc Ioab minorem numerum descripsit, & licet mille milia, & centum millia fortium virorum ex Israel referantur in Paralipomenon, tamen in præcipuas Regis tabulas, non recensuit nisi octingenta millia. Retundenda est enim hominis superbia, nec laudandus est, ne arrogans, & superbus efficiatur. Malenda: *Reuera fuit vndecies centena millia, sed à Ioabo editam minorem summam octingentorum millium ad retundendam Regis superbiam, & vanitatem, vt pauciores sua opinione Dauid reperiret.*

Retundenda est hominis superbia, nec laudandus est, ne arrogans, & superbus efficiatur.

Dub. 6. Ad illa verba Sapientiæ 14. vers. 27. *Infandorum enim cultura omnis mali causa est, & initium, & finis.* Cur initium omnis mali dicitur cultura idolorum: cum *Ecclesiastici* 10. *vers.* 15. dicatur: *Quod initium omnis mali est superbia.* Et *Timoth.* 6. *vers.* 10. legatur: *Radix omnium malorum cupiditas.* Ergo idolatria non est radix omnium malorum.

Respondetur. Quod initium idololatriæ fuit superbia, & cupiditas: cum enim Principes arrogantes, & superbi imagines suas ponerent in populis, vt ab absentibus adorarentur sicut Dij, hinc ex huiusmodi superbia ortum habuit idololatria, & maximè superbus est, qui vt Deus vult adorari: similiter imaginum multa fuit apud magnos viros cupiditas, vt in maiori honore haberentur apud homines: ideo dicit Ecclesiasticus, quod superbia est initium omnis mali, cum qui superbus est, cupit adorari in sua imagine sicut Deus, similiter dicit Paulus, quod radix omnium malorum est cupiditas; scilicet, simulacrorum, vt adorentur homines. Superbia enim omnium malorum est initium, & origo. Hugo Cardinalis sicut dicit Rabanus in quadam Glossa: *Idololatriæ initium fuit superbia, & cupiditas. Superbia enim Principum imagines adinuenit, in quibus ab absentibus se faciebant adorari, vt Deos. Superbia autem maxima est, si creatura Creatori velit æquari, quia diabolo, & homini fuit perditionis initium, sicut dicit quædam Glossa super Ecclesiast. 10. Imaginum autem tanta fuit cupiditas, vt qui pretiosiores erant*

Superbia omnium malorum est initium, & origo.

honorabiliores haberentur, vt dicit Rabanus: Et ideo auaritiam vocat Apostolus idolorum seruitutem patet ergo, quod ex eo ipso, quod superbia, vel auaritia initium est omnis mali, ex hoc etiam idolatria, vnde dicit Glos. Caueamus cupiditatem, & superbiam, non duo mala, sed vnum a qua omnia trahunt initium.

Dub. 7. Ad illa verba, Isaiæ 7. vers. 12. *Non petam, & non tentabo Dominum.* Alia littera: *Et non exaltabo Dominum.* Cur Achaz ait, quod si petit signum à Deo de liberatione Ierusalem, exaltabit Deum? Cur noluit Deum exaltare petendo à Deo signum liberationis?

Superbus nullum alium præter se ipsum vult exaltari.

Respondetur. Quod Achaz valde superbus erat, insolens, & arrogans, & arbitrabatur, quod si Deus daret signum liberationis Ierusalem, quæ obsessa erat à Syris, & ab Israel, idola sua paruipenderentur, & Deus exaltaretur. Hinc Achaz noluit Dei periculum facere committendo ipsi exitum belli grauissimi, petendo pro hac re signum boni exitus in bello, ne Deus exaltaretur. Superbus enim nullum alium quam se ipsum vult exaltari. Hugo Cardinalis: *Non petam, & non tentabo Dominum, quasi dicat: nolo petere signum, ne videar Dominum tentare, sed non ex humilitate dixit hoc, sed potius ex superbia, & infidelitate. Timuit enim ne Dominus in signo dato clarificaretur, & idola sua vilificarentur. Quod patet ex altera translatione quæ habet, & non exaltabo Dominum, quasi dicat: nolo petere, ne in signo dato exaltetur Deus.* Vide in Indice *Superbia.*

T

CAP. LLX.

De Templo.

DVB. 1. Ad illa verba, Exodi 26. v. 1. *Decem cortinas de byisso retortæ, & hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincti, variatas opere plumario facies.* Cur Templi cortinæ ex varijs contabant coloribus?

Templa curiose componere, Dei cultum, & hominū iuuat deuotionem.

Respondet. Quod compositio Templorum, & Altarium eorum, & maxima in eis adornandis curiositas, in Dei laudem, & honorem cedit, vnde valde commendandi sunt Patres Carmelitæ, & Iesuitæ, quia ex maxima ipsorum cura circa Altaria componenda, maximus honor Deo accrescit, & populatibus deuotio: hinc præcipitur, quod cortinæ Templi fiant de byſſo retortæ, hyacintho, & purpura, coccobis tincto, variatæ opere plumario; scilicet, opere artificij, ingenij, industriæ, id est, artificiosissimo, vt exponit *Maluenda*, Hispanice, *hecho por el pensamiento*, quasi dicat: quod vix cogitatio capere possit, nedum manus efficere; quia sic congruebat ad maiorem Dei cultum, & honorem, & deuotionis augmentum. Templa enim curiose componere, & Dei cultum, & sæcularium deuotionem auget. Abulensis: *Causa autem huius multiplicitatis colorum erat ipsa pulchritudo: nam Deus volebat ipsum Tabernaculum valde pulchrum esse: ita namque conueniebat ad honorandum magis Deum, vt cultus suus in maiori reuerentia teneretur.* Hac ratione præcipiebat Deus, quod vestes sacerdotis fierent ex rebus pulchris, & curiosis. Exodi 28. quia maximè delectatur Deus in pulchritudine, & ornatu Templorum, & Altarium, & eorum omnium, quæ in eius obsequium efficiuntur, & ad eius cultum pertinent. Abulensis: *Prima causa propter decorem, quia Deus vult pulchritudinem in rebus suis, cum ipse pulcherrimus sit, quod apparet in omnibus vtensilibus Tabernaculi, & Atrij, qui erant de materia excellentis scilicet, de auro, & argento, & ære.*

Dub. 2. Ad illa verba, Leuitici 8. vers. 33. *De ostio quoque Tabernaculi non exibitis septem diebus.* Cur prohibitum Sacerdotibus exire de Tabernaculo? Quia illi homines necessitatibus corporalibus subiecti erant, aut ergo illis subuenire debebant in Sanctuario, aut extra illud: primum nefas maximum esset, ideo non fiebat, si secundum, ergo iam ad illas exeundum erat in illis septem diebus. Dicunt aliqui, quod his necessitatibus succurrere poterant in Atrio Tabernaculi, quod erat quasi ex Sanctuario non exire, sed contra, si in atrio Tabernaculi hæc fierent, oculos, & nares intrantium offenderent, vtpote præsentia omnibus, qui intrare deberent.

Turpia verba in templo fieri, magnum crimen, turpia operari in expiabilē delictum.

Respondetur. Quod cum Sacerdos releuabat ventrem, iubebatur quod aliquis foderet in terra, & operiret stercus humanum, ne offenderet nares intrantium: si hæc in Sanctuario fieri, quod vmbra erat, nefas esset, quanto peius esset in templo, quod veritas est, si hoc fieret; & si immunditia naturalis, quæ sine culpa est, vtpote omnino necessaria, tantæ deformitatis erat, quanto maioris esset immunditia culpabi-

pabilis, quæ in verbis, & præcipuè in actibus inhonestis est, sibi exercerentur. Turpia enim verba in loco sacro fari magnum crimen, turpia operari in expiabile delictum. Abulens. *Cum aliquis extra castra ventrem releuasset pro tanta immunditia, vt reputabatur humanum stercus, iubebatur, ne dimitteretur soli patens, sed prius aliquis foderet in terra, & deinde operiret id, quo releuatus erat, id est, humanum stercus, ne solarem splendorem offenderet: si igitur tanta hæc erat immunditia, vt nullo modo extra castra in aperto permitti liceret, quanto magis illicitum esset hoc in Sanctuario fieri?*

Templi sanctitas petit omne silentium propter Deum ibi assistentem.

Dub. 3. Ad illa verba, Iudic. 13. vers. 6. *Quem cum interrogassem quis esset, & vnde veniisset, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere.* Disquirit Abulensis an Angeli in cœlo nomina habeant?

Respondetur. Quod Angeli in cœlo nominibus non indigent, quia cum sint coram Deo, & in eius præsentia assistentes, nec vllum verbum loquuntur, nec vnus alium nominare potest, nec vocare, & ideo non est opus, quod nomina habeant: quo docemur, quod in templo, & in choro Deo assistentes esse debent tanquam si nomina non haberent, cum tantum silentium tenere debeant, vt neque vnus alium nominare, nec vocare fas sit. Abulensis. *Quia nullus inter Angelos Deo assistens loqui potest, ideo nullum nomen est tibi.*

Dub. 4. Ad illa verba, Ieremiæ 50. vers. 28. *Vt annuntient in Sion vltionem Domini Dei nostri, vltionem templi eius.* De quibus vltionem templi sumet Dominus?

Damnabit Deus qui iniuriam Templo Dei faciunt.

Respondetur. Quod Deus vindicabitur sæuissimè in eos qui iniuriam faciunt templis aliquo modo ea violando, vel spoliando. Hinc dicitur, quòd Deus pœnas expetiuit ab offendentibus templo in inuitionem templi, id est, de Babylone propter templi destructionem, quam Chaldæi fecerunt. Deus enim damnabit illos qui iniurij sunt templis suis. Hugo Cardinalis, 1 Corinth. 3. *Templum Dei Sanctum est, quod estis vos, si quis autem Templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Vnde nunquam Pompeio benè accidit postquam Templum Dei combussit, similiter nec Antiocho Epiphanò postquam Templum Dei violauit. Vnde dicit 1. Machab. 6. Reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem, vnde, & abstuli omnia spolia argentea, & aurea, quæ erant in ea, & iussi auferri habitatores Ierusalem sine causa. Cognoui ergo quia propterea venerunt in me mala ista. Similiter Heliodorus quia Templi ærarium spoliare attentauit, vsque ad mortem flagellatus est, vt dicitur 2. Machab. 3. Sic Deus illos damnabit, qui iniuriam Ecclesiæ Dei faciunt.* Vide in Indice *Ecclesia.*

CAP. LXI.

De Tentatione.

DVB. 1. Ad illa verba, Psalmi 70. vers. 12. *Deus ne elongeris à me.* Cur Dauid petit, quod Deus non elongetur ab eo: cum Deus spiritus in circumscriptus sit, qui loco non comprehenditur, qui est vbique per essentiam, præsentiam, & potentiam, & nullibi deesse potest, & per consequens à nulla re potest elongari, ergo Deus non elongatus fuit à Dauide.

Tentationibus probatur iustorum virtus, & eorum vita purgatur.

Respondetur. Quod Deus iustos ad tempus deserit, & tentationibus succumbit, vt fortius probentur, & purgentur. Hinc ad modicum tempus elongatus fuit à Dauide, vt tentationibus expositus, vita eius purgaretur, & patientia ostenderetur. Diuus Gregorius apud Incognitum: *Sanctos etenim suos Dominus veniendo adiuuat, & derelinquendo probat, donis firmat, tribulationibus tentat. Vnde Omnipotens Deus electorum suorum aduersarios permittit excrescere, vt per malorum sæuitiam purgetur vita bonorum. Nunquam quippè Dominus aduersos bonis esse permitteret, nisi etiam quantum prodessent videret. Nam dum iniusti sæuiunt iusti purgantur, & vtilitati innocentium militat vita prauorum, dum hanc, & premendo humiliat, & humiliando semper ad melius formet. Quæ omnia considerans iustus oppressus, vel ipsa Ecclesia orat dicens: Deus ne elongeris à me, scilicet, permittendo me aduersis succumbere.*

Qui tentatur Diuinum auxilium petat, ne succumbat.

2. Respondetur. Quod Dauid gerit typum viri iusti, qui tentationibus oppressus, petit à Deo Diuinum auxilium, ne inducatur, nec tentationi succumbat. Hinc petit ne Deus elongetur ab eo subtrahendo in tentatione præsidium. Qui enim tentatur, Diuinum auxilium petat, ne succumbat. Hugo Cardinalis: *Loquitur à simili puerorum quos aliquando ponunt parentes eorum in luctâ, vt exercitentur, & paululum recedunt ab eis seorsum, sed pueri dum vident eos prope audacius luctantur, scientes*

quod

quod parati sunt iuuare eos si opus fuerit: sic loquitur hic vir iustus dicens, si exponas me luctæ, & tribulationi, tamen me elongeris à me.

Dub. 2. Ad illa verba, Psalm. 117. v. 12. *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* Quæ verba intelligit: *Hugo Cardinalis*, de tentationibus. Cur tentationes iustorum comparantur apibus?

Tentationes non nocent iustis, sed prosunt.

Respondetur. Quod apes non sibi mellificant, & prosunt, sed aliis adferunt vtilitatem, ita tentationes nocumento non sunt iustis, sed vtilitati eorum seruiunt. Hinc tentationes rectè comparantur apibus. Tentatio enim non nocet iustis, sed prodest. Hugo Cardinalis: *Sicut enim apes mellificant non sibi, sed alijs: sic tentationes, & insultus vitiorum iustis non nocent sed prosunt. Quia vt dicit D. Augustinus: Tentatio cui non consentitur, non est peccatum, sed materia exercenda virtutis. Psalm. 26. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ergo sperabo.* Vnde tentationes pati amicos Dei non est in eorum damnum, sed vtilitatem, cum fortes tentationibus fiant, & ad virtutem exerceantur. Deuteronom. 7. vers. 17. *Plures sunt gentes istæ quam ego.* Cur quando Israelitæ vicerunt Chananæos, non omnes debellati fuerunt, sed aliquæ gentes inter illos manserunt? Cur non tradidit eis omnes gentes illas, cum faciliter possent?

Respondetur. Quod iusti, & amici Dei, & qui de peccatis ad gratiam debellatis dæmonibus conuersi sunt, aliquas tentationes patiuntur, non in eorum nocumentum, sed in eorum vtilitatem, vt tentationibus assueti, vincere inimicos velut milites fortes militiæ Dei possint, & ne quiete, & pacifice sine timore viuentes, tempore tentationis facilius cadant. Hinc quando Israelitæ vicerunt Chananæos, non omnes fuerunt deleti, sed gentes manserunt inter illos ad eorum in virtute exercitium, & vtilitatem. Abulensis: *Tertia causa fuit ad vtilitatem Hebræorum, vt efficerentur fortes viri, & exercitati in armis, quod non contingeret, si non haberent hostes.* Adeo vtilis est, quod consumit vitia. Hugo prosequitur: *Et exarserunt sicut ignis in spinis: quia spinas vitiorum quandoque consumunt tentationes in homine præcipue superbiam, quia homo humiliatur quando sentit tentationem 2. Corint. 13. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi Angelus Sathanæ, stimulus carnis me, hæc autem vtilitas tentationis, non est nisi in eis, qui in Deo sperant.*

Tentationes consumunt vitia, maximè superbiã.

Dub. 3. Ad illa verba, Isaiæ 31. vers. 1. *Et factum est in quatuor decimo anno Regis Ezechiæ ascendit Sennacherib Rex Assyriorum super omnes Ciuitates Iuda munitas, & cepit eas.* Cur Sennacherib ascendit quatuor decimo anno super Ciuitates munitas, & non ante ascendit?

Diabolus virtuosos viros acrius tentat quã alios.

Respondetur. Quod numerus quatuordecimus significat Quaternarium Euangelij, & Denarium de Calogi, quia per quatuordecim, quod ex quatuor, & decem constant significatur; Sennacherib vero diabolum representat. Quid est ergo, quod Sennacherib quatuor decimo anno, & non ante ascendit super omnes Ciuitates Iuda munitas, nisi quod diabolus quos videt sancte, & pie viuere per obseruantiam Sancti Euangelij, & Decalogi implectionem, grauius impugnat, & tentat. Diabolus enim virtuosos viros tentationibus acrius vexat. Hugo Cardinalis: *Notabile est, quod quatuor decimo anno dicitur ascendere, & non ante quia postquam homo nititur custodire Quaternarium Euangelij, & Decalogum præceptorum, quæ per quatuor decim, quod ex quatuor, & decem constat designantur, grauius impugnatur à diabolo aduersario, quia tunc insanit diabolus se contemni. Vnde super Exodi 5. dicit Glos. Pharao contemptus surgit in scandala, & D. Gregor. Illos pulsare negligit, quos iure quieto possidere se sentit. Quod autem in multitudine graui venisse dicitur, significat quod diabolus cum maiori impetu, & sollicitudine infestat Religiosos, quam seculares, & quoslibet post agressionem bonæ vitæ quam ante. Vnde Ecclesiastici 2. Fili accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Et Matth. 12. legitur: Quod diabolus inueniens domum mundatam scopis, & ornatam, vadit, & assumit septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi.*

Dub. 4. Ad illa verba 2. ad Corinth. 1. vers. 8. *Quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem.* Cur dicit D. Paulus, quod super virtutem fuit grauatus: cum 1. ad Corinth. 10. dicat: *Fidelis Deus qui non sinet vos tentari supra id quod potestis.* Ergo Apostolus non fuit grauatus supra virtutem.

Tentationes iustorum licet excedant vires naturæ, non tamen gratiæ.

Respondetur. Quod quando Apostolus dicit, quod fuit grauatus supra virtutem, intelligitur de viribus naturali-

ralibus: supra vires enim naturæ fuit afflictus excessiue, non tamen supra vires gratiæ, quia non fuit vexatus supra id quod potuit tam ex natura, quàm ex gratia. Tentationes iustorum licet excedant vires naturæ, non tamen gratiæ. Diuus Thomas: *Pari supra virtutem potest intelligi dupliciter, vel supra virtutem naturalem, & de hac loquitur hic, supra quam Deus aliquando permittit Sanctos tentari, vel supra virtutem gratiæ, & de hac intelligitur. Illud 1. Corinc. 10. Supra quam non permittit aliquem Deus tentari. Et quod Apostolus loquatur hic de virtute naturali ostendit consequenter cum dicit, ita vt tæderet nos viuere. Constat enim, quod inter alia viuere magis desideratur. Quando ergo est tanta persecutio, vt, & ipsa vita reddatur tædiosa, manifestum est, quod est supra virtutem naturæ, & hoc est, quod dicit, ita vt tæderet etiam nos viuere, quasi dicat, sic erat grauis persecutio, vt vita esset nobis tædiosa. Iob 10. Tædet animam meam vitæ meæ.*

Dub. 5. Ad illa verba 1. Petri 5. vers. 8. *Tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Cur diabolus dicitur circumire quem deuorat?

Diabolus ardentem habet in tentando cautelam.

Respondetur. Quod diabolus valde sollicitus sit, vt qui tentatur ab eo non affugiat, & explorat an sit aditus ad intrandum, tantaque est & ardens in tentando cautela, quod omnem malitiam, & fraudem, cautelamque facile vertat. Hinc leoni rugienti, qui circuit quærens quem deuoret comparatur propter solicitudinem, quam habet leo, ne quis effugiat. Diabolus enim ardentem habet in tentando cautelam. D. Thomas: *Circuit quærens quem deuoret. Tamquam hostis obsidens muros clausos. Explorat an sit aliqua pars muerorum minus stabilis, cuius aditu ad interiora penetret, offert oculis formas illicitas, & faciles voluptates, & leuia esse peccata, vt visu destruat castitatem, & omnem virtutem aures per canora tentat vt molliat Christianum rigorem linguam conuitio prouocat, manum iniurijs lacessantibus ad cædem instigat, honores terrenos promittit, vt cœlestes adimat, & cum latenter non potest fallere, apertos addit terrores, in pace subdolus, in persecutione violentus, sicut ergo qui vult accipere castrum aliquod explorat ipsum, videlicet si est ibi in muro aliqua ruptura, vel defectus alicuius virtutis per quem possit ingredi. Iob 3. Quasi rapido muro, & aperta ianua irruerunt super me.* Vide in Indice *Diabolus: tentatio.*

CAP. LXII.

De Timore.

DVB. 1. Ad illa verba, Exodi 2. vers. 14. *Timuit Moyses. Audiuit quoque Pharao Sermonem hunc, & quærebat occidere Moysem, qui fugiens de conspectu eius moratus est in terra Madiam.* Cur dicitur, quod Moyses timore Pharaonis reliquit Ægyptum: cum Apostolus ad Hebræos 11. vers. 27. dicat de Moyse: *Fide reliquit Ægyptum non veritus animositatem Regis.* Ergo Moyses fide, non timore Pharaonis reliquit Ægyptum.

Qui proximo nocumentum adfert, timeat, & fugiat, ne damnum sibi inferatur.

Respondetur. Quod Moyses interfecto Ægyptio timuit. Hinc timuit Pharaonem, & reliquit Ægyptum, & fugit in terra Madiam, quia qui proximo nocumentum adfert, debet, & timere damnum sibi inferendum. Diuus Thomas ad Hebræos 11. Lect. 6. *Sicut habetur Exodi 1. Primo fugit de Ægypto interfecto Ægyptio. In primo enim exitu legitur Exodi 2. Eum timuisse. Prouerb. 14. Iracundiam Regis inutilis sustinebit.*

Homo non debet omittere opus proximo profiuum propter timorem.

2. Respondetur. Quod Moyses exiuit de Ægypto, quando populum Israel eduxit de populo illo barbaro, & tunc Moyses non timuit Pharaonem, nec eius indignationem licet Pharo ægre ferret eductionem populi de Ægypto. Non enim homo debet omittere opus proximo vtile propter timorem. Diuus Thomas ibi: *Secundo exiuit Moyses, quando simul omnes filios Israel eduxit, Glossa autem exponit de secundo exitu quia sequitur non veritus animositatem Regis, id est, indignationem Regis, in secundo exitu non timuit. Prouerb. 8. vers. 1. Iustus quasi leo confidens absque timore erit.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 23. vers. 20 *Obserua vocem eius, quia non dimittet te cum peccaueris.* Cur dicitur, quod Iosue non dimittet populum, id est, impunitum non faciet abire, si peccauerit populus?

Timorem nō habet populus, quando Iudex non punit delicta.

Respondetur. Quod Iudex qui iustitiam non facit, nec delinquentes punit, non timetur à populo, nec populus obedit illi, cum populares, vt plurimum timore seruili obediant superiori, timore supplicij trahendi sunt ad obedientiam. Hinc vt populus Iosue obediret, mandauit Deus, quod obseruaret

vocem eius, quia non dimittet tecum peccaueris, id est, quia puniet te, si peccaueris, & ex eo, quod puniret infertur obedientia populi erga illum. Timorem enim non habet populus, quando Iudex delict. non punit. Abulensis: *Solent illi Domini, aut Iudices timere qui vim coercitiuam non habent, iste autem habet vim coercendi, & puniendi delinquentes, ideo cum peccaueris faciendo contra mandatum eius, puniet te.*

Dub. 3. Ad illa verba, Deuteronomij 33. vers. 2. *Dominus de Sinai venit, in dextera eius ignea lex.* Cur Dominus ad dandam legem terribiliter, & horrende venit cum igne? Cur Moyses commemorat Israelitis, quod Dominus formidabilis venit ad tradendam eis legem?

Dei timore ex diligenter exequetur Diuina præcepta.

R. Quod Moyses voluit continere populum in obseruantia legis ei à Deo traditæ, inducere q; Israelitas, vt ad implerent Diuina præcepta ex Legislatoris timore: hinc in memoriam reuocat illis, quod Dominus venit cum igne legē traditurus horribilis, & formidabilis. Homo enim ex Dei timore diligēter exequetur Diuina præcepta. Oleaster: *Videbat vir Sanctus recessum suum ab hac vita, & quam facile populus timoris Domini oblitus relicturus erat Dominum, ac legem ipsius: ideo commemorat illis quam terribilis, & horrendus Dominus aduenisset ad dandam illis legem, vt si ex malitia pacto non starent, saltem ex Legislatoris timore in officio continerentur.* Vnde Dauid Psalm. 111. vers. 1. ait: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nemis.* Cur non dicit Beatus qui diligit, vel qui credit, vel qui sperat, sed qui timet? Quia dilectio est ad assequendum bonum, timor vero ad fugiendum malum, de timore venit homo ad dilectionem boni, & de fuga mali ad executionem boni. Hinc dicit Dauid: *Beatus vir qui timet Dominum in mandatis eius volet nimis*, id est, timens Deum nimis seruauit eius mandata. Necessarius enim est timor ad legis custodiam. Hugo Cardinalis: *Quare non dicit, beatus qui diligit, vel qui credit, vel qui sperat? Solutio: ista sunt ad bonum assequendum, timor vero est ad malum fugiendum, & si timor facit beatum, magis illa, Vnde per minus intelligitur maius. Prouerb. 14. Timor Domini fons vitæ, vt declinet à ruina mortis. Ecclesiastici 27. Si non in timore Domini te tenueris instanter cito subuertetur Dominus tua. De timore autem venitur ad dilectionem, & de declinatione mali, ad executionem boni, Vnde addit, in mandatis eius volet nimis, vel multum. Ecclesiastici 28. Beatitudo, & mors inuenient in mandatis Dei.*

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 10. vers. 6. *Conuenerunt enim aduersus nos omnes Reges Amorrhæum.* Cur Gabaonitæ dixerunt contra eos venire omnes Reges Amorrhæorum, cum tantum essent quinque?

Timor facit, quod malum imminens, maius appareat quam sit.

Respondetur. Quod timor facit, quod maius appareat imminens malum, quam quod ipsum in se est. Vnde mala huius vitæ maiora quam sint putamus, & falli mur sæpe per oppositum circa inferni pœnas nunquam putantes eas tantæ magnitudinis, quantæ sunt in se ipsis. Hinc Gabaonitæ dixerunt, quod omnes Reges Amorrhæorum veniebant contra eos, licet quinque essent Reges qui venerant bellum inferre. Timor enim semper facit, quod malum imminens, maius appareat, quam in se sit. Abulensis: *Alio modo intelligi potest quod ista verba sint expressiua timoris magni. Pertinet autem ad timentes, vt res horrendas maiores existiment, quam sint.*

Dub. 5. Ad illa verba, Ruth. 1. vers. 1. *Facta est fames in terra.* Cur Deus fame puniuit terram illam? Cur Elimelech abijt in Regionem Moabitidem cum vxore sua, & duobus liberis?

Qui minas Dei non timet punietur à Deo.

Respondetur. Quod quando Elimelech viuebat steterit Sol, vt incuteret timorem transgressoribus legis Diuinæ, & non timuerunt homines Deum vlio hoc signo. Hinc fame eos ita afflixit, vt Elimelech abiret in Regionem Moab cum vxore, & liberis, quæ abundabat, & terræ frugibus effluebat. Qui enim minas Dei non timet, punietur à Deo. Hugo Cardinalis super 1. Paralipom. 4. *Dicit D. Hieronymus, quod tempore Elimelech Sol stetit ad transgressoris legis terrendos, sed quia non timuerunt Deum, tanta fames inualuit, vt potior de Tribu Iudâ fugeret cum vxore, & filijs.*

Dub. 6. Ad illa verba, Ecclesiastici 23. vers. 13. *Nihil melius quam timor Domini.* Cur nihil melius quam timor Domini: cum 1. *Corinth.* v. 13. dicatur: *Manent tria hæc fides, spes, & charitas, maior autem horum est charitas, ergo charitas est melior.* Item *Ecclesiastici* 1. vers. 16. dicitur: *Initium sapientiæ timor Domini*, ergo sapientia melior est timore.

Respondetur. Quod timor Domini filialis valde vtilis est incipienti vitam bo-

Timor Domini filialis præcæteris virtutibus vtilior est ad incipiendam virtutem, & progrediendum in ea, ad perfectionēque perueniendum.

bonam, proficienti in ea, & ad perfectionem peruenienti: inde nihil vtilius est timore Domini, quia virtutem incipiens, in ea proficiens, ad perfectumque perueniens, cauet offensam Dei. Timor enim filialis Domini præcæteris virtutibus vtilis est ad incipiendam virtutem, & progrediendum in ea. Hugo Cardinalis: *Nihil melius quam timor Dei: nihil vtilius incipienti, nihil cautius proficienti, nihil tutius perueniēti. Vnde Iudith vltimo vers. 19. Qui timent te, magni erunt apud te. Et Ecclesiast. 25. vers. 14. Timor Domini omnis se superponit.* Lyranus: *Nihil melius quam timor Dei filialis, qui cauet offensam Dei.*

Dub. 7. Ad illa verba, 2. ad Corinth. 7. vers. 5. *Cum venissemus in Macedoniam nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus, foris pugnæ, intus timores.* Cur dicit Apostolus quod intus habuit timorem: cum *Prouerb. 28. vers. 1.* dicatur: *Iustus quasi Leo confidens absque terrore erit.* Ergo cum D. Paulus esset iustus, absque timore erat.

Iustus non sibi fidit, timet casum, & lapsum.

Respondetur. Quod Apostolus non habuit timorem quantum ad spiritum, benè tamen quantum ad carnem; timebat enim casum, & lapsum: hinc dicit quod intus erant timores. Iustus enim timet à virtute deficere, & in peccatum delabi. D. Thomas: *Iustus est sine timore quantum ad spiritum, non tamen quantum ad carnem.*

Iustus timēs ruinam spiritualem aliorum, affligitur in anima

2. Respondetur. Quod D. Paulus dicit se habuisse intus timores, quia timebat quod fideles videntes Apostolum persecutionibus vexatum, à fide resipiscerent, & deficerent. Affligitur enim iustus in anima, cum timet ruinam aliorum. Diuus Thomas: *Foris pugnæ, id est, extra Ecclesiam pugnæ illatæ ab infidelibus, sed intus timores, ne scilicet illi qui intra Ecclesiam sunt excidant à fide propter persecutores.* Vide in Indice *Timor.*

V

CAP. LXIII.

De Vanagloria.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 14. v. 17. *Egressus est autem Rex Sodomorum in occursum eius, postquam reuersus est a cæde Chodorlahomor, & Regum qui cum eo erant in valle Saue, quæ est vallis Regis.* Cur Rex Sodomorum occurrit Abrahæ in valle Saue post victoriam quatuor Regum?

Qui vitia vincit, vanagloria sub specie humilitatis deijcitur, & à vanagloria vincitur.

Respondetur. Quod Rex Sodomorum est vanagloria, vallis Saue humilitas: quid ergo est hoc quod Rex Sodomorum occurrit Abrahæ post victoriam in valle Saue, nisi quod vanagloria deijcit hominem post victoriam vitiorum, & facit eum succumbere sub specie humilitatis. Qui enim vitia vicit, vanagloria sub prætextu humilitatis deturbatur, & deijcitur. Hugo Cardinalis: *Nota quod Rex Sodomorum occurrit Abrahæ in Saue, quæ est vallis Regis, & significat humilitatem, hoc est, quod vanagloria sæpè hominem post victoriam vitiorum in specie humilitatis deijcit. Vnde fit quod qui multa, & magna euaserat, ibi succumbat. Quod significatur 1. Machab. 6. Vbi legitur, quod Eleazarus oppressus fuit ab Elephante, quem strauerat. Non sic fecit Dauid, sed Goliam, id est, superbum diabolum proprio gladio interfecit. Quod fit quando quis ex ipsa tentatione superbiæ sumit materiam humiliandi se. Diuus Bernardus: Elata siquidem cogitatione pulsatus, si ex eo sumis occasionem humilitatis. Vt tanquam de superbo, & abiecto homine sentias de te ipso, Goliam Goliæ gladio superasti.*

Iustus vincēs vitia, non inaniter gloriatur, sed inde sumit occasionem humiliandi.

Dub. 2. Ad illa verba, Psalm. 118. v. 37 *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Cur petit Dauid non videre vanitatem: cum ad *Rom. 8. vers. 20.* dicat Apostolus: *Omnis creatura vanitati subiecta est.* Et specialius de homine dicitur *Psalm. 38. vers. 6. Vniuersa vanitas omnis homo viuens.* Ergo Dauid non poterat non videre vanitatem, cum omnia sint vanitas.

Omnia opera nostra ad Deum dirigenda, nec in aliquo popularis gloria quærenda

Respondetur. Quod licet omnia vanitati subiecta sint, tamen Dauid petit non videre vanitatem, id est, ne in operibus suis, ventosa ipse sibi placeat, & blandiatur iactantia, sed quod ita opera sua dirigantur ad Deum, vt omnia operetur propter Deum, gloriosæ non inhians ostentationi. Incognitus ex Diuo Augustino: *Per ista verba auerte oculos meos, Psalmus orat, vt intentio interior sic in omnibus operibus dirigatur ad Dominum, vt omnia opera faciat propter Dominum, & in nullo quærat aliquam vanam gloriam sibi.*

Dub. 3. Ad illa verba, Matth. 8. vers. 4. *Et ait illi Iesus: Vide nemine dixeris.* Cur Dominus interdicit leproso curato publicationem miraculi: cum *Marci 5. vers. 19.* sanato à dæmonio dixerit Dominus Iesus: *Vade in domum tuam*

ad

ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit. Ergo cum hic dicat leproso, ne cui dicat, videtur D. Iesus sibi ipsi contrarius.

Iustus inanẽ gloriam fugit, cum non vult propalari opera sua ad propriam ostentationem, sed ad Dei gloriam

Respondetur. Quod Dominus prohibuit leproso curato miraculi publicationem, docens nos, ne plausu exultemus, & triumphemus popularis: sanato vero à dæmonio dicit quod annuntiet quanta illi Dominus fecerit, non ad Domini diuulgationem, sed ad Dei gloriam prædicandam. Iustus enim inanem gloriam fugit, cum non vult propalari opera sua, sed ad Dei gloriam referri. Antonius Gistandis Dominica 2. post Octau. Epiphan. dub. 21. *Nulli dicere iubet, docens nos negligere ostentationem, & honorem: in alio cui iubet dicere erudiuit nos ab homine mentis esse, non enim illuc diuulgari se iussit, sed dari gloriam Deo, per leprosum ergo hunc instruit nos, non esse vanagloriosos, nec illum autem non esse ingratos, sed omnia ad laudem Dei referre, & vt dicit S. Thomas 2. 2. quæst. 14. art. 104. Quod Dominus præcepit cæcis, ne cui miraculum dicerent, non quasi intendens eos per virtutem Diuini præcepti obligare, sed sicut dicit D. Gregorius 19. Moral. Seruis suis se sequentibus, exemplum dedit, vt ipsi quidem virtutes suas occultare desiderent, & tamen, vt alij eorum exemplo proficiant, & prodantur inuiti.*

Qui beneficia accepta nõ publicat, ingratus est benefactori.

Iustus opera sua profert nõ vanæ gloriæ causa, sed vt eius exemplo alij proficiant.

Dub. 4. Ad illa verba, Marci 1. vers. 44. *Vide nemini quicquam dixeris.* Cur Dominus leproso mundato dicit, quod nemini dicat se à lepra mundatum, cum hoc in Christi gloriam cederet?

Respondetur. Quod Christus verè humilis erat, & veraciter desiderabat fomenta humanæ gloriæ: ideo licet diuulgatio miraculi prodesset ad gloriam Christi, & honorem, iubet leproso quod nemini quicquam dicat. Verè enim humilis vanamgloriam fugit. Caietanus: *Nec vlla præcepti dissimulatio intercenit, sed intimi affectus virtute humilitatis præditi, desiderium verum, & vrgens ad fugandum quantum ex parte sua est fomenta humanæ gloriæ: huius enim veracis desiderij verba sunt, Vide ne cui quicquam dixeris: & ideo non obligatoria erant mandati ad peccatum inobediendi sed manifestabant quid ex intimo corde humili Iesus desiderabat.* Vnde B. Iudas Apostolus hic se nominat *Iudas Iesu Christi seruus*, cap. 1. vers. 1. Cur non dicit se Thadeum, cum idem fuerit Iudas, & Thadeus, vt dicit *Glossa*, & Matth. 10. cum scribuntur nomina Apostolorum; vocetur Thadeus? Cur tantum nomen proprium ponit?

Verè humilis vanamgloriam fugit.

Respondetur. Quod Thadeus idem sonat, a cordis cultor: benè ergo nomen proprium ponit, & nomen quod ex Religione asciuit tacuit, ne si diceret se esse Thadeum, & cordis cultorem, superbus videretur, & arrogans. Hugo Cardinalis: *Quia principale nomen eius est Iudas: Thadeus autem est nomen ei impositum ex Religione, quia Thadeus interpretatur corculus, quod est idem quod cordis cultor, vt ergo vitaret arrogantiam ponit nomen proprium.* Vide *Hypocrita*

CAP. LXXIIII.

De Veritate.

Veritas certo cognita non est relinquenda, licet multi se opponant.

DVb. 1. Ad illa verba, Exodi 23. v. 2. *Non sequaris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum, acquiescas sententiæ, vt à vero deuies.* Cur præcipit Dominus Israelitis quod non acquiescant plurimorum sententiæ?

Respondetur. Quod iudices in omnibus debent dicere veritatem, quam semel cognouerunt, licet sit contra multorum opinionem, quibuscumque in contrarium existentibus, & aduersantibus. Imo non solum hoc iudices facere debent, verum singularis quælibet persona si constans est de aliqua veritate, etiamsi multi alij se in contrarium opponant, illam sequi debet, nunquam veritate relicta: hinc præcipit Deus Israelitis, quod in iudicio non acquiescant plurimorum sententiæ, & à vero deuient. Veritatem enim relinquere certo cognitam malum est, etiamsi multi, quibus veritas occultatur, in contrariam abeant sententiam. Abulensis: *Prima est quantum ad populares; scilicet, quod si aliquis sit Iudex, non debet male iudicare, etiamsi tota multitudo male iudicare velit. Secunda est ad iudices, quando vnus eorum verum scit, & bonum, & vt complaceat sententiæ aliorum, subticet illud, & distorquet à vero, sicut accidit in iudicibus, qui multi sunt, & omnes concordant in vnam sententiam, & sunt viri magnæ authoritatis, si sit aliquis qui non sit tantæ authoritatis, & cognoscat veritatem inter eos, non debet consentire falsitati, vel malo quod alij facere volunt, licet sint magnæ authoritatis, sed potius dissentire, & in hoc magna virtus constantiæ est, cum quis boni non destruendi zelo multis repugnat.*

Dub.

Dub. 2. Ad illa verba, 2. Regum 1. vers. 10. *Stansque super eum occidi illa, & tuli diadema quod erat in capite eius.* Cur Amalecita dixit Dauidi, quod ipse occidit Saulem, cum Saul sua ipsius manu cecidisset. 1. *Reg.* 31. *ver.* 4. *Arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum.*

Mentitur sæpè homo ad Principum gratiam aucupandam.

Respondetur. Quod voluit Amalecita Dauidis gratiam conciliare, eiusque benevolentiam in se allicere confingendo mendacium: hinc licet Saul arripuerit gladium, & irruerit super eum, dicit tamen eum occidisse Saulem. Mentitur sæpè homo ad Principum gratiam arrhendam. Ratio enim: *Melior iam, & frequentior sententia explanatorum est Saulem sua ipsius manu cecidisse Vt* 1. *Samuelis* 31. *vers.* 4. *& 5. Satis ostenditur Hunc vero Amalecitam, mendacio confinxisse à se interfectum Saulem ipsius rogatu, vel futili lætantia, vel vt Dauidis gratiam aucuparetur, tam læto ei, vt ipse rebatur, allato nuntio.*

Mentitur homo, & lædat se de eo quod non gessit ad iactantiã.

Homo veritati mendacium intermiscet.

2. Respondetur. Quod Amalecita duo dixit Dauidi, quod interfecit Saul, quod erat mendacium, & quod tulit diadema quod erat in capite eius, & hoc fuit verum: hinc cum veritate miscuit mendacium. Homo enim veritati mendacium intermiscet. Caietanus: *Quamuis finxerit se occidisse Saulem; dixit tamen verum quoad ablatum diadema, & armillam.*

Dub. 3. Ad illa verba, Ioannis 8. vers. 45. *Si veritatem dico vobis, non creditis mihi.* Cur Iudæi non credebant Christo veritatem dicenti?

Qui libenter, & assuete mendacia audit, ægrè audit veritatem.

Respondetur. Quod Iudæi assueti erant mendaciis: hinc non credebant Christo. Qui enim libenter mendacia audit, ægrè audit veritatem. Hugo Cardinalis: *Propter tres rationes non credunt, quia nutriti sunt in mendacijs. Vnde sicut rusticus libentius comedit fabas, quam gallinas, sic ipsi audiunt libentius mendacium quam veritatem. Vnde per contrarium dicitur Ioann.* 18. *Qui est ex veritate audit vocem meam. Item Numerorum* 11. *Iudæi repudiabant mana dulcissimum cibum, quia nutriti erant de alijs Egypti.* Secunda ratio est, *quia eorum affectus est ad aliud inclinatus, & ad idem inclinat rationem, & intellectum, & ita non recipit veritatem. Vnde Iob* 31. *per contrarium: si secutus est oculus meus cor meum, id est, intellectus affectum.* Tertia ratio est, quia veritas contraria est eis. Accusat enim eos de malis. Vnde Ioannis 3. *Qui male agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* In quæ verba Hugo Cardin. Ioann. 3. *Quando enim venit homo peccator ad lucem, id est, ad Christi doctrinam, videt in speculo suas fœditates, & ideo non venit ad lucem. Sicut dicitur de muliere turpi, quæ nunquam se respicit in speculo, quia molestum ei se videre. Item ad lucem prædicationis, vel confessionis non venit peccator, quia ibi eius malitia declaratur. Vnde multi nolunt venire ad prædicationem, aut confessionem, ne peccata quæ diligunt vertantur eis in odium; sicut homines qui non possunt malum audire de his quos diligunt, nec amare eos qui de ipsis mala dicunt. Vnde Amos* 5. *Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt. Ephes.* 5. *Omnia quæ arguuntur à lumine manifestantur; omne enim quod manifestatur lumen est.*

Peccator exosam habet veritatem, quia veritas peccatoris mala manifestat.

Dub. 4. Ad illa verba, Actorum 27. vers. 26. *Vade ad populum istum, & dic aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis.* Cur Dominus per Isaiam loquitur Iudæis, quod aure audient doctrinam Euangelicam, & non intelligent eam?

Punit Deus hominem propter eius demerita, claudẽs oculos intellectus, ne intelligat auditã veritatem.

Respondetur. Quod Deus clausit oculos intellectus Iudæorum propter suam malitiam, & praua opera, ne audientes veritatem Euangelij, eam perciperent; & videntes signa, & miracula, non perspicerent internam in Iesu Diuinam virtutem: hinc loquitur per Isaiam, quod audientes non intelligent veritatem. Punit enim Deus hominem, claudens oculos intellectus ne percipiat, quam audit veritatem. Hugo Cardinalis ex Beda: *Ne putetur crassitudo cordis, & grauitas aurium naturæ esse, non voluntatis, subdit culpam liberij arbitrij, ne forte quasi præcedentibus meritis, ipsi causa fuerunt, vt Deus eis oculos clauderat.* Vide *Mendatium*, & in Iudice *Veritas.*

Intellectus peccatoris non percipit veritatem, quia voluntas ad mendacium inclinatur.

CAP. LXV.

De Vindicta.

DVB. 1. Ad illa verba, Iudicum 16. vers. 21. *Statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis.* Cur Philisthim, qui tantum mortem Sansonis desiderabant, & cum aprehensum habebant, non statim illum occiderunt, cum possent?

Vindicta maior illa est, quę non vult mortem puniendi, vt maneat semper obiectū puniendum.

Respondetur. Quod signum perfectissimæ vindictæ illud est, vt non velit quis inimicum perire, cum possit, vt obiecto vindictæ remanente, maneat semper, & ipla vindicta: vnde Philisthini, si statim occiderent Sansonem, non satiabatur ira eorum, si non adderent supplitium supra vindictam illius, satiabatur autem si duraret, & prolongaretur vindicta, vt autem hęc duraret, duret obiectum: sic enim dabatur locus continuandi vindictam, & hæc est maior, quæ imaginari potest. Vindicta enim maior est illa, quæ non vult mortem puniendi, vt maneat semper obiectum puniendum. Ad sensis: *Ex parte Philisthinorum fuit desiderium perfectæ vindictæ. Non reputabant completam vindictam, si eum occiderent sicut in bello.*

Dub. 2. Ad illa verba, 1. Reg. 12. vers. 23. *Absit autem à me hoc peccatum in Domino, vt cessem orare pro vobis.* Cur Samuel non cessauit orare pro populo, contemnente se? Si à populo despicitur, & petit super se Regem abiecto Samuele, cur Samuel ab oratione pro populo non desinit?

Vindicatur homo de homine sibi iniurioso si desinat orare pro eo.

Respondetur. Quod populus suspicabatur, quod Samuel vindicaret se de populo tanquam vltor iniuriæ sibi illatæ, quod populus perierit sibi Regem contemnendo Samuelem. Hinc vt tollat talem suspitionem à populo, dicit Samuel, quod non cessabit orare pro eis; quasi dicat: Si ab oratione desistam pro vobis, putabor me vindictam de vobis sumere, ne ergo tale quid de me suspicemini, semper pro vobis effundam preces ad Dominum. Vindicatur enim homo cum non orat pro illo qui sibi intulit iniuriam. Caietanus: *Vide iustitiam Samuelis Prophetæ: peccare se fatetur coram Summo Deo, si cessaret orare pro populo: debitorem siquidem se agnoscit, tum ad orandum pro populo, tum ad docendum eos viam bonam, ac rectam. Et dixit hoc ad tollendum à populo suspicionem vindictæ, hoc est, quod Samuel tanquam vltor iniuriæ sibi illatæ à populo volendo Regem, qui iudicaret eos, desineret intercedere pro populo ipsius ad Deum.*

Dub. 3. Ad illa verba, 1. Reg. 24. vers. 13. *Vlciscatur me Dominus ex te: manus enim mea non sit in te.* Cur Dauid noluit vlcisci de Saule eum persequente, sed à Deo petit vindictam de Saule?

Homo non vindicæ per se iniuriam propriā, sed vindictam Deo remittat.

Respondetur. Quod Dauid noluit se vindicem iniuriarum præbere, nec propria manu iniurias persequi à Saule persecutore Dauidis, optat tamen Deum iniurias expetere. Hinc Dauid in spelunca Engaddi latitans Saulem vltionem non inactauit, imo ne occideretur ipsum liberauit, iniuriarum vindictam remittens Deo. Non enim homo debet vindictam sumere per se, sed Deo remittere. Lyranus: *Nullus enim debet de propria iniuria sumere vindictam per se, nisi incumbat sibi ex officio, & tunc melius esset, quod per alium faceret. Vnde legitur de Platone, quod seruum suum peccantem contra se, tradidit alteri puniendum, ne ipse propria iniuria motus mensuram excederet rationis.*

Homo qui per se vindictam sumit, modum, & mensurā rationis excedit.

Dub. 4. Ad illa verba, 1. Reg. 25. vers. 39. *Quod cum audisset Dauid mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal.* Cur Dauid lætatus est de morte Nabal: cum Iob. 31. vers. 29. dicat Iob de se ipso: *Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui quod inuenissem eum malum.* Item Prouerb. 24. vers. 17. dicitur: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum,* Ergo Dauid non benefecit gaudens de morte Nabal.

Vindicatur homo cum lætatur de ruina inimici sui: non cū gaudet de iustitia Dei, punientis inimicum.

Respondetur. Quod Dauid gratias egit Deo de Dei iustitia, qua Nabalem punuit, non verò lætatus est de morte Nabal. Hinc dicit Dauid: *Benedictus Dominus qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal*; quasi dicat: Gratias ago Deo, quod vindictam sumpsit de Nauale mihi iniurio. Vindicatur enim homo cum lætatur de ruina inimici sui. Non verò cum gaudet de iustitia Dei erga inimicum suum. Hugo Cardinalis:

Gau-

Gaudere de ruina inimici libidine vindictæ, hoc malum est, & de hoc loquuntur dictæ authoritates: sed Dauid de hoc non sic gauisus est, sed de hoc quod Dominus custodierat eum à malo, & de iustitia Dei, sicut electi gaudebunt videntes reprobos puniri, non autem affectant eorum pœnam, sed admirantur, & laudant Dei iustitiam. Vnde Psalm. 57. Lætabitur iustus cum viderit vindictam.

Dub. 5. Ad illa verba, Isaiæ 42. vers. 4. *Non erit tristis, neque turbulentus.* Cur dicit Isaias de Christo, quod non erit tristis, neque turbulentus: cum *Nahum* 1. *vers.* 3. dicatur: *Dominus in tempestate, & turbine viæ eius*, & *Ecclesiastes* 7. *vers.* 5. dicitur: *Cor sapientum vbi tristitia*, & *Matth.* 26. *vers.* 38. dixit Christus: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Ergo Christus fuit tristis, & turbulentus.

Tristandus est homo cũ vindictã capit.

Respondetur. Quod in Christo est tristitia apparens, cum vindictam sumit de peccatoribus, ad similitudinem tristantis se habet, fuit etiam tristitia sensualitatis, cum tristis fuit anima eius vsque ad mortem, non vero fuit in eo tristitia obnubilans rationem, sicut homo tristis est, cum non potest vindictam capere, nec fuit turbulentus quemadmodum hominis obcuratur ratio cum vindictam exequitur, quæ a Christo aliena est. Vnde in Hebræo vbi nos habemus *neque turbulentus*, habetur, *non obscurabitur*; scilicet, eius ratio cum vindictam expetit: hinc dicit Isaias quod Christus non erit tristis neque turbulentus, id est, non obnubilabitur ratio eius capiens vindictam. Homo enim si vindictam non sumit tristatur, si vero vindicatur turbatur, & obscuratur ratio. Hugo Cardinalis: *Est tristitia superficialis, & apparens, quæ est quando Dominus vindictam capit de malis; tunc enim tristari dicitur, quia admodum tristantis se habet. De hac dicitur Nahum* 1. *vers.* 3. *Dominus in tempestate, & turbine viæ eius, est tristitia sensualitatis. De qua dicitur Matth.* 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem, & est tristitia rationis, de qua dicitur hic: Non erit tristis, neque turbulentus: & nota quod dicit duo; homo enim si non potest se vindicare tristis est, si potest turbulentus fit, vtrumque remouet de Christo.*

Homo cum vindicatur, turbatur, & obscuratur eius ratio.

Vide *Iniuria.*

CAP. LLXVI.

De Virginitate.

DVb. 1. Ad illa verba, Cantic. 2. ver. 2. *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias.* Cur Sponsa comparatur lilio inter spinas, non vero quod est infra spinas, vel supra spinas?

Virgines fortiter impugnantur tentationibus, quædam succumbunt tentationi, quædam superant tentationem.

Respondetur. Quod lilium infra spinas, est virginitas succumbens tentationi, quæ per spinas significatur; lilium supra spinas, est virginitas superans tentationes; at lilium inter spinas, est virginitas impugnata: quid est ergo quod Sponsa comparatur lilio inter spinas, nisi quod virginitas Sponsæ conflictum patitur, & pugnam tentationum. Virgines enim fortiter agitantur, & oppugnantur tentationibus. Hugo Cardinalis: *Est autem lilium infra spinas, lilium intra spinas, lilium supra spinas. Lilium infra spinas, est virginitas subiecta criminibus; est enim crimen spina, sed spinæ pessimæ. Lilium inter spinas, est virginitas impugnata tentationibus: tentatio enim spina est valde pungens, lilium supra spinas lilium, est virginitas superans tentationis impugnationem. De primis dicitur Deuteronom.* 32. *Foris vastabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem simul, ac virginem lactantem cum homine sene. De secundis vero dicitur Threnor.* 1. *Sacerdotes eius gementes, virgines eius squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine. De tertijs dicitur Apocalyps.* 14. *Hij sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. & sequuntur Agnum quocunque ierit. Primum lilium representant fatuæ virgines, quia fulgentes lampades virginitatis habuerunt, sed charitatis oleum intus non receperunt. Secundum representant virgines sapientes, quia cum lampade virginitatis, oleo charitatis accepto fatigatæ tentationibus dormitauerunt. Matth.* 25. *Tertium lilium representat eedem virgines, quando omni dormitione superata intrauerunt cum Sponso ad nuptias. Primum lilium fuit puellæ saltantis, id est, Herodiadis. Matth.* 14. *Secundum Beatæ Agnetis, quæ passionem sustinuit, ne seruiret copulæ coniugali, tertium fuit Beatæ Virginis, quæ nullum sensit vnquam aculeum libidinis.*

Dub. 2. Ad illa verba, Cantic. 5. vers. 15. *Species eius, vt Libani.* Cur conuenit virgini esse Libani imaginem, non vero montis Sinai, vel Thabor?

Virgines speciali quadã similitudine Christum repræsentant.

Respondetur. Quod Libanus interpretatur candidatio, & Christum segregatum ab omni immunditia denotat: eius similitudo siue species virgines sunt, quia & hi puras esse quadrat: hinc virgines speciem habent, & similitudinem Libani, non Sinai, nec Hermon, nec Thabor comparantur. Cum enim Christus sit purus, & candidus, quæ nitent pudicitia, speciali quodam merito habent, vt Christum representent. Richardus de S. Victore cap. 39. *Hæ sunt virgines decorem Christi, & similitudinem habentes: habet enim similitudinem Christi anima, quæ charitatem habet, & plenius proficiens in morum correctione plenius hanc percipit, hac similitudine omnes boni Christo conformantur; sed specialius virgines, quæ cum hac similitudine candorem, & munditiam habent vitæ; vnde Libano comparantur, qui Christum significat, qui candidus interpretatur, vnde quia hunc specialem decorem virgines obtinent, benè species dicuntur.*

Dub. 3. Ad illa verba, Apocalyps. 14. vers. 3. *Qui empti sunt de terra.* Cur virgines emptæ dicuntur de terra?

Virgines in carne præter carnem viuunt, ita vt à molestia carnis videãtur eleuatæ.

Respondetur. Quod virgines ita in terra pure, & caste viuunt in carne, quod à terra, à carne, à corporis molestia sunt eleuatæ: ideo dicuntur de terra emptæ, id est, eleuatæ. Sanctæ enim virgines in carne præter carnem viuunt, videntur de infirmitate corporis eleuatæ. Hugo Cardinalis: *De terra empti dicuntur, quia per virtutem sanguinis Christi de infirmitate corporis sunt sursum eleuati, vt in carne viuerent præter carnem: vnde Diuus Ambrosius. Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ per quam homines, Angelis assimilantur. Maior enim victoria hominum, quam Angelorum: Angeli enim sine carne viuunt, virgines vero sine carne triumphant, quia qui in carne virginitatis puritatem seruant, super cœlestibus assimilantur.*

Dub. 4. Ad illa verba, Apocalyps. 14. vers. 3. *Hi sequuntur Agnum quocunque ierit.* Cur potius dicuntur virgines sequi Agnum, quam Prædicatores, vel Martyres, cum Christus fuerit Prædicator, & Martyr sicut & virgo?

Sanctæ virgines altius adhærent Christo quam Sancti Prædicatores, & Martyres.

Respondetur. Quod Agnus representat innocentiam generalem, quæ fuit in Christo. Vnde cum virginitas signum sit generale innocentiæ generalis, nempè integritatis, probitatis, simpliciratis, quia qui se ipsum contemnit, & mundum, & quæ in mundo sunt propter Deum, signum est, quod innocens est, & à culpa purus: hinc altius virgines adhærent Christo Agno, quam Prædicatores, & Martyres, quia maiori innocentia, & vitæ probitate pollent, quam Martyres, & Prædicatores. Hugo Cardinalis: *Quia nec martyrium, nec prædicatio signum est generale innocentiæ generaliter, sed integritas virginitatis, signum est generale innocentiæ generalis, quia probabile est quod qui se ipsum propter Deum contempsit, & mundum, & ea quæ in mundo sunt. Vnde signanter dicitur, quod sequuntur non Christum, sed Agnum in quo innocentia exprimitur, & signatur.*

Dub. 5. Ad illa verba Apocalyps. 14. vers. 4. *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno.* Cur magis virgines dicuntur primitiæ Dei, quam Martyres, vel Prædicatores?

Sanctæ virgines delectabiliores sunt Deo, quam alij Sancti.

Respondetur. Quod delectabiles sunt Deo Sancti Prædicatores, iocundi Sancti Martyres, qui in ætate proiecta Deum honorarunt, alij prædicatione sua, alij sua passione, vnde delectabiles fuerunt tanquam decimæ oblatæ Deo ad eius gloriam, & honorem: at sanctæ virgines à principio vitæ suæ integritate mentis, & corporis honorarunt Deum, ideo gratiores sunt Deo tanquam primitiæ, quæ magis periocundæ sunt Deo, quam decimæ. Hugo Cardinalis: *Quia non est homo idoneus ad martyrium, vel prædicationem nisi in adulta ætate: vnde Martyres, vel Prædicatores sunt magis decimæ, sed ad virginitatem idoneus est à principio vitæ, vnde virgines primitiæ dicuntur Deo, id est, ad honorem Dei Patris, & Agno, id est, ad honorem, & imitationem Christi, vt virgines virginem sequantur, magis delectabiles, & iucundi Deo, quam cæteri Sancti, sicut primitiæ fructuum delectabiliores sunt, & gratantius recipiuntur, quam frequentes fructus.*

Dub. 6. Ad illa verba, 1. Corinth. 7. vers. 26. *Bonum est homini sic esse.* Cur dicit Apostolus quod esse in virginitate bonum est?

R. Quod in virginitate triplex bonũ inueniturs, scilicet, honestũ, vtile, & de-

le-

Virginitas habet omne bonum.

lectabile, quod non reperitur in matrimonio: hinc Apostolus commendans virginitatem, dicit quod bonum est homini sic esse in virginitate scilicet. Virginitas enim omne bonum secum adfert. D. Thomas: *Existimo, & verè, quia bonum est homini sic esse, scilicet, in virginitate: bonum scilicet, honestum propter puritatem, delectabile propter libertatem, vtile propter mercedem, quia ei debetur aureola, & fructus centesimus. Lucæ 8.* D. *Augustinus in Glossa. Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ per quam homines Angelis assimilantur. Maior tamen victoria virginum quam Angelorum. Angeli enim sine carne viuunt, virgines autem in carne triumphant.* Vnde Hugo Cardin. Apocalips. 14. vers. 5. *Sine macula sunt, ait, id est sine operatione praua hoc autem dicitur, quia tempore legis erat maledicta sterilis. Vnde Virgines tunc non erant laudabiles ante homines: sed in noua lege melior & laudabilior est status virginitatis, quam matrimonium. Vnde Apostolus 1. Corinth. 7. Volo omnes homines esse sicut me ipsum, id est, virgines. Tales enim erat ipse.* Ideo Abulensis rude, & rusticanum vocant sæculum illud in quo Iepthe plorauit, filiam suam eo quod virgos & absque liberis discesset, cum potius deberet gaudere, quod virgo permanens mortua fuerit, quia virginitas post charitatem, est virtus quæ magis ornat mulieres. Iudic. 11. *Sed certe rude sæculum erat, & rusticana ætas, quia de eo plangebat, de quo potius magna hilaritate exultandum foret. Nam nihil fœminæ excellentius post charitatem, quæ cæteras ornat virtutes, quam quod in talem integritate recedat, in qua huic sæculo, & communi luci orta est.* Vide *Castitas*, & in Indice *Castitas. Virginitas.*

Laudabilior virginitas quam matrimonium.

Virginitas post charitatem, est virtus quæ magis ornat mulieres.

CAP. LXVII.

De Voluntate.

DVb. 1. Ad illa verba, Exodi 22. vers. 21. *Aduenam non contristabis, neque affliges eum: aduenæ enim, & ipsi fuistis in terra Ægypti.* Cur Dominus præcipit aduenam non contristari, nec affligere?

Voluntas nostra non debet velle proximis, quæ sibi non vult.

Respondetur. Quod illa cum proximis facere debemus, quæ velimus illos nobiscum facere, iuxta rationem naturalem præcipientem, quod tibi non vis, alteri non velis: vnde cum Hebræi quando aduenæ fuerunt in Ægypto volebant quod Ægyptij non contristarent, nec affligerent eos: ita debebant Hebræi alios aduenas non affligere, nec contristare. Voluntas enim nostra non debet velle proximis, quæ sibi non vult. Abulensis: *Sicut ergo ipsi fuerunt aduenæ in terra Ægypti, & volebant Ægyptios sibi misereri, & non contristare, neque affligere eos, ita debebant ipsi non affligere, nec contristare omnes alios aduenas, quia est lex naturalis, in qua omne bonum, & Prophetæ, & lex dependent; scilicet, quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, eadem facite illis: vt patet Matth. 7.*

Dub. 2. Ad illa verba Exodi 32. vers. 4. *Hij sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quid viderunt Israelitæ in vitulo illo, vt adorationem illi, tam cito vt vero Deo exhiberent?

Qui docet, loquitur iuxta voluntatem nostram, doctior omnibus iudicatur.

Respondetur. Quod vitulus ille exibat iuxta desiderium, & voluntatem Israelitarum: hinc quod tale erat, pro illis Deus erat, & tanquam vero Deo præstabant adorationem, ita homines videntes Doctorem docentem, quæ desiderant, & ad voluntatem loquentem, Diuinum, & non humanum iudicant, & extollunt. Voluntatis enim nostræ ita cupidi sumus, vt Doctor iuxta illam loquens doctior omnibus a nobis iudicetur. Abulensis: *Multum enim circa hoc soliciti erant, vt Deum haberent talem, qualem petiuerant, ideo immediatè, vt eum viderunt; Cultum Diuinum exhibere curauerunt.*

Dub. 3. Ad illa verba, Numerorum 31. vers. 8. *Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio.* Cur dicitur, quod Balaam fuit interfectus in bello contra Madianitas: cum *Numerorum 24. Ver. 25.* legatur: *Surrexitque Balaam, & reuersus est in locum suum*, ergo non fuit gladio interfectus à filijs Israel.

Voluntas, & desiderium aliquid faciendi pro opere reputatur.

Respondetur. Quod Balaam surrexit, & abijt in locum suum animo abeundi, & reuertendi in patriam suam, habuitque voluntatem illuc reuertendi, sed in re non fuit reuersus: hinc dicitur, quod Balaam reuersus fuit in locum suum propter voluntatem, quam habuit eundi in patriam suam. Voluntas enim, & desiderium aliquid faciendi pro opere reputatur. Maluenda: *Quidam exponunt: abijt quidem animo reuertendi in patriam suam Pethoram Mesopotamiæ Vrbem ad Euphratem, sed tamen*

non est reuersus: nam apud Madianitas substitit, & illic interfectus est. Numerorum 31. *vers.* 8. Vnde Ruth 4. *vers.* 4. *Si vis possidere iure propinquitatis, eme, & poside, ego agrum emam.* Cur propinquus Booz dixit quod emptus erat agrum Elimelech: cum Noemi agrum iam vendidisset, hic *vers.* 3. *Quibus sedentibus loquutus est Booz ad propinquum. partem agri fratris nostri Elimelech vendidit Noemi, quæ reuersa est de regione Moabitide*, ergo propinquus Booz non poterat emere agrum illum, cum iam esset venditus? Respond. Quod Noemi non vendit agrum, sed tamen vendere statuit, & voluntas vendendi agrum, pro facto, & venditione habita est. Lyranus: *Vendidit, id est, in proposito vendendi, quia non erat ager adhuc venditus. Vt patet per sequentia.*

Dub. 4. Ad illa verba, 2. Paralipom. 35. *vers.* 4. *Præparate vos per domos, & cognationes vestras in diuisionibus singulorum, sicut præcepit Dauid Rex Israel, & descripsit Salomon filius eius.* Cur Salomon dicitur instituisse Sacerdotes, & Leuitas in domo Domini: cum 1. *Paralipom.* 28. *vers.* 11. legatur: *Dedit autem Dauid Salomoni filio suo descriptionem porticus, & Templi, diuisionemque Sacerdotalium, & Leuiticorum in omnia opera domus Domini*, ergo Salomon non instituit Sacerdotes, & Leuitas, sed Dauid.

Filius qui voluntatem patris facit, filius patris est, & voluntatem patris in his quæ bona sunt debet exequi.

Respondetur. Quod Dauid instituit Sacerdotes, & Leuitas, sed Salomon consummauit, perficiendo voluntatem patris sui Dauid: hinc dicitur Salomonem eos instituisse. Filius enim qui voluntatem patris facit, verè filius patris est. Lyranus: *Dauid dedit hoc primo disponendo, sed Salomon dedit istam descriptionem alijs, patris voluntatem exequendo.*

Dub. 5. Ad illa verba, Ioannis 7. *vers.* 27. *Christus autem cum venerit nemo scit vnde sit.* Cur Iudæi scientes Messiam ex semine Dauid promissum, negant ipsum esse Christum?

Cæcitas intellectus ex malo affectu voluntatis prouenit.

Respondetur. Quod Iudæorum voluntas abhorrebat à Christo, voluntatemque ab alienauerunt ab eo: hinc licet scirent Messiam ex semine Dauid venturum, eorum intellectus ignorabat quis esset. Intellectus enim cæcus voluntate regitur. Caietanus: *Miranda cæcitas: sciebant Messiam ex semine Dauid promissum, & cum hoc nemo scit vnde sit quod est manifeste confiteri duas origines Christi, alteram notam ex Dauid, & alteram ignotam. Et tamen ex eo quod cognoscebant originem secundum carnem, negant ipsum esse Christum, confundentes originem, confusum habentes intellectum, sicut & confusum habebant affectum.*

Dub. 6. Ad illa verba, Lucæ 12. *vers.* 48. *Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Cur qui voluntatem Domini cognouit vapulabit paucis? Si voluntatem non sciuit, cur puniendus etiam paucis?

Qui voluntatem Domini sciuit, plus punietur quam is qui ignorauit.

Respondetur. Quod qui voluntatem Domini nouit, & non fecit secundum eam, maiori pœna dignus est, quam ille qui voluntatem Domini ignorauit: hinc dicit quod ille seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis, qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Qui enim voluntatem Dei Principis, vel Prælati sciuit, plus punietur, quam is qui ignorauit. Hugo Cardinalis: *Subditur de differentia pœnæ malorum, & hoc est, ille autem seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparabit ad faciendum ea. Prouerb.* 16. *Hominis est animum præparare, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis, quia deliquit in multis.* 2. *Petri* 2. *Melius est viam veritatis. Sapientiæ* 6. *Iudicium durissimum in his qui præsunt fiet. Ecclesiastes. qui addit scientiam addit, & dolorem. Iacobi* 4. *Scienti bonum, & non facienti peccatum est illi. Qui autem non cognouit, id est, simpliciter ignorauit, non ex contemptu addiscendi, & fecit digna plagis, id est, peccata, vapulabit paucis. Osseæ* 13. *Ipse filius non sapiens; nec enim non stabit in contritionem filiorum, de manu mortis liberabo eos.* Vide in Indice *Voluntas.*

CAP. LXVIII.

De Virtute.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 6. v. 9. *Noe vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis.* Quid est hoc quod Noe in generationibus suis fuit perfectus?

Magna est virtutis constantia, quæ inter prauos homines irreprehensibilis, & sine culpa est.

Respondetur. Quod generationes Noe dicuntur illæ ætates, quæ præcesserunt diluuium, & quæ sequutæ sunt diluuium. In quibus Noe vixit integer, perfectus, immaculatus inter prauos homines, ita vt reprehendi, & culpari non posset: hinc dicit Moyses de Noe quod

quod fuit perfectus in generationibus suis, id est, in ætatibus quibus vixit, siue inter homines sui sæculi; scilicet, in ætate antecedente diluuium, siue in ætate sequente diluuium. Magna est virtutis constantia, quæ inter prauos homines inculpabilis, & irreprehensibilis est. Maluenda: *In generationibus suis, id est, in ætatibus illis, quibus vixit, siue inter homines sui sæculi, nempè in ætate præcedente diluuium, quo tempore hominum mores erant corruptissimi, & in ætate sequente diluuium, ac si dicat: Quandiu vixit pie, & sanctè coram Deo vixit, & coram hominibus inculpatè. Emphaticum autem illud esse notant in generationibus suis, quod mirabile esset constantiæ exemplum, inter tam corruptos & impios homines, integritatem seruasse.* Vnde Genes. 25. vers. 27. legimus quod Iacob *erat Vir simplex*. Iuxta Hebræum habetur: *Iacob Vir integer*. In quo apparuit integritas Iacob, perfectio, & consumatio? In hoc scilicet, quod erat inculpatæ vitæ, morumque irreprehensibilium, quia iuxta normam Diuinæ Legis viuebat, immaculateque vitam ducebat. Maluenda: *Integer perfectus, consumatus, qui in doctrina, & fide, ac bonis operibus, coram Deo est integer, & coram mundo irreprehensibilis, & habens bonam conscientiam. Erat ergo Iacob Vir integer, id est, non varius, sed simplex, non quidem mente, seu intellectu, hoc est, sine industria, & peritia: sed voluntate, non inquietus. Sed vt filij lucis, quietus inculpatus vita, & moribus iuxta legem Dei, non fraudulentus consilijs, nec irrequietus, vt improbi.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 3. vers. 3. *Vadam, & videbo visionem hanc magnam*. Cur dicitur visio magna? An quia ignis in virentia folia exarsit, vt sentit *Caietanus*, an quia flamma erat acuminata in modum gladij, vt tenet *Maluenda*?

Virtuosus vir in omni fortuna æqualis est, & constantiæ suæ seruit.

Respondetur. Quod Moyses vidit flammam illam esse rectam, licet à ventis agitaretur, nec hac vel illac deflectebat aduersantibus ventis, qui afflabant constansque erat in eodem splendore: hinc dicit Moyses quod illa visio erat magna, in signum quod magni viri virtus in hoc consistit, quod in aduersis, & prosperis, siue flante prosperitate, siue aduersante aduersitate, idem ipse sit, nec mutetur prosperis, nec deflectat à virtute in aduersis. Virtuosus enim vir in omni fortuna æqualis est, & constantiæ suæ seruit. Maluenda: *Flamma non dissipata, aut sparsa ventis erat, sed recta.*

Magnum est quod virtuosus vir virtute splendet, nec fumo vanitatis, aut superbiæ obscuratur.

2. Respondetur. Quod flamma illa erat tersa, nec fumo immixta, & significat virtutem, quę niter absque aliquo vanitatis, aut superbiæ fumo: hinc dicitur visio magna. Magnum enim est quod virtuosus vir virtute splendeat, nec fumo vanitatis, aut superbiæ obscuretur. Maluenda: *Flamma erat in modum laminæ tersæ, teretis, & politæ.*

Dub. 3. Ad illa verba, Iosue 2. vers. 2. *Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis nomine Rahab*. Cur exploratores ingressi sunt domum meretricis: cum *Matth.* 10. *vers.* 11. dicat Dominus Discipulis: *In quamcumque autem Ciuitatem, aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis*, vnde cum meretrix non esset digna talium hospitum, exploratores non debuerunt ingredi domum eius.

Non æqualis virtus in omnibus quærenda est.

Respondetur. Quod maior requiritur virtus in Lege Euangelica, quam in veteri: hinc Discipulis, & Prædicatoribus præcipit Dominus, quod intrantes in Ciuitatem, & domum, interrogent, quis & qualis in domo sit, an bonus, vel malus, vt dignus si sit, tales hospites recipere, domum illam ingrediantur: at in lege veteri cum non tanta virtus, & sanctimonia exigeretur, non oportuit, quod exploratores interrogarent, an mulier quæ habitabat in domo esset meretrix, vel non vnde sine tali Inquisitione poterant intrare in domum eius. Non enim æqualis virtus in omnibus quærenda est. Hugo Cardinalis: *Hoc fuit in lege, istud præcipitur in Euangelio, vbi maior perfectio requiritur. Vnde Matthæi 5. Nisi abundauerit iustitia vestra. Præterea illud præcipitur Prædicatoribus, isti autem non Prædicatores: sed exploratores erant.*

Dub. 4. Ad illa verba, 1. Reg. 2. vers. 35. *Et suscitabo mihi domum fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciat*. Cur domus Sadoc dicitur fidelis: cum non constet omnes Summos Sacerdotes fuisse fideles, hoc est, probos, & iustos, imò aliqui fuerunt scelerati, de quibus Dominus *Matth.* 23 *v.* 3. Quales Annas, & Caiphas sola dignitate, & officio sacri, vita & moribus execrandi, ergo domus Sadoc non debuit dici fidelis, cum tot mali fuerint in ea.

Magis illustratur res publica à multis viris virtuosis, quam dehonoratus à pluribus malis hominibus.

Respondetur. Quod magna pars domus Sadoc, virtuti fuit dedita, multique in domo illa fuerunt iusti, vt patet

de Azaria, & Ioiada, & alijs multis: hinc licet multi viri prauis moribus corrupti inuenti fuerint, tamen à magna parte iustorum, qui integritate vitæ floruerunt, domus illa dicitur fidelis. Magis enim illustratur Respublica à multis viris virtuosis, quam deneratur à plurib⁹ malis. Mendoza: *Appellari fidelem in vita à magna parte iustorum. Nam Azarias Ioiada, Helcias, Iosedec Zacharias, pater Ioannes Baptistæ (si is fuit Summus Sacerdos, vt D. Ambrosius, & alij apud Cardinalem Toletum in cap. 1 Lucæ, annotatione 3. opinatur) etsi qui sunt alij, tanquam boni referuntur neque oportere vt domus fidelis omnes familiares fideles amplectatur, alioqui neque Collegium Apostolicum fidele diceturo.*

Dub. 5. Ad illa verba, 1. Paralipom. 10. vers. 14. *Neque sperauerit in Domino.* Iuxta Hebræum habetur: *Et non quæsiuit in Iehoua.* Alij: *Neque consuluit Iehouam.* Cur dicitur quod Saul non consuluit Deum: cum 1. *Reg.* 28. *vers.* 6. legatur: *Et consuluit Saul Dominum*, ergo non est verum quod Saul non consuluit Iehoua.

Homo non debet laudari de virtute in qua non perseuerauit. Neque dicēda est virtus, quæ non est constans.

Respondetur, Quod Saul Dominum consuluit, non tamen perseuerauit consulere, sed diuertit ad Phitonissam, vt patet 1. *Reg.* 28. *vers.* 7. hinc licet consuluerit Dominum, dicitur quod Saul Dominum non consuluit, quia non in consulendo perseuerauit. Homo enim non debet laudari de virtute in qua non perseuerauit. Caietanus: *Quia Saul non perseuerauit quærendo à Domino, sed diuertit ad quærendum in Phitone, ideo verificatur quod non quæsiuit in Iehoua. Religio enim non perseuerans, non est Religio.*

Dub. 6. Ad illa verba, Psalmi 118. v. 33. *Legem pone mihi Domine viam iustificationem tuarum, & exquiram eam semper.* Cur dicit Dauid quod legem Dei exquisiuit: cum hic *vers.* 32. dicat: *Viam mandatorum tuorum cucurri*, ergo cum quod habetur non exquiratur, Dauid habens legem Dei, non exquisiuit eam.

Virtuosus quanto in virtute se exercet, tanto maiores progressus in virtute facit.

Respondetur Quod Dauid mandata Dei impleuit, & quo magis ea implebat, & per viam mandatorum cucurrit, eo plus desiderabat in eis proficere, eoque amplius ea exquisiuit, vt proficeret: hinc dicit quod currens per viam mandatorum, ea exquirebat, vt maiores progressus faceret in virtute. Virtuosus enim quanto in virtute se exercet, tanto maiores processus in virtute habet. Hugo Cardinalis: *Sicut aliquis sitiens, acceptum poculum exhaurit bibendo, & poscit desiderando: sic iste legem & habet agendo, & exquirit proficiendo.*

Dub. 7. Ad illa verba, Matthæi 8. v. 10. *Non inuenj tantam fidem in Israel.* Cur dixit Christus quod non inuenit tantam fidem in Israel, sicut in Centurione: cum antiqui Patriarchæ maiorem fidem habuerint, & Beata Virgo Maria, & Apostoli, & Ioannes Baptistæ, tantam, imò maiorem videbantur habere, ergo fides Centurionis non fuit maior.

Magna est virtus, & laudabilis valde, cum eam exercet homo nullo proposito sibi aliorum exemplari, quod imitetur.

Respondetur. Quod intensiue maior fuit fides multorum de Israel, at facilitate credendi, maior fuit fides Centurionis, quia Iudæi viderunt miracula, edocti erant per scripturas, & alios viderunt credentes, quorum exemplo inducti sunt ad credendum: at Centurio, nec edoctus fuit, nec aliorum credentium exemplar, quos sequeretur sibi proposuit: hinc maior fuit fides Centurionis. Magna, & laudabilis est virtus alicuius, cum eam exercet virtuosus nullo proposito sibi aliorum exemplari, quod imitetur. Antonius Gisfandis: *Fides dicitur magna dupliciter: scilicet, intensiue, & facilitate credendi: intensiue possibile fuit, quod maior fides fuit in multis Iudæis secundum statum etiam præsentem; sed quoad facilitatem credendi, non inuenit tantam fidem quia Iudæi qui crediderunt per miracula inducti sunt, & edocti per scripturas, iste autem Centurio non; Nam vt dicit D. Chrisostomus: credidit Andreas, sed Ioanne dicente: Ecce Agnus Dei, credidit Petrus sed euangelizante sibi Andrea credidit Philippus, sed legendo scripturas, Nathanael etiam prius Diuinitatis signum accepit, & sic fidei confessionem obtulit.*

Dub. 8. Ad illa verba, 1. ad Timoth. 1. vers. 12. *Gratias ago ei, qui me confortauit in Christo Iesu Domino nostro.* Cur dicit Apostolus quod Christus eum confortauit ad seruiendum ei? An D. Paulus impotens seruitio Christi?

Deus in virtute debiles, roborat ad seruandam virtutem.

Respondetur Quod multi sunt infirmi, & languidi, debiles, & imbecilles ad virtutem sectandam, cum ad alia huius mundi fortes sint, & potentes: Deus autem eos confortat, roborat, & potentes facit ad virtutem, & seruitium eius: hinc dicit Apostolus, quod Deus eum confortauit, & potentem fecit non mundo, nec sibi ipsi, sed Iesu Christo, hoc est, ad seruitium eius.

Deus

Deus enim in virtute debiles, roborat ad virturem. Hugo Cardinalis: *Qui me confortauit, id est, fortem fecit, & constantem. Philippenses vltimo Omnia possum in eo qui me confortat in Christo Iesu Domino nostro, id est, in his quæ sunt Iesu Christi, id est in fide eius prædicanda, & exemplis eius imitandis. Multi enim sunt fortes sicut asinus in posterioribus, id est in his qui mundi sunt, non in his quæ Iesu Christi sunt. Asinus retro est fortis, & ante habet Crucem, sic multi sunt ad malum fortes, sed ad bonum agendum crucifixi sunt, id est, impotentes, & infirmi, statim dolent caput, vt dicunt, si ieiunant, vel vigilant. Isaiæ 5. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes admiscendam ebrietatem. Iob 21. Quia impij viuunt subleuati sunt confortatique sunt diuitijs, confortari autem ijs est roborari in posterioribus: sed de bonis dicitur Isaiæ 40 Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem ad benè operandum; scilicet, assument pennas vt Aquilæ, ad contemplandum.* Vide *Iustus*, & in Indice *Iustus, Virtus.*

Multi in his quæ sunt mũdi fortes sũt, sed in his quæ sunt Dei infirmi.

CAP. LLXVIIII.

De Vitio.

DVb. 1. Ad illa verba, Genes. 14. v. 1. *Factum est autem in illo tempore, vt Amraphel Rex Sennar, & Arioth Rex Ponti, & Chodorlahomoth Rex Elemitarum, & Thadal Rex Gentium inirent bellum.* Cur quatuor Reges bellum inierunt aduersus quinque Reges? Cur captiuum duxerunt Loth?

Vitia acerbũ indicunt bellum virtutibus, vt virtuosum debellent.

Respondetur. Quod isti quatuor Reges typum gerunt quatuor vitiorum principalium, quæ opponuntur quatuor virtutibus cardinalibus, Loth nepos Abrahæ significat affectum rationis nepotem: quid est ergo quod quatuor Reges bellum inierunt contra quinque Reges, & eos deuincunt, captiuumque ducunt Loth, nisi quod vitia bellum gerunt aduersus virtuosum, & virtutes, & debellant voluntatem victam corporis sensibus. Vitia enim exitiosum inferunt bellum virtutibus, vt virtuosum deuincant. D. Thomas ad Hebræos 7. lect. 1. *Quatuor Reges vicerunt quinque Reges, & captiuum duxerunt Loth nepotem Abrahæ. In sensu mystico isti quatuor Reges sunt quatuor vitia principalia, opposita quatuor cardinalibus virtutibus, quæ captiuum detinent affectum nepotem rationis victum quinque sensibus corporis.* Hugo Cardinalis: *Hæc sunt quatuor vitia, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ, hypocrisis, quæ quinque Reges impugnant, id est, omnes homines quinque sensibus deditos, vt sibi seruire compellant.*

Dub. 2. Ad illa verba, Psalmi 57. v. 3. *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero.* Cur dicit Dauid quod Saul, & eius sequaces persequentes Dauidem alienati sunt à vulua, & quod errauerunt ab vtero?

Malitia, improbitas, & vitia multis sunt ingenita, ab vtero, & coæuia.

Respondetur. Quod Dauid voluit exprimere malitiam Saulis, & suorum, improbitatem à naturali, & ingenita illorum corruptione, quę posita est in alienatione, & ab erratione à Deo, in inclinationeque mala ex matris vtero, quam semper Saul retinuit, & sequaces eius. hinc dicit Dauid, quod Saul, & sui alienati sunt à vulua errauerunt que ab vtero, malitiam, & improbitatem habebant naturalem, & ingenitam, & coęuam. Multi enim ab vtero matris trahunt improbitatem, malum, & malitiam tanquam coęuã. Caietanus: *Declarat Propheta malitiam Saulis, & suorum eis congenitam, alienati sunt à bono iustitiæ, a vulua, hoc est, ex tempore quo concepti sunt in matrice; errauerunt à veritate ab vtero ex quo nati sunt. Et sic est sensus, quod ideo sunt ita iniqui, referendo ad congenitas inclinationes ad malum. Nam sicut Iob dicit cap. 31. vers. 18. Quòd ex vtero matris meæ creuit mecum miseratio, ita è conuerso nascuntur aliqui inclinati ad furtum, aliqui naturaliter mendaces, & sic de alijs, & est locutio metaphorica ad exaggerandos eorum malos habitus; quia scilicet, assueti, & habituati sunt ad inique agendum: vt hoc significetur ex coæuitate, iuxta humanum loquendi morem, quo assuetos semper ad malum, dicimus quod sunt nati mali, quod ex vtero matris suæ secum tulerunt malitiam.*

Dub. 3. Ad illa verba, Psalmi 57. v. 3. *Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas.* Cur Saul, & locij eius comparantur aspidi obturanti aures suas, non vero Leoni rugienti, cum quærerent Dauidem ad persequendum?

Vitiosi ad tẽpus à peccatis abstinẽt, postea tamẽ idem repetunt scelus.

Respondetur. Quod aspis habet venenum naturale, & ita callide agit aduersus incantamenta, quod ne perdat venenere, & posse veneno inficire, & linire, vtramque aurem obturat cum incantatur, alteram in terram defigendo, alteram extrema sui parte con-

tẽ-

tegendo, & occultando: at cum pertransijt vox incantatoris, iterum redit ad venenum: sic Saul, & socij eius, audita voce Dauidis mansueti, qui noluit interficere Saulem, destituerunt à persecutione Dauidis; at postquam pertransiuit illa vox Dauidis, iterum repetunt persecutionem erga Dauidem. Ita vitiosi audita voce Confessoris, vel Prædicatoris ad tempus desistunt à peccatis, transacta tamen voce idem peccant peccatum, & vitijs iam excussis denuo se implicant. Vitiosi enim ad tempus à peccatis abstinent, postea tamen idem repetunt scelus. Caietanus: *Aspis enim habet venenum naturale: & cum hoc quod est ei naturale, præsente incantatore desistit quidem ab actu venenandi, non tamen ab habendo venenum: imo ne perdat posse venenare obturat aurem suam. Tale intendit esse venenum Saulis, & suorum: qui erat ad tempus præsente voce Dauidis mansueti, nolentis scilicet occidere Saulem, desiterunt persequi, non tamen peraiderunt venenum, sed tanquam obturantes aures suas, ne vox illa penetret intima cordis eorum, postquam pertransijt velut tempus vocis incantatoris, iterum redeunt ad venenum persecutionis.*

Vitia in principio cum exercentur, afferunt voluptatē, sed in fine pungunt, & torquent.

Dub. 4. Ad illa verba Psal. 117. vers. 12. *Circundederunt me sicut apes.* Cur vitia apibus comparantur, nec alteri ex volatilibus assimilantur?

Respondetur. Quod apis in extremitate sui corporis habet aculeum, quo pungit, & parum mellis affert: ita vitia in principio delectationem pariunt, sed in fine pungunt, conscientiam vexant. Hinc comparantur apibus. Vitia enim in principio cum exercentur, afferunt voluptatem, sed in fine pungunt, & torquent. Hugo Cardinalis: *Apis enim parum mellis portat; sed habet aculeum in cauda, quo pungit eum, qui mel vult accipere: sic vitia protendunt delectationem, sed in fine pungunt per pœnæ æternæ obligationem. Propter hoc dicitur Ecclesiastici 21. Quasi a facie colubri fuge peccata, quia velut coluber blanditur facie, sed cauda pungit, sic peccatum. Prouerb 23. Ingredietur blandè, sed in fine mordebit, vt coluber, & sicut Regulus venena diffundet. Sunt autem multi, qui bene dicunt, quod ita pungunt peccata, sed tamen nimis de se confidentes nolunt vitare occasiones, ex quibus surgunt tentationes, quod stultum est, quia non potest vitare peccata, qui non vitat occasiones tales. Vnde benè sequitur, & exarserunt sicut ignis in spinis, quasi dicat, non potest esse quod vitent peccatum, si occasionibus se exponant, sicut non potest esse, quod spinæ non ardeant, si ignis addatur. Propter hoc dicitur Ecclesiastici 19. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circunspicias speciem alienam, propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescet.*

Peccata non possunt vitari, nisi vitentur occasiones.

Dub. 5. Ad illa verba Lucæ 13. vers. 25. *Contendite intrare per angustam portam.* Cur via virtutis dicitur angusta porta, & non lata, cum ducat in latitudinem?

Via virtutis stricta est, vitij verò lata.

Respondetur. Quod virtutis via angusta est, vitij autem spatiosa. Hinc Dominus monens à lata via vitiorum deuiare, docet intrare per angustam virtutis viam. Via enim virtutis stricta est, vitij verò lata. Caietanus: *Appellatio angusta porta via virtutis media inter extrema vitia, extrema siquidem sphæræ, seu circuli lata, & spatiosa sunt, medium autem angustum: sic enim se habet virtus ad vitia.*

Vitiosus in eo punitur, per quod peccat.

Dub. 6. Ad illa verba Lucæ 16. vers. 24. *Vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Cur dives cruciabatur in lingua, non verò in manu, vel pede?

Respondetur. Quod dives in gustu peccauit, cum epularetur quotidie splendidè, & inhumanus versus Lazarum mendicum. Hinc dives cruciabatur in lingua, vt in eo puniretur per quod peccauit. Caietanus: *Specialiter describitur cruciatus linguæ, quia in gustu specialiter peccauerat, & alimentum Lazaro negauerat.* Vnde 2. Regum 6. vers. 7. Ozam percussit Deus super temeritate. *Glossa* dicit: Quod Oza fuit percussus super humeros? Cur in humeris puniuit eum Deus, non verò in manu, cum Oza extenderit manum ad Arcam Dei, vt teneret eam, quod factum fuit imprudens, & temerarium, quod externus non Leuita in Arcam manum iniecerit? Quia cum Arca gestanda esset in humeris, secundum legem, eam plaustro imposuit. Ideo in humeris fuit percussus Oza, vt in illa parte corporis, qua peccauit, à Deo puniretur. Hugo Cardinalis: *Glossa dicit super temerita-*

te,

te, id est, super humeros est percusus, quibus secundùm legem, Numeror. 7. Arcam ferre debuit. Iustum est enim, vt per quæ peccat quis, per Hæc & torquatur. Sapient. 11. Vide in Indice Peccatum, Vitium.

FINIS.

Explicit liber secundus conceptuum prædicabilium de Virtutibus, & Vitijs.



CONCEPTVS PRÆDICABILES,

SEV ELOGIA PRO FESTIVITATIBVS D.N.IESV CHRISTI, BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIAE. ET SANCTORVM NONNVLLIS.

S. Andreas.

Dub. 1. Ad illa verba, ad Roman. 16. vers. 5. *Salutate Epinetum qui est primitiuus Ecclesiæ Achaiæ.* Cur Epinetus vocatur primus fructus Achaiæ? Nonne maximè laudaretur, si fructus Achaiæ diceretur? Cur ergo primus fructus appellatur?

Magna dignitas S. Andreæ, quia fuit primus fructus Galileæ, & primus qui credidit in Christum.

Resp. Quod Epinetus non solum ad fidem Christi fuit conuersus, sed etiam fuit primus qui in tota Asia Christi fidem suscepit. Hinc non solum vocatur fructus Achaiæ, sed primus fructus, quia primus ad Christum conuersus in Asia, quod in magnam dignitatem Epineti vergit. Diuus Thomas: *Primus enim in tota Asia ad fidem Christi conuersus, quod erat ei ad magnam dignitatem. Hebr. 12. Accessistis ad Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis.* Magna dignitas Sancte Andreæ, quia fuit primus fructus Galileæ, & primus qui credidit in Christum, de illis qui erant in Galilea.

Dub. 2. Ad illa verba 1. Reg. 17. vers. 38. *Induit Dauid Saul vestimentis suis.* Si Saul fuit altior vniuerso populo ab humero, & sursum. Cur Dauidi dedit vestimenta sua, quæ conuenire ei non poterant?

Crux Christi iusta, & commensurata S. Andreæ, vt Christus suæ Cruce exaltaretur.

Resp. Quod tam vestimenta quàm arma Saulis, ita fuerunt attemperata Dauidi, quod pro illius mensura concinnata, & commensurata viderentur. Ideo licet Saul altior esset, induit Dauidem vestimentis suis, armaque dedit ei. Honorabatur enim Dauid à Saule, cum vestimenta, & arma ei adaptauit. Maluenda: *Vestimentis suis, alij armis suis, id est, Dauidi datis à Saule, & ipsius corpori accomodatis: nam tanta fuit Saulis proceritas, vt arma ipsius Dauidi conuenire non potuerint.* Licet arma Christi, scilicet, Crux propter eius excellentiam non potuisset conuenire S. Andreæ, tamen Christus, vt armis suis eum honoraret, Crucem ita commensurauit, vt quasi stricta, concinnata commensurata, & iusta ei videretur.

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 13. vers. 22. *Dominus præcedebat eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Cur columna erat nubis, si per noctem erat columna ignis?

Crux Christi non fuit S. Andreæ tormenti, & cruciatus, sed blanditiæ nouæ, consolationis, & refrigerij.

Respondetur. Quod illa columna instar nubes refrigerabat in æstu solis. Ideo licet esset ignis in nocte, tamen in die dicebatur columna nubis propter refrigerium, quod præstabat. Glossa interlinealis: *Columna nubis lenis blanditiæ.* Sancto Andreæ Crux Christi non erat columna ignis, aut tormenti, sed nubis, & refrigerij, potius, & gaudij, & cœlestis cuiusdam lætitiæ vltra quam dici potest. In Ara Cruce torridus erat, in columna ignis ardor, tormentorum vrebatur, cruciabatur; sed non æstuabat, quin potius nube rorida cœlestis refrigerij, & consolationis mirabiliter exhilarabatur, exultabat atque dicebat: *O bona Crux, diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata.* Vel columna nubis, & ignis dicebatur, quia tam diu, quàm noctu viam Israelitis monstrabat. Maluenda: *Huius columnæ munus inter diu erat monstrare viam: quæ alioqui deserto, & insolita, & multis locis fabulosa, & incerta erat aere turbante arenas, vt ne vestigia extarent. Interdiu, & noctu etiam Israelitas iter fecisse Hebræa huius versus satis aperte demonstrant.* Crux Christi columna est nubis, & ignis, viam cœlestis patriæ, vt notat *Interlinealis*, demonstrat, & per quam tendunt iusti in cœlum. Vnde Christus in Cruce fuit rectus, vt respiceret mundum, quem redimebat, D. Petrus reuersus, vt respiceret cœlum,

S. Andreas gloriatur quod per Crucem tenditur in cœlum sicut alij per lapides, vel per gladium, vel per ignem

cuius claues tenebat: at S. Andreas trãsuersus, vt cum manu acciperet Regnum cœlorum in Cruce pendens: quasi dicat: Glorientur alij quod pergunt ad cœlum gladio perempti, alij lapidibus obruti, alij igne exusti, ego autem in hoc glorior, quod per Crucem mihi cœlum ostendentem, tanquam per columnam tendo in cœlum.

S. Andreæ reseruatus hic honor, præ cæteris qui affixi fuerunt Cruci, vt pendens in Cruce doceret populũ.

Dub. 4. Ad illa verba, Genes. 22. vers. 2. *In terram Visionis.* Iuxta Hebræum habetur: *Et Vade tibi ad terram Moriah.* Hic mons vocatur *Canticor. 4 Vers. 6.* Mons myrrhæ, forte quia myrrhæ ferax esset, & Etymon *Moriah*, quidam deducunt à *Iarah*, quod est docere. Cur mons myrrhæ eligitur ad docẽdum, & non mons oliuarum?

Respondetur. Quod Deus montem myrrhæ voluit honorare præ cæteris, vt esset mons doctrinæ. Ideo de monte myrrhæ, & amaritudinis, doctrina de voluntate Dei erga nos patefacta est, vt myrrhæ mons esset locus honorabilis ad docendum. Maluenda: *Etymon nominis Moriah, deducunt quidam à Iarach, quod est docere, descendere, quod ex eo monte descensura, & proditura esset doctrina, & lex. Iuxta illud Isaiæ 1. De Sion exibit lex.* Crucifixus fuit D. Petrus, affixus fuit Cruci D. Philippus, nec tamen legitur, quod pendentes in Cruce populum edocuerint: at S. Andream amplissimo honore cumulauit Christus, dando ei Crucem quæ est mons myrrhæ propter amaritudinem passionis, quam in ea ebibit, vt in ea pendens doceret populum, & viginti millia hominum converteret: reseruabatur enim hic honos S. Andreæ.

In S. Andrea maximè honorata lex Euangelica quam prædicabat, propter splendorẽ qui circa eum apparuit, cũ doceret populum.

Dub. 5. Ad illa verba, Exodi 34. vers. 29. *Ignorauit quod cornuta esset facies sua.* Cur ibi splendor datus fuit in vultu Moysi?

Resp. Quod Moyses legem Domini intimabat populo. Hinc de facie Moysis egrediebatur splendor, quia valde honorata debebat teneri lex illa, & existimari, cuius minister radios lucis emittebat. Abulensis: *Dedit Deus istum fulgorem ad honorem legis, vt lex illa valde honorata crederetur, cuius minister radios fulgoris de facie emittebat.* Pendente in Cruce S. Andrea, & docente populum apparuit splendor nimius circa eum, in honorem, scilicet, Euangelij, quod prædicabat, vt populus crederet, quod maximè honorata erat doctrina, cuius prædicator, nimio splendore erat coruscus.

Sancta Barbara.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 41. v. 41. *Deditque illi vxorem Aseneth.* Quando Ioseph accepit pulcherrimam virginem Aseneth in vxorem?

Beata Barbora per fidem Trinitatis, quam in tribus fenestris ostendit, & quam in turri inclusa docuit, meruit vt per martyrium Sponsa esset Christi.

Resp. Aseneth erat in altissima turri custodita, nullum virum vnquam vidit præter patrem suum, in illa turri tres fenestræ erant principales, & cum in ea esset à patre custodita, & omnes viros exosa, meruit inde educi, vt eam Ioseph acciperet in sponsam. Abulensis: *Fuit Aseneth puella pulcherrima inter omnes puellas Ægypti. Hæc enim omnes viros exosa, nullum vnquam eorum viderat præter patrem suum custodita in altissima turri Ciuitatis Heliopoleos, tuxta palatium putipharis. in superiori autem parte turris, vbi Aseneth morabatur, tres fenestræ erant principales, vna ad orientem, reliqua ad Boream alia ad austrum, & inde educta fuit vt Ioseph esset Sponsa.* B. Barbora in alta turri ob egregiam pulchritudinem includitur vbi erant tres fenestræ, nullum virum præter patrem viderat. Quadam die occasionem nacta de tertia fenestra, de Sacrosanctę Trinitatis Mysterio multa aperte, & Diuine differuit coram patre, inde meruit educi, vt per martyrium Sponsa fieret Christi.

Beata Barbora ex speciali dispensatione se ipsam baptizauit: quia superiorem.

Dub. 2. Ad illa verba, Numerorum 8. vers. 6. *Tolle leuitas, & purificabis eos.* Quæres an Moyses fuerit consecratus? Putat Abulensis, quod non fuit consecratus, quia si consecratus fuisset, necessario consecratus esset à se ipso. Sed cur consecrandus à se ipso, non ab alio?

Resp. Quod Moyses à minori non potuit consecrari. Ideo à se ipso oportuit consecrari, vt ministraret. Abulensis: *Dato quod Moyses ministrare deberet, necesse erat, quod aut non consecratus ministraret, aut à se ipso consecraretur; cum à minori non posset consecrari.* De B. Barbora nec refert S. Antoninus: cum ibi esset aqua oratione eius Diuinitus procurata, se ipsam in ea baptizauit, hoc vtique factum est supra legem communem Ecclesię de speciali priuilegio Christi, qui potentiam suam non alligauit Sacramentis, ita quod non possit cum vult sine Sacramentis hominem sanctificare, nam de lege communi certum est, quod nullus potest se ipsum baptizare. Hinc probo excellentiam S. Barborę, quæ se ipsam baptizauit, fuit simul baptizans, & baptizata, sicut Moyses consecrans, &

Con-

consecratus: ac si indecens esset, quod alius ea inferior, eam baptizaret, non ergo habuit in terra superiorem, qui eam abluere t.

Dub. 3. Ad illa verba, Lucæ 4. v. 30. *Iesus autem transiens per medium illorum ibat.* Vbi latuit Christus fugiens furorem Iudæorum?

B. Barbara tanti meriti fuit apud Sponsum, quod tractauit eam ac se ipsum, cum insensibilia cesserunt ei.

Resp. Quod Dominus Iesus descendens de monte, ad tactum vestis eius, rupes ad instar ceræ soluta fuit, & concaua effecta, Christi corpus suscepit, vt sub rupe se absconderet, subter fugiens Iudæorum furorem: cessit enim insensibilis creatura Creatori. Beda: *Cum Dominus de manibus illorum elapsus de vertice montis descenderet, & sub rupe latere vellet, subito ad tactum Dominicæ vestis saxum illud subter fugit, & instar ceræ solutum, quendam sinum effecit id est concauitatem, in qua Dominicum corpus reciperetur.* S. Barbara dum fugeret patris furorem, qui arrepto gladio eam insequebatur, vt occideret, & à montis crepedine arctaretur, orauit ad Dominum, & scisso lapide mons diuisus virginem suscepit. Habuit ergo se Christus ad eam, sicut ad se ipsum, cum insensibilia mons, scilicet, & lapis cedunt iuri suo, vt seruiant Sanctæ Barbaræ.

Dub. 4. Ad illa verba, Deuteronom. 21. vers. 19. *Aprehendent eum pater, & mater eius, & adducent eum ad seniores Ciuitatis eius.* Cur parentes filium contumacem debebant ad ducere ad Iudices Ciuitatis, vt ad mortem iudicarent? Cur parentes non condemnabant eum morte?

Cum B. Barbara omnia iura naturæ deruere, dū ab ipso patre fuit occisa.

Resp. Quod si pater occideret filium, iura naturæ frangerentur in filio, & contra naturalem pietatem patris esset illum interficere. Vnde congruentius parentes adducebant eum ad Iudices Ciuitatis, ne si pater filium de medio tolleret, naturalis pietas patris erga filium deficeret. Abulens. *Quia patri non licet filium suum pro aliquo peccato quamcunque graui occidere, quia contra naturalem pietatem patris est aliquo modo occidere filium.* B. Barbara multis tormentis inuicte superatis, à patre capite truncata, martyrij agonem consumauit, & cum ea omnia iura naturæ defuere, dum caput eius à patre fuit resectum. Et nota quod gladio fuit percussa. Quæres quæ mors fuit, honorabilior, an D. Petri, an D. Pauli? R. Quod D. Petrus crucifixus fuit. D. vero Paulus gladio peremptus: D. Pauli mors fuit honorabilior, quam D. Petri, quia nobilium est gladio perimi. Petrus Comestor in Acta Apost. cap. 127. *Potius tamen videtur Paulus tanquam ciuis honorabiliori morte occisus, quia gladiatus, Petrus vero crucifixus: & ita Paulus honorabiliori morte mortuus est, quia gladiatus. Gladio enim perimebantur nobiles.* B. Barbara à patre impietatis furore amente capite truncatur, vt valde honorabilis esset mors eius, cum more nobilium fuit occisa.

B. Barbara more nobilium occisa.

Conceptio Beatæ Mariæ Virginis.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 5. vers. 3. *Genuit ad imaginem, & similitudinem suam, vocauitque nomen eius Seth.* Cur Moyses posuit has duas dictiones imaginem, & similitudinem cum narrat Seth fuisse genitum ad similitudinem, & imaginem Adæ? Vtitur ne duabus vocibus, vt ostendat Seth quam similimum Adæ eiusdem naturæ in corpore, & anima nempè animal rationale productum?

B. Virginis prærogatiua quod similis sit Adæ quantum ad naturam, non vero imago quantum ad vitiositatem.

Resp. Quod similitudo ad originem naturæ refertur: imago vero ad corruptionem quæ ab ipso Adamo ad posteros defluit. Hinc Moyses loquens de Seth, posuit duas dictiones, scilicet, quod fuit genitus ad imaginem, & similitudinem Adæ, ad similitudinem quantum ad naturam, ad imaginem quantum ad vitiositatem, vt Seth similis ostendatur in vtroque Adæ. Maluenda: *Quidam similitudinem ad originem naturæ referunt, imaginem vero ad corruptionem, & vitiositatem, quæ ab ipso Adamo contracta per defectionem, ad omnes posteros defluxit.* At B. Virgo Maria hanc habet prærrogatiuam, quod similis sit Adæ quantum ad naturam, non vero imago eius, seu vmbra Adæ quoad vitiositatem culpæ, quia labe originalis culpæ quæ ab Adamo ad omnes posteros defluit, non fuit corrupta.

Dub. 2. Ad illa verba, Numer. 17. v. 8. *Inuenit germinasse virgam Aaron.* Putat *Abulensis* cum alijs, virgam Aaron non fuisse amigdalinam, sed de alio arbore scissam. Quommodo hoc potest stare, quod fuerit de alia arbore, cum amigdala protulisset?

Deus in primo instanti Conceptionis B. Virginis fuit cum ea, vt fructum alienum à sua natura ferret, scilicet, gratiam

Respondetur. Quod virga de alio arbore erat, & vt constaret Deum esse cum virga Aaron, in instanti protulit amigdala, tulitque fructum distinctum ab illo, quem ex natura sua ferre debebat. Abulensis: *Non valet probatio: hoc enim esset si naturali virtute per vniuocam generationem protulisset, sed ni-*

nihil ibi virtus naturalis fecit, quia virga arida erat, & alias plene miraculum non fuisset, sed potius videtur è contrario, quia illa virga erat de alio arbore, & vt totaliter supernaturaliter fieri appareret, fructus alterius generis produxit. Beata Virgo Maria, virga est de illa arbore Adæ, secundum suam naturam peccatum originale debuit contrahere: at quia Dominus specialissime fuit in primo instanti sui esse, cum Beata Virgine, tulit Beata Virgo fructum alienum à sua natura vtique gratiam, quæ aliena est à pura creatura, & distinctæ naturæ ab illa. Christum Dominum fuisse in primo instanti sui esse in gratia conceptum, non mirum, quia tulit quod erat suæ naturæ: erat enim verus Deus, & ita gratiæ est eiusdem ordinis supernaturalis ac ille: at Beata Virgo est creatura, & filia Adæ, & fructus eiusdem naturæ cum illa erat peccatum, gratia autem diuersæ naturæ, quod ergo in primo instanti gratiam ferret, & sine peccato originali fuisset concepta, hoc ortum fuit ab eo, quod speciali modo Deus in primo instãti sui esse fuit cũ ea.

Dub. 3. Ad illa verba Numeror. 27. vers. 5. *Da eis possessionem inter cognatos patris sui, vt ei in hæreditatem succedant.* Cur petunt mulieres filiæ Salphad succedere in hæreditatem loco patris sui: cum *Numeror.* 26. *v.* 53. dixerit Deus: *Istis diuidetur terra in hæreditatem.*

Beata Virgo obtinuit statum Adæ in gratia existẽtis, non in peccato.

Resp. Quod petebant filiæ Salphad, quod acciperent possessionem, quæ proueniebat eis nomine patris sui, & illa daretur alicui ipsarum solum, vt nomen patris sui in futurum deferrent, hoc autem fieri non poterat nisi filiæ Salphad succederent in hæreditatem loco patris. Caietan. *Petunt mulieres, vt detur eis pars terræ inter fratres patris sui, hoc est, quod ipsæ succedant loco patris sui, vt sic non pereat nomen patris earum, sed seruetur in filiabus hæreditibus eius.* Adam in gratia futurus erat pater generis humani, etsi in illo statu filios habuisset, essent in gratia geniti, & non in peccato, & haberent hæreditatem paternam gratiæ, & gloriæ, peccauit pater, & defecit filijs eius hæreditas nascentium in gratia, & nullus erat, qui familiam, & hæreditatem Adæ in gratia in posterum deferret: at volens Deus, ne hæreditas in perpetuum perdita permaneret, creauit animam Beatæ Virginis sine peccato, sed in gratia, vt esset filia in gratia, & non in peccato, & haberet, & hæreditatem gratiæ, quæ illi ex patre Adamo in gratia existente proueniebat: obtinuit enim statum Adæ in gratia, non in peccato.

Dub. 4. Ad illa verba, Genes. 2. *v.* 23. *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea.* iuxta Hebræum habetur. *Et dixit Adam: ista vice os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Cur vbi videbatur satis fuisse dicere, *hæc os ex ossibus meis*, adiecit Adã *nunc*, id est, hac vice?

B. Virginem sine peccato originali fuisse cõceptam, astruitur ex eo quod eligebatur in Spõsam Spiritus Sancti.

R. Quod volens Adam habere filios per generationem naturalem, viderat omnes fœminas de omnibus animalium speciebus, ante quam videret Euam, & dixerat; in nulla illarum inuenio, quod quæro, nulla apta est cogitationibus meis, quia omnes sunt alienæ à me secundum naturam: visa autem Eua, duxit, hac vice inueni in ea, quod concupieram, quia mihi agnata, & eiusdem naturæ, vnde in hac, & de hac habebo generationis filios, qui sint de natura mea, & specie sicut Eua est, vnde Adamus reiput omnes fœminas aliarum specierum, quia inutiles ad finem quem intendebat generationem scilicet, & videns Euam in natura sibi similem pro generatione filiorum, dixit, *hoc nunc os de ossibus meis*, id est, hac vice inueni Sponsam mihi. Honeata: *Quia oblatis sibi antea cunctis alijs animalibus nullam fœminam inter omnia illa sibi agnatam cognouerat, qualem iam præsentem habebat.* Ad rem, volens Spiritus Sanctus, quod vna mulier virtute sua haberet per generationem filium, qui esset simul Deus, & homo, vidit mulieres omnes, & illas considerauit, & reiput vniuersas, quia omnes erant inutiles ad suum intentum, vtpote alienæ, & diuersæ speciei, puritatis ab ipso, cum omnes essent infectæ peccato originali: vidit denique Beatã Virginem Mariam, & dixit Spiritus Sanctus *hoc nunc*, id est, *hac vice*, id est, *de esta vez, os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* hoc est, ego accepto hanc fœminã Mariã in Sponsam, quia in illa est maior agnatio, & propinquitas ad me, quia maior esse non potest in ratione puritatis, & munditiæ, quia est absque omni labe peccati pura, & Sancta, vtpote quæ nec in originali fuit concepta. Ex eo enim, quod Beata Virgo fuit Sponsa Spiritus Sancti arguitur fuisse sine peccato originali conceptam.

Dub. 5. Ad illa verba, Genes. 17. vers. 10. *Circuncidetur ex vobis omne masculinum.* Cur Deus tempore Abra-

Abrahæ dedit viris circunciſionem, vt diſtingueretur ab alijs, qui non erant de populo Dei, pepercit tamen mulieribus? Cur non fiebat aliud ſignũ in mulieribus per quod diſtinguerentur à fœminis cæterorum populorum?

Beata Virgo Maria per puritatem ab omni peccato, diſtinguitur ab omnibus animabus, quæ ſpõſæ non ſunt Spiritus Sancti.

Reſpondetur. Quod per eandem circunciſionem characterem, & notam diſtinguebatur, etiamſi mulieres non circunciderentur, quia circuncidebantur eorum viri, & ſponſi, & circunciſio maritorum dicebat neceſſario ſuas vxores eſſe de populo Dei, ſicut dicebat eſſe maritos, & ſicut oſtendebatur hos per illud ſignum circunciſionis non habere iam originale peccatum, ſic cognoſcebatur idem de vxoribus, quia vxores ſequuntur neceſſario ritum ſuorum maritorum. Abulenſis: *Cur non fiebat aliud ſignum in mulieribus per quod diſtinguerentur à mulieribus cæterorum populorum? Quia viri erant principales, & vxores ſequuntur neceſſario ritum virorum, facta diſtinctione in viris, ſatis apparebat facta in fœminis.* Spiritus Sanctus abſque omni peccato fatetur fides ex eo, quod Deus eſt, & Deitas ſignum puritatis illius, ſed ſi omni peccato caruit Beata Virgo Maria vnde dignoſcitur? Ex eadem Deitate Spiritus Sancti. Quommodo eſſe poteſt cum ipſa Deus non ſit? Quia eſt Sponſa eius, & vxor ſequitur neceſſario ritum ſui viri, & ſicut diſtinguebatur mulier populi Dei ab alijs mulieribus aliorum populorum per circunciſionem non ſuam, neque in ſe exiſtentem, ſed ſolum per circunciſionem viri ſui in illo exiſtentem, ſic per Deitatem exiſtentem in Spiritu Sancto, licet non in ipſa, diſtinguitur Beata Virgo Maria in puritate ab omni peccato ab omnibus animabus, quæ Sponſę non ſunt Spiritus Sancti.

Dub. 6. Ad illa verba, Iudic 13. veri. 4. *Cave ergo ne bibas vinum, aut ſiceram, nec immundum quidquam comedas.* Quando debuit habere munditiam mater Sanſonis? Habuit eam ante annum à conceptione filij, vt eſſet diſpoſita ad conceptionem filij? Minime quando ergo habuit munditiam?

Beata Virgo Maria in primo inſtanti ſui eſſe naturalis debuit habere à peccato munditiam, vt eſſet diſpoſita, vt eſſet Mater Dei.

Reſpondetur. Quod non ſufficiebat, quod Mater mundaretur quando Filium concepiſſet, ſed debuit mundari ex inſtanti in quo Mater eius electa eſt ab Angelo, quia dabatur illi illa munditia per ordinem ad Filium, qui Sanctus futurus erat, atque adeo ab inſtanti in quo fuit electa mater Sanſonis filij Sancti, ex illo debuit i lam munditiam habere. Abulenſis: *Debebat extunc incipere, vt quando conciperet eſſet munda, & diſpoſita per obſeruationem præcedentem.* Quando Beata Virgo habuit munditiam à peccato originali? Quando plene fuit diſpoſita, vt eſſet Mater Dei, vt autem hanc plenam diſpoſitionem haberet, quando debuit hanc habere munditiam? Nonne in partu filij? Antea, nonne in eius conceptione? Antea, in eius Natiuitate, vel quando fuit in vtero matris concepta? Antea, quando ergo? In primo inſtanti ſui eſſe, quia in illo electa fuit Mater Chriſti, propter cuius reſpectum debuit in illo inſtanti habere munditiam. Debuit enim in primo inſtanti ſui eſſe naturalis omnem habere munditiam, vt benè, & plene eſſet diſpoſita, vt eſſet Mater Dei.

Dub. 7. Ad illa verba, Leritici 25. vſ 40. *Vſque ad annum Iubileum operabitur apud te*, nota, quod ſi Hebræus coniugatus eſſet cum vxore Gentili, & venditus erat in ſeruum, egrediebaturque liber in anno ſeptimo Iubilei, & remiſſionis, in quo ſeruitus finiebatur, mulier, & filij non fiebant liberi à ſeruitute niſi aduenient anno Iubilei, quo egebant mater, & filij ad ſeruitutem excutiendam. Cur filij matris Gentilis, & ancillæ dicebantur ſerui? Nonne ſufficiebat, quod patres eorum eſſent liberi, vt ſerui non dicerentur?

Si Beata Virgo concepta fuiſſet in peccato, colligi poterat, & filium in peccato concep tum.

Reſp. Quod ſeruitus matris ſequebatur filium: vnde filius qui naſcebatur ex matre ſerua, ſeruus erat, quamuis naſceretur ex patre libero: filius enim ſequebatur, vel ſeruitutem, vel libertatem matris, & qui à matre libera genitus erat, dicebatur liber, à ſerua, natus, ſeruus erat. Abulenſ. *Quanquam illi eſſent filij viri Iudæi tamen erant filij ancillæ Gentilis, & in hoc magis conſequebantur conditionem maternam quam paternam, cum partus ſequatur ventrem quantum ad honorem & libertatem.* Chriſtus Dominus erat ex patre libero, & nobiliſsimo, ſcilicet, Patre Æterno, vnde ex hoc nullam peccati ſeruiturem incurrere poterat: tamen ſi Mater eius Beata Virgo ſerua eſſet diaboli per originale peccatum, filius eandem ſeruitutem contraheret, cum partus ſequatur ventrem, ne ergo hoc afferatur, quod nefas eſt, matrem immunem fuiſſe in conceptione à peccato aſſerendum, quod fas eſt.

Expectatio Partus Beatæ Mariæ Virginis.

Dub. 1. Ad illa verba, Psalm. 39. vers. 1. *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.* Cur Dauid verbum *expectans* replicat, cum sufficeret dicere, *expectaui Dominum, & intendit mihi?*

Beata Virgo Maria constanter, assidue, indesinenter expectabat Natiuitatem Filij.

Respondetur. Quod Dauid Aduentum Messiæ ex sua progenie expectabat, non dormiendo, sed ea animi spe, solicitudine, & expeditione quæ decet expectantes: ideo ingeminat verbum dicens, *expectans expectaui Dominum, & intendit mihi*; quasi dicat: quia summa cura, & solicitudine expectaui Dominum ex mea progenie venturum, intendit mihi, & declinauit ad meam progeniem; quasi securus esset de Aduentu Messiæ ex sua progenie venturi, quia indesinenter expectabat. Maluenda: *Expectans expectaui Dominum Hebraice. Expectando, expectaui, hoc est diu, multum, assidue, indesinenter, solicite, constanter, studiose, diligenter, summa cura. Hanc vim habet ea geminatio verbi apud Hebræos, & intendit mihi, optimè, nam Hebraice est, & extendit ad me, alij, & inclinatus est ad me. Putant indicari Mysterium Incarnationis Filij Dei, qui semetipsum inclinauit, id est, exinaniuit formam serui accipiens.* Beata Virgo Maria longanimis est in spe, diu assidue, & constanter expectat, omnes suas vigilias, curas, & cogitationes ab omni alia re ad hanc traduxit, & contulit, tanquam valde solicita, vt habeat Filium Dei visibilem in carne, ei intendentem, ad eam declinantem.

Dub. 2. Ad illa verba, Ecclesiastici 44. vers. 14. *Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt.* Notat *Hugo Cardinalis*, hæc verba referri ad quietem spiritum, quam habuerunt Sancti in Limbo. Cur dicitur, quod Sancti qui erant apud inferos fuerunt in pace, & quiete, cum *Prouerb.* 13. *vers.* 12. dicatur; *Spes quæ differtur affligit animam?* Si habebant spem de resurrectione corporum dilata, quommodo in pace erant?

Beata Virgo affligebatur desiderio suæ expectationis, sed consolabatur certitudine spei.

Respondetur. Quod affligebantur Sancti apud inferos spe quietis, & pacis perfectæ, quam desiderabant, & expectabant, in hac tamen afflictione solatium reportabant certitudine spei quam habebant de pace, & quiete perfecta quæ dabitur eis in Resurrectione. Licet enim affligerentur desiderio expectationis, certitudine tamen spei consolabantur. Hugo Cardinalis: *Inquiete spei erant, sed nondum rei in veritate affligebantur desiderio suæ expectationis, sed consolabantur certitudine spei.* Beata Virgo affligebatur spe quam habebat de filio visibiliter venturo, sed solatio ei erat certitudo spei, quia certa erat se visuram filium carne vestitum.

Dub. 3. Ad illa verba, Leuit. 4. vers. 6. *Asperget eo septies coram Domino contra velum Sanctuarij.* Cur septies hæc aspersio fiebat? Cur nec pluribus, nec paucioribus aspersionibus expiatio fiebat peccati?

Per septem dies continuos litteram O cantat Ecclesia, vt denotet perfectam peccatorum hominis expiationem.

Respondetur. Quod in Sacrificio pro peccato dimittuntur omnia peccata perfectè: ideo septies aspersio sanguinis fiebat. Cum enim numerus septenarius perfectionem in Sacra Pagina significet, cum populus septies aspergebatur, perfecta expiatio designatur. Abulensis: *Ista cæremonia erat ad notandum perfectam expiationem, septenarius autem vniuersitatem significat, quoniam omnia quæ à Deo facta sunt vsque ad septem dies completa sunt. Tota etiam vita nostra per septem dierum circuitus agitur, vt ergo signetur nobis dimitti in Sacrificio pro peccato omnia quæ in tota vita peccamus, septies aspersio sanguinis fit.* Applicari potest, vel ad peccata omnium hominum, vel ad peccatum solius Adami. Pro omnium peccatis sic applico. Christus venit ad omnium peccata diluenda, ideo septies O his diebus cantatur, quod indicat remissionem, sicut septenaria aspersio sanguinis omnium popularium peccatorum signabat expiationem. Si vero ad peccatum solius Adami referantur verba, sic applico, quod sicut peccatum Summi Sacerdotis expiabatur per illam septenariam aspersionem, & illa necessaria erat, quia peccatum capitis, totius populi erat, ita ad delendum, & condonandum Adami peccatum, quod caput omnium erat, requiritur septenariæ litteræ illius prolatio quam septenaria aspersio sanguinis præfigurabat. Igitur per septem continuos dies ante Christi Natiuitatem canit Ecclesia litteram istam O & non pluribus, nec paucioribus, vt ex eo innotescat hominibus per Aduentum eius peccata hominum, & capitis illorum Adami totaliter expianda.

Dub. 4. Ad illa verba, Psalmi 38. vers. 8. *Et nunc quæ est expectatio mea? Nonne Dominus.* Verba sunt Dauidis in persona antiquorum patrum. Cur

spes

Beata Virgo Maria multis respectibus expectabat Christi Natiuitatẽ pro communi hominum vtilitate.

spes antiquorum Patrum tam vehemens de Deo erat?

Respondetur. Quod antiqui Patres multis respectibus expectabant Christum, Doctorem, Redemptorem, liberatorem à Limbo, à peccato, illuminatorem, protectorem, remuneratorem, & Saluatorem, in cuius significationem per septem dies cantantur septem Antiphonæ incipientes à litteras O quia his respectibus ardebant vehementer desiderio Aduentus Christi in carnem. Debemus igitur expectare Christi Natiuitatem, vt natus nos doceat, redimat liberet, protegat, illuminet, remuneret, & saluet. Expectand s est enim Dominus non pro dentis corporis in hoc pachali gaudio, sed pro animæ vtilitate. Hugo Cardinalis: *Notandum quod antiqui Patres expectabant Dominum, primo, vt Doctorem* Oseæ 10. *Tempus autem requirendi Dominum cum venerit, qui docebit vos iustitiam, vnde quasi iam post Aduentum eius, dicit Iohel 2. Exultate, & lætamini in Domino Deo Vestro, quia dedit vobis Doctorem Iustitiæ. Hoc primum desiderium exprimitur in Aduentu in primo, O quod est, O Sapientia, vbi habetur in fine, Veni ad docendum nos viam prudentiæ, & sumitur de Luc. 1. Vbi dicitur. Ad dandam scientiam salutis plebi eius, secundo expectabant eum, vt Redemptorem, Psalm. 110. Redemptionem misit Dominus populo suo. Bursa in qua reposita fuit ista redemptio fuit Beata Virgo, & significatur hoc in secundo O, quod est. O Adonai, & sumitur de Iudith vltimo. Qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, ecce redemptio in Bursa, vnde subiungit, Veni ad redimendum nos in brachio extento. Tertio vt liberatorem à Limbo Zachar 9. Tu vero in sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua, quod significatur in tertio O, quod est O radix Iesse, & sumitur de Isaia 11. & in fine subiungitur, Veni ad liberandum nos. Quarto vt liberatorem à carcere peccatorum.* Threnor. 3. *Lapsa est in lacum anima mea, posuerunt super me lapidem. Hoc desiderium exprimitur in quarto O quod est O clauis Dauid, & sumitur de Isaia 22. & subiungitur ibi Veni, & educ vinctum de domo carceris sedentem in tenebris, & in vmbra mortis. & sumitur hoc de Isaia 42. vbi dicitur. Dedite in fœdus populi & in lucem gentium vt aperires oculos cæcorum & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Quinto vt illuminatorem cordium. Lucæ 2. Quod parasti ante faciem omnium populorum lumen ad reuelationem gentium. Hoc exprimitur in quinto O, quod est O oriens, & sumitur de Zach. 6. & ibi subditur: Veni, & illumina sedentes in tenebris, & in vmbra mortis, & sumitur de Isaia 9. Psalm 111. Exortum est in tenebris lumen rectis corde. Sexto vt protectorem contra hostes Isaiæ 19. Mittet eis Saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos, hoc petitur in sexto O, quod est, O Rex gentium, & subiungitur, & desideratus eorum, quod sumitur de Aggeæ vlt. & in fine dicitur: Veni saluare hominem. Sicut ergo antiqui Patres Dominum expectauerunt venturum in carne; ita & nos expectamus venturum ad iudicium, vt remuneratorem, & Saluatorem, quod petimus in septimo O quod est O Emmanuel Rex, & Legifer noster veni ad saluandum nos. Sed quia auxilijs Sanctorum indigemus in præsenti, & in futuro, ideo de Sanctis adduntur duæ aliæ Antiphonæ. Vnde octauum O, est, O Thoma Didyme in quo subiungitur. succurre nobis miseris ne damnemur cum impijs in Aduentu Iudicis. Nonum, O, est O Virgo Virginum, & bene immediate ante Natiuitatem dicitur, O Virgo Virginum, quia de Virgine natus est ille desideratus Dominus, de quo hic dicitur, & nunc quæ est expectatio mea. nonne Dominus?*

Dub. 5. Ad illa verba, Matthæi 1. v. 18. *Inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto.* Quommodo Beata Virgo inuenta est à Sponso habere de Spiritu Sancto? Quæ nam fuit illa excellentia quam Beata Virgo supra alias mulieres habuit iuxta partum?

Beata Virgo Maria habuit excellentiam specialem supra alias mulieres, quod pulchrior esset iuxta partum.

Respondetur. Quod cum aliæ mulieres iuxta partum sint deformes, & turpes, Beata Virgo splendore, & pulchritudine micabat, forma, & vultu venusto erat, vt nihil supra. Hinc inuenta fuit à S. Ioseph in vtero habens de Spiritu Sancto per excellentiam specialem, pulchritudinem scilicet, & venustatem cum splendore quo emicabat facies: Beata enim Virgo iuxta partum pulchrior, quam excellentiam habuit supra alias mulieres. D. Vincentius Ferrer in vigilia Natalis Domini: *Virgo Maria fuit inuenta in vtero habens per excellentiam specialem. Mulieres communiter quando sunt grauidæ, fiunt macræ, discoloratæ, tædiosæ, appetunt varia: sed non fuit sic de Beata Virgine Maria. Imo dicunt aliqui Sancti Doctores, quod ex quo Virgo fuit grauidas*

da, radij splendoris procedebant de facie sua, & maximè quando fuit iuxta partum. Dicit Philosophus: Quod omne agens naturale quantum dat de forma substantiali, dat etiam de accidentibus consequentibus formam, vt qui dat ignem, dat etiã calorem, & splendorem: ita Deus Pater de sua forma substantiali dedit Filium suum Virgini Mariæ, qui cum in forma Dei esset, Philipens. 2. non mirum ergo si dedit splendorem in facie, ideo grauida existens Virgo, erat pulchrior, & clarior.

Natiuitas Domini nostri Iesu Christi.

Verbum Dei ita vtramque naturam conseruit, vt nec inferiorem consumeret superior nẽc inferior minueret superiorem.

Dub. 1. Ad illa verba, Exod. 3. vers. 2. *Videbo visionem hanc magnam.* Cur Moyses visionem illam vocat magnam? An quia flamma erat terſa, recta, acuminata ad modum gladij?

Respondetur. Quod rubi folia virescebant, flamma rubum inualerat, & visa sunt duo mirabilia, primum quod viriditas rubi non extinguebat flammam, secundum quod flamma non consumebat rubum. Natura rubi, & flammæ erat integra cum suis proprietatibus, ignis erat verus ignis sine diminutione suæ virtutis, rubus verè virens sine imminutione suæ viriditatis. Hinc vocat Moyses visionem magnam, quia ita ignis peruaserat rubum, quod folia virentia non extinguebant ignem, nec flamma ignis consumebat folia virentia. Caietanus: *Mirabile verè fuit, quod multitudo ruborum, & vt arbitror virentibus foliis, ardebat flamma ignea, & tamen nihil perdebat suæ viriditatis.* In Christo sunt duo naturæ Diuina, & Humana, natura Diuina ignis est, *lampades eius ignis, atque flammarum*; natura Humana rubus plena spinis, id est, miserijs. Flamma arsit in rubo, quando *Verbum caro factum est.* In hac duarum naturarum vnione, mirabile verè est, quod natura Diuina sit integra absque eo quod desit aliquid de suis attributis, quæ sunt bonitas, sapientia, iustitia, misericordia; mirabile quoque est, quod natura humana permaneat integra absque eo quod diminuatur aliquid de suis proprietatibus, quæ sunt fames, sitis, fatigatio, passibilitas, mortalitas. Ita igitur sunt vnitæ istæ duæ naturę quod Diuina non consumit inferiorem, nec superiorem minuit inferior. Hinc est, quod quasi maioris stuporis est Diuinitas humanitati coniuncta, quam sibi relicta. Ioannis 17. vers. 1. *Vt Filius tuus clarificet te.* Quomodo Patrem clarificauit Filius, cum sempiterna claritas Patris, nec diminuta fuerit in forma humana, nec augeri potuerit in sua perfectione Diuina? Diuus Hilarius lib. 3. de Trinitate: *Dei Filius homo nascitur, sed Dei in partu virginis virtus est. Dei Filius homo cernitur, sed Deus in operibus hominis existit, Christus Dei Filius moritur, sed omnis caro viuificatur in Christo, in quantum hæc laudabuntur in Christo, tanto plus laudis, ex quo Christus Deus est consequitur. His igitur modis Filius eum ex quo natus est clarificat.* Per Christi incarnati opera, quasi splendidior, & fulgentior euasit Diuinitas. Quod enim Pater Filium genuerit æternum, incomprehensibilem, potentiæ summæ opus est, omni laude dignum: at ob incarnationem, ijs qui naturalis Dei Filius est, venit fieri, sitim pati, & inediam, crucifigi denique. Vnde Verbum incarnatum glorificat Patrem operibus suis, quasi maioris admirationis sit Deitas humanitati vnita, quam ipsa sola.

Maioris stuporis est Diuinitas humanitati coniuncta; quã sibi relicta.

Dub. 2. Ad illa verba, 3. Reg. 10. vers. 18. *Fecit quoque Rex Salomon Thronum de ebore grandem.* Quod nam Etymon huius nominis Salomon?

Christus Natiuitate sua pacem fecit inter Deũ, & homines, homines, & Angelos, homines, & homines.

Respondetur. Quod interpretatur pacificus, & significat Christum, qui pacificauit, id est, pacem fecit Natiuitate sua inter Deum, & homines, inter homines, & Angelos, inter homines, & homines. Solus enim Christus poterat hanc pacem facere. Hugo Cardinalis: *Rex Salomon Christus est, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium. Isaiæ 9. Cuius Regni non erit finis. Salomon autem pacificus interpretatur, & Christus triplicem pacem fecit in Ecclesia: pacificauit enim hominem Deo, & hominem Angelo, & hominem homini. Inter quos omnes primus Adam dissensionem posuerat per peccatum. Colosens. 1. Omnia in ipsum pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt, & quoniam osculum signum pacis est, ideo Ecclesia toto desiderio cordis clamabat, osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. Quasi dicat, faciat mecum pacem. Sed hanc pacem nullus poterat facere, non Angelus, quia erat in partem, non homo, quia erat in partem. Ideo dicebat Iob 9. Non est qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus, sed videns Filius Dei, quia per ipsum orta esset triplex dissensio, dixit Patri illud Ionæ 1. Scio ego quod propter me tempestas hæc grandis est super vos, tollite me, & mittite in mare, id est, in Mariam, & cessabit*

mare

mare à vobis, id est, tempestas, & tribulatio.

Dub. 3. Ad illa verba, Marci 16. v. 1. *Viderunt iuuenem sedentem.* Cur Angelus non custodiebat sepulchrum Domini gladio instructus, sicut Cherubim cum gladio versatili custodiebat Paradisum? Nonne pretiosior thesaurus erat in sepulchro, vtpote sudarium, linthemina, quam in Paradiso, scilicet, lignum vitæ, lignum scientiæ boni, & mali? Cur ergo Cherubim armatus custodit Paradisum, Angelus vero inermis seruat sepulchrum?

Nato Domino stabilita est pax inter Angelos, & homines.

Respondetur. Quod quando Adamus peccauit in Paradiso susceptum fuit bellum inter Angelos, & homines propter inobedientiam Adæ, at quando Christus resurrexit iam tranquillam pacem habebant homines, cum ab Angelis nocte Natiuitatis pax fuerit publicata, vt pacate, quiete latisque firma viuerent pace. Hinc Angelus non custodiebat sepulchrum armatus cum tempus esset pacis, licet Cherubim seruaret Paradisum cum flammeo gladio, quia tunc tempus erat belli. Ante Christi Natiuitatem fuit bellum inter Angelos, & homines propter Adami peccatum, vnde apparebant Angeli distringentes gladios; at nato Domino non est opus Angelis gladio, vnde nullo armorum præsidio muniti apparent, quia iam stabilita est inter homines, & Angelos amica pax. Quidam Modernus: *Distingue tempora, & inuenies quid interfit inter tempus belli, & pacis.*

Dub. 4. Ad illa verba, Isaiæ 2. vers. 4. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas infalces, non leuauit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Cur dicit Propheta, quod gentes cudent gladios in vomeres, & contundent lanceas in falces, nec vltra bello assuescent: cum *Ioelis 3. vers.* 10. Dominus præceperit Iudæis concidere aratra sua in gladios, & ligones in lanceas?

Nato Domino facta est pax inter homines, & homines.

Respondetur. Quod ante Christi Aduentum bellum fuit inter homines, & homines propter diuersarum legum æmulationem, & multorum Deorum cultum, Gentiles plures venerabantur Deos, nec eosdem quos Iudæi, vnde initum fuit bellum inter homines, & homines: at nato Christo gentes non discebant amplius bellum, studebant paci. Hinc ante quam Christus nasceretur, præcepit Iudæis concidere aratra in gladios, quia tempus belli erat, & gladijs indigebant: at post natum Dominum, dixit Isaias, quod conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas infalces, quia in diebus eius orta est pax, nec opus est gladijs, & lanceis. Natiuitate enim Christi facta est pax inter homines, & homines. Maluenda: *Allegorica hoc versu describitur summæ pacis, & tranquillitatis futuræ per Christum, eiusque Euangelium, quod summam animorum concordiam, & omnem odij, & simultatis depositionem suadet, ac inducit. Et quamuis hæc præcipue de pace spirituali accipiantur: at non est dubium tempore quo Christus natus est summam omnium gentium pacem in orbe fuisse, bellis extinctis, & vt Ecclesia in Martirologio 25. Decembris habet, toto orbe in pace composito.*

Dub. 5. Ad illa verba ad Hebræos 1. vers. 6. *Et cum iterum introduxit primogenitum in orbem terræ.* Cur Incarnato Christi dicitur introductio in terram: cum *Ioannis 6. vers. 28.* dicat Christus: *Exiui à patre, & veni in mundum*, si Christus vocauit Incarnationem suam exitum à patre, cur Apostolus vocat introductionem in mundum?

Nato Domino facta est pax inter Deum, & homines.

Respondetur. Quod bellum erat inter Deum, & homines propter transgressionem primi parentis, sed Christus Dominus venit in mundum, & exiuit à patre, vt homines introduceret ad patrem, pacem faceret inter Deum, & homines, ruptamque amicitiam refarciret. Hinc primo dicit, quod exiuit à patre. & venit in mundum, postea quod introduxit homines ad patrem, amicitiam redintegrando. Christus enim natus fecit pacem inter Deum, & homines, in amicitiamque veterem cum Deo eos restituit. Diuus Thomas: *Exitus est etiam introductio, sicut si aliquis reconciliandus sit Principi, primo exit ad eum mediator, & post introducit eum. Simile habetur 1. Reg. 20. De Dauid ad Ionatham: sic Christus mediator Dei, & hominum primo exit ad homines, & postea introducit eos reconciliatos. Ad Hebræos 2. Qui multos filios adduxerat in gloriam.*

Sanctus Stephanus Protomartyr.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 4. vers. 8. *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum* Quo genere mortis fuit occisus à fratre Abel

Ma-

Maluenda ait, quod *interfecit eum lapide.* Inquires si Abel, & Sanctus Stephanus interfecti fuerunt lapidibus, quis eorum habuit maiorem innocentiam, & perfectionem Sanctus Stephanus, vel S. Abel?

Sanctus Stephanus maiorem habuit innocentiam quam Abel.

Respondetur. Quod maiorem perfectionem, & innocentiam habuit Sanctus Stephanus Martyr, quam Abel innocens, quia si vterque conuenit in hoc, quod lapidibus obruti perierunt, excedit Sanctus Stephanus Abelem, in hoc quod sanguis effusus Abelis vindictam petiuit, *vers.* 10. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, sanguis vero Sancti Stephani à Domino veniam deprecatus est, *Actor.* 7. *vers.* 59. vnde minoris perfectionis fuit sanguis, qui inter petras effusus vindictam petebat, quam qui in illas veniam precabatur. Quidam Modernus: *Sanctus Stephanus maiorem perfectionem habuit, & innocentiam quam Abel innocens, huius sanguis vindictam, illius vox veniam precabatur.*

Dub. 2. Ad illa verba, Iob. 8. vers. 16. *Super acervum petrarum radices eius.* Cur Iuncus, seu scyrpus requirit lapides, & inter lapides commoratur?

Sanctus Stephanus inter lapides positus radices profundas virtutū agebat.

Respondetur. Quod Iuncus congeriem lapidum requirit ad suæ vegetationis firmum fundamentum, ibique late radices suas diffundit. Hinc scypus inter lapides manet, & gaudet, vt radicet, & crescat. Maluenda: *Iuxta fontem agit radices plures, & intricatas, & gaudet lapidibus in locis limosis inter quos firmius radices suas implicat.* Defluebat lapidum tempestas super caput Sancti Stephani, & proprio sanguine humectatus, lapidibusque obrutus, firmius radices agebat infide, tendebat in charitate, mittebat in fortitudine.

Sanctus Stephanus lapidibus obrutus, ignis tormenta sustinuit.

Dub. 3. Ad illa verba, Danielis 13. vers. 62. *Dicitur quod senes quos conuicit Daniel de falso testimonio contra Susannam, quod fuerunt lapidati.* Cur lapidati narrantur: cum *Ieremiæ* 29. *vers.* 22. legatur quod fuerunt frixi in igne: *Ponat te Dominus sicut Sedeciam, & sicut Achab, quos frixit Rex Babilonis in igne.*

Respondetur. Quod lapidati fuerunt senes, quia vero tormentum lapidationis æquiualet pœnæ ignis, dicitur quod Rex Babylonis eos frixit igne quasi qui lapidibus appetuntur, pœnam ignis sustinere videantur. Lyranus, *Quælibet pœna mortis aliquando in scriptura significatur nomine ignis.* Sanctus Stephanus crepitantium iaxorum grandine fuit in sectatus, vnde tormentum ignis subisse videtur, cum huic tormento illud æquiualere videatur.

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 1. vers. 2. *Surge, & transi Iordanem istum.* Cur Dominus præcepit Iosue, quod surgeret, & staret rectus? An quia loquenti ei Domino indecens erat sedere?

Dominus sesus per se ipsum pugnauit pro Sancto Stephano, qui honor soli reseruabatur.

Respondetur. Quod stare est habitus adiuuantis, iniurias vindicantis, & pro alijs pugnantis, hoc exprimitur per verbum *standi*: dicit ergo Dominus Iosue, quod surgat, & stet, quasi promptus ad adiuuandum, pugnandumque pro populo Dei contra hostes, quasi non alius, sed tu per te ipsum sta, vt protegas, adiuues, & pugnes, vindices per te ipsum iniurias illatas populo. Hugo Cardinalis: *Monetur Iosue stare, quod est pugnantium, vel pugnare volentium. Vnde & Stephanus, Actor.* 7. *Vidit Iesum stantem, quasi eum iuuare volentem.* Christus mittit Angelos suos ad confortandum Martyres in suis tormentis, sicut audiuimus fecisse cum adiuuabant Sanctum Laurentium, Vincentium, Caterinam, & alios, & tunc Christus sedebat, quia Angelos mittebat ad hoc ministerium: at quando lapidibus obruebatur Sanctus Stephanus, cum sederet ad dexteram Patris Dominus Iesus, surrexit, & stetit Sanctum Stephanum adiuuando, & pro eo pugnando, quia hic singulatis fauor soli Stephano Protomartiri reseruabatur, quod non per Angelum, sed per se ipsum Dominus Iesus adiuuaret, & pro seruo pugnaret.

Dub. 5. Ad illa verba, ad Hebræos 6. vers. 4. *Gustauerunt etiam donum cœleste.* Quis Martyrum in sua passione donum cœleste gustauit, qualeque fuit hoc donum?

Sancti Stephani corpus in tormentis participauit dotem corporis glorioſi.

Respondetur. Quod sicut dicit *Hilarius Arelatensis*, speciem resurgentis in ipso Stephano abundantiam cordis transisse in decus corporis, & in exteriori gloria candorem interioris exundasse, & abscondita pectoris ornamenta, speculum frontis irradiasse, & cum haberet in se Spiritum Sanctum, os præse gustasse Angelicum, quia quasi glorificatum esset corpus emicabat in Sancti Stephani vultu splendens, & decora forma: hinc dicit D. Paulus quod SS. Martyres gustauerunt donum cœleste, & loquendo de Sancto Stephano, habuit claritatem tanquam dotem cor-

corporis glorificati. Hugo Card nalis: *Gustauerunt donum cœleste, id est, in parte experti sunt dotes corporis; corporis in præsenti, sicut Stephanus claritatem quodammodo prægustauit. Actor. 6. vers. 15. Cuius videbant faciem, vt Angeli.*

Dub. 6 Ad illa verba, Genes. 43. vers. 30. *Erumpebant lachrimæ.* Cur pius, dulcis, amantissimus ostenditur Ioseph erga fratres suos, cum potuisset eos affligere?

Sanctus Stephanus maxime laudandus, qui pepercit inimicis, pius, & dulcis, & pro eis exorauit.

Respondetur. Ex Abulensis: *O pie, ò dulcis, ò amantissime Ioseph. Nulla laus quantacumque sit tuis meritis æquabitur, qui cum ferocissimos non fratres sed hostes tuos affligi conspiceres, interna benignitatis affluentia ad lachrimas compulsus es. Potuisti enim iuste nocentes affligere, & non afflixisti, potuisti nequissimos fratres condigna vltione punire, & non puniuisti, ideo laus tua nullis sæculorum terminis coarctabitur. Sic enim decet maximos viros quos facta magnifica super astra vehunt.* O pie, ò dulcis, ò amantissime Sancte Stephane, magnis laudibus super astra efferende, qui cum posses affligere te vexantem populum, pro inimico exorasti populo, parcens eis, & veniam ex postulans pro te lapidantibus.

Sanctus Ioannes Euangelista.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 2. *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Cur Spiritus vocatur Dei, cum sufficeret dicere spiritus ferebatur super aquas? Cur adiecit *Dei*?

Sanctis Ioannis magna dignitas, dignoscitur, ex eo, quod Christi dilectus appellatur.

Respondetur. Quod Moyses volebat commendare excellentiam, & magnitudinem spiritus, & venti qui fouebat aquas. Hinc dicitur spiritus Dei, ventus Dei, quasi magnę esset dignitatis ille spiritus, & ventus, qui Dei spiritus, & ventus est. Maluenda: *Notum est Hebræos rebus quarum magnitudinem commendare student, nomen illis Dei adiungere, vt Psalm 35. Montes Dei, Psalm. 79. vers. 12. Cedri Dei. Genes. 30. vers. 8. Luctationes Dei, sic Spiritus Dei, Ventus magnus, & vehemens.* Sanctus Ioannes Euangelista dilectus Christi inter cęteros appellatur, vt eius dignitas, & excellentia commendetur, & extollatur, quod dilectus Christi appelletur.

Dub. 2. Ad illa verba, Iosue 24 vers. 2. *Transfluuium habitauerunt patres vestri ab initio.* Putat Maluenda, per hunc fluuium intelligi Euphratem, vltra hunc fluuium, id est, in Mesopotamia habitauerunt Patres populi Israel. Cur nomen fluuij non exprimitur, sicut nomina aliorum fluuiorum?

Sanctis Ioannis excellentia est, quod absolute vocetur à Christo dilectus, quasi ipse solus dilectus à Christo.

Respondetur. Quod Euphrates absolute nominatur fluuius sine expressione nominis. Hinc non exprimitur nomen eius, quia cum audimus fluuium, intelligendus est Euphrates, cum sit per antonomasiam fluuius. Abulensis in cap. 13 Genes. *Vocatur fluuius absolute quia in tota terra illa non erat alius fluuius tam magnus.* Cum audimus Discipulum quem diligebat Iesus debemus intelligere Sanctum Ioannem Euangelistam, licet alij fuerint ab ipso dilecti, quia inter Discipulos non fuit aliquis ita dilectus.

Dub. 3. Ad illa verba Exodi 39. vers. 14. *Ipsique lapides duodecim sculpti erant nominibus duodecim Tribus Israel.* Cur in duodecim lapidibus sculpta erant nomina duodecim filiorum Israel, cum vers. 6. dicatur, quod in duobus lapidibus Onychinis sculpta erant nomina filiorum Israel, sex nomina in lapide vno, & sex in altero?

Christus Sanctum Ioannem posuit super pectus suum, & omnes Sanctos in solo Ioanne, vt ostenderet Christus se esse Summum Pontificem legis gratiæ.

Respondetur. Quod in lapidibus Onichinis super humeralis inquolibet eorum erant nomina sex, at inquolibet duodecim lapidium erat vnum solum nomen, singuli per nomina singulorum, & in illo solo ferebat Summus Pontifex in pectore nomina omnium filiorum Israel, vt sic se ostenderet esse Summum Pontificem legis. Abulensis: *In hoc differebant isti duodecim lapides à duobus Onichinis super humeralis, quia in quolibet illorum erant sex nomina, inquolibet autem horum duodecim erat vnum solum nomen.* Ecce differentiam Sanctis Ioannis à Sanctis reliquis, in Ecclesia omnes Sancti ad sex Ordines reducuntur, scilicet, Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Martyres Confessores, & Virgines, cęteri Sancti sunt pretiosi lapides Sanctitatis, sed vno tantum nomine gaudent, quia aut Apostoli, aut Martyris: at vero Sanctus Ioannes habuit nomina sex, fuit Propheta in insula Pathmos, fuit Apostolus, fuit Euangelista, fuit Martyr, fuit Confessor, Virgo denique, & ita in se habet omnia nomina filiorum legis gratię, quia ad illa sex pertinent omnes. Si ergo verus Pontifex legis antiquę dignoscebatur per pectorale habens nomina omnium fidelium illius legis; Christus dignoscitur Summus Pontifex nouæ legis, quia ferebat in pectore nomina omnium filiorum huius

ius legis in Sancte Ioanne. Esset Christus Summus Pontifex legis gratię sine Ioanne in pectore, sed non appareret talis, & quia non sufficiebat esse, sed requirebatur apparere, posuit supra pectus Ioannem, quia hoc signum, Christum esse Summum Pontificem gratiæ demonstrabat.

Dub. 4. Ad illa verba, Numeror. 20. vers. 25. *Tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor, cumque nudaueris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium eius.* Cur Eleazarus vestitus fuit in monte vestibus Pontificalibus, & non in Sanctuario sicut alij Summi Sacerdotes consecrabantur?

Christus in morte sua habuit gaudium, videns S. Ioannem succedere sibi in suam dignitatem, in filium scilicet Matris suæ.

Respondetur. Quod Deus volebat, quod Aaron moriturus in monte gauderet in vita sua, & priusquam moreretur videns filium suum Eleazarum in illo Summo honore Pontificali sibi succesisse, quæ est magna iocunditas patrum. Hinc fecit Deus, quod Aaron moriturus in monte Hor, secum duceret Eleazarum, vt Aarone vidente indueretur vestibus Sanctis Eleazarus tanquam Summus Sacerdos, & lætaretur Aaron Eleazarum sibi in dignitate, & Cura Sacerdotali succedere. Oleaster: *Voluit filium primogenitum adesse, eumque patre viuente in eius ministerio sufficere, vt videns se filium in sua functione, & dignitate relinquere, non se omnino mortuum putaret, & æquo animo mortem sustineret. Solent enim parentes animæ quiores in sua morte esse, cum filios relinquunt, tum personæ, tum etiam suæ dignitatis hæredes. Hac ergo causa voluit Dominus Eleazar ante patris obitum vestimentis Sacerdotalibus patris indui, vt ex aspectu eius pater in morte gauderet.* B. Virgo Maria non incongrue appellari potest vestis propria Christi, vtpote quæ vestiuit illum humanitatis veste, vt propria Mater eius. Accesit Christo tempus destinatum à Patre, vt pro hominum salute moreretur, & de mãdato ascendit Caluariæ montem, vt præceptum impleret, & antea exuit se veste propria, hoc est, Matre sua, & illa vestiuit filium, & Discipulum Ioannem, dicens *ecce Mater tua*, vt haberet gloriam singularem videndi filium suum dilectum tali veste vestitum, gaudium, & iocunditatem habendo S. Ioannem successorem sibi in sua dignitate, hoc est, habere Matrem suam in Matrem, Matrem Christi, Matrem Ioannis.

Dub. 5. Ad illa verba, Ruth. 1. vers. 17. *Quæ te terra morientem susceperit in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturæ.* Cur Ruth hæc dixit Noemi, & profitebatur morari, vbi Noemi habitaret, locumque accipere sepulturæ, vbi Noemi?

Amor Sancti Ioannis erga Christũ non satiaretur si terra dise resurgens Sanctus Ioannes corpus eius non suisset in cœlum.

Respondetur. Quod hæc dixit Ruth Noemi, quasi diceret: quod tam coniuncta futura esset cum illa semper, quod non solum comitaretur eam in vita, sed etiam post mortem, & ad hoc implendum, præceptura erat, quod corpus suum, cum corpore illius sepeliretur, quod erat summi à moris indicium. Abulensis: *Forte Ruth quando moreretur, vellet quod cadauer suum portaretur in terram Moab, & tamen tantum diligebat ipsam Noemi, quod fœlicius sibi iudicabat esse sepeliri cum illa, quam quod cadauer suum reduceretur in terram sua: ideo dixit, quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturæ.* Ad rem applico, propria corporum sepultura terra est, & ideo Christus Dominus, vt verus homo in terra sepultus fuit, & dilectus Ioannes cum mortem gustauit in terreno sepulchro tumulatus est, vt terra quæ Christum morientem suscepit, & Ioannem mortuum susciperet: at Christus tertia die surrexit, & corpus eius ad superos translatum est. Quid faceret dilectus Discipulus? Quid? Tertia die à terra resurgens corpus suum in cœlum intulit, *de qua re Cantipratanus lib. 2. de apibus fol. 53. part. 1. & Maluenda lib. 10. de Antichrist. cap. 14. fol. 161.* quia amor Sanctis Ioannis erga Christum non plene satiabatur, si cœlum, quod Christum suscepit & Ioannem non susciperet. Itaque Sanctis Ioannis Euangelistæ amor erga Christum non satiaretur, si tertia die corpus eius non iuisset in cœlum.

Circumcisio Domini.

Dub. 1. Ad illa verba: Exodi 4. vers. 25. *Tulit Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui, tetigitque pedes eius.* Hugo Cardinalis, Oleaster cum alijs referunt pro nomen *eius* ad Moysem, quod scilicet sanguis effusus in circumcisione filij tetigit pedes Moysis. Cur Sephora sanguine filij circuncisi tetigit pedes Moysis Sponsi?

Sanguis effusus in circumcisione Christi, oblatus fuit a B. Virgine in remissionem peccati totius generis humani.

Respondetur. Quod videns Sephora Deum velle occidere Moysem, circuncidit filium suum, & sanguine filij

suis tetigit pedes Moysis, quasi Sephora dicat Deo: Domine si patris sanguis fundendus erat propter in circuncisionem filij, ecce effundo super eum sanguinem filij sui, vt te placatum patri reddas: sufficiat sanguis filij pro sanguine patris, & parce patri propter effusum sanguinem filij. Sanguis enim effusus filij placauit Deum, ne vindicaret de Moyse. Abulensis: *Domine Deus si aliquis sanguis effundi debet à viro meo, sit iste quem super effundo, scilicet: sanguis circuncisionis, & quod pœna paruuli circuncisi, sufficiat pro pœna, quam pater debet tolerare.* Sententia fuit aliquorum, quod Beatissima Virgo Maria filium suis manibus circuncidit, in qua sententia, circuncisio illa, qua Diuina Sephora Virgo Maria circuncidit Filium suum, & sanguinem eius effudit, sangis effusus oblatus fuit à B. Virgine in remissionem peccati totius generis humani: quasi dicat: Domine genus humanum pater est Christi, cum sit veros homo secundum carnem, debebant homines pœnam mortis æternæ pro peccato Adæ, ego vero Sanguinem filij mei quem circuncido, offero tibi, vt parcas generi humano, quod est pater Christi, propter sanguinem filij, qui est Christus.

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 12. vers. 1. & 2. *Mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni.* Cur mensis ille, qui Martius erat, futurus erat primus mensis anni, cum antea primus esset September?

Circuncisio Christi initiat annum propter effusum sanguinem in redemptionem peccatorum.

Respondetur. Quod licet antea mensis primus fuisset September, nunc incipit Martius vocari primus ex euentu notabili, qui eis fuit, scilicet, quod in illo mense de captiuitate Ægyptiaca liberati sunt, & hoc conueniebat valde ad memoriam beneficij Diuini: nam cum viderent mensem primum mutatum, recordarentur facilius beneficij propter quod ista mutatio facta est. Oleaster: *Est ergo sensus mensis iste, scilicet, Nissam, qui pro maiori parte respondet Martio nostro, erit vobis caput, id est, præcipuus inter menses, & erit primus in mensibus anni, qui scilicet, antea non erat primus, ob beneficium liberationis.* Ad rem nos annos nostros à Christi Natiuitate, & circuncisione (quia ad rem idem est Natiuitas, & circuncisio, cum sit tam parua distantia vnius ab alia) inchoamus, quia Natiuitas, & circuncisio totius nostræ redemptionis, quæ beneficiorum maximum est, exordium fuit. Circuncisio ergo Christi initiat annum, quia iste incipere debet à primo effuso sanguine Christi in redemptionem peccatorum nostrorum.

Dub. 3. Ad illa verba, Geneseos 17. vers. 12. *Infans octo dierum circuncidetur in vobis.* Cur non ante octauum diem circuncidebatur puer? Cur post octauum diem non fiebat?

Respondetur. Quod puer ita erat tener, quod periculum mortis magnum erat si ante octauum diem circuncideretur: si autem post octauum diem, cum caro ad duritiem tenderet, multum dolorem sentiret: non ergo circuncidatur infans ante octauum diem propter mustam carnis teneritudinem, nec post octauum propter aliqualem duritiem carnis. Poterat vtique Christus, saltem miraculose circuncisionem sustinere absque eo, quod moreretur, & videbatur conueniens suo patiendi pro hominibus desiderio, noluit tamen, ante vel post octauum diem circuncidi, vt legem communem etiam quo ad tempus custodiret, vt pote qui non venerat legem soluere, sed ad implere. Caietanus: *Tempus circuncidendi quo ad nascituros decernitur. Et ratio octaui diei creditur, quia ante octauum diem nimis tener infans valde læderetur dolore circuncisionis, post octauum autem diem, versus duritiem tendens, plus doloris sentiret.*

Christus non solum substantiam legis circuncisionis, sed etiam circunstantiam illius obseruauit.

Dub. 4. Ad illa verba, Numeror. 13. vers. 17. *Vocauitque Osee filium Num, Iosue.* Cur si Iosue vocabatur prius Osee, Moyses addidit nomini illius Osee litteram vnam, scilicet, *Ioth*, quæ est in nomine Domini, vt Osee vocetur Iosue?

Respondetur. Quod Moyses istam litteram *Ioth* addidit nomine *Osee*, quando misit illum cum aliis exploratoribus ad terram Promissionis explorandam, quia cum sola additione vnius litteræ nominis Domini, securam reputabat Moyses in dilecto suo Iosue, animæ, & corporis salutem. Abulensis: *Hoc fecit Moyses ex nimio amore: desiderabat enim eius salutem animæ, & corporis, & pro eo specialiter Dominum orauit, vt sanus rediret. & ad hoc addit nomini eius vnam litteram de nomine Domini Tetragramaton, quia secundum scripturam Hebraicam Iosue addit*

Nomen Iesu corde, & ore proferre, est vnicum remedium pro salute animæ, & corporis obtinenda.

a. O see solam Ioth, quæ est prima littera nominis Tetragrammaton. Salus animæ, & corporis erunt nobis securæ, & certę, si in corde, & ore totum sanctissimum nomen habeamus Iesu, cum vnicum remedium tam pro animæ quàm pro corporis salute obtinenda, sit nomen Iesu in corde semper, & ore proferre.

Dub. 5. Ad illa verba, Exodi 3. vers. 15. *Ego sum qui sum, hoc nomen mihi est in æternum*, scilicet, *Ihuh*. Cur Moyses non explicat ineffabile nomen Dei *Ihuh*?

Sanctissimi Nominis Iesu virtus, nec exprimi potest, nec explicari.

R. Quod virtus huius nominis *Ihuh* tanta est, quod non potest tota exprimi, neque ab hominibus intelligi. Ideo Moyses ineffabile nomen Dei *Ihuh* non explicat, non quia non debet nominari, sed quia virtus eius exprimi, & explicari non potest. Hugo Cardin. *Iosephus dicit, quod Dominus dixit Moysi suam appellationem, quam homines prius non audierunt, nec mihi fas est dicere, id est, facultas, quasi dicat: Tanta est virtus illius nominis, quod non possem exprimere totam. Vnde nomen illud dicitur ineffabile, non quia non debet dici, sed quia virtus eius, non potest exprimi, vel quia ab eis non poterat intelligi.* Tantæ virtutis est hoc sanctissimum nomen Iesu tam in homines, quàm in dæmones, tam pro bonis spiritualibus, quàm corporalibus, quod non potest eius virtus aperiri, & explicari.

Dub. 6. Ad illa verba, Leuitici 24. vers. 11. *Cumque blasphemasset nomen, & maledixisset ei, miserunt eum in carcerem.* Quod nomen blasphemauit blasphemus, propter cuius blasphemiam missus fuit in carcerem?

Sanctissimū nomen Iesu non solum falso, sed in vanum iurās, debet pœnam mortis subire.

Respondet. Quod blasphemus ausus fuit nominare Sanctum Dei nomen Tetragramaton, quod in tanta reuerentia debebat haberi, & habebatur, quod solis Sacerdotibus licebat illud nominare, vnde propter peccatum huius irreuerentiæ, adductus fuit ad Moysem, & detentus in carceris custodia. Abulensis: *Dicunt Iudæi, quod iste vir peccauit in duobus, primo quia declarauit nomen Domini, scilicet, nomen Tetragramaton publicando illud, sed nulli licebat hoc proferre nisi Sacerdotibus quando proferebant benedictiones super offerentes, vel nubentes, & in similibus: erat enim hoc nomen magnæ reuerentiæ, & ob hoc vetitum erat, ne quis nominaret nisi Sacerdotes. Sic etiam erat apud antiquos Gentiles, quoniam quando aliquod nomen erat valde honorabile, subticebatur, sicut erat de nomine vrbis Romanæ. Dicit enim Solinus in Polit. cap. 1. quod est quodam nomen vrbis Romæ magis proprium quam cætera, quod in vulgus nunquam venit, quia Dei, & sacra illud publicare vetuerunt. Valerius autem Seranus, quia istud semel publicauit morti traditus est. Quantum ergo ad hoc, quod iste blasphemus explanabat nomen Domini, quod nominari illicitum erat, peccabat.* Itaque peccatum erat solum illud nomen nominare, licet non inuanum, neque cum iuramento, quanto potius si cum iuramento, nominaretur, & falso? A fortiori discurendum de Iesu sanctissimo nomine. Vnde in tanta reuerentia hoc nomen debet haberi, quod non solum falso, sed inuanum nominare illud, debebat pœnam mortis subire. Vnde maxima irreuerentia est sanctissimum hoc nomen in vanum nominare, & audeo dicere maiorem esse quam ipsiusmet Dei nomen in vanum proferre. Rationem reddit Abulensis in cap. 20. Exodi fol. 275. littera D. *Ratio est, quia Ecclesiæ communis, & laudabilis consuetudo magis honorat istud nomen Iesus, quàm istud nomen Deus, vnde audito isto nomine Iesus deuoti fideles, aut caput inclinant, aut genua flectunt; sed audito isto nomine Deus, non genua flectimus, neque capita inclinamus. Qui ergo contra offendit de honorando, magis peccat, quam si de honoret illud nomen Deus.*

Magis peccat qui de honorat hoc Sanctissimum nomen Iesus, quam qui de honorat hoc nomen Deus.

Epiphania Dominica

Dub. 1. Ad illa verba, Numeror. 14. ver. 17. *Orietur Stella ex Iacob.* Alij legunt; *direxit Stellam ex Iacob*, vbi Maluenda ex omnium fere opinione ait: *Fere omnes hic Stellam, Stellam illam, quæ Magos ad Christum adorandum adduxit, intelligunt.* Cur dixit, quod direxit Stellam, cum sufficeret dicere, quod Stella orta est?

Christus hodie ostendit potentiā Diuinam, cū in Natiuitate manifestauerit in firmitatem humanā.

Respondetur. Quod dirigere Stellam ad Magos, vt venirent ad adorandum Christum, est actio Diuinæ naturæ: ideo vt Diuinam innuat potentiam pueri, dixit Balaam, quod direxit Stellam: ostendit enim Dominus Iesus hodie potentiam supra humanam naturam. Caietanus. Iuxta Hebræum habetur: *Direxit stellam Dei*

Ia-

Iahacob, lege Euangelium, & ad impletum cerne ad litteram, quod natus Messias ex Iahacob direxit stellam indicem suæ Natiuitatis, ducem Magorum, aduidendum, & adorandum ipsum. Et vere direxit indicem Nati, & indicem domus vbi erat puer. Et in hoc potentiam pueri super humanam naturam, imo Diuinam implicite insinuauit, quoniam dirigere stellam actio est Diuina. Christus in sua Natiuitate ostendit, quæ hominis sunt, scilicet, infirmitatem, vagitus, cum vagit infans inter arcta conditus præsepia: at hodie manifestauit quæ Dei sunt, scilicet, potentiam, quæ Dei est, dum dirigit stellam, quæ indicaret suam Natiuitatem, Magos duceret, domum ostenderet.

Christus ostendit mirabile suæ Diuinæ potentiæ, in hoc quod celeriter, & tam cito venarus fuit Gentilitatem.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 27. vers. 2. *Quo modo tam cito inuenire potuisti? Qui respondit: Voluntas Dei fuit, vt cito occurreret mihi quod volebam.* Iuxta Hebræum habetur: *Quia occurrere fecit ens potentissimus tuus facies meis.* Cur Iacob vocat hic Deum potentissimum, & non alibi?

R. Quod Deus fecit, quod cito occurret Iacobo præda illa, quam intulit patri suo Isac. Hinc Iacob vocat Deum potentissimum, quia potentiæ Dei fuit quod præsto esset illa præda Iacobo. Caietanus: *Summo essendi principio, distributorique omnium, specialem curam habenti ipsius Isac, attribuit Iacob celeritatem facti.* Hugo Cardin. *Mirabile ostendit Dominus, quod tam cito sit conuersa Gentilitas.* Christus Dominus manifestauit mirabile suæ Diuinæ potentiæ, cum cito, & celeriter cœpit prædam, id est, populum Gentilem, quem de venatione sua intulit Isac, id est, Patri.

Dub. 3. Ad illa verba, Actor. 11. vers. 18. *Ergo, & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Quæres, quis fuit primitiæ Gentium? An Eunuchus, qui Actor. 7. vers. 37. credidit Filium Dei esse Iesum Christum? An Cornelius, quia iste fuit primus inter Gentiles, qui cum multitudine credidit. Si Eunuchus, & Cornelius vocantur primitiæ Gentium, cur tres Reges primitiæ Gentium dicuntur?

Magna dignitas Regum, quod intercultores fidei primas teneant.

R. Quod Eunuchus primus fuit ex Gentibus, qui baptismum recepit, vnde vocatur primitiæ Gentium, quantum ad baptismum susceptum: Cornelius fuit primus, & primitiæ multitudinis Gentium, quia plures cum eo crediderunt: at tres Reges primitiæ dicuntur gentium quantum ad fidem, quia ex gentibus primi eam receperunt. Magna enim dignitas Sanctorum Regum: quod intercultores fidei primas teneant. Hugo Car. *Eunuchus fuit primitiæ, quantum ad baptismum, quia prius baptizatus, Cornelius quantum ad communionem, Reges autem quantum ad fidem. Iob. 37. Ab aquilone aurum venit, id est fides oritur in Gentilitate.*

Dub. 4. Ad illa verba, Matthæi 21. vers. 7. *Adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos.* Cur Dominus tam breui spatio, ac itinere mutauit iumentum? D. *Ioannes* dicit *cap. 12. vers. 14.* quod *sedit super asellum.* D. vero *Mathæus*, quod turbæ super asinam, & pullum strauerunt vestimenta sua, *imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum ae super sedere fecerunt*, ex quo colligunt multi, quod sedit prius super asinam, deinde super pullum, cur ergo cum breuis esset via, duplici iumento vsus est, prius sedens super asinam, deinde super pullum?

Christus primo vocauit Iudæos, deinde Gentiles.

R. Quod Christus super vtrumque animal sedit successiue ob mysterium. Asina subiugalis significat populum Iudaicum, qui iugum legis veteris tolerabat: pullus super quem nemo sederat representat indomitos, & ex leges Gentiles, qui nullæ legi colla sub miserunt: super vtrumque enim successiue sedit dominus, primo super asinam, deinde super pullum, quia primo vocauit Iudæos Pastores, scilicet, nocte suæ Natiuitatis, deinde Gentiles hac die suæ apparitionis. Hugo Cardinalis: *Alij dicunt, quod vtrumque ibi affuit, & Matthæus vtrumque posuit pro mysterio Iudæi, & Gentilis, & D. Chrisostomo videtur, quod primo insedit asinæ, & postea pullo.*

Dub. 5. Ad illa verba, Genes. 38. vers. 18. *Ad vnum igitur coitum mulier concepit.* Cur Thamar concepit duos tantum filios Phares, scilicet, & Zaram: cum Hebreę fœminę Authore Rabbi Salomone apud Maluendam, Exodi 1. vers. 7. *Sex generabantur in ventre vno*, & Aben Ezra dicat: *Ego vidi quatuor filios, quos vno partu peperit mulier vna*, cur ergo Thamar geminos peperit filios?

Christus & Ecclesia duos populos desiderabant in fide germanos.

Respondet. Quod Thamar typum gerit Ecclesię Iudas Christi, Zaran populi Iudaici, Phares populi Gentilis: concipiat ergo Thamar duos tantum filios Zaran, & Phares: si enim isti duos significant populos, Iudas Patriarcha qui est Christus, & Thamar quæ est Ecclesia, duos tantum populos desiderabant

rabant in fide germanos. Hugo Cardin. *Ad vnum igitur coitum, hoc est, ad vnionem Diuini Verbi cum humana natura Ecclesia duobus filijs imprægnata est, id est, Iudaico populo, & Gentili: vnde Christum natum quærunt Pastores, & Magi.* Vnde Genes. 49. Iacob duas filias Labam Rachelem, scilicet, & Liam accepit in vxores, in signum, quod Christus duos populos Iudaicum, scilicet, significatum per Liam, & Gentilem repræsentatum per Rachelem, sibi erat desponsaturus per fidem. Hugo Card. *Duæ filiæ Labam duo populi, Lia lippa, & laboriosa populus Iudaicus, qui nihil spirituale videbat in lege labore cæremonialium occupatus. Rachel decora facie, Gentilitas decora fide, & amabilis charitate; vtramque sibi Christus desponsauit, primo Sinagogam, deinde Gentilitatem.*

Christus desponsuit sibi per fidem duos populos.

Dub. 6. Ad illa verba 3. Reg. 9. vers. 11. *Tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galileæ.* Cur dicitur, quod Salomon dedit viginti Ciuitates Hiram: cum 2. *Paralip.* 8. *vers.* 2. legatur: *Ciuitates quas dedit Hiram Salomoni ædificauit Salomon.* Ergo Salomon dedit Hiram Ciuitates, non Hiram Salomoni, & si vicissim datæ sunt Ciuitates, cur Salomon dedit Hiram, & Hiram Salomoni?

Sancti Reges munera obtulerunt Christo, vt firmaretur pax inter Deum, & homines.

Resp. Quod Salomon, & Hiram voluerunt firmare, & stabilire pacem quæ erat inter eos. Hinc vicissim datæ sunt Ciuitates, Salomon dedit Hiram, Hiram Salomoni. Datis enim muneribus pax inter aliquos firmior habetur. Maluenda: *Conciliant Salomonem dedisse viginti vrbes ipsi Hiramo, vt 1. Reg. dicitur, & vicissim ipsum Hiramum dedisse ipsi Salomoni alias viginti vrbes in ditione sua, quo pax inter eos firmior, & stabilior esset.* Ad rem inter Deum, & Hominem fuit bellum propter præcepti transgressionem, venit Dei filius, & facta est pax inter Deum, & homines: vnde cecinerunt Angeli nocte Natiuitatis Domini, & *in terra pax hominibus* veniunt tres Reges adorare Dominum, munera offerunt, quibus pacem inter Deum, & homines firmant, & constituunt. Vicissim munera largiuntur, pater dando hominibus filium, Homines offerendo munera Deo homini, & hæc munerum vicissitudo inter Deum, & homines firmauit pacem.

In Conuersione S. Pauli Apostoli.

Dub. 1. Ad illa verba, Iosue 24. vers. 2. *Trasfluuium habitauerunt patres Vestri ab initio: Thare Pater Abraham, & Nachor, seruieruntque Dijs alienis.* An Abraham fuit idolatra? Quidam dicunt, quod non seruiuit Dijs alienis: at *Maluenda* docet, quod non est necessarium excipere Abrahamum ab idolatria. Cur tam excellens vir non est excipiendus à cultu idolorum: cum abominabilis sit apud Deum idolorum cultus?

Gratia Dei clarior reddita est: cum Saulum à tenebris in lucem vindicauit.

R. Quod Dei gratia maximè enituit, in hoc quod virum illum illustrem ab idolatriæ cæcitate liberauit. Hinc Abraham non est necesse ab idololatria excipere, quia valde splendet Dei gratia, cum eum de tenebris traxit ad lucem. Maluenda: *Plerique ab ista impietate Abrahamum eximunt, sed nihil necesse, cum id magis gratiam Dei clariorem reddat, qui magnum illum Virum à cæcis illis tenebris liberauit S. Ephrem. serm. 2. de Pœnitentia: Abraham primum Gentilis erat, & Chaldæus.* Saulus longe à vero lumine, & veritate aberrabat, caligabat in Sole, noctem oculis circumferebat: at circumfulsit eum lux de cœlo, veritatis luce eum perfudit: & hinc gratia Dei clarior facta est, qui talem virum à tenebris in lucem, & claritatem vindicauit.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 35. v. 4. *At ille infodit ea subter terebinthum.* Inquires, quid factum est de terebintho subter quam Iacob infodit Deos alienos, & inaures, quæ erant in auribus Deorum?

Christus ex Saulo magno peccatore pulchre Ecclesiam ædificauit.

R. Quod Dauid tulit terebinthum in Ierusalem, & cum esset nigra conflauit in materiam, quam paruit ad ædificandum Templum Ierusalem: vnde ex quercu nigra materiam fecit pro pulcherrimo Templo struendo. Hugo Cardin. *Terebinthus est quædam species quercus nigra. Tradunt quidam, quod Dauid tulit eam in Ierusalem, & conflauit in materiam Templi ædificandi.* Saulus terebinthus erat nigra peccatis suis, sed Christus ex eo fecit materiam, vt pulcherrimum Ecclesiæ ædificium erigeret, cum eum conflauit in vas electionis, vt Ecclesiam excitaret, & erigeret.

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 16. v. 12. *Hic erit ferus homo.* Nonulli reddunt: *Et ipse erit fera hominis.* Alij, & *ipse erit onager homo.* Cur Ismael comparatur onagro fero? An quia feræ similitudinem exprimebat, quia ferus, & in homines crudelis?

Resp.

S. Paulus plures filios prædicatione sua genuit, quam singuli Apostolorum.

Respondetur. Quod onager vocatur animal ferum à fructificando, quia animalia fera fœcundiora sunt quam animalia domestica. Hinc Ismael onagro comparatur, quia multum prolificauit. Maluenda: *Aiunt esse feram consentiente Hebraica voce animal ferum à fructificatione, & fœcunditate dictum: sunt enim fera animalia fœcundiora, & plures fœtus edunt, quam animalia domestica, & ipse erit frustificans homo, quod Hagareni mire prolificent.* Saulus ferus homo erat, furijs inuectus ibat, dirum toto pectore virus efflabat, vt vinctos viros perduceret in Ierusalem: at homo iste ferus, tuit fructificans homo, quia abundantius omnibus Apostolis sigillatim sumptis, qui fuerunt domestici Dei, laborauit, fructificauit, (licet hoc de se non referat ad vitandam vanagloriam, vt notat *Hugo Cardin. 1. Corint. 15. Vers 10.*) plus ergo quam alij Apostoli, & singuli profuit, & prolificauit, cum multos filios, & plures quam singuli Apostolorum per Euangelium genuit.

Dub. 4. Ad illa verba, Matthæi 8. v. 8. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia sæui nimis.* Cur D. Matthæus duos narrat, qui occurrerunt Christo, cum D. *Marcus* de vno tantum mentionem faciat?

S. Paulus maior in scientia, D. Petro.

Resp. Quod iste dæmoniacus celebritate famæ notus erat in regione illa, ferus, & dirus, ex cuius curatione fama Christi in ore omnium celeberrima versabatur. Hinc licet D. Matthæus duos narret sæuos nimis, tamen D. Marcus de vno tantum à Domino sanato memoriam facit, quia per eius curationem fama Christi celebrior reddita est. Fama enim Christi celebris fit cum hominem sæuum, & notissimum sanat. Hugo Cardinalis: *Quamuis Matthæus duos occurisse Christo dæmoniacos scribat, Marcus tamen, & Lucas vnius solius faciunt mentionem, siue quod hic inter duos illos clarior esset, & famosior, per cuius curationem fama Christi latius, clariusque fragrauerat, vt vult. D. Augustinus, siue vt vult D. Chrisostomus, quia hic sæuior esset.* Saulus celebris, & famosus fuit apud Iudæos, eius sæuitia late describitur à D. Luca in actis Apostolorum, vnde ex eius conuersione, & curatione, Christus maximam famam sibi acquisiuit, quia celebrem virum, & sæuum sanauit, & ab errore reuocauit.

Dub. 5. Ad illa verba 2. Petri 3. v. 16. *Sicut charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Cur D. Petrus, qui erat maior, authoritate Pauli minoris doctrinam suam de iudicio finali confirmat?

S. Paulus præcipuus Ecclesiæ Doctor.

R. Quod D. Petrus maior erat in cura pro Ecclesiis, at D. Paulus maior fuit in scientia. Hinc D. Petrus scripturam D. Pauli doctrinam suam confirmat. D. enim Paulus maior fuit in scientia. D. Petro. D. Thomas: *Forte licet Petrus maior esset in cura, Paulus tamen maior in scientia.* Imo Apostolus præcipuus, & Doctor Ecclesiæ 1. ad Corinth. 15. vers. 1. *Notum vobis facio fratres Euangelium.* Euangelium est nuntiatio bona, per quam proprie ad Regnum Dei, & ad remissionem peccatorum peruenitur, vel stricte sumitur Euangelium, secundum quod dicitur bona nuntiatio, proprie ore Saluatoris facta, sic non reputantur Epistolæ D. Pauli Euangelium, sed primo modo. Sed dices, videtur quod nobiles multo rectius faciunt quam nos, quia stando Epistolas Apostoli audiunt, quasi Euangelium, & nos sedendo.

S. Paulus duplicem coronam habet in cœlo.

Resp. Quod benefaciunt nobiles audiendo Epistolas D. Pauli stando, si audiunt tanquam Euangelium, nos vero sedendo audimus eas tanquam Discipuli doctrinam Doctoris, quia Discipuli est sedendo discere, vnde cum nos audimus sedendo Epistolas Apostoli, innuimus quod D. Paulus est præcipuus Ecclesiæ Doctor. Hugo Cardin *Si quia Euangelium est faciunt, benefaciunt;* (scilicet, nobiles audiendo stantes) *nos autem sedendo, & benè, quia per hoc significamus, quod ipse est præcipuus Doctor Ecclesiæ, doctrinam enim sedendo addiscimus, quia dicimur Discipuli eius, & sumus.* Hac ratione infesto hodierno cantatur versus ante Antiphonam, quia tanquam summus, & principalis Doctor habet duplicem coronam. Hugo Card. 1. ad Thessalonic. 3. v. vltim. *Patet quod duplicem coronam habebunt Doctores auream, & aureolam, euxta illud Cantic. Vbi mo, ducenti his, qui custodiunt fructus eius. Isaiæ 61. In terra sua duplicia possidebunt. Ad hoc significandum habet Dominus, Papa in die quæ cantatur, lætare Ierusalem duplicem coronam, Diadema, scilicet, supra Mitram, ad innuendum, quod ipse est summus Doctor, & duplex præmium debet expectare. Vnde in conuersione B. Pauli, qui fuit Summus Doctor in Ecclesia cantatur versus ante Antiphonam, ad innuendum, quod Doctores habebunt duplicem coronam.*

Purificatio Beatæ Virginis Mariæ.

Dub. 1. Ad illa verba, Numeror. 31. vers. 18. *Puellas autem, & omnes fœminas Virgines reseruate vobis.* Quæres an virgines illæ, quas Israelitæ ex Madianitis captiuas duxerunt in populum suum, quasque mandauit Moyses seruari, & non occidi, tenerentur purificari aqua lustrationis, sicut alij *vers.* 19. videtur quod non, quia illæ puellæ non erant Israelitæ, vnde non tenebantur lege Israelitarum, sicut nec mulieres aliarum nationum.

Beata Virgo ita humilis fuit, quod voluit reputari obligata cum alijs ad legem purificationis, cū vere obligata non fuerit.

Respondetur. Quod virgines illæ obligabantur purificari illa purificatione, & lege illius, non quia ratione sui tenerentur, sed ratione legis obligantis eos, qui sub Iudaica potestate degebant, quales iam puellæ illæ erant. Abulensis: *Respondendum est, quod purificatæ sunt, & quando dicitur, quod non erant sublege: negatur, nam cum istæ essent captæ in bello, pertinebant totaliter ad ius, & potestatem Hebræorum, ideo obligabantur Iudæi facere eas redire ad cultum Iudaicum.* Beata Virgo non erat obligata ad legem purificationis patientium Hebræarum mulierum ratione sui, quia non pepererat sub illa lege, scilicet, *susceptosemine*, at quia viuebat sub potestate Iudaica, debebat legem Iudæorum seruare. Vnde tam humilis fuit, vt voluerit reputari cum alijs mulieribus, obligata ad legem purificationis, cum tamen non fuerit obligata.

Dub. 2. Ad illa verba, Aggæi 2. vers. 10. *Magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquam primæ.* An maior fuit gloria Templi, quod ædificatum fuit sub Esdra, quam illa quam habuit tempore Salomonis? Et Cur Propheta loquitur de futuro *erit*, non de præsenti *est*.

B. Virginis, & filij eius præsentia, Templum Ierusalem impletū maiori gloria, quam sub Esdra, & Salomone.

Respondet. Quod magna fuit gloria, quam habuit Templum, & magnus ornatus sub opulentissimo Rege Salomone, sed maior fuit magnitudo, gloria, ornatus, quem nouissime habuit, quando Beata Virgo Maria, ingressa, est Templum, & portauit in vlnis filium suum, & patri obtulit, quia Mater, & Filius præsentia sua condecorarunt Templum: ideo Propheta vtitur verbo futuri temporis *erit*, quasi diceret. Gloriæ domus istius nouissimæ, magna erit plusquam primæ, quia Christus, & Beata Virgo sua præsentia Templum implebunt gloria maiori quam habuit sub Esdra, nec Salomone. Lyranus: *Propheta non dixit est de præsenti, sed erit de futuro, quod fuit impletum, quando Christus sua præsentia illam ornauit, quando ibi oblatus fuit, & quod hæc sit intentio Prophetæ, patet per hoc quod dicitur. Adhuc vnum modicum, & veniet desideratus cunctis gentibus, id est, Christus implendo domum istam gloria.*

Dub. 3. Ad illa verba, Leuitici 12. vers. 6. *Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ pro filio siue pro filia deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ siue turturem.* Cur Beata Virgo agnum nod obtulit, sed pauperum oblationem?

Beata Virgo obtulit pauperum oblationem, vt Mater Filij Dei dignosceretur.

Respondetur. Quod in sui purificatione noluit agnum offerre, quia agnus oblatio erat diuitum, sed parturturum, aut duos pullos columbarum, quia erat oblatio pauperum, vt pauperum oblationem offerens, videretur esse Mater Christi: cum enim Christus pauper fuerit, si Beata Virgo pauper non visa esset, & vt pauper non offerret, talis filij Mater non putaretur, vnde obtulit in purificatione pauperum oblationem, vt Mater Filij Dei dignosceretur. Abulensis: *Fecit propter paupertatem, id est, vt demonstraret se diligere paupertatem, ipsa namque Domina nostra Spiritu Sancto plena, præcognouerat filium suum Saluatorem nostrum in paupertate victurum, & eam prædicaturum: ideo ipsa voluit Spiritu Sancto admonita demonstrare paupertatem in oblatione Saluatoris nostri.*

Dub. 4. Ad illa verba, Leuitici 1. vers. 9. *Adolebitque ea Sacerdos super Altare in holocaustum suauem in odorem Domini* Cur præcipitur Sacerdotibus, quod adoleant ea sacrificia in odorem suauem Domini: cum *Isaiæ* 1. dicatur de Deo: *Holocausta arietum, & adipem pinguium nolui.*

Oblatio pauperum quam Beata Virgo obtulit, accepta fuit Deo, non ratione sui, sed Christi signati.

Respondetur. Quod illa sacrificia accepta erant non in signo, sed in signato, quia acceptus erat Christus quem illa sacrificia significabant. Lyranus: *Non intelligendum, quod odor inde progrediens esset suauis, seu acceptus Domino ex re oblata, sed ex obedientia, & fide offerentium, in quantum illa sacrificia figurabant Christum pro salute humani generis immolandum.* Oblatio quam Beata Virgo obtulit Deo, dilectabilis fuit, & accepta Patri, quia Christum representabat in quo benè Patri complacuit.

Dub. 5. Ad illa verba, Psalmi 73. vers.

vers. 16. *Tu fabricatus est Auroram, & solem.* Diuus Hieronymus: *Tu ordinasti luminaria.* Hugo Cardinalis hac versione vtitur pro Themate in die Purificationis, cum in hoc festo candelæ accensæ in manibus portentur. Cur Beata Virgo hodie luminaria dicitur, nec vocatur Aurora, Luna, vel Sol? Cur in hac die luminaria Deum ordinasse dicitur?

B. Virginis puritas hodie manifestatur, cum luminaria portantur.

Respondetur. Quod Beata Virgo in sua Natiuitate fuit Aurora, in annuntiatione Luna, in assumptione Sol: at in purificatione fuit luminaria, id est, tota rutilans, tota splendens, nec purificatione propter eius puritatem indigens. Hinc hodie dicitur luminaria, & ad hoc Deus ordinat ea, vt hominibus innotescat B. Virginis puritas, & candor, quæ purificatione non indiguit. B. enim Virginis puritas in partu, hodie manifestatur, cum luminaria, quæ pura sunt portantur. Hugo Cardinalis: *Per Auroram Beata Virgo potest intelligi. Cant. 6. Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora, per solem filius eius, scilicet, Christus homo. Ipsa enim fuit Aurora in Natiuitate, Luna in annuntiatione Ecclipsans Solem Iustitiæ, Sol in Assumptione, luminaria in Purificatione, de qua Thema est hic secundum litteram D. Hieronymi quæ habet. Tu ordinasti luminaria: in Purificatione enim ordinantur, & portantur luminaria.* Vnde Durandus: *Portantur in processione cæreі ardentes, ad ostendendum Virginis puritatem, ne quis audiens eius Purificationem, credere posset eam Purificatione indiguisse. Portamus ergo candelas accensas, quasi ipsa facto dicat Ecclesia: Virgo Beata Purificatione non indiget, sed tota rutilans, tota splendens.*

Dub. 6. Ad illa verba, Apocalipsis 11. vers. 19. *Apertum est Templum Dei in cœlo, & visa est Arca testamenti eius in Templo eius, & facta sunt fulgura, & voces & terræmotus & grando magna.* Cur cum videtur in Templo Dei Arca Testamenti, facta sunt fulgura, voces, & terræmotus? Quid significant isti terræmotus?

Festum Purificationis præ cæteris B. Virginis, excitat homines ad deuotionem.

Respondetur. Quod terræmotus figurant cordis deuotionem: cum enim fideles vident B. Virginem ad Templum accedere purificandam, pauperum oblationem offerre, filium in vlnis gestare, luminaria ad instar fulguris accensa, maximè homines mouentur ad deuotionem. Vnde hæc festiuitas præ cæteris B. Virginis valde corda hominum tangit, mouet animum, & percellit: Lyranus. *Apertum est in Ecclesia militante, in qua Templum materiale fuit apertum ad festum Sanctæ Purificationis celebrandum solemniter, & visa est Arca, id est, Christus, de cuius oblatione in Templo, & manifestatione per Simeonem, & Annam Prophetissam fit memoria in Purificationis festo, quod festum à Constantinopoli ad alias Ecclesias est deriuatum per orbem, & facta sunt fulgura, id est, accensa luminaria ad modum fulguris lucentia, quæ à fidelibus portantur in solemnitate dicta, & voces Diuinæ laudis, & tonitrua Sanctæ prædicationis, & terræ motus, quia multi terreni ad deuotionem fuerunt moti.*

S. Angelus Custos.

Dub. 1. Ad illa verba, Deuteronomij 32. vers. 11. *Sicut aquila prouocans ad volandum expandit alas suas.* Cur Angelus Custos defendens populum Israel, ne ederetur ab Ægyptijs comparatur aquilę?

S. Angelus Custos, nos defendit ab inimicis sub alis protectionis suæ.

Respondetur. Quod aquila portat super humeros filios, quia timet, ne à parte inferiori emittantur sagittę quibus pulli percutiantur, vt sic pullos suos defendat. Ita Angelus posuit se inter filios Israel, & Ægyptios super mare rubrum, ne spiculę Ægyptiorum nocerent Israeli. Hinc non cuilibet ex auibus, sed aquilę comparatur ille Angelus, quia defendebat Hebręos sub alis protectionis suę. Lyranus: *Quando aquila vult transferre pullos suos de loco ad locum portat eos super humeros suos, quia non timet à parte superiori, sed tantum ab inferiori, ne emittantur sagittæ, & ideo ponit pullos super humeros, vt prius ipsa suscipiat sagittas, quam pulli percutiantur, sic Angelus personam Dei representans, posuit se inter castra filiorum Israel, & Ægyptios super mare rubrum Exodi 14. Ne sagittæ, & spiculæ Ægyptiorum læderent Israelem.* Si Angelus Custos ponitur inter nos, & inimicos nostros, tentationes dęmonis repellit, à periculis liberat, & à laqueis oppositis ab inimico eruit.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 19. vers. 2. *Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere.* Cur non mane, sed vespere venerunt, vt subuerterent vrbem?

S. Angelus Custos desiderat salutem nostram, & expectat nostram emendam.

Respondetur. Quod Angeli desiderabant salutem Sodomorum, expectabant quod Sodomitę referrent pedem à via vitiorum, & quod Deus impunes pateretur illos manere. Hinc Angeli sero

sero illius diei venerunt, cunctabantur, moras trahebant ex desiderio salutis Sodomorum. Ita Angeli Custodes nostri desiderant nostram æternam salutem, vt quando Deus præcipit illis, quod aliquod malum aduersus nos exerceant, lenter, ac tarde illud exequuntur sperantes nostram emmendam. Abulensis: *Dicunt aliqui quod ideo venerunt in vesperi, quia por totum diem expectauerunt, vt viderent, si Dominus parceret Ciuitatibus propter Abraham: Angeli enim boni desiderant salutem omnium hominum.*

Dub. 3. Ad illa verba, Deuteronomij 1. vers. 1. *Renuntient per quod iter debeamus ascendere, & renuistis ascendere, sed incredulj ad Sermonem Domini Dei nostri.* Cur isti vocantur incredulj Deo, cum petunt mitti à Moyse exploratores qui considerarent qualitatem terræ, viam, & vrbes?

S. Angeli Custodis auxilium quærendum est in periculis, nō humanum.

Respondetur. Quod illi consilio humano cæperunt inniti, non adiutorio Angeli, qui in columna nubis eos dirigebat. Ideo diffidentes de auxilio Angelico, petebant exploratores mitti, qui considerarent terram: merito ergo incredulj Deo dicuntur, quia adiutorio Angeli relicto, ad homines confugerunt. Abulensis: *Valde in hoc incredulj erant Deo, qui habentes Angelum in columna, qui eos dirigebat, vt habetur Exodi 14. magis ad debile humanum adiutorium confugerunt.* Parum fidit Angelo Custodi, qui in periculis constitutus, auxilium humanum quærit, non Angelicum.

Dub. 4. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 19. *Adduxit ea ad Adam.* Quomodo animalia adducta fuerunt ad Adam?

S. Angelo Custodi debet, qui saluatur ingressus in Gloriam.

Respondetur. Quod adducta fuerunt per Angelos de omnibus partibus terræ: sic enim factum fuit in diluuio, quando animalia venerunt ad Noe, vt intrarent in Arcam, quia illa sola venerunt quæ ab Angelis adducta sunt. Diuus Augustinus in Glossa: *Non sicut venatores, vel aucupes, nec lusionis vox de nube facta est, quam rationales animæ intelligere solent. hanc enim naturaliter non intelligunt bestiæ, vel oues; sed per ministeria Angelorum, qui capiunt in verbo eius, quid quando fieri debet.* Sicut nullum animal ingressum est Arcam, vt saluaret vitam corporalem, sine eo quod adduceretur ministerio Angelico, ita nullus ingreditur cœlum, vt habeat vitam æternam, nec adducitur ad Adam in Paradisum, nisi Angeli Custodis ministerio adducatur.

Dub. 5. Ad illa verba, Exodi 4. vers. 25. *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Cur Sephora expectauit Angeli recessum, (Angelus enim qui in specie humana apparuit Moysi minabatur mortem, vt patet Malueuda) vt hæc loqueretur Moysi? Cur in præsentia Angeli non conquerit de Moyse?

S. Angeli præsentes sunt nobis, vnde nec verbo, nec facto alīquem lædamus.

Respondetur. Quod verba quæ loquutura erat Sephora viro suo Moysi erant dura, & grauia. Hinc expectauit Sephora, quoñ Angelus recederet, ne in præsentia Angeli, verbis lęderet Moysem & violaret. Oleaster: *Non est ausa dicere verba illa dura Angelo præsente.* Vnde D. Bernardus apud Hugo Cardinalis Psalm. 90. *Inquouis Angelo sunt Angeli, ne audeas illo præsente, quod me præsente non auderes.*

Dub. 6. Ad illa verba, Iob 1. vers. 6. *Quadam autem die cum venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino.* Cur dicitur, quod filij Dei, id est, Angeli secundum *Caietanum* veniunt coram Dōmino, cum semper sint coram Deo, & semper videant faciem patris in cœlo?

S. Angelus Custos ex officio it ad Deū, vt interpellet crebro pro nobis.

Respondetur. Quod Angeli non semper sunt coram Deo, quasi Deum consulentes pro nobis: sed quia crebro ex propriis officijs erga homines, eunt ad Deum, vt petant à Deo pro nobis, citantes opera nostra, & merita. Hinc dicitur quod veniunt, vt assistant coram Domino, quia recurrunt ad firmiter perseuerandum interpellando pro nobis, donec Diuinam agnoscant diffinitionem. Caietanus: *Reuera non semper coram Deo sunt, quatenus consulentes Deum, sed crebro ex propriis officijs erga nos, eunt ad Deum, hoc est, ad officium petendi à Deo: Angeli quidem ad petendum pro nobis, & ad consulendum, quid Deus velit agi ab ipsis erga nos, citando nostra opera, merita, occasiones, impedimenta, & huiusmodi, venire igitur Angelorum ad Deum, & ex officijs erga nos gestis ad officium petendi à Deo applicare intellectus, & voluntates suas.*

Sanctus Thomas Aquinas Doctor Ecclesiæ.

Dub. 1. Ad illa verba, Iudic. 14. vers. 2. *Vidi mulierem de filiabus Philisthinorum, quam quæso, vt mihi accipiatis vxorem.* Notat *Lyranus*, quod Sanson voluntatem Dei reuelauit parentibus, alias non fecissent contra legem Domini

mini præcipientis: *Deuteronom. 7. Vers. 3. Filiam eius, scilicet, alienigenæ non accipies filio tuo Vxorem.* Cur parentes Sansonis crediderunt ei, dicenti quod erat voluntas Dei, accipere Philisthæam vxorem?

Ante Natiuitatem, & in ortu S. Thomæ multa visa sunt, vt eius doctrinæ tribuatur fides.

Respondetur. Quod Sanson per Angelum fuit nuntiatus. Hinc parentes crediderunt ei, quod Dei voluntas erat, quod ei acciperent Philistheam in vxorem; quasi non deberent non credere dictis eius qui nuntiatus fuit per Angelum. Lyranus: *Bene debebant ei credere, eo quod fuerat per Angelum annuntiatus, & mirabiliter natus.* S. quidam Anachoreta dixit matri S. Thomæ. *Gaude Domina, quia concipies & paries filium, Thomasque vocabitur nomen eius Hic erit magnus in scientia, & vita, eritque frater Ordinis Prædicatorum.* Legis D. Thomam annuntiatum? Audi mirabilia quæ ante Natiuitatem, & in eius Natiuitate facta sunt. Ante Natiuitatem quidem visus est in circulo Lunæ fulgentissimæ cum habitu Sacri Ordinis Prædicatorum: in Natiuitate vero, quidam puer clamauit dicens, ad scholam, quia natus est magister, quæ omnia ad hunc finem ordinauit Deus, vt qui tot signis de cœlo, & terra fuit demonstratus, magnam sibi authoritatem compararet, & vt doctrinæ eius haberetur fides.

Dub. 2. Ad illa verba, Ezechiel 3. vers. 1. *Fili hominis quodcumque inueneris comede; comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel.* Quando datum est Ezechieli donum prophetiæ?

* S. Thomas adhuc infantulus cœlesti sapientia impletus, cum chartulam in qua scripta erat Angelica salutatio, deglutiuit.

Respondetur. Quod quando oblatum est ei volumen illud sub typo illius datum est Ezechieli à Spiritu Sancto prophetiæ donum, nec prophetauit vsque quo illud comedit, quasi idem fuisset comedere illud volumen, & prophetia donari. Maluenda: *Quodcumque inveneris comede Hebræus, quod inuenies, seu quod inuenis, comede. Quidam, quod præsens est tibi comede, id est, comede quod tibi nunc in præsentia offertur, itaque aperui os meum, id est, accepi argumentum, & hausi quodammodo donum prophetiæ, donatur Propheta Spiritu Sancto sub typo voluminis complicati.* Sanctus Thomas adhuc infans chartam continentem salutationem Angelicam sibi de cœlo à Deo missam, & inuentam in terra, manu accepit, & postea deglutiuit, & comesta charta donatus est sapientia adhuc infantulus, vnde dicit Leonardus de Vtino. *B. Thomas floruit sapientia non in ætate prouecta, sed in infantia.*

Dub. 3. Ad illa verba, Sapientiæ 14. vers. 21. *Incommunicabile nomen ligni, lapidibus imposuerunt.* Cur nomen Dei vocatur in communicabile, cum *Exodi 7. vers. 2.* dixerit Dominus ad Moysem: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Cum ergo nomen *Deus* communicatum fuerit Moysi, nomen Deus non est incommunicabile.

S. Thomas Doctor Angelicus appellatur, quia Angelũ exprimit in puritate, & scientia.

Respondetur. Quod nomen *Deus* secundum rem incommunicabile est: at per similitudinem, & participationem communicabile est homini, in quantum participat homo aliquid Diuinum, & exprimit in se aliquid per quod similis est Deo. Hinc sapientia dicit, quod nomen Dei est incommunicabile, scilicet, quantum ad rem, Moysi vero communicatum, quantum ad aliquam similitudinem, quia Dei potentiam, & virtutem participauit pro patrandis mirabilibus. Lyranus: *Hoc nomen Deus est incommunicabile secundum rem, est tamen communicabile per similitudinem, sicut hoc nomen Alexander est incommunicabile secundum rem, eo quod est vnius singularis personæ, communicatur tamen per similitudinem hominibus liberalibus liberalitatem Alexandri participantibus, & sic homines participantes aliquid Diuinum, Dij nominantur, sicut Exodi 7. De Moyse dicitur. Ego constitui te Deum Pharaonis.* S. Thomas iure appellatur Doctor Angelicus, quia hoc nomen Angelus communicatum fuit ei per similitudinem, quam habuit cum Angelis in puritate, & scientia, in puritate, nam ex quo per quietem visus est sibi ab Angelis constringi lumbos, omni postea libidinis sensu caruit; in scientia, quia sicut Angeli multa nouerunt de Deo, ita S. Thomas multa diseruit de Deo, de Christo, de Angelis, de vitijs, virtutibus, de gratia, de peccatis.

Dub. 4. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 2. *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Si tenebræ, & caligo erant super faciem abyssi, & super congregationem omnium elementorũ, quommodo abyssus habuit pulchritudinem, & splendorem? An à luce?

Sanctorum Doctorum doctrina ope D. Thomæ clara, & distincta est, & in claram lucem transmutantur.

Respondetur. Quod omnia elementa licet in suis speciebus essent substantialiter perfecta: tamen aduenientе luce, clara facta sunt, quia lux extrinsecus ea perfecit, partes debite ordinauit, sine

ne luce enim omnia ruda, & indigesta erant. Hinc ante lucem tenebræ erant super abyssum, & congregationem omnium elementorum, ratione tamen lucis reddita sunt clara, & pulchra. Abulensis: *Abyssus dicitur congregatio omnium elementorum, quæ licet in suis speciebus essent perfecta substantialiter, carebant tamen dispositione accidentali extrinsecus perficiente, ratione cuius est quædam pulchritudo siue lux in rebus, & debitus locus, & partium ordinatio.* Ita Sanctorum Doctorum scripta sub stantialiter perfecta erant, luce tamen claritatis extrinsece carebant, at aduenientе luce, scilicet D. Thoma disponuntur, illustrantur, & singulę materię debitis locis aptantur, vt iam nullę sint tenebræ super tam perfectas substantialiter doctrinas, sed vnde quaque tam intrinsice à se, quam extrinsice à dispositione, ordinatione D. Thomę clarę nant.

Dub. 5. Ad illa verba, Exodi 32. vers. 4. *Fecerunt ex eis vitulum conflatilem.* Multi affirmant hunc vitulum fuisse *apim bouem*, quem Ægyptij Summi Religione colebant, vt Deum, quem, & Israelitę hunc sicut Deum adorare instituerunt. Cur Israelitę Apim bouem colebant, vt Deum?

S. Thomæ summa in veneratione est apud Ecclesiam, concilia, & Scholas cum per eum Deum consulant de dubijs fidei.

Respondetur. Quod Apis bos consultus de dubijs responsa dabat. Hinc Ægyptij, & Hebręi Api honorem deferebant tanquam Deo, & cum effet bos venerabantur in illo quandam latentem Diuinitatem, quasi magna veneratione dignus esset, qui in rebus difficillimis consultus, dabat responsa. Abulensis: *Non quod putarent Ægyptij, aut Hebræi illum bouem esse Deum, sed aliquam virtutem Diuinam esse in boue, ita quod Deus esset intra bouem, & siue esset ille bos, quale ipsi videbant in Ægypto tanquam viuum animal, siue esset de auro, & aliqua vis Diuina veniret illi corpori, vel Deus lateret intra illud corpus, quia vtroque modo sufficiebat, cum posset loqui præcipiendo, & seipso mouendo.* Si Apis erat bos Gentilitatis. D. Thomas est bos Ecclesię, intra quem cum homo sit, Diuinam virtutem recognoscimus, & veneramur, vt assistentem illi, & intra illum latentem per quem consulit Ecclesia de dubijs fidei Deum, & per quem responsa credo suscipit. Deferant ergo tibi Api Diuino. D. Thomę reuerentiam Ecclesia, concilia, vniuersitates, Religiones, Scholę, Doctores, quia cum sis sapientissimus, nobis responsa, & oracula edis.

Dub. 6. Ad illa verba, Apocalipsis 22. vers. 7. *Beatus qui custodit verba prophetiæ libri huius.* D. Thomas ait: *Prophetia igitur libri huius omnibus modis est credenda.* Cur danda fides libro Apocalipsis? An quia inter cononicos numeratus?

S. Thomæ doctrinæ omnimoda fides exhibenda infra Diuinam.

Respondetur. Quod Angelus aperuit, & enunciauit S. Ioanni mysteria huius libri, reuelauit Sacramenta, arcana patefecit simulque approbauit scripta à S. Ioanne. Hinc omnibus modis credenda est prophetia libri huius, quia fides summa danda est propherię ab Angelo reuelatæ, & approbatæ. Diuus Thomas: *Prophetia igitur libri huius omnibus modis est credenda, quoniam Angelico ministerio authoritate commendata.* D. Thomas dicere solebat; quidquid sciret, non tam studio, aut labore tuo peperisse, quam Diuinitus traditum accepisse: Neapoli quoque cum ad imaginem crucifixi vehementius oraret, hanc vocem audiuit: *Benè scripsisti de me Thoma.* Ergo omnibus modis tenenda est, vt vera eius doctrina, quia Diuinitus tradita, & à Christo approbata.

Dub. 7. Ad illa verba, Actor. 6. vers. 5. *Elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu Sancto.* Cur S. Lucas solum laudat S. Stephanum cum alij sex Diaconi electi ab Apostolis pleni essent Spiritu Sancto, & sapientia?

Approbante Christo Doctrinam D. Thomæ, approbata manet doctrina aliorum Doctorum.

Respondetur. Quod laudata sapientia S. Stephani, omnium Diaconorum commendabatur sapientia. Hugo Cardinalis: *Hic primus ponitur, & solus laudatur, vt in vno omnes laudentur.* Christus solum laudauit D. Thomam, & iudicium D. Thomæ super omnibus materijs, de quibus agit, probauit Christus, dicens: *Benè scripsisti de me Thoma*: at in vno Thoma omnes Sacratissimi Doctores laudantur, eorumque sinceræ Doctrinæ à Christo defertur laus, & honor, cum doctrina D. Thomæ, doctrina sit omnium Doctorum, D. Hieronymi D. Augustini, D. Ambrosij, D. Gregorij, & aliorum.

Dub. 8. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 10. *Inde diuiditur in quatuor capita.* Notat Oleaster vers. 15 quod Paradisus *non habebat muros.* Si muris septus non erat, quommodo inexpugnabilis erat Paradisus?

S. Thomæ quatuor partes summæ Theologiæ Ecclesiam fœcundant, & defendunt.

Respondetur. Quod laci aquarum quatuor fluminum egredientium de Paradiso, eum ambiunt, & inexpugnabilem reddunt, vnde non egebat muris, cum ad eius custodiam sufficerent aquæ

aquæ quatuor fluminum. Abulens. *Ad radices Paradisi faciunt magnos lacus, totam Paradisi terram ambientes, vt ex nulla parte Paradisus adibilis sit.* Non solum illa quatuor flumina Paradisum fœcundant, sed inexpugnabilem efficiunt: ita quatuor flumina aquæ salubertimæ quatuor partium D. Thomæ, non solum Ecclesiam ornant, fœcundant, sed ipsam ab infidelibus defendunt.

S. Ioseph Sponsus Beatissimæ Virginis Mariæ.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 3. vers. 17. *Quia audisti vocem vxoris tuæ* Cur non dixit Deus Adæ, quia auditi vocem Euæ, vel vocem mulieris istius, vel vocem huius viraginis, quæ sunt nomina Euę, & personalia, & quę videbantur principalius illam notificare?

S. Ioseph dignitas nullo alio nomine explicatur nisi appellando illum Patrem Christi, & Sponsam Beatissimæ Virginis Mariæ.

Respondetur. Quod dum semel Eua in quantum vxor Adæ habebat maiorem coniunctionem, & connexionem cum illo, & peruenerat ex hoc ad maiorem dignitatem quam habere poterat, scilicet, esse vxorem Adæ, omnia alia nomina, quæ hanc coniunctionem non explicant, non explicabant illius præcipuam dignitatem, & ideo licet multa alia nomina haberet, volens Deus suam maiorem excellentiam indicare, non appellauit eam Euam, neque mulierem, neque viraginem, sed vxorem Euæ, quasi dignitas Euæ nullo alio modo explicatur, nisi appellando eam Sponsam Adæ. Abulensis: *Causa istius modi loquendi est, quia Adam, & Eua habebant inter se maximam attinentiam, in quantum efficiebantur vna caro, ideo quandocumque possent notificari, per nomen vnius attinentiæ, melius notificantur quam alijs nominibus.* B. Ioseph maximam attinentiã habebat ad Christum, & ad Mariam Virginem, scilicet, Patris ad illum, & Sponsi ad illam, quibus nulla similis excogitare potest, vnde eius excellentia condigne non potest explicari nominando eum iustum, filium Dauid, sed solum vocando eum Patrem Christi, & Sponsum Beatissimæ Mariæ.

Dub. 2. Ad illa verba, Psalmi 111. vers. 1. *Beatus vir qui timet Dominum.* Cur cum Dauid loquitur de timore viri Beati, & obseruantia mandatorum Dei, tantum dicit *Beatus vir*, & non Beata mulier, cum mulier timens Deum digna sit laude?

Respondetur. Quod quidquid laudis, & encomij dicitur de viro, qui caput est mulieris, de muliere quoque dicitur, & quando extollitur sanctitas viri, & mulieris sanctitas collaudatur. Hinc Dauid commendans timorem viri, & obseruantiam mandatorum Dei, mentionem non facit de muliere: laudato enim viro, simul laudatur mulier. Hugo Cardinalis: *Ephesios 5. Vir est caput mulieris: ergo quod de ipso dicitur, de ipsa intelligitur.* Tanta est similitudo inter Sanctum Iosephum, & B. Virginem in moribus, & sanctitate, quod quid dicitur de S. Iosepho, & in eo laudatur, de B. Virgine dicitur, & in ea extollitur, quia ex dignitate S. Ioseph, & virtute, dignitas, & virtus B. Virginis dignoscitur. Vnde Canticor. 2. vers. 1. Laudat se ipsum Sponsus, & Sponsam: *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias.* Cur Sponsus primo se laudat dicens: *Ego flos campi*; deinde Sponsam commendat, quod sit lilium inter spinas? Cur eam non laudat, quod sit flos campi sicut ipse? Quia laudato candore, & puritate Sponsi, puritas, & candor Sponsæ prædicatur, cum laus Sponsi redundet id Sponsam. Hugo Cardinalis. *Sponsus laudato se, laudat Sponsam, quia laus Sponsæ in ipsum redundat, & laus eius in Sponsam: omnia enim communia sunt amantibus.*

S. Ioseph cũ laudatur sanctitas, & B. Virginis sanctitas collaudatur.

S. Iosephi, & B. Virginis laudes communes sunt.

Dub. 3. Ad illa verba 4. Reg. 10. vers. 1. *Ad nutritios Achab.* Qui erant illi qui nutriebant filios Achab?

Respondetur. Quod erant viri magnates, præexcellentes in Samaria, quasi in hoc dignitas, & excellentia, seu præstantia eorum cognoscebatur, quia nutritij erant filiorum Achab. Maluenda: *Ad nutritios Achabi, id est filij Achabi commissi erant quique magnates Samariæ.* S. Ioseph præstantia inter cæteros Sanctos intelligitur in hoc, quod præ cęteris electus fuit, vt nutritius esset Christi.

S. Iosephi dignitas super omnes Sanctos colligitur ex hoc, quod nutritius fuit Christi.

Dub. 4. Ad illa verba, Isaię 1. vers. 1. *Visio Isaiæ filij Amos.* Cur Isaias gloriatur, quod filius sit Amòs? An quia dono prophetię fuit insignis, vt colligitur è 2. *Paralipom.* 32. *vers.* 32.

Respondetur. Quod in Amòs auctoritatis plurimum erat. Hinc gloriatur Isaias, quod filius sit Amòs, quasi digne, & gloriose sibi blandiatur, quod filius sit viri auctoritate, & grauitate maxima prędĭti. Maluenda: *Certe non est dubium, quin fuerit summa auctoritate, cum filius se ab illo plurimum appellet.* Dubitari non potest, quod Sanctus

Signum eiusdẽ est, quod S. Ioseph fuit vir magnæ auctoritatis, cum filius ab eo se plurimum appelles.

ctus Ioseph fuit vir magnæ auctoritatis, & grauitatis, cum Dominus Iesus se filium Ioseph toties nominet.

Dub. 5. Ad illa verba, Genes. 20. vers. 12. *Vere soror mea est filia patris mei.* Cur Abraham vocat patrem suum Aram, cum Thare fuerit pater Abrahæ? Et Aram frater primogenitus?

S. Ioseph digne gaudet titulo Patris Christi, quia Christi nutritius.

Respondetur. Quod Aram educauit Abraham, & nutriuit eum. Hinc licet Thare fuerit pater Abrahæ, tamen patrem suum nominat Aram, quasi Aram hoc nomine patris dignus sit, quia eum nutriuit. Hugo Cardinalis: *Soror mea filia patris mei primogeniti, scilicet, Aram, quem Abraham vocat patrem, quia educauerat eum.* S. Ioseph digne gaudet glorioso titulo patris Christi, quia Christum aluit, nutriuit, & educauit.

Dub. 6. Ad illa verba, Genes. 48. vers. 22. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos.* Cur Iacob sepositi Iosepho partem, seu portionem vnam, nempè prædium, seu agrum siehimitem præ cæteris fratribus? An quia Iosephum præ cæteris diligebat?

Christus debuit dare S. Ioseph maiorem gloriã, quam alijs, quia aluit eum.

R. Quod Ioseph aluerat Iacobum, & totam domum eius: inde dedit ei vnam partem, seu portionem extra fratres suos ampliorẽ, quia ampliori honore cumulandus erat, qui patrem aluit. Abulensis: *Fecit illud ex causa, scilicet, quia Ioseph aluerat eum, & totam familiam suam.* S. Ioseph Dominum Iesum aluit, & totam familiam nempè B. Virginem, debuit ergo dari illi pars gloriæ vltra Sanctos alios.

Annuntiatio Beatæ Mariæ Virginis.

Dub. 1. Ad illa verba, Prouerb. 30. vers. 19. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam viri in adolescentia.* Legit Maluenda: *Viam præualidi in adolescentula*, id est, in B. Virgine. Quænam est hæc via præualidi, id est, Christi in B. Virgine, quam penitus ignorat Salomon?

Hoc mysterium ignorat ratio, & mẽs humana non capit.

Respondetur. Quod Beata Virgo dicitur adolescentula, quia in iuuentute Christum concepit virtute Spiritus Sancti, vnde quia hoc mysterium fuit valde mirabile, occultum, arduum, dicit Salomon, quod hanc viam viri in adolescentula, penitus ignorat. Hoc enim mysterium ignorat ratio, & mens non capit humana. Maluenda: *Via viri Christi in Virgine Matre, & hæc plane occulta, ac sine vllo vestigio fuit, ac mysterium arduum, & sublime fuit.*

Dub. 2. Ad illa verba, Iudicum 3. v. 6. *Filij Israel habitauerunt in medio Chananæi, & duxerunt vxores filias eorum, ipsique filias suas filijs eorum tradiderunt.* In quo magis peccauerunt Israelitæ, an tradendo filias suas Chananæis in vxores, an accipiendo sibi in vxores filias Chananæorum?

Per B. Mariã Virginem assumptã in Sponsam Spiritus Sancti, genus humanum aliquo modo pertinet ad Ordinem Diuinum.

Respondet. Quod primum erat peius, quam secundum, quia cum mulier subijciatur viro, tradendo filias suas Chananæis, genus Israelitarum subijciebatur Chananæis, cum illorum fœminæ subijcerentur illis, quod cedebat in dedecus Iudæorum: at accipiendo Israelitæ vxores Chananæorum, isti subijciebantur illis, & sic nihil in honoratum Israelitis eueniebat. Abulensis: *Quia dehonestabatur genus Iudæorum, nam cum ipsi acciperent vxores de Chananæis, subijciebatur genus Chananæorum Iudæis, cum mulier sit subdita viro: si autem acciperent Chananæi filias Iudæorum, esset genus Iudæorum subiectum Chananæis in quo erat dedecus.* Ad rem cum accepta fuit B. Virgo in Sponsam personę Diuinę, scilicet, Spiritus Sancti, Spiritus Sanctus nihil sui decoris amisit, quia subiecit Sponsam humanam sibi, & illa, & omne genus hominum honorem accepit, eo quod ad consortium Diuinum ascendit, & sicut vere, & cum omni rigore in Christo, homo tactus est Deus, hoc aliquo modo in Maria obtinuit genus hominis, eo quod fuit Sponsa Dei. Per B. enim Virginem Mariam assumptam in Sponsam Spiritus Sancti, genus humanum aliquomodo pertinet ad Ordinem Diuinum.

Dub. 3. Ad illa verba, Iosue 23. vers. 15. *Sicut ergo impleuit opere.* Cur dicit Iosue Israelitis, quod Deus impleuit omnia quæ promisit, cum multa remanserint adimplenda? Solum enim in parte ad impleuit promissa.

B. Virgo Maria in Conceptione Filij fuit complementum totius Trinitatis.

Respondetur. Quod tempus futurum in quo impleuit Deus promissa illis, dicitur complementum illorum quæ erant antea promissa: ita Beata Virgo Maria vocatur complementum Sanctissimæ Trinitatis. Difficultas tamen est in explicanda hac propositione. Nam cum compleri aliquid supponat vacuitatem, vel defectum, cum nihil horum esse possit in Trinitate, non videtur quommodo possit compleri, nec quod Beata Virgo fuerit illius complementum, sed sic explico: Beata Virgo vocatur complementum totius Trinitatis, quia in illa fuit in tempore com-

completum, quod ab æterno de Incarnatione Verbi Diuini tota Trinitas habebat determinatum: Dixerat Pater, Ego mittam: Dixerat Filius, Ego ibo, Dixerat Spiritus Sanctus, Ego præparabo, omnia ista erant de futuro, & cum futurum per præsens compleatur, ea quæ sunt de futuro, cum de præsenti fiunt complentur. Quia ergo in B. Virgine, & per illam incarnatio futura, & à Tribus Personis promissa impleta fuit, & facta de præsenti, ideo dicitur complementum Totius Trinitatis, hoc est, totius, quod circa Incarnationem Verbi fuerat à tota Trinitate promissum. Abulensis: *Implevit opere, scilicet, non dum totum, sed id quod vsque ad tempus istud compleri debebat nam quod spectabat ex futuro complendum, non poterat dici completum, nec defecisse, sed adueniente tempore in quo promissio erat complenda.*

Dub. 4. Ad illa verba, Genes. 15. vers. 8. *Vnde scire possum, quod possessurus sum eam.* An Abraham dubitauit de promissione Diuina, quod daturus erat ei terram Chanaam? Cur signum petiuit?

Beata Virgo Maria certa de facto, quod futura esset Mater Dei, quæsiuit modum, quem nesciebat.

Respondetur. Quod Abraham non dubitauit de facto, quod Deus daturus erat illi terram Chanaam, sed quia modum nesciebat, signum petiuit: ita Beata Virgo Maria non dubitauit, quod esset futura Mater Dei, Angelo id promittente, quando dixit, *quomodo fiet istud*, sed certa de facto, quæsiuit modum, quem nesciebat. Abulensis: *De facto non dubitauit, sed modum nesciebat, & ideo conuenienter signum petit: sicut Beatissima Virgo, verbis Gabrielis assensit, tamen modum nesciens perscrutata est dicens. Luce 1. Quomodo hoc fiet, quia virum non cognosco.*

Dub. 5. Ad illa verba, Genes. 44. vers. 27. *Vos scitis, quod duos genuerit mihi vxor mea.* Scilicet, Rachel. Cur Iacob vocat Rachelem per antonomasiam vxorem, cum habuerit, & Liam, & alias.

Beata Virgo Maria per antonomasiam Sponsa appellatur Spiritus Sancti.

Respondetur. Quod Lia introducta fuit à Labano ad Iacobum, vt patet *Genes. 29. vers. 23.* At Rachel electa fuit in Sponsam ab ipso, vnde seruiuit Iacob pro Rachele septem annis. Hinc Rachel per antonomasiam dicitur Sponsa Iacob præ cæteris, quas habuit, quasi sola debeat dici Sponsa per excellentiam, quæ sola fuit electa. Caietanus: *Rachelem antonomastice appellat Iacob vxorem suam, non solum quia magis dilecta, sed etiam quia sola electa ab ipso fuerat in vxorem: Liam enim præter intentionem habuerat, & aliæ famulæ erant, quo ad conditionem, & officium.* Aliæ Sanctæ Sponsæ fuerunt Spiritus Sancti, sed minus principales propter conditionem earum; at Beata Virgo per antonomasiam, & excellentiam Diuini Spiritus Sponsa dicitur, quia electa, & præelecta à Spiritu Sancto, vt eius esset Sponsa.

Dub. 6. Ad illa verba, Ruth. 4. vers. 13. *Tulit itaque Booz Ruth, & accepit vxorem.* Cur totus populus laudibus extulit Booz, quod Ruth acceperit in vxorem?

B. Mariæ Ancillam, esse Spiritus Sancti Sponsam, & fuit opus laudabile ex parte Spiritus Sancti, & dignum præmium humilitatis B. Virginis.

Respondetur. Quod Booz erat vir potens, & nobilis, Ruth peregrina, & alienigena, nec meruit, quod esset Ancilla Booz: vnde accipere eam in vxorem fuit opus dignissimum, quod laudibus extolleretur ex parte ipsius Booz, & ex parte Ruth, quia fassa fuit non esse dignam, quod esset ancilla Booz, & in Sponsam accipi fuit præmium humilitatis Ruth. Abulensis: *Erat opus istud opus laudabile ex parte Booz, quia voluit accipere in vxorem ipsam Ruth mulierem peregrinam, & alienigenam; Booz autem erat vir potens, & magnarum opum sicut dicitur supra cap. 2. In tantum, quod Ruth dixit, quod non erat sicut vna de Ancillis Booz, quod ergo acciperet in vxorem illam, quæ non videbatur mereri, quod esset Ancilla, erat magna humiliatio Booz, & erat opus laudabile.* Beata Virgo Maria erat peregrina, & alienigena respectu Spiritus Sancti, vtpote illa humana, ille Diuinus, illa creatura, Creator ille: fassa fuit esse humilem Ancillam Spiritus Sancti, & hoc non obstante accepit eam in Sponsam, laudabile ergo opus fuit ex parte Virginis propter eximiam eius humilitatem, & ex parte Dei, quia voluit Ancillam in Sponsam suam accipere. Imò Beata Virgo per solam humilitatem concepit Deum, & Mater eius fuit effecta. Exodi 34. vers. 29. *Ignorabat, quod cornuta esset facies sua.* Moyses bis ascendit in montem ad loquendum cum Domino, & in secunda vice facies eius luminosa reddita fuit. Cur in secunda vice meruit accipere tantam

Beata Virgo per solam humilitatem cõcepit Deum, & Mater eius fuit effecta.

lucem, & non in prima? R. Quod Moyses humilis vere factus, non iudicauit se dignum esse posteriora Dei videre, & vt non videret inforamine petræ se intromisit: vnde qui ita de se humiliter iudicauit, qui assumptus erat ad videndum Deum, in præmium tantæ humilitatis, habuit in se lucem, quam videre putabat se non mereri. Abulensis: *Fuit autem hoc quando Moyses intrauit in foramine petræ.* Multoties Beata Virgo Maria locuta fuit cum Deo, & tamen filium eius non conceperat in vtero suo: quare ergo in colloquio cum Angelo concepit illum? Quia se intromisit inforamine petræ, id est, in paruitate, & æstimatione sui, in humilitate sine exemplo, at denique cum exaltaretur ad infinitam dignitatem Matris Dei, concluſit se in abiectione ſeruæ, dicens: *Ecce Ancilla Domini.*

Compassio Beatæ Virginis Mariæ.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 44. vers. 30. *Si puer defuerit, cum anima illius ex huius, anima pendeat, videritque eum non esse nobiscum, morietur.* Cur dicit Iudas Iosepho, quod si Benjamin detineatur in vinculis, vel aliquid mali patiatur, Iacob pater Benjamin moreretur?

Miraculum fuit, quod Beata Virgo non moreretur mortuo filio, cum anima, & vita B. Virginis ex Christi vita penderet.

Respondetur. Quod anima Iacob conglutinata erat animæ Benjamin, quasi dependens ab illa, vnde si Benjamin maneret in vinculis, vel quidpiam mali pateretur, necesse erat Iacob mori præ dolore de malo Benjamin. Maluenda: *Cum anima illius ex huius anima dependeat, & anima eius, ligata in anima eius: ita vtriusque vita nexa est, vt vita patris pendeat ex vita filij, quo extincto, non viuet amplius pater.* Beatæ Virginis Mariæ anima nexa erat cum Domini Iesus anima, & vtriusque vita ita ligata, quod occidere filium, erat occidere Matrem, quæ vere si non interueniſſet miraculum, mortua procul dubio fuiſſet, cum filium morientem vidit.

Dub. 2. Ad illa verba, Leuitici 22. vers. 28. *Bos siue ouis non immolabitur vna die cum fœtu suo.* Et Deuteronom. 22. vers. 6. *Si ambulans per viam, in arbore, vel in terra nidum auis inueneris, & matrem super pullos, non capies matrem cum filijs.* Cur tempus sacrificandi, hanc limitationem habebat, quod non iugularentur vna die ouis cum fœtu suo, nec mater cum filijs caperetur in nido?

Respondetur. Quod Deus præcepit, quod mater, & filius in animalibus non immolarentur eadem die, & si aliquis inueniret matrem, & pullos in nido, quod non caperet vtroſque; ſed caperet filios, & permitteret recedere matrem, quia vtrumque perimere crudelitatis gerit speciem. Caietanus: *Tempus sacrificandi limitationem habebat ex parte animalium, vt nunquam vno, eodem die iugularetur parens cum prole, & ratio est nonnulla quasi crudelitatis species.* In Ara Crucis præceperat Pater filium suum, & Virginis filium pro hominis salute immolari, si ergo vellet, quod ibi simul cum filio Mater moreretur, esset in eadem die Matrem, & filium immolare, & simul in nido Crucis filium, & Matrem capere, illum in illa, illam iuxta illum, & species videretur crudelitatis in Patre Æterno; ne ergo crudelis appareat, pereat Filius, & viuat Mater, capiatur vita filij, & Mater relinquatur abire.

B. Virginis vita miraculoſe conſeruata fuit, ne ſi Filius, & Mater eodē die moreretur, Pater Æternus crudelitatis no tateretur.

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 21. vers. 16. *Non videbo morientem puerum* Cur Agar noluit videre puerum morientem? Cur materna pietas morientem filium reliquit?

Respondetur. Quod Agar noluit videre Ismaelem filium suum morientem, ne videns vultum, & audiens vocem, cruciatumque expirantis intuens, conficeretur angore. Abulensis: *Ne videret signa cruciatus pueri in exitu animæ, in vultu, & voce, & ex hoc multum afflige retur.* Beata Virgo animosior, & fortior fuit Agar; sciens filium suum esse moriturum, voluit videre exitum animæ filij è corpore, cruciatum in morte, vocem audire ad Patrem, vultum deformatum, vt totaliter afflige retur in corde, sicut filius cruciebatur in corpore.

Beata Virgo nullum vitauit cruciatum in corde, ſicut filius nullū vitauit cruciatum in corpore.

Dub. 4. Ad illa verba, Exodi 2. v. 4. *Stante procul sorore eius.* Cur Maria soror Moysi ſtabat à longe? Cur non accedebat propè ad fratrem ſuum?

Beata Virgo Maria ſtabat iuxta Crucem videns mortem Filij, nec proprium timens periculum.

R. Quod timebat propriū periculum, ſi propè accederet, vnde procul ſtetit occul-

occultans se. Maluenda : *Significat puellæ metum, trepidationem stantis à longe, dissimulantis, occultantis, se se.* At Maria Mater Christi in maioris signum amoris, propè stabat, vtique iuxta Crucem, quia nec vis amoris, & doloris, sinebat eam quodcumque timere periculum.

Dub. 5. Ad illa verba, Genes. 22. vers. 9. *Cumque alligasset Isaac filium suum posuit eum in Altare.* Putat Abulensis : quod tantum, imo magis Abraham meruit ligando filium, quam filius se permittens ligari, quia operatio virtuosa recipit gradum bonitatis secundum voluntatis feruorem à quo procedit, speciem autem recipit ab obiecto, si ergo in Abraham fuit maior feruor, quam in Isaac, ergo magis meruit Abraham quam Isaac. Cur maior fuit feruor in Abraham quam in Isaac, cum Isaac voluerit ligari, alias non ligaretur à patre, cum patre fortior esset, vtpote triginta & septem annorum, Abraham vero centum & triginta?

Beata Virgo Maria non minus iudicandum est meruisse filium offerendo, & volendo mortem filij, quam filius moriendo considerata natura actuũ vtriusque.

Respondetur. Quod Abraham ita diligebat filium Isaac, quod mors filij durior erat Abrahæ, quam mors propria. Vnde Abraham maiorem feruorem habuit in exequendo ista ligando, scilicet, puerum, parando victimam, ignem, & gladium, quam Isaac ista permittendo. Abulensis : *Abraham autem maiorem feruorem in obediendo, & exequendo ista habuit : ita enim tenerrime diligebat filium suum Isaac, quod mors eius erat durior morte propria.* Beata Virgo ita tenerrime diligebat filium suum, quod mors illius acerbior illi erat quam filio, & ideo offerendo illum ad mortem, vt adimpleretur Dei voluntas, meruit si fas est dicere, sicut ipse filius mortuus est, quia attenta natura actus offerendi, & ex parte illius, tantum meruit in oblatione filij, quantum filius meruit moriendo ex parte actionum, quibus vitam finiuit, v.g. ligatus fuit Christus manibus, & pedibus à Iudæis, hoc, & voluit Beata Virgo, & ad hunc actum illum obtulit; quod ergo meruit Christus ligatus, hoc potest dici, quod meruit Beata Virgo Maria offerens filium, vt ligaretur, considerata natura actuum vtriusque.

Dub. 6. Ad illa verba, Genes. 49. vers. 9. *Quasi Leæna.* Cur potius mentionem facit ad suscitandum Iudam de Leęna quam de Leone? Cur Tribus Iudà Leænæ comparatur à Iacobo?

B. Virginem Mariam Iudæi non sunt ausi aprehendere in passione filij quia plus timebãt Matrem quã Filium.

Respondetur. Quod Leæna quando suos catulos quis abstulit, tunc ipso Leone fortior est, & plusquam ipse leo timenda : & benè significat Tribum Iudà postquam Regnum rapuit à domo Saulis, tunc nullus ausus fuit accedere ad Tribum Iudà, ne violentior exurgeret in iras, si aliquis raperet à Tribu Iudà Regnum. Abulensis : *Sicut leo fortis est, & terribilis cunctis bestijs, ita Leæna suo modo, maximè quando Leæna efferatur raptis catulis, quia tunc nullus eius impetum ferre poterit : est enim ipso Leone atrocior.* Iudæi volebant comprehendere Discipulos Christi, quia erant aliquid Christi; at non iniecerunt manus in B. Virginem licet magis ad Christum attineret, vtpote vera Mater eius, quia magis illam timuerunt quam eius filium. Impij Iudæi rapuerunt catulum Leænę Matris eius, timebant non solum eam comprehendere, imo ad eam accedere, quia Leænæ iratæ fortitudinem, eiusque impetum nullus Iudæorum ferre possit.

In Diluculo Resurrectionis Domini Nostri.

Dub. 1. Ad illa verba, Ezechiel 8. vers. 14. *Ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem* ait *D. Augustin.* quod mulieres post planctum lætatæ sunt de Adonide. Quæ fuit causa planctus, & lætitiæ mulierum? Si planxerunt Adonidem, cur lætabantur de Adonide?

Non minus exultare debemus de Christo resurgente, quam tristari fuimus de ipso mortuo.

Respondetur. Quod mulieres plangebant amasium veneris mortum, at rediuiuum laudabant magna cum lætitia. Hinc cum prius flerent super mortuum Adonidem, lætabantur de resuscitato Adonide, quia non minus exultare debuerunt de ipso rediuiuo, quam tristari de ipso mortuo. Diuus Hieronymus apud Maluendam : *Quia iuxta Gentilium fabulam immense Iunio Amasius veneris, & pulcherrimus iuuenis occisus, & deinde reuixisse narratur, eundem Iunnium mensem eodem appellant nomine, & anniuersariam ei celebrant solemnitatem, in qua plangitur à mulieribus quasi mortuus, & postea reuiuiscens canitur, atque laudatur.*

Dilectum filium B. Virginis Tribus diebus planxerunt fideles, at cum hodie redijt ad vitam, & reuiuiscit, magnam hauriunt lætitiam, non minus gaudendum est de ipso resurgente, quam flendum de eo in Cruce moriente.

Dub. 2. Ad illa verba, Iudicum 5. vers. 28. 29. 30. *Vlulabat mater eius, cur moratur regredi currus eius? Forsitam nunc diuidit spolia.* Putat *Maluenda*, quod vna sapientior ex vxoribus Sisaræ dixit hæc verba socrui, id est, matri Sisaræ, quæ dolebat de mora filij sui, hac ratione dixit, vt solaretur matrem Sisaræ. Cur sapientior ex illis consolabatur matrem Sisaræ his verbis?

Beata Virgo Maria anxiata de filio, quia tardabat ad eam venire rediuius, consolatur audiés prospera de filio.

Respondetur. Quod sapientior ex vxoribus Sisaræ, videns matrem Sisaræ vlulantem, quia moram faciebat Sisara, dixit ei consolando eam, *forsitam diuidit spolia.* quasi dicat; non conqueraris, quia licet multum tardet, non morabitur in bello, sed in diuisione spoliorum, quod prosperum est, quasi mater Sisaræ non aliter consolaretur, nisi quæ prospera erant annuntiarentur de filio. Hugo Cardinalis: *Mater eius dolebat de mora eius causam ignorans, & ideo de fenestra respiciens, si venerit filius eius, conquerendo dicit, cur moratur? Vlulabat, quod est signum doloris.* Eadem dici possunt B. Mariæ, quando dolorosa de morte Filij, & anxiosa nimis, eius redditum expectabat, & cruciabatur angustijs, quia non veniebat. Beata Virgo Filius tuus non moratur in bello, non detinet eum belli conflictus, quia fœliciter vicit, sed moratur in diuisione spoliorum, hoc est, in auferendo spolia ab inimico, animas sanctorum à potestate dæmonis, quod prosperum est, corpori eius pulchertima anima sua præparatur, vestes diuersorum colorum Filio tuo traduntur, hoc est, animæ Sanctorum Patrum, quas inimicus in Limbo detinebat, suppellex varia ad eius ornandum collum congeritur, hoc est, lapides pretiosi, quales sunt plagæ quinque quas ad ornatum sui corporis reseruauit, vt sic vestitus, & decoratus rediens ad viuos, tuæ Sanctissimæ animæ afferat consolationem. Igitur Beata Virgo Maria anxiosa de Resurrectione Filij sui, de qua tamen certa erat, diceret fortasse. Quommodo filius tardat ad me venire? Quommodo non resurgit? Possumus illam consolari dicendo: Domina nostra non tardat, quia iuit ad eripiendas animas in Limbo existentes, & auferendum spolia hæc ab inimico, quem diuicit in Cruce.

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 41. vers. 51. *Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum.* Cur Ioseph nato Manasse filio, dicit quod oblitus fuit omnium laborum quos sustinuit? An non recordabatur laborum, quorum memoriam faciebat?

Beata Virgo Maria adeo gauisa est videns Filium Glorioſum, quod non recordabatur ad mæstitiã dolorũ quos sustinuit in morte illius.

Respondetur. Quod Ioseph recordabatur omnium malorum quæ passus fuit, sed nullum mærorem ex tali memoria percipiebat, quia gaudium præsens de filio nato, omnem molestiam malorum præteritorum effugabat. Honcala: *Quod autem dicit omnium laborum suorum, domumque patris sui se Dei beneficio oblitum fuisse, non est sic accipiendum, quasi eorum non recordaretur, quorum memoriam faciebat; sed quod ad tantam peruenit prosperitatem, vt bonorum præsentium gaudium, malorum præteritorum tristitiam penitus aboleret.* Beata Virgo Maria quando vidit Filium tam glorioſum, oblita fuit dolorum omnium, quos in sua morte habuit, qui, & si ad memoriam veniebant, imo ex illa nunquam abierant quantum ad recordationem, tamen quantum ad mæstitiam, iam non erant, quia lætitia tam excellentis gloriæ filij sui, tristitiam, & dolorem de morte illius expellebat.

Dub. 4. Ad illa verba, Canticor. 2. vers. 11. *Surge amica mea.* Putat Maluenda: *Emphasim continere huiusmodi loquutionem, quasi dicat: surge alacriter, cito, ardenter.* De qua re lætata est Beata Virgo Maria an de Resurrectione filij mortui, an de Gloria corporis?

Beata Virgo Maria habuit in passione Filij multiplicem pœnam: at in Resurrectione suscepit geminatam lætitiam.

Respondetur. Quod licet Beata Virgo Maria videns filium suum à mortuis ad vitam redeuntem, maximam traxerit lætitiam, quia iam imber abijt, & recessit, & præcedens tempus passionis, vtpote totum hibernum, & procellosum iam transierit, & filius resurrexerit: tamen perfusa fuit alio incredibili gaudio videns, quod flores apparuerunt in terra sua, id est, in-

intuens filium glorificatum habens corpus : quæ enim tempore passionis filij multiplici pœna fuit afflicta, hodie habuit geminatam lætitiam in Resurrectione filij, & glorificatione corporis. Diuus Thomas Sermone de Resurrectione : *Fuerunt autem in Christo tria genera florum. Primi flores rubei secundi nigri, tertij candidi. Fleres rubei sunt guttæ sanguinis, nigri liuores vulnerum, candidi splendores glorificati corporis. Fuit ergo Iesus totus floridus, quia circundatus rosis, id est, guttis sanguinis, ornatus vialis, id est, liuoribus vulnerum vallatus lilijs, id est splendoribus glorificati corporis.*

Resurrectio Domini Nostri.

Dub. 1. Ad illa verba, Isaiæ 43. vers. 2. *Asscendit sicut virgultum coram eo.* Cur Dominus in Resurrectione se comparat virgulto? Cur non cedro excello, vel elatæ palmæ?

Christus in passione non habuit decorem, nec speciem : at in Resurrectione decora, & pecie prædita.

Respondetur. Quod virgultum tempore hyemis deforme est, & despectum : verno tamen tempore pulchritudinem habet, vtpote frondibus vestitum. Benè ergo Dominus Iesus virgulto comparatur : in hyeme enim passionis deformatus fuit, species quoque immutata ; in vere autem Resurrectionis splendore, & pulchritudine micabat, quia dotibus glorificati corporis tanquàm floribus decoratus. Hugo Cardinalis: *Placet virgultum in vere, sed in hyeme contemptibile est : sic Christus in Resurrectione fuit floridus, sed in passione contemptus, cæsus, & conspu-tus.*

Dub. 2. Ad illa verba, Apocalips. 4. vers. 7. *Et animal primum simile Leoni, & secundum animal simile vitulo.* Cur D. Ioannes dicit quod primum animal, quod vidit erat simile Leoni, & secundum simile vitulo : cum *Ezechielis* 1. *vers.* 10. legatur, quod primum animal habebat faciem hominis, & secundum faciem Leonis, *similitudo vultus eorum facies hominis, & facies Leonis.* Cur ergo. Diuus Ioannes posuit primum animal habens faciem Leonis, Ezechiel vero primo loco posuit animal habens faciem hominis?

Respondetur. Quod Christus Resurrexit ad fidei nostræ instructionem, quia per eius Resurrectionem confirmata est fides nostra circa Diuinitatem Christi, nam vt dicitur 2. ad Corinth. vltimo, *se crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* Vnde S. Ioannes primum animal posuit Leonem, in quo representatur Resurrectio, quia in hac innititur fides Diuinitatis. Hugo Cardinalis : *Fundamentum Christianæ fidei maximè innititur Resurrectioni Christi, & hæc omnia iam completa viderat Ioannes, propter primum posuit illud animal, scilicet, Leonem, secundum quod significatur Resurrectio, Ezechiel adhuc futurum, & longe post expectabat, vnde quod prius expectabat venturum, scilicet, Incarnationem Filij, prius descripsit. Vnde animal habens faciem quasi hominis ante cætera vidit, & ostendit.*

In Resurrectionis mysterio fides Diuinitatis Christi enitetur.

Dub. 3. Ad illa verba, Lucæ 1. vers. 32. *Filius altissimi vocabitur.* Quando Christus appellatus fuit filius altissimi, cum in Sacro Textu non legamus sic vocatum, sed filius hominis passim nominetur.

Respondetur. Quod Christus hucusque nominabatur filius hominis. *Matth.* 24. *vers.* 30. *videbunt filium hominis venientem, & cap.* 25. *vers.* 43. *Filius hominis tradetur* : at in die Resurrectionis, non filius hominis, sed Altissimi Filius appellatur, quia surrexit ad immortalitatem, & impassibilitatem, quam habet Altissimus: impassibilitas enim, & immortalitas hodie ostendunt eum esse Altissimi Filium, sicut ante passionem mortalitas manifestabat eum esse filium hominis. Diuus Vincencius Ferrer. Sermone de Annuntiatione : *Filius Altissimi vocabitur, ecce Resurrectionem. Dicunt Philosophi, quod diffinitio hominis habet vnum genus, & duas differentias, quia homo est animal rationale, mortale. Ante passionem autem Christus erat rationalis, mortalis, ideo poterat vocari filius hominis, sed post Resurrectionem, tantum debet vocari Filius Altissimi, quia immortalis est, & impassibilis.*

Impassibilitas, & immortalitas ad quã surrexit hodie, ostendunt Christũ esse non hominis filium, sed Altissimi.

Dub. 4. Ad ille verba, Ioann. 20. vers. 28. *Dominus meus, & Deus meus.* Iuxta textum Græcum habetur articulis: *Ille Dominus meus, ille Deus meus.* Cur solum hic in toto Euangelio Dominus Iesus appellatus est Deus, & cum articulo ille Deus meus.

Christus resurgens ostendit potentiã quæ Dei est.

Respondet. Quod hucusque Christus manifestauit quæ hominis erant,

cum ieiunauit, esuriuit, sitiuit, fatigatus fuit, passus, mortuus, & sepultus: at hodie resurgens ostendit quæ Dei sunt, scilicet, potentiam, & virtutem Dei, quia ipse potentia sua, & virtute, vtpote verus Deus, à mortuis se excitauit: vnde cum tanta virtute, & potentia propria, scilicet, Diuina surrexerit, potius Deum quam hominem appellandum iudicauit Thomas Apostolus. Caietanus: *In textu Græco præponitur articulus dictioni Dominus, & alter articulus dictioni Deus. Et hic est solus textus in Vniuersis Euangelijs, in quo Iesus in carne appellatus est Deus. Hic enim clare Iesus appellatur Deus cum articulo, ad explicandam Iesu veram Diuinitatem, quem madmodum appellando Dominum cum articulo, explicat supremum dominium.*

Dub. 5. Ad illa verba 1. ad Timoth. 1. vers. 1. *Iesu Christi spei nostræ.* Cur Christus dicitur spes nostra? An vt ad eum veniamus sicut S. Paulus sperabat. Philipens. 1. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo?* An quia per ipsum speramus adipisci bona æterna, sicut dicebat Apostolus ad Roman. 12. *Per consolationem scripturarum spem habeamus?*

Resurrectioni Christi innititur spes nostræ immortalitatis secundū corpus.

Respondetur. Quod Christus quatenus gloriosus, & immortalis secundum corpus, est spes nostræ immortalitatis, & gloriæ: conuenienter ergo dicitur ab Apostolo spes nostra, quia spes nostræ beatitudinis innititur Resurrectioni Christi. Caietanus: *Adiungit spei nostræ, eo quod Christus immortalis iam, & glorioſus secundum corpus, est spes nostræ futuræ beatitudinis. Christi namque Resurrectioni innititur spes nostra, quod erimus quoque nos immortales secundum corpus.* Vnde Ioannis 16. vers. 28. Christus dixit Discipulis: *Vado ad Patrem* ad Patris, scilicet, immortalitatem, vt exponit *Hugo Cardinalis.* Cur dixit, quod ibat in ascensione ad immortalitatem Patris, non vero ad possidenda bona parata sibi à Patre? Nimirum, vt sperarent Discipuli suorum corporum immortalitatem in fine: vnde congruenter dixit illis, quod ibat ad immortalitatem Patris: immortalitas enim Christi in spem erigebat Discipulos de suorum corporum immortalitate. Hugo Cardinalis: *Vado ad Patrem in ascensione ad Patris immortalitatem. Et nota quod multum mitigabat eos sermo Resurrectionis, ideo dicit eis Iesus, Vado ad Patrem. Per hoc enim sperabant se etiam resurrecturos in fine.*

Dub. 6. Ad illa verba, ad Roman. 12. vers. 4. *In nouitate vitæ ambulemus.* Cur Apostolus loquens de Resurrectione Christi, consilium dat, quod in nouitate vitæ ambulemus, & hoc non consulit cum de alijs Christi mysterijs agit?

A tempore Resurrectionis homo nouum viuendi modum suscipiat.

Respondetur. Quod ab hac die Resurrectionis debent homines ab impura vita ad honestam traduci, nouum vitæ modum instituere. Hinc consulit Apostolus, quod postquam Christus surrexit à mortuis, in nouitate vitæ ambulemus, id est, in noua vita. A tempore enim Resurrectionis homo honestam viuendi rationem exordiatur. Hugo Cardinalis: *In nouitate vitæ ambulemus. Inde tractum est alicubi in consuetudinem, quod Clerici vadunt omnes in superpelliceis. Psalm. 103. Emitte spiritum tuum, & creabuntur. Ephes. 4. Renouamini spiritu mentis vestræ, hoc etiam significat renouatio vestium, sed heu ancilla parata est, non Domina anima. Marci vlt. Viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida. Matth. vlt. Erat aspectus eius sicut fulgur. Per iuuenem significatur strenuitas benè operandi in baptismo, per dexteram, quod operari debemus pro æternis, per stolam perseuerantiam, per candorem munditiam conuersationis, per ruborem faciei, ardor charitatis.*

S. Petrus Martyr.

Dub. 1. Ad illa verba 1. Paralipom. 5. vers. 1. *Data sunt primogenita eius filijs Ioseph.* Cur Ioseph diuisus est in duas tribus Manasses, scilicet, & Ephraim? Cur istæ acceperunt duas sortes? Cur non datæ fuerunt primogenito Iacob, scilicet, Rubem?

Ex S. P. N. Dominico consurgiunt quasi duæ Tribus, fidei cui præ est S. Petrus Martyr, sapientiæ cui præ est S. Thomas Aquinas.

Respondetur. Quod Iacob priuauit primogenitura filium suum Ruben, quia violauit thorum patris sui, & transtulit primogenita in Ioseph, & cum primogenitus haberet duplum de bonis patris, quam quilibet ex alijs fratribus, scilicet, successionem in meliore, & opulentiore portione hæreditatis, & bonorum patris, vt ipse maiorem, & præstantiorem partem hæreditatis obtineret, vt patet *Genes. 25. Vers. 31. Deuteronom. 21. Vers. 17.* hæc melior pars, & portio bonorum patris trãslata fuit à Iacob in Ioseph, & Ioseph diuisit eam inter duos filios Manassen, & Ephraim, & cœperunt esse duæ Tribus, & acceperunt duas sortes. Vnde duo filij Ioseph Manasses, & Ephraim ob-

obtinuerunt opulentiorem, & meliorem portionem hæreditatis patris sui Ioseph. Abulensis Numerot. 10. quæst. 9. *De Ioseph quod diuideretur in duas Tribus. Causa fuit quia Iacob voluit illi dare ius primogenituræ: pertimebant enim primogenita ad Ruben, quia ille erat prior Natiuitate. Genes. 29. Sed quia offendit patrem maculando cubile eius, priuauit eum primogenitura, iubendo quod non crescceret. Genes. 49. Et quia inter gentes illo tempore consuetum erat, quod primogenitus haberet duplum de bonis patris, quam quilibet aliorum fratrum, & sic etiam postea Deus statuit illud in lege sua. Deuteronom. 21. Voluit Iacob transferre ista primogenita, id est, duplum de possessione in aliquem alium de filijs suis, & transtulit in Ioseph, & tunc duo filij sui Manasses. & Ephraim cœperunt esse duæ Tribus, ita vt acciperent duas sortes sicut quælibet aliæ duæ Tribus. Genes. 48. & istud patet 1. Paralipomen. 5. vers. 1. Ruben fuit primogenitus Israelis, sed cum violasset thorum patris sui data sunt primogenita eius filijs Ioseph.* Ita Christus Dominus vtpote primogenitus Æterni Patris duas portiones præcipuas accepit: fuit enim caput omnium fidelium per fidem, & caput omnium Doctorum per sapientiam. Has duas portiones dedit suo primogenito per amorem, scilicet, D. Dominico: in super S. P. Dominicus partiuit istas duas portiones filijs suis S. Thomæ Aquinati, & S. Petro Martyri: vnam portionem, scilicet, fidem dedit S. Petro Martyri; alteram nimirum sapientiam dedit S. Thomæ Aquinati, & ex inde factæ sunt quasi duæ Tribus in Religione S. Patris N. Dominici, altera fidei, cuius caput est S. Petrus Martyr, altera sapientiæ, cuius caput est S. Thomas Aquinas, vt ex S. P. N. Dominico consurgerent quasi duæ Tribus, altera fidei, cui præesset S. Petrus Martyr, altera sapientiæ, cui præesset D. Thomas Aquinas.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 16. *Custodiret illum.* A quo custodiuit Adamus Paradisum, cum Paradisus esset inadibilis?

S. Petrus Martyr positus in Ecclesia à Deo, vt hæreticos propulsaret.

Respondetur. Quod bestiæ ambiebant Paradisum, aditumque quærebant, vt in Paradisum, qui non habebat muros, pedem inferrent: vnde Deus posuit Adamum in Paradisum, vt eum custodiret arcendo bestias ab eo. Oleaster: *Voluit autem vt ab eo bestias arceret, vnde constat non habuisse muros.* Summus Pontifex S. Petrum Martyrem Inquisitorem hæreticæ prauitatis ordinauit, vt Paradisum Ecclesiæ; quæ quasi muros non habere videbatur, custodiret, & bestias, id est, hæreticos arceret, seque accerrimum defensorem: propugnatoremque præberet. Hinc est, quod à tenera ætate, cum scilicet, esset septem annorum hæresi valide se opposuit, & hæretici timebant, quod in prouecta ætate bellum gereret aduersus hæreses. Hugo Cardinalis de Moyse ex aliorum relatu hæc refert Exodi 2. vers. 10. *Admirans Pharao Moysis venustatem, coronam suam, quam tunc forte gestabat imposuit capiti suo, scilicet, Moysis, puer autem coronam proiecit in terram, & fregit, in qua erat fabrefacta imago Hamonis, id est, Iouis. Quod videns Sacerdos Heliopoleos stans à latere Regis: exclamauit. Hic est puer, quem nobis Dominus occidendum monstrauit, vt de cætero timore careamus.* Æthnicus, & idololatra Sacerdos cauebat se, imo, & Ægyptij, à Moyse, quia à pueritia idola proiecit, & imaginem iouis fregit, timentes quod qui in tenera ætate destruebat idola, in prouecta idola deleret. Patruus S. Petri Martyris indigne ferens se confutum à puero dicente, quod Deus erat Creator rerum visibilium, timuit quod fidem Manichæorum confunderet, & omnes Manuchæi timebant eum, quia putabant, quod qui septem erat annorum, & bellum inferebat hæresi, cum esset ætatis maturioris, bellum exitiosum in diceret Manuchæis.

S. Petrus Martyr à pueritia timebatur ab Hæreticis, in signum, quod in prouecta ætate futurus erat valde exitialis Hæreticis.

Dub. 3. Ad illa verba, Lucæ 22. vers. 32. *Ego autem rogaui pro te. Vt non deficiat fides tua.* Cur dicit Christus, quod rogauit pro Petro, ne deficeret in fide, cum etiam rogauerit pro alij Apostolis. Ioannis 17. *Pater Sancte serua eos à malo.* Cur ergo pro Petro dicit Christus rogasse?

Respondetur. Quod fides omnium continebatur in Petro tanquam in capite, & rogando pro Petro, ne deficeret fides eius, rogabat pro alijs quos confirmaturus erat, ne caderent à fide. Hinc dicit Dominus, quod rogauit pro stabilitate fidei Petri, quia rogare pro Petro capite, redundabat in rogasse pro alijs, qui erant membra. Caietanus: *Non dicit rogaui pro vobis, cum tamen pro eis rogauerit, dicendo, Pater Sancte serua eos à malo, sed pro te ratione officij: quoniam rogasse pro te, redundat in rogasse pro fratribus tuis, quos*

B. Virgo Maria rogauit filium pro fide S. Petri Martyris, quia caput futurus erat Inquisitionis.

confirmaturus est. Ego itaque rogaui pro te non singulariter exclusis alijs, sed præcipue tanquam aliorum futuro capite S. Petrus Martyr disputaturus cum hæretico in cauillationib s acuto, accessit ante Altare B. Virginis, orans, vt defensioni fidei succurreret. Et ecce mox audiuit vocem ab Imagine B. Virginis illi dicentem. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, sicut, & filius meus rogauit patrem pro suo Apostolo Petro. Sicut ergo Christus rogauit patrem, ne Petrus deficeret à fide, quia caput erat Ecclesiæ, & tenebatur alios in fide confirmare, ita Beata Virgo rogauit pro Petro Martyre, ne à fide caderet, quia erat caput Inquisitionis, & ad eum attinebat confirmare ministros hæreticæ prauitatis, ne à fide deficiant.

Dub. 4. Ad illa verba, ad Hebræ. 11. vers. 29. *Fide transierunt mare rubrum tanquam per aridam terram.* Cur fidei attribuntur miracula potius quam charitati: cum dicatur 1. Corinth. 3. *Maior autem est charitas.*

S. Petrus Martyr ob tempe rauit Deo per fidem, & in præmium fidei suæ, obedierunt S. Petro creaturæ.

Respondetur. Quod hoc meruit, fides Israelitarum, quod aquæ maris rubri obedirent eis, vt transirent Hebræi tanquam per tritam terram: quia enim per fidem commiserunt se ad transeundum, mare fuit sicut terra arida ad eorum transitum. Hugo Cardin. *Attribuntur autem fidei miracula, quoniam iustum est, quod sicut per primam in obedientiam amisit homo creaturarum obedientiam, quam ei debebant: ita per primam obedientiam recuperaret eam, sed hoc est opus fidei, quæ scilicet, subijcit, & facit intellectum obedire Deo, sicut dicitur 2. Corinth. 10. in captiuitatem.* S. Petrus Martyr rogatus Mediolani à quodam Episcopo Hæræsiarcha, quod rogarer Deum, vt nubem aliquam Soli opponeret, vt sic populum coram quo erat disputatio inter Episcopum, & S. Petrum, refrigeraret, statim S. Petrus signum Crucis edidit, nubes in aerem ascendit, & se inter Solem, & populum interponens in modum papillionis, cunctos ab æstu refrigerauit. Quia enim S. Petrus à tenera ætate captiuauit intellectum in obsequium fidei, quid mirum, quod eo iubente nubes se interponat inter solem, & populum obediens S. Petro?

Dub. 5. Ad illa verba, Isaiæ 44. vers. 5. *Hic scribet manu sua Domino.* Interlinealis, *vt de terocinio se Christi militem glorietur.* Quis est iste specialiter commendatus à Propheta, qui manu sua scripsit Domino, & scribendo gloriatus fuit se esse de militia Christi?

S. Petro Martyri concessum priuilegium, vt hora mortis scriberat digito sanguine suo intincto, fidē pro qua patiebatur.

Respondet. Quod est S. Petrus Martyr: cum enim Sanctæ Inquisitionis munus gereret, impius sicarius semel atque iterum in capite gladio vulnerauit illum Como Mediolanum redeuntem: iamque pene mortuus symbolum fidei, quam infans virili fortitudine confessus fuerat, in ipso supremo spiritu pronuntiauit, digitoque scripsit in terra *credo in Deum* S. ergo Petro Martyri concessum est speciale priuilegium, vt fidem pro qua patiebatur, hora mortis scriberet in terra. Aluarez Episcopus in Italiam: *Commendat specialiter S. Petri Martyris Veronensis constantiam, qui cum verbo non posset fidem pro qua patiebatur fateri, digitum in proprio sangine intingens scripsit super terram, credo in Deum.* Quis Martyrum manu sua scripsit fidem in extremo spiritu? Nullus, quia hoc priuilegium reseruatum fuit S. Petro Martyri.

Dub. 6. Ad illa verba, Exodi 39. vers. 26. *Mitras cum coronulis.* Quot mytras seu coronas habuit Aaron? An vnam sicut quilibet minorum Sacerdotum?

Alij Sancti habent vnā, vel duas coronas S. Petrus habet tres, vt pareat differentia inter istum, & illos.

Respondetur. Quod alij minores Sacerdotes habebant vnam coronam: at Aaron habebat tres, scilicet, Cydarim, Tiaram, & laminam auream in fronte, vt pateret magnam fuisse differentiam inter Aaronem, & alios Sacerdotes, quasi præstantior esset Aaron cæteris Sacerdotibus, cum hic tres coronas habuerit, alij vero Sacerdotes vnam. Abulensis: *Aaron qui erat Sacerdos magnus duas coronas habebat, aut quasi tres, quilibet autem minorum Sacerdotum vnicam habebat. Habebat namque primo Aaron quandam cucusam rotundam de byso, quæ vocatur Cydaris, vt patet. Exodi 28. habebat autem aliam secundam quæ erat mytra tota hyacinthina, quæ alias vocatur tyara, vt ibi patet, erat tertia, quasi corona Aaron, scilicet, lamina aurea posita in fronte eius.* Alij Sancti fuerunt, vel Doctores, vel Virgines, vel Martyres, vel vtrmque simul Virgines, & Martyres. & habent vnā, vel duas coronas: at S. Petrus Martyr tres habet in cœlo coronas, scilicet, Martyris, Doctoris, & Virginis, vt ex his colligatur præstantia eius inter cæteros Martyres. *Pro Inquisitione.* Vide fol. 208.

S. Chatarina Senensis.

Dub. 1. Ad illa verba, Exodi 24. vers. 11.

11. *Viderunt que Deum, & comederunt, & biberunt.* Cur dicitur de senioribus Israel, quod postquam viderunt Deum, comederunt, & biberunt: Moyses vero viso Deo, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, nec comedit, nec viuit?

S. Catarina Senensis quãtum de Deo fruebatur quasi à posteriori colligitur ex ieiunio à die cinerum vsque ad ascensionem.

Respondetur. Quod licet Israelitæ viderint Deum sicut Moyses quantum ad aliqualem substantiam visionis (viderunt enim quandam Dei similitudinem) non tamen ita perfecte sicut Moyses: ideo Israelitæ vila illa Dei similitudine comederunt, & biberunt, quia illa visio non abstulit ab eis inopiam cibi, & potus: at Moyses vidit Deum, & quadraginta diebus, & totidem noctibus sine cibo, & potu vixit: vt per tale ieiunium, quantum de Deo fruebatur cognosceretur. Abulensis ex Rabbi Abraham Abenezra: *Licet isti viderint Deum tamen illa visio non fuit ita clara, & consolatiua, quod auferret ab eis omnium ciborum atque potuum inopiam, sicut fuit in Moyse, qui tantum fuit eleuatus, & consolatus per illam Diuinam consolationem, quod non egit cibis, & potibus in quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* S tanta fuit consolatio Moysis ex viso Deo, quod potuit ieiunare quadraginta diebus, & noctibus, ergo duplo maior esse debuit consolatio Diuina, quam habuit S. Chatarina, quæ plusquam duplo tempore sine cibo, & potu vixit, & ieiunauit. Ratio est, quia maior excessus fruitionis Dei, & consolationis Diuinæ ex maiori carentia cibi, & potus intelligitur, & hæc est mensura illius, ergo iuxta hanc regulam, si S. Chatarina octoginta diebus à die cinerum vsque ad ascensionem ieiunium protraxit, maiori consolatione Diuina, quam Moyses fruebatur.

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 15. vers. 20. *Maria soror Aaron.* Cur dicitur Maria Aaronis soror, non Moysis, cum Moysis etiam esset soror?

S. Chatarina fuit specialiter Sponsa Christi, & filia, quia singulariter Christi cœlauit honorem.

Respondetur. Quod quando Maria percussa fuit lepra, Aaron magis doluit de eius malo quam Moyses: ideo Aaron quasi solus frater eius esset, appellatur frater Mariæ, & illa solum soror Aaron, quasi solus Aaron meruerit nuncupari frater, qui solus de malo sororis doluit. Abulensis: *Quia Aaron multum se ostendit pro ea cœlare, quando percussa fuit lepra propter murmurationem.* S. Chaterina fuit specialiter Sponsa Christi, & filia, quia specialiter Christi cœlauit honorem: cum enim inter Florentinos, & Pontificem Gregorium Vndecimum oriretur dissensio, interdicuntur Florentini, & excommunicantur, qua de re Chaterina valde anxia Auinionem ad Pontificem perrexit de rebus componendis tractatura: alio quoque tempore de morte Pontificis orto scismate in Ecclesia, vehementius affligebatur, & quo ad vixit maximus fuit huius S. Virginis ardor, studium, incendium salutis animarum, & Diuinæ laudis, quia ergo singulariter Dei cœlauit honorem, & de malis Ecclesiæ vehementissime tabescebat, specialior fuit Sponsa Christi.

Dub. 3. Ad illa verba, Iudicum 4. vers. 4. *Debbora Prophetis.* Maluenda ait: *Debbora apem, eloquentem, oraculosam significat.* Cur Debbora eloquens, & oraculosa nuncupabatur?

Summus Pontifex, & Cardinales in grauissimis Ecclesiæ negotijs consultam S. Catarinam sequebantur, tanquàm Dei oraculum, & responsum.

Respondetur. Quod Debbora cum oracula fundebat, & responsa dabat, hominum animos oratione suaui allicie bat mirabileque ordine, & eloquentia Dei responsa dedit: vnde congrue eloquens, & oraculosa, seu oraculum nuncupabatur, quia fœmina sapientissima, Israelitis quasi Diuina responsa, & oracula, cum suscipiebatur cum ea consilium, edebat. Maluenda: *Debbora apem eloquentem, oraculosam significat, qualis nomen ei præsagio inditum, quod mirabili ordine, & eloquentia oracula funderet.* S. Chatarina Senensis conuenienter eloquens, & oraculosa appellari potest, eloquens quidem, quia cum coram Summo Pontifice, & Cardinalibus oraret, orationis flummen, Diuinum quoddam, atque incredibile dicendi genus, summam vim, & vbertatem ostendit: oraculosa vero, seu oraculum, quia ita adhærebant consilio S. Catherinæ consultæ, sicut adhærerent responsioni, & oraculo Dei consulti.

Dub. 4. Ad illa verba, Exodi 3. vers. 14. *Ego sum qui sum.* Cur Deus non manifestauit Moysi nomen suum? Cur nomen occultauit?

S. Catarina dixit confessario suo ego sum qui sum, vt cognoscatur differentia, imo quod sit maior inter creaturas.

Respondetur. Quod Deus non indiget nomine: licet enim sint plura supposita Diuina, non tamen sunt plures pares Dij, vnde cum nomen imponatur ad discretionem inter individua similia, & Deus sit vnus, nomine non eget, denotante differentiam inter individua: vnde Moysi non manifestauit nomen suum, sed dixit illi: *Ego sum qui sum*, vt innuat excellentiam, & super omnes præstantiam. Abulensis: *Nec indiget Deus nomine, quia nomen impo-*

ni-

mitur ad denotandam differentiam, & faciendum discretionem inter individua similia; cum autem Deus vnus sit, vt patet Deuteronomij 6. Audi Israel, Deus tuus vnus est, non indiget nomine, quia non sunt plures pares essentiæ Diuinæ vel plures pares Dij, licet sint plura Diuina supposita, quod longe aliud est. Ad rem; inter immensa prodigia quæ Deus contulit S. Catharinę tere in ponderabile apparet, quod appareret cum effigie Patris Æterni, cum hominis figura, & barba, sicut Pater Æternus effigiari solet, & cum confessarius eius stupefactus ex visione interrogaret ab illa, quis nam esset, respondet, *ego sum qui sum*, verbi quæ Deus verus in sui cognitionem venire cupientibus protulit. Quando interrogatur Chaterina *quis est*, vt respondeat, non indiget nomen proferre, quia si nomen deseruit ad discretionem personarum, & individuorum similium, cum nullus sit Chaterinæ æqualis, nec similis, non eget nomine vb ab alijs descernatur. Etenim vna est, nec parem habet in charitate, in pœnitentia, in eleemosina, in abstinentia totali à cibo, in colloquijs cum Deo, in vnitate cordis cum Christo, in corona spinea, in prædicatione Euangelij, in prophetiæ spiritu, adeo vt si plura sint humana suppositi; quod longe aliud est à gratiæ perfectione, in hac fuit tam singularis, & sola, quod vt dignoscatur inter cæteras, non indiget nomine, sat est dicere, *ego sum qui sum.*

Dub. 5. Ad illa verba, Deuteronom. 13. vers. 15. *Totam suppellectilem eius congregabis in medio plateæ eius, & combures igne Ciuitatem Domino Deo tuo.* Quommodo poterat incendium Ciuitatis esse in obsequium Dei, cum homines ibi cremarentur, & tamen combustio illorum non erat placens Deo?

S. Catarinæ Senensis stigmata placuerum Deo ex duplici capite, scilicet, Christi infligentis, & Chatarinæ suscipientis.

Respondetur. Quod mors illa erat placens Deo ex parte eam infligentium, non ex parte eorum qui moriebantur, vnde patet posse aliquam passionem placere Deo ex vno capite, quin ex alio placeat. Abulensis: *Est specialis ratio quantum ad ipsos homines, qui erant in talibus Ciuitatibus, scilicet, quia licet Deo non esset accepta hostia, immolatio alicuius hominis: tamen quia isti idololatræ valde peccauerant, iustum erat eos crudeliter lacerari, & quia alij qui non erant idololatræ, incendendo Ciuitatem, & consumendo omnia infligebant meritas pœnas peccantibus, erat gratissima Domino mors ipsorum idololatrantium, & recipiebat eam tanquam sacrificium, non quidem quod acceptaret Deus ipsorum idololatrantium mortem propter ipsos qui moriebantur, nam isto modo sola mors Sanctorum est Domino prætiosa, vt patet Psalm. 115. Mors autem malorum abominabilis, sed erat mors ista gratissima Deo propter eos, qui eam infligebant.* Hoc discrimen versatur inter stigmata Christi ex vna parte, & stigmata S. Chatarinæ ex alia, quod stigmata Christi gratissima fuerunt Deo Patri ex vno capite solum, hoc est, ex parte Christi recipientis, fuit tamen displicens ex alio capite videlicet ex parte Iudęorum illa infligentium. At stigmata B. Chaterinæ grata fuerunt Deo ex vtroque capite, ex parte Chatarinę illa recipientis, & ex parte Christi infligentis illa. Placuerunt ergo stigmata S. Chatarinę Deo, ex parte Christi infligentis, & Chatarinę suscipientis, cum stigmata Christi ex solo vno capite placuerint Patri, ex parte, scilicet, Christi recipientis.

Dub. 6. Ad illa verba, Ieremię 1. vers. 1. *Verba Ieremiæ.* Septuaginta legunt: *Verbum Domini.* Quommodo verbum Domini verba erant Ieremię? Si Ieremię quommodo Domini?

Verba S. Chatarinæ librorum quos edidit, verba sunt Dei.

Respondetur. Quod verbum Ieremię, & verbum Domini pro eodem supponunt: vnde verba Ieremię dicuntur verba Domini, quia verba Dei sunt, quę Ieremię sunt. Hugo Cardinalis. *Sic lege quod verbum Ieremiæ, quod dicitur verbum Domini, factum est ad eum, id est, Ieremiam. Vt pro eodem supponat verbum Domini, & verbum Ieremiæ, quia verbum Ieremiæ, verbum Domini est. Vnde vbi nos habemus; Verba Ieremiæ, Septuaginta legunt, Verbum Domini.* Magister Raymundus confessarius huius Virginis refert, quod nihil, quod pertinet ad viam salutis eam habuisse ab homine, sed per reuelationem Iesu Christi, per occultam inspirationem, & aliquando per claram apparitionem loquentis ibi, sicut homo loquitur homini. Et in Bulla Canonizationis: dicitur: Doctrina eius infusa, non acquisita fuit. Libros enim cœlesti sapientia repletos edidit, authoritatem autem suis libris conciliat tanquam Diuinis oraculis, & expreso Dei verbo, cum pro eodem supponant verba Dei, & Chatharinę verba.

Ascen-

Ascensio Domini.

Dub. 1. Ad illa verba 4. Reg. 2. vers. 17. *Miserunt quinquaginta viros, qui cum quæsissent Tribus diebus, non inuenerunt.* Cur viri tam ardenter quæsierunt tribus diebus Eliam?

Ascensio Christi desiderium nostrum in eum accendit.

Respondetur. Quod viri ardentissime quæsierunt Prophetam, qui præsentiam suam corporalem subtraxerat à Ierecunthinis, nescicbant in cœlum sublatum, quia ergo absentem credebant, magno erga eum efferebantur desiderio. Absentia enim Eliæ desiderium in eum accendebat. Hugo Cardinalis ad illa Ioann. 16. vers. 7. *Expedit vobis: Viri Iericho sublatum Eliam ardentius quæsierunt.* Ascensio Christi in cœlum qua corporalem suam præsentiam nobis subtraxit, magis fuit vtilis nobis, quam præsentia corporalis fuisset: expediebat enim Christum abire, vt desiderium nostrum in eum inflamaret. Vnde Hugo Cardin. in cap. 47. Geneseos vers. 20. refert de Accipitre: *Sicut accipitri datur caro gustanda, sed postea subtrahitur, vt ardentius appetat, & citius veniat ad reclamatorium: sic Christus primo dedit mundo suam corporalem præsentiam, & postea in ascensione subtraxit, vt ardentius appeteretur.* Abeat ergo Dominus Iesus ad Patrem, & mirifice afficiet homines desiderium Domini Iesu.

Dub. 2. Ad illa verba Exodi 4. vers. 6 *Retrahe manum tuam in sinum tuum, retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ.* Quod nam Sacramentum absconditum in manu Moysi? Cum eam primo mittit in sinum profert leprosam instar niuis, cum à sinu retrahit, est similis carni reliquæ?

Christus in ascensione antiquo decore præditus.

Respondetur. Quod Christus in passione fuit putatus quasi leprosus, Isaiæ 53. vers. 4. *Et nos putauimus eum quasi leprosum.* deformis fuit, non habuit speciem neque decorem, ecce manum leprosam: at cum retrahit manum, id est, rediit ad Patrem, non apparet leprosus, sed similis carni reliquæ, cum ad pristinam pulchritudinem, speciositatem, emendatissimamque elegantiam restituta fuerit: in ascensione enim reuocatus fuit ad antiquam corporis pulchritudinem. Vnde canit Ecclesia: *Omnis pulchritudo Domini exaltata est super sidera species eius in nubibus cœli,* quia antiqua forma, decore & specie præditus fuit. Hugo Cardinalis: *Manus Christus, quæ de manu Patris extracta apparuit leprosa, sed quando rediit ad Patrem in ascensione facta est similis carni reliquæ.*

Dub. 3. Ad illa verba, Ioannis 1. vers. 14. *Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre.* Cur S. Ioannes non dixit, quod vidit gloriam vnigeniti, sed quasi vnigeniti?

Dominus Iesus in ascensione ostendit illam gloriã, quæ Filium Dei decebat.

Respondetur. Quod gloria vnigeniti videnda est in cœlo, & in hac vita spectari non potest. At in ascensione vida est gloria Christi, velut vnigeniti Patris, id est, gloriam quæ representabat vnigenitum, quæ decebat vnigenitum. In ascensione enim manifestauit Filius Dei illam gloriam, quæ Filium Dei decebat. Caietanus: *Quasi ad verbum similitudinis est, non frustra appositum, ad explicandam veritatem puram, ad explicandum, quod non spectauimus gloriam vnigeniti: illam enim neque Ioannes, neque alij Discipuli viderunt, sed reseruatur videnda in cœlesti patria, & propterea non dixit gloriam vnigeniti, sed gloriam tanquam, seu velut vnigeniti, hoc est gloriam similem gloriæ vnigeniti, hoc est, gloriam repræsentantem vnigenitum. Et veretalem gloriam viderunt in ascensione: viderunt enim gloriam decentem vnigenitum, & non ipsam vnigeniti gloriam, quam in se metipso habet ab æterno.*

Dub. 4. Ad illa verba, Actor. 1. vers. 11. *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum.* Diuus Augustinus legit: *Hic est Iesus qui assumptus est.* Cur Angeli docent Apostolos hunc, qui assumitur esse Iesum? Poterant ne ignorare Apostoli eum cum quo tandiu conuersati sunt?

Dominus Iesus cum tanto splendore ascendit coruscus, quod Apostoli egerũt edoceri ab Angelis, quod qui ascendit est Iesus.

Respondetur. Quod Apostoli velut stupefacti plenitudine gloriæ insolitę, quasi addubitabant, num ipse ijs esset quem dimiserant: vnde tanquam si necessum esset, testimonio hoc comprobare, descendunt duo Angeli, qui doceant Apostolos, quod hic qui cum tanto splendore ascendit nitidus, est Dominus Iesus. D. Augustinus in Psalm. 26. *Viri Galilæi quid hic statis? Hic est Iesus, quasi illi non scirent, quia ipse est Iesus. Ante se paulo, antea eum viderant? Secum loquentem non audierant? Nempè non solum speciem viderunt præsentis, sed, & membra contrectauerunt, ipsi ergo nesciebant, quod ipse esset Iesus? Sed admiratione ipsa prægaudio iubilationis tanquam mente alienatis, loquuntur Angeli, ipse est Iesus.*

Dub. 5. Ad illa verba, ad Ephesios 4. vers. 8. *Ascendens Christus in altum cap-*

captiuam duxit captiuitatem. Cur Dominus Iesus secum duxit captiuitatem, id est, Sanctos qui in Limbo erant captiui? Cur ante Ascensionem suam eos non transmisit?

Christus ascendens in cœlū nostram spem illuc perueniendi subleuauit, nec iustos sua spes delusit.

Respondet. Quod conueniens erat quod Christus ascenderet in cœlum, vt homines introduceret in cœlum, & spem nostram subleuaret illuc perueniendi: hinc ante Ascensionem non transmisit captiuitatem Sanctorum, qui captiui detinebantur in Limbo, sed secum captiuam duxit captiuitatem, quatenus introducens eos in cœlum, viderent qualiter eos sua non fefellit spes, nec delusit, sed quod sperabant in cœlum; scilicet ascendere, contigit, & accidit eis. Hugo Cardinalis: *Ascendit Christus ad introducendos suos in cœlum, & ideo dicit: Captiuam duxit captiuitatem. Mich. 2. Ascendet iter pandens ante eos, diuidet, & transibunt. Isaiæ 63. Quis est iste qui venit de Edon, iste formosus in stola sua gradiens in multitudine virtutis suæ. Genes. 32. In baculo Crucis; scilicet, transiui Iordanem istum, id est, transcursum mortis, & nunc cum duabus turmis regredior comitatus; scilicet, turba hominum, & Angelorum. Amos 9 Qui ædificat Ascensionem suam in cœlo. Deuteron. 33. Ascensor cœli auxiliator tuus. Deuteronom. 32. Leuabo ad cœlos manum meā, id est, Filium meum, dicit Deus Pater per quem operor. Per hoc quod dicit captiuitatem, vocat liberationem à Limbo; per hoc quod dicit captiuam, firmam possessionem in bono. Isaiæ 49. Nunquid tolletur à forti præda, aut quod captum fuerit à robusto, saluum esse poterit? Quia hæc dicit Dominus equidem captiuus à forti tolletur, & quod ablatum fuerit à robusto saluabitur. Isaiæ 45. Ipse ædificauit Ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus. Christus enim populum suum liberauit, & de ipso Ciuitatem cœlestem ædificauit, in qua nondum fuerat homo Isaiæ 42. Dedi te in fœdus populi in lucem Gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum. Deuteronom. 33. dictum est Iosue: Confortare, & esto robustus; tu enim introduces filios Israel in terram, quam pollicitus sum eis. Isaiæ 35. Redempti à Domino conuertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super caput eorum.*

Christus ex Sanctis quos secum duxit, ædificauit cœlum.

Dies Sanctus Pentecostes.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 2. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Oleaster, & Maluenda: *Per spiritum Domini intelligunt ventum vrentem à Deo excitatum ad exiccandas aquas.* Cur ventum vrentem misit Dominus ad aquas desiccandas? Quid opus erat aquas exiccare?

Spiritus Sanctus deficcat vitia, & præparat pectora, vt in anima habitent Pater, & Filius.

Respondetur. Quod homines, & animalia inhabitatura erant terram: vnde vt terra esset præparata ad habitationem, oportuit quod ventus vrens exiccaret terram, quia inhabitabilis erat ab animalibus, & hominibus nisi terra esset sicca, exhausta, & arida. Oleaster: *Quia aquæ erant statim exiccandæ à terra, & in vnum locum cogendæ, videtur potius ventum ad hoc fuisse à Deo immissum, vt coactis ad suum locum aquis, terra à vento exiccaretur, vt siccum hominibus, & animantibus præberet habitaculum.* Spiritus Sanctus ventus est vrens, præueniens vt sanctificator, præparans humana corda sua gratia, desiccans vitia, & radices eorum, vt animam nostram inhabitent Pater, & Filius.

Dub. 2. Ad illa verba, Ioann. 4. vers. 10. *Dedisset tibi aquam viuam.* Doctores communiter intelligunt per aquam viuam gratiam Spiritus Sancti. Cur Spiritus Sancti gratia comparatur aquę viuæ? Quid cum aqua viua gratia?

Spiritus Sanctus Discipulos in nouos homines commutauit.

Respondetur. Quod Christus promisit Samaritanæ gratiam Spiritus Sancti, quæ animam mundaret à peccatis, refrigeraret à concupiscentiis, sitim eorum quæ sunt in mundo tolleret à muliere, viuificaret in virtute, regeneraret in spem vitæ æternæ, meliorem que efficeret. Gratia enim Spiritus Sancti hominem in meliorem statum reuocat, & restituit. Caietanus: *Iesus quidem in his verbis non loquitur de aqua corporea, sed de aqua spirituali, hoc est, de spirituali gratia, quæ appellatur gratia metaphoricè, propter multas aquæ conditiones, hoc est, mundare, refrigerare, sitimque tollere. Et ratione huius tertiæ directè in proposito gratia Spiritus Sancti appellatur aqua, vt inferius Iesus explicat. Appellatur autem non qualiscunque aqua, sed aqua viua continuè scaturiens (ad differentiam aquarum quæ reconduntur in cisternis, & lacunis) propterea quod continuè scaturit versus vitam æternam, vt inferius declarabitur.* Spiritus Sanctus aduenit in Discipulos, meliores efficit, quia qui Diuino spiritu afflantur, in nouos homines commutantur, & gratia replentur.

Gratia est principium, quantum de se est, operū proficientiū in vitam æternam.

Dub. 3. Ad illa verba, ad Ephesios 3. vers. 5. *Alijs generationibus non est agnitum*

tum filijs hominum sicut nunc reuelatum Sanctis Apostolis eius, & Prophetis in spiritu. Cur dicit Apostolus, quod mysterium Christi non fuit reuelatum aliis generationibus, sicut Sanctis Apostolis: cum D. Petrus dicat 1. Petri 10. *De qua salute inquisierunt, & scrutati sunt Prophetæ priores, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt.*

Spiritus Sanctus clare docuit Apostolos veritatem circa mysteria Christi quantum ad determinatas circunstãtias.

Respondetur. Quod mysterium Christi fuit reuelatum Patriarchis, & Prophetis sub quadam generalitate, & sub velamine: at Sanctis Apostolis notificatum fuit quantum ad determinatas circunstantias, & clare per Spiritum Sanctum, quia futuri erant Prædicatores mysterij Christi: Spiritus enim Sanctus clare, & perfecte instruxit Sanctos Apostolos circa Christi mysteria. Diuus Thomas: *Licet enim mysterium Christi Prophetis, & Patriarchis fuerit reuelatum, non tamen ita clare sicut Apostolis. Nam Prohpetis, & Patriarchis fuerunt reuelata in quadam generalitate, sed Apostolis manifestata sunt quantum ad singulares, & determinatas circunstantias. Et hoc quia Apostoli constituti fuerunt executores, & dispensatores huius Sacramenti, & ideo oportebat, quod melius ipsi essent instructi, quam alij. Ioann. 4. vers. 38. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.*

Dub. 4. Ad illa verba, Exodi 23. vers. 11. *Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis.* Vna dies erat in Iunio quinquagesimo die à Pascha, scilicet, in Pentecoste, vt patet *Leuitici* 23. Cur Hebræi festum Pentecostes tanta solemnitate celebrabant?

Festum Pentecostes cum maiori deuotione solita celebrandum in memoriã publicatæ legis gratiæ.

Respondetur. Quod Pentecostes Israelitarum erat in memoriam legis antiquæ datæ illi populo, & ob hoc cum maiori puritate spiritus lex præcipiebatur obseruari, vnde cum maiori solita deuotione celebrabant festum Pentecostes in memoriam legis antiquæ publicatæ. Hugo Cardinalis Leuitici 23. in Principio: *Pentecoste sonat quinquagesimum (Pentecosta enim quinquaginta est) Vnde Pentecoste dicitur quinquagesimus dies à prima die azimorum, vel ipsa quinquagena dierum, quibus completis, vltima dies dicebatur festum Pentecostes, habebant autem in memoriam datæ legis, quæ data est quinquagesimo die à Phase, id est, ab exitu de Ægypto.* Pentecosthes Chriastianorum est in memoriam legis gratiæ populo Christiano datæ, publicatæ, specialiori ergo cura debemus illud celebrare, cum maiori spiritus, & deuotionis feruore, cum in institutione in omnibus conueniat cum illo, etiam in numero dierum, quia si illud celebratur quinquaginta diebus ab exitu Israel de Ægypto, istud celebratur quinquaginta diebus post Christi Resurrectionem, in qua populus Ghristianus de seruitute diaboli virtute sanguinis Christi liber exiuit.

Dub. 5. Ad illa verba 1. Reg. 16. vers. 13. *Directus est spiritus Domini à die illa in Dauid.* Alij legunt: *Prosperatus est spiritus Iehouæ in Dauid.* Maluenda: *Prærupit spiritus Iehouæ in Dauidem*, quod sic explicat Caietanus: *Internum donum Diuini impulsus appellatur (spiritus Iehouah, prosperos habens successus in Dauide à die illa, & deinceps.* Quomodo spiritus Dei prosperatus est in Dauide à die illa quo vnctus est à Samuele?

Spiritus Sanctus impulit Apostolos, vt molirentur ardua, & difficilima, in eisque prosperatus est.

Respondetur. Quod Dauid vnctus illo oleo à Samuele præruptus fuit à spiritu Dei, egregia, admirabilia facinora patrauit, vincendo Goliam, & hostes debellando. Hinc dicitur, quod spiritus Iehouah prosperatus est in Dauide à die illa, qua vnctus est oleo. Diuinus enim impulsus spiritus Dei impulit Dauidem ad præstantissima opera edenda. Maluenda: *Ergo quod hic dicitur, & prærupit spiritus Iehouah in Dauidem, significat, Dauidem magna spiritus vi, atque efficacia, in prima sua actione donatum, statim in heroica, & ingentia opera prorupisse, & pulcherrimas de Goliath gigante, deque hostibus alijs victorias reportasse.* Sancti Apostoli vncti hodie oleo Spiritus Sancti, impulsi fuerunt à Diuino spiritu ad adorienda egregia facinora, conati sunt ardua, & difficilima, nam peragrarunt orbem terrarum, & in firmum eum inuenientes ad sanitatem reduxerunt, & in ruina positum ad stabilitatem reuocarunt, non scuta mouentes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecuniam largientes, non in eloquentia confidentes, sed in duti virtute Spiritus Sancti ex alto, præstantissima hæc opera gesserunt.

Dub. 6. Ad illa verba 1. Reg. 30. v. 26. *Venit ergo Dauid in Siceleg, & misit dona proximis suis dicens: Accipite benedictionem,*

Maluenda: *Benedictionem munus, donum, sic 2. Regum 25. Vers. 27. Genes. 33. Vers. 11.* Quid est hoc, quod Dauid miſit dona proximis ſuis de Iudâ?

Christus miſſo Spiritu Sãcto donis ditauit Eccleſiam.

Reſpondetur. Quod Dauid typum gerit Chriſti, qui de Siceleg, id eſt, de cœlo, miſit Spiritum Sanctum, vt effundens ſua dona in homines, locupletaret Eccleſiam. Miſo enim Spiritu Sancto Eccleſia comulata fuit donis. Hugo Cardinalis ad Epheſ. 3. vers. 5. *De donis Spiritus Sancti, dicitur 1. Reg. 30. Venit ergo Dauid in Siceleg, & miſit dona ſenioribus Iudâ proximis ſuis. Siceleg interpretatur ſextarij effuſio, hæc eſt vita æterna. Nota quod prædicta effuſio ſignificata fuit 3. Reg. 18. Ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari. Nubecula Chriſtus, qui aſcendit de mari, id eſt, ab amaritudinibus mundi, & tunc fugit à conſpectu Eliæ, id eſt, Apoſtolorum, & venit pluuia grandis, id eſt, abundantia donorum Spiritus Sancti, hoc eſt, quod diximus Dauid miſiſſe munera proximis ſuis. De ijs donis dicitur 1. Corint. 12. Alij per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum alteri fides. Prouerb. 4. Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis.* Hinc infertur, quod feſtiuitas Spiritus Sancti eſt ſalubrior mundo, quam omnes aliæ feſtiuitas. Vnde Abulenſis in cap. 28. Numeror. littera A. B. inquit: *Nulla ergo dies ſalubrior ſtatui Noui Teſtamenti, & fidei, atque conuerſioni totius orbis vnquam fuit. Nam ſalubrior eſt quam dies paſſionis Saluatoris, nam licet dies paſſionis efficacior fuerit quantum ad redemptionem, quam in ea ſaluator operatus eſt, tamen iſta redemptio quantum ad fructum nunquam fuiſſet communicata toto orbi per fidei, & Euangelij prædicationem niſi Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos aduenijſſet. Magna ergo cum celebritate dies Pentecoſthes apud nos Chriſti cultores agenda eſt, cum in ea tantorum bonorum nobis origo prouenerit.*

Spiritus Sancti feſtiuitas ſalubrior mũdo, quam aliæ feſtiuitates.

Corpus Chriſti.

Dub. 1. Ad illa verba, Leuitici 24. vers. 5. *Accipies ſimilam, & coques ex ea duodecim panes.* Cur voluit Deus, quod panes ſtatuerentur ſuper menſam coram eo?

Chriſtus quia ſi ex iuſtitia dedit nobis ſuam carnem pro noſtro pane, quẽ à nobis accepit.

Reſpondetur, Quod Deus voluit obſtringi à Iudæis, vt Deus conferret eis pro panibus de terra naſcentibus, bona terræ. Hinc voluit, quod Iudæi ponerent panes ſuper menſam coram eo, vt permotus, & obligatus his panibus, conferret eis beneficia, largiendo bona terræ. Abulenſis: *Beneficia quandocunque ſunt in conſpectu eius cui tribuuntur, promouent eum, vt diligat ipſum collatorem, & vellit ei facere ſimilia, vel maiora reddens. Deus autem volebat, vt Iudæi intelligerent quod ipſe volebat eis benefacere, ideo iuſſit, vt ponerentur iſti panes coram eo per quos ſignificabatur, quod vellet eis benefacere, & quia iſti panes erant de terræ naſcentibus, innuebat quod conferret eis Deus bona terræ. Sicut habetur Iſaiæ 1. Si volueritis, & in mandatis meis ambulaueritis bona terræ comedetis.* Chriſtus accepit noſtrum panem, & vinum, vt eſſet quaſi obligatus ex beneficio noſtro ad dandum non ſolum æqualia, ſed maiora: dat enim panem cœleſtem, & loco panis noſtri de terra naſcentis, largitur panem de cœlo, Diuinum, ſcilicet, corpus, & ſanguinem ſuum, & vt ſit quaſi de iuſtitia non de gratia, accepit à nobis, id quod poſtea ſoluere tenebatur. Vnde Euchariſtiam voluit eſſe ex pane noſtro, & ex vino noſtro, ad oſtendendum ſuam ſummam liberalitatem, dum dat ſe quaſi ex iuſtitia, dans ſuam carnem pro noſtro pane.

Dub. 2. Ad illa verba, Deuteronomij 16. vers. 11. *Epulaueris coram Domino Deo tuo, & filius tuus, & filia tua.* Cur Dominus præcepit Iudæis epulari, cum epulæ potius in malum, quam in bonum inclinent?

Chriſtus inſtituit Euchariſtiam in pane, & vino, vt ex horum ſumptione excitaret appetitum ad Euchariſtiã.

Reſpondetur. Quod Deus voluit Iudæos ſæpius repetere ſacrificia. Hinc præcepit eis, quod epularentur coram eo, vt ex ſumptione cibi, & potus, excitaretur appetitus eorum ad iteranda ſacrificia, & ex eis veſcendum. Abulenſis: *Nec tamen intelligendum eſt, quod Deus vellet, vt ipſi vacarent epulis, ita quod ipſa vacatio epularum eſſet ſecundum ſe bona, aut mala ex genere, ſed erat bona ex occaſione; quia cum Iudæi carnales eſſent, & gauderent cibis, & potibus, & Deus mandaret eis vacare cibis, & potibus in ſolemnitatibus quibus facerent ſacrificia, ſaltem propter ſolatium, quod tunc aſſumebant, repetebant ſacrificia ſæpius, in quo Deus valde laudabatur; nam cum Deum in hac oblatione, & ſacrificio profitebantur, quia nullus ſacrificium facit, niſi ei, qui verus Deus eſt,*

aut

ens qui Deus verus ab ipso reputatur. Christus cognoscens hominum inclinationem ad cibum, & potum, in pane, & vino se ipsum consecrauit, vt saltem gustu comedendi, & bibendi, auidius ad hoc Sacramentum assumendum accederent frequentius: volebant enim homines auidius illum manducare, ideo se dedit sub rebus, quæ gustum corporalem excitarent.

Dub. 2. Ad illa verba, Iosue 14. v. 11. *Sic valens, vt eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum, illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat, tam ad bellandum quam ad gradiendum.* Vnde proueniebat, quod Caleb cum esset octoginta quinque annorum, sic valebat, ac quando erat quadraginta annorum, & fuit missus ad explorandam terram?

Eucharistiæ Sacramentū salutem, & vitam corporalem digne sumentibus cō ferunt, & roborat.

Resp. Quod Caleb manna manducauit, cuius virtutis erat, quod vescentes illo non senescebant, imo in eodem statu conseruabat eos, & in omni vitæ munere officio suo fungebantur. Hinc non mirum, quod fortitudo quam habebat Caleb quando erat quadraginta annorum, perseueraret in eo tam ad bellandum quam ad gradiendum in ætate octoginta quinque annorum. Cum enim manna figura sit huius Sacramenti, qui digne Eucharistiam manducat, integra, robusta, in columni corporis salute gaudet. Hugo Cardinalis ad illa verba Psam. 77. Panem Angelorum: *Dicit Iosephus, quod quando hoc pane vescebantur, nunquam senuerunt, & dicunt Hebræi, quod in eodem statu conseruabat illos, vnde datum erat non ad restaurationem perditi, sed ad conseruationem vnde, & Caleb dixit, quod eiusdem valoris erat quando intrauit terram promissionis, cuius fuit ante quando missus fuit ad explorandum. Vnde dicunt quod non incurrebant infirmitatem. Ille cibus hoc efficiebat in Iudæis, quod in Angelis efficit cibus illorum pro parte talis erat effectus illius cibi, & ideo vocatur panis Angelorum: Angeli enim non incurrunt infirmitatem, sed in eodem statu per manent, non corrumpuntur, nec senescunt.*

Dub. 4. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 9. *Lignum vitæ in medio Paradisi.* Cur arbor vitæ hoc nomine appellebatur?

Eucharistia vitā animæ, scilicet, gratiam auget conseruat, & ab amissione præseruat.

Respondetur. Quod comedentibus de illo ligno præstabat diuturnitatem vitæ, quia habebat vim reducendi carnem alimentalem ad puritatem carnis, si semel de fructu illius arboris comedisset homo, & hoc multo tempore durabat: si autem acceptis alijs cibis fiebat impuritas in carne, iterum sumpto cibo illius arboris, restituebatur corpus in pristinam puritatem; vnde cum frequentia sumendo fructum arboris, durabat perpetuo durante arbore vitæ. Abulensis: *In medio huius Paradisi lignum vitæ erat, quod sic vocatur ab effectu, quia comedentibus vitæ diuturnitatem præstabat. Ne ergo tanta perditio fieret in corpore humano* (loquitur de eo quod per calorem naturalem deperditur) *datum fuit lignum vitæ, quod habebat virtutem reducendi ad puritatem carnis primo totam carnem alimentalem, & quando semel comedisset de fructu illius arboris, reducebatur ad puritatem quæ magno tempore durabat, deinde incipiente fieri impuritate per cibos alios, si iterum sumeretur cibus illius arboris, reducebatur rursum corpus ad pristinam puritatem, & sic frequenter sumendo durabat hoc modo in æternum, durante arbore vitæ.* Hoc habet Eucharistia in anima, quod habebat arbor vitæ in corpore, per peccata venialia quotidie commissa perditur feruor deuotionis, & gratia per Eucharistiam recuperatur, ita vt non solum recuperetur, quod amissum fuerat per peccata, sed etiam cum augmento possideatur, etsi peccando amittitur feruor gratiæ, Eucharistiam sumendo restauratur amissum, ergo comedas, vt recipias.

Dub. 5. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 9. *Lignum vitæ in medio Paradisi.* An fructus ligni vitæ semel sumptus vitam in æternum prolongabat?

Eucharistiæ Sacramentū vitam æternā animæ confert, non semel, aut raro sumptum, sed continue.

Respondetur. Quod fructus illius arboris si semel sumeretur, non conferebat suam virtutem, sed oportebat, quod frequenter sumeretur: quia enim virtus naturalis continue debilitatur, oportuit quod continue sumeretur ille fructus. Non enim maneret virtus fortis, & robusta, nisi iterato sumeretur fructus. Abulensis: *Dicendum quod cum lignum vitæ hoc conferret, non conferebat si semel tantum sumeretur, sed oportebat, vt sæpè sumeretur: nam cibus ille faceret quod transiret cibus aduenies ad perfectam similitudinem eius quod resolutum est, & ideo oportebat, quod talem aut tantam virtutem daret corpori conuertenti illud in se.*

vel cibo qui conuertebatur, quod iret in similitudinem perfectam, sed virtus naturalis continuo debilitatur; ideo oportebat iterari sæpè ad hoc, quod maneret semper virtus fortis, & esset res quasi propinqua suo origini, quoties hoc iterari deberet. Ita euenit in anima, quæ debilitat suam gratiam multiplicatione venialium, & ideo ad recuperandum per illa amissum, & ad augmentandam gratiam, eget forti temperamento, quod est hoc Sacramentum, & quia semper deperditur de feruore gratiæ, iterato sumendus est cibus iste Diuinus, qui benè sumptus restaurat vniuersa.

Dub. 6. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 8. *Plantauerat autem Deus Paradisum voluptatis.* An in Paradiso fuerunt aues? Videtur quod sic, quia ad maiorem pulchritudinem illius loci pertinebant?

Eucharistiæ Sacramentum digne recipiés viuet in æternum, cũ in ea contineatur Christus, qui in æternum viuit.

Respondetur. Quod si essent aues in Paradiso ederent de ligno vitæ, & efficerentur immortales, aut vitæ longissimæ, & homines vescentes de illis auibus in cibum haberent vitam longissimam, quia comederent auem, quæ comederet, & contineret in visceribus suis lignum vitæ, quod conferebat vitam vltra modum. Non ergo sint aues in Paradiso, quia cum istæ ederent de ligno vitæ, homines cibati illis auibus, vitam longissimam viuerent, quod erat contra Dei voluntatem. Abulensis: *Aues illæ existentes in Paradiso comederent de ligno vitæ per quod efficerentur, aut vitæ longissimæ, aut immortales, etsi homines sumerent de illis auibus in cibum, esset cibus suauissimus prolongans vitam vltra modum, sicut cibus ligni vitæ, quod tamen erat contra voluntatem Dei, scilicet, quod homines non acciperent aliquid de ligno vitæ. Nam propter hoc custodiebat Cherubim viam ligni vitæ.* Si homo digne comedit speciem panis continentis in se carnem Christi, & vitam æternam continentis, & dantis, viuet vita æterna, quę in Christo est.

Dub. 7. Ad illa verba, Exodi 16. vers. 18. *Singuli iuxta id quod edere poterant congregauerunt.* Difficultas est in hoc, quod singuli acceperunt vnum Gomor, & ex alia parte necessitas in æqualis erat, ita vt vnus egeret ampliori cibo, quam alius propter differentiam corporum, laboris, & famis, aut ergo mensura Gomor inæqualis erat, aut non recipiebant singuli quantum edere poterant.

Resp. Quod illud fuit miraculosum in manna, quod vna, & eadem quantitas, & mensura ab vno quoque recepta, & manducata, ita necessitati cuiuscumque attemperabatur, quod reficiebat vnumquumque in quantum necessitas postulabat, ita quod licet materialiter æqualis esset, virtualiter inæqualis erat, quia reficiebat quemcunque iuxta necessitatem suam. Abulensis: *Secundum veritatem vnus homo indigebat medio Gomor, alius vero vno Gomor, alius duobus, aut plus, & sic veraciter Deus regularet manna colligentium, vt ille qui indigebat medio Gomor, colligeret medium Gomor, ille qui indigebat vno colligeret vnum, & ille qui duobus, aut plus indigebat, colligeret duo, aut plus: sed cum isti ad mensuram veniebant singuli inueniebant Gomor, & in hoc erat æqualitas mensuræ.* Et infra: *Et in hoc monstrabatur miraculum, quod idem Gomor sufficeret diuersis summentibus, quorum quilibet naturaliter alteri æqualis non erat sed quidam plus, quidam minus exigebant.* Hoc est, miraculum Eucharistiæ, quod licet omnes recipiunt vnum, & integrum Corpus Christi materialiter, non tamen virtualiter, quia maiorem gratiam recipit vnus quam alius, quia cum dispositiones manducantium in æquales valde sunt, tamen cibus Diuinus manducatus, ita attemperatur dispositioni cuiuscumque recipientis, vt det maiori maiorem gratiam, & minorem minori, quasi vnusquisque abundantiorem cibum recepisset, & in æqualem cæteris. Igitur in Eucharistia vna forma æqualis in quantitate, in æqualis est in virtute, vnde vni dat maiorem gratiam, alteri vero minorem iuxta dispositionem vtriusque.

Eucharistia maiorem, vel minorem gratiam causat iuxta dispositionem recipientis.

S. Ioannes Baptista.

Dub. 1. Ad illa verba, Numer. 20. vers. 2. *Mortuaque est ibi Maria.* Quę Maria? Soror Moysi. Cur hoc non additur, vt intelligatur de qua Maria sermo ibi erat?

R. Quod quando aliquis nominatur nomine illo, cum quo alij nominantur, & est omnibus illis superior, & excellentior, non oportet quando de illo agitur nominare illum exprimendo suum nomen, & cognomen, sed sufficit nomen proferre, quia propter excellentiam supra alios eodem nomine gaudentes, cognitum est omnibus, quod de illo agitur. Vnde cum Maria soror Moysi esset excellentior inter alias fœminas illius populi, sufficiebat, quod eius nomen sine additione poneretur, vt notum esset omnibus, quod

S. Ioannes Baptista excellentia est, quod audito nomine Ioannes absolute intelligitur de illo.

quod de illa agebatur. Abulensis: *Ob hoc ponitur nomen eius sine aliqua additione, quia conueniebat ei tanquam excellentior inter alias fœminas totius populi, velut si aliquis vocaretur Petrus, vel Ioannes, & ipse esset cæteris excellentior, cum diceretur Ioannes absolute intelligatur de illo.* S. Ioandis Baptistæ excellentia est, quod audito nomine *Ioannes*, absolute, & sine cognomine ille intelligatur.

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 29. vers. 5. *Indues Aaron vestimentis suis.* Inquires, quis fuit perfectior Sacerdos Moyses, vel Aaron?

S. Ioannes Baptista perfectior est Apostolus, quia fuit Apostolus Dei.

Respondetur. Quod Moyses erat consecratus à Deo, Aaron vero ab homine, ideo quasi Sacerdos ab homine erat Aaron, & quia perfectius est esse Sacerdotem à Deo quam ab homine, Moyses perfectior erat Sacerdos, quam Aaron. Abulens. *Moyses tamen Sacerdos non erat* (loquitur comparatione ad Aaron) *cum nullus eum consecrasset, aut ordinasset, Deus tamen eum vnxerat oleo inuisibili, scilicet, dans potestatem hæc omnia faciendi, vt patet in his verbis, cum mandat hæc fieri.* S. Ioannes Baptista fuit Apostolus missus à Deo, cæteri Apostoli à Christo, qui licet Deus est, est tamen homo, & si considerentur præcisè, vt Apostoli hominis, minus perfecti sunt quam Apostoli Dei. Vnde hac ratione alios excedit S. Ioannes, quia ex nullo capite consideratus desinit esse Apostolus Dei.

Dub. 3. Ad illa verba, Iudicum 8. v. 23. *Dominabitur vobis Dominus.* Cur Gedeon principatum super omnes filios Israel non acceptauit? Cur dixit quod dominabitur Dominus, quia esto ille non diceret, sic esset, cum Deus sit Dominus, & dominator omnium ex necessitate?

S. Ioannes Baptista recusauit Messiæ dignitatem, quia humilis, & iustus, ne honori Christi præiudicaret.

Resp. Quod Gedeon putabat se Deo præiudicare, si tolleret dominium eius, quod habebat super Hebræos: ideo dixit, Dominus dominabitur vobis, quasi diceret, si ego dominarer vobis, non dominaretur Dominus. Abulens. *Istud fuit ex humilitate Gedeonis, quia noluit eleuari ad tam excellens genus principatus, sed sufficiebat ei esse ministrum bellorum. Alia causa fuit, quia putauit quod forte in hoc putabat se præiudicare Deo tollendo dominium eius, quod habebat specialiter super Israelitas, cum dixit: sed dominabitur Dominus in vobis: quasi dicat: Si ego dominarer, non dominaretur Dominus: ideo ego nolo dominari, vt Deus dominetur.* Totum hoc fuit repertum in Ioanne, Sacerdotes, & Ieuitæ missi à Iudæis, obtulerunt illi principatum super omnes Iudæos, recusauit illud ex humilitate, quia noluit eleuari ad tam excellens genus principatus, reputans sufficere sibi esse Messiæ præcursorem, & vocem præuenientem eius aduentum. Quid vltra fecit? Officium, & honorem in Christum retulit dicens: *Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis. Ioann. 1. v. 26.* Quare? Ne præiudicaret Christo tollendo dominium eius ab eo, quod habebat specialiter super Iudæos, tanquam verus Rex illorum, in quo se iustum mirifice declarauit.

Dub. 4. Ad illa verba, Ioann. 1. v. 21. *Propheta es tu? Et respondit non.* Cur Iudæi interrogant Ioannem an sit Propheta: cum *Matth. 11. v. 9.* Christus vocet eum pluſquam Prophetam?

S. Ioannes Baptista in tanta opinione, & auctoritate fuit, quod pro Christo fuit habitus.

Resp. Quod Sanctus Ioannes tantam sibi opinionem merito virtutum sibi comparauit, quod Iudæi dubitabant an esset ille Propheta magnus in lege promissus: vnde non quærunt si esset Propheta, sed an sit ille magnus Propheta promissus, sed Ioannes respondit: quod non erat ille Propheta: Sanctus enim Ioannes Baptista in tanta auctoritate erat, quod pro Christo fuit habitus. Caietanus: *In textu Hebræo præponitur articulus, scilicet, ille, dictioni Propheta, ad significandum, quod non quærunt an sit Propheta, sed an sit ille Propheta promissus. Deuteronom. 18. Et respondit non: non enim erat Propheta ille.*

Dub. 5. Ad illa verba, Matth. 11. vers. 11. *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.* Leonardus de Vtino: *Puerisse erit gloriosus in sua commendatione.* Quomodo S. Ioan. gloriosus in laudibus effectus est, cum alij Sancti commendati inueniantur in Sacra Scriptura. Genes. 7. Commendatur Noe à Deo: *Te enim vidi iustum coram me ex omnibus gentibus.* Numer. 12. Commendatur Moyses: *Si quis inter vos fuerit Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum: non talis seruus meus Moyses* 1. Reg. Commendatur Dauid: *Inueni hominem secundum cor meum.* Iob. 1. Commendatur Iob: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra.* Ioannis 1. Commendatur Nathanael: *Hic est vere Israelita in quo dolus non est.* Matth. 16. Commendatur Petrus: *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.*

Matth. 8. Commendatur Centurio: *Non inueni tantam fidem in Israel.* Actuum 9. Commendatur Paulus: *Vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israel.* Si ergo alij Sancti commendati sunt à Deo, quommodo Sanctus Ioannes gloriosus dicitur in sua commendatione?

S. Ioanne nullus propheta rum fuit maior.

Respondetur. Quod licet alij Sancti laudibus fuerint glorificati à Domino, tamen S. Ioannes super omnes fuit commendatus, cum dicat Christus, quod nullus ex muliere natus sit maior S. Ioanne, quia alij non exercuerunt tam excellentia munia sicut iste obiuit, monstrando Christum, baptizando, & eius aduentum præparando. Vnde nullus prophetarum maior Ioanne. Caietanus: *Et benè nota, quod non affirmatur Ioannes maior omnibus Prophetis, sed negatur Propheta maior ipso, cum quo stat, quod habuerit æquales. Vnde ex hoc, quod Ioannes fuit præcursor Christi monstrando, baptizando, præparando, habuit non solum gratiam plusquam propheticam, sed quod nullus prophetarum. Moyses, scilicet, Dauid Ieremias, Isaias, fuit maior ipso.* Imo quis quis de muliere natus est inferior S. Ioanne est. Vnde D. Augustin. *Magnus Ioannes, cuius magnitudini, etiam Saluator testimonium perhibuit dicens. Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista: præcellit cunctis, eminet vniuersis, antecedit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quis quis de muliere natus est inferior est Ioanne. Diceret fortasse aliquis: si inter natos mulierum Ioannes maior est, maior est Saluatore. Absit: Ioannes enim ex muliere: Christus ex Virgine natus est.*

Quis quis de muliere natus est, inferior est Ioanne.

Dub. 6. Ad illa verba, Matthæi 11. vers. 11. *Qui autem minor est in Regno cœlorum maior est illo.* Si S. Ioannes maior inter natos mulierum est, quomodo qui minor est in Regno cœlorum, maior est Ioanne?

S. Ioannes in Ecclesia militante non habet maiorē, solus Christus maior Ioanne.

Respondetur. Quod minor in Regno cœlorum, scilicet, in Ecclesia militante Christus est, qui quamuis natura, gratia, dignitate sit maximus, est tamen minor officijs, quia venit ministrare. Hinc licet S. Ioannes relatus ad alios non habeat maiorem, relatus tamen ad Regnum cœlorum, hoc est, ad tempus Noui Testamenti, scilicet, ad tempus præsens inchoans Regnum cœlorum, habet maiorem, scilicet, Christum. S. Ioannes in militante Ecclesia non habet maiorem, solus Christus maior illo est. Caietanus: *Nec in dubium vertitur, quis sit iste minor in Regno cœlorum, quia constat quod ipse est Messias, qui quamuis natura, gratia, & dignitate sit maximus, est tamen officijs minor. Iuxta illud Lucæ 22. vers. 27. Quis maior est, qui recumbit an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestri sum sicut qui ministrat. Et rursus. Matthæi 20. vers. 28 Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Itaque litteralis sensus est, quod ille, qui in Regno cœlorum iam inchoato à diebus Ioannis Baptistæ, est minor officijs, exercet officia minoris, exercet officia humilitatis, est maior Ioanne carente maiore inter priores.*

S. Petrus Apostolus.

Dub. 1. Ad illa verba, Actuum 5. vers. 15. *Vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.* Cur alij Apostoli curabant infirmos solum tactu manuum, D. autem Petrus sanabat per tactum manuum, & per vmbram?

D. Petrus quia eximius Apostolorū, principalior fuit in operatione miraculorum.

Respondetur. Quod D. Petrus erat eximius inter Apostolos, alij vero Apostoli inferiores erant. Hinc D. Petrus tactu manuum, & vmbra corporis pellebat morbos, cæteri tactu manuum tantum ægros sanabant: qui enim erat principalis Apostolus, congruebat quod excellentior esset in operatione miraculorum. Lyran. *Ponitur differentia Petri ad alios Apostolos in operatione miraculorum: nam alij Apostoli curabant infirmos per tactum manuum. Petrus autem non solum per tactum, sed etiam per vmbram, quod fiebat ad ostendendum, quod erat principalis Apostolus.*

Dub. 2. Ad illa verba, Marci 3. vers. 16. *Et imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi.* Cur diuerso ordine nominantur Apostoli à D. Marco, acà D. Matthæo. D. Matthæus post Petrum ponit Andream, Philippum, Bartholomæum, deinde Iacobum, & Ioannem, vterque vero Euangelista primo loco ponunt D. Petrum? Cur secundo, vel tertio loco non nominant D. Petrum?

Ad notitiam Christianam expectat nosse D. Petrum primum esse inter Apostolos.

Respondetur. Quod solus D. Petrus ordine insignitur, & describitur primus, ad insinuandum valde spectare ad Christianam notitiam scire primatum Petri, nulliusq; momenti esse nosse ordi-

D. Petrus a Apostolorum primus inter alijs nō conferendus

dinem Apostolorum inter se, ac si aperte dixisset; scitote D. Petrum primum quidquid sit de alijs. Oportet enim scire D. Petrum primum esse inter Apostolos. Caietanus: *Aduerte quod quamuis non eodem ordine nominentur Apostoli à Marco, & Matthæo, apud vtrumque tamen primus est Simon Petrus, tanquam nosse, vel nescire aliorum ordinem nihil referat, nosse autem oporteat Petrum primum.* Hinc est, quod D. Petrus cum nullo Apostolorum conferendus est, nec in eodem choro cum alijs ad numerandus, quia primus inter illos 2. Reg. 23. vers. 18. *Abisai quoque frater Ioab.* Cur Ioab non numeratur inter tres fortes Dauidis, cum numerentur Abisai, & Banaias? An non supputatur inter eos, quia Princeps fuit militiæ, & nota erat eius fortitudo? R. Quod Ioab super omnes Principes militiæ erat primus, supremus, & maximus inter fortes: vnde inter illos non numeratur, nec in eodem clarissimorum hominum nomen clatura censetur, nec ascribitur illustrium virorum eidem numero: qui enim primus erat non debuit in eodem choro cum alijs poni. Lyranus: *Inter prædictos fortes non nominatur Ioab, quia erat super omnes Principes primus, vt dicunt aliqui.* Christus constituit Sanctos Apostolos Principes super omnem terram. D. autem Petrus erat super omnes hos Principes primus, vnde in eodem albo cum illis non est signandus, nec in eodem choro reponendus, ne qui est primus alijs comparetur, & conferatur cum alijs.

Dub. 3. Ad illa verba, Leuitici 1. vers. 5. *Offerent filij Aaron Sacerdotis sanguinem eius.* Cur Aaron vocatur Sacerdos, alij autem cum nominantur, non dicuntur Sacerdotes, licet Sacerdotes essent?

D. Petrus Apostolus absolute nominatur, quasi alij nō essent Apostoli

Respondetur. Quod solus Aaron inter cæteros Sacerdotes Summus erat. Vnde cum nomine Sacerdotis inter omnes alios nuncupatur: ac si ille solus, & nullus alius Sacerdos esset. Abulensis: *Potest vocari Aaron Sacerdos per excellentiam, id est, magnus Sacerdos, quia tunc solus ipse erat Summus Sacerdos, alij autem erant minores Sacerdotes.* Ita de B. Petro philosophandum est: qui enim in aliqua re, vel officio maior est, cum nomine talis officij absolute nominatur, ac si nullus alius esset, qui tale officium exercuerit. Vnde D. Petrus, Apostolus absolute nuncupatur, quia maior Apostolorum erat, & per excellentiam Apostolus.

Dub. 4. Ad illa verba, Ioannis 20. vers. 6. *Venit Simon Petrus, & introuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius non cum linteaminibus sed separatim inuolutum in vnum locum.* Cur D. Petrus solus vidit sudarium, Sanctus vero Ioannes Euangelista sola vidit linteamina, non vero sudarium?

D. Petro collatum singulare hoc priuilegium, quod primus inter Apostolos cognouerit Diuinitatem Christi

Respondetur. Quod sudarium, quod fuerat super caput Christi, significabat eius Diuinitatem, quia caput Christi Deus. D. ergo Petrus, non Sanctus Ioannes Euangelista, primus vidit sudarium, insignum quod primus habuit fidem Diuinitatis Christi. Vnde interrogante Iesu omnes quem dicunt homines esse filium hominis, non omnes respondēt. solus D. Petrus dixit: *Tu es Christus Filius Dei viui*, explicite profitendo esse Filium naturalem Dei. D. Thomas: *Videre ergo sudarium, quod erat super caput Iesu (caput Christi Deus) est habere fidem Diuinitatis Christi.*

Dub. 5. Ad illa verba, Lucæ 24. vers. 34. *Dicentes quod surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.* Cur Apostoli audito Petro crediderunt Christum surrexisse, cum non crediderint mulieribus nuntiantibus vndecim Apostolis dicta ab Angelis de Resurrectione? Si verba mulierum visa sunt ante illos sicut deliramentum, vt dicit S. Lucas hic vers. 11. Cur audito Petro credunt Apostoli?

Quæ fides sunt ab ore Petri accipiēda sunt

Respondetur. Quod Diuina dispensatione permissum fuit, vt Apostoli vndecim cum reliquis Discipulis existimarent mulieres tanquam deliras ad firmitatem fidei nostræ: non enim fuerunt faciles ad credendum, quia verba mulierum, vt muliebra parui pendebant, at audito Petro dicente Christum à mortuis suscitatum, fidei Resurrectionis crediderunt, vt innuant, quod fides ab ore Petri accipienda est. Caietanus: *Apostoli, & Discipuli mulieribus non crediderunt, sed crediderunt Petro, & propterea audito Petro dicunt surrexit Dominus vere, non optatiue.*

Dub. 6. Ad illa verba, Actuum 10. vers. 48. *Iussit eos baptizari in nomine Domini.* Cur D. Petrus non baptizauit Ethnicos? Cur præcepit aliis baptizare, cum eos posset per se ipsum sacra aqua lustrare?

D. Petri tanta est dignitas, quod ad eum pertinet præcipere, ad alios attinet ei obedire,

Respondetur. Quod licet D. Petrus posset per se Ethnicos sacro fonte perfundere, & expiare, tamen sociis præcepit in vitam renascituris æternam,

sa-

salutaribus immergere vnais, quia tanta erat dignitas D. Petri, quod ad eum spectabat præcipere, ad alios autem attinebat iussa D. Petri implere. Caietanus: *Ecce quod Paulus dixit, non misit me Christus baptizare; non enim dicit quod eos baptizauit, sed quod iussit eos baptizari.* Vnde dicere possumus, quod Diuus Petrus quasi primogenitus fuit Christi, quia imperium dedit ei super omnes, vt omnibus præcipiat, & omnes illi obtemperent. Ad Colossenses 1. vers. 16. *Primogenitus omnis creaturæ.* Cur Christus dicitur primogenitus omnis creaturæ? An quia genitus est primus dignitate, & prius quam creatura aliqua esset, id est, ab æterno? Quo modo ergo dicitur primogenitus omnis creaturæ? Resp. Quod primogenitus imperium in reliquos fratres habebat: hinc Christus ex eo quod imperium in omnes habet, cunctaque moderatur, & regit, primogenitus omnis creaturæ appellatur, quia ex imperio, & dominio super omnes creaturas, primogenitus ostenditur. Caietanus: *Sensus est quod est primogenitus possessiue omnis creaturæ: ita quod descripto modo quo genitus est filius, describitur eius dominium vniuersale, non cœli, aut terræ, sed vniuersæ creaturæ. Quemadmodū enim primogenitus Regni genitus est Dominus Regni, & primogenitus Imperij genitus est Dominus Imperij: ita dicitur primogenitus omnis creaturæ, pro quanto est genitus Dominus omnis creaturæ: ius enim primogenituræ est dominium hæreditatis paternæ.* Christus dedit Diuo Petro claues Regni cœlorum, qua metaphora describit Christus principatum Diui Petri, & supremam in Ecclesia potestatem, vt omnibus imperet, omnibus deminetur, si ergo D. Petro omnes subiacent potestates, dominiumque super omnes obtinuit, ergo quasi primogenitus fuit Christi, cum primogenitus imperium, & dominatum in reliquos fratres habeat.

D. Petro collatum super omnes imperium, ostendit eum quasi Christi primogenitum.

Visitatio Beatæ Mariæ Virginis.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 1. *Fiat lux.* Variis existentibus opinionibus circa initium creationis lucis, suppositaque illa quæ quarto die incepisse fatetur, est difficultas contra illam: an fuerit lux tribus antecedentibus diebus?

Respondet 1r. Quod nubecula quædam lucida illis tribus diebus mundo lucem afferebat, distinguens noctem, & diem. Media enim illa nubecula mundus ilum nibatur. Abulensis: *In tribus diebus primis nubecula quædam lucida illuminauit mundum, & distinxit noctem, & diem.* Quando incœpit illuminare mundum lux Verbi Diuini? In sui Natiuitate? Non, quia iam antea clarebant lumina gratiæ, qua luce? Media illa nubecula Virginis Mariæ, in cuius vtero inclusa manebat illa lux mundi, vt officium irradiantis corda incarnati Verbi ipsa exerceret illuminando mentes hominum, vt in Dei notitiam venirent: ita in præsenti Beata Virgo Maria postquam Verbum Diuinum concepit, & in ventre habuit, exercuit officium solis, & lucis illuminans intellectum Elisabethæ, & Ioannis, vt Christum in vtero Matris venientem agnoscerent. Cito ergo Deus agnitus fuit ab Elisabetha, & Ioanne, nec mirum, quia per Mariam Virginem transibant radij eius Diuinitatis, vt illuminarentur mediante Virgine Maria. Vnde Psalm. 77. vers. 14. *Deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.* An fuerunt duæ columnæ, vna per diem, altera per noctem, vel vna columna? Resp. Quod eadem columna ignis illuminabat Israelitas, die habebat speciem lucidæ nubis, nocte vero speciem ignis illuminantis, quia Deus per illam columnam tanquam per nubem splendidam, & lucidam, populum suum luce perfundebat. Maluenda: *Quidam duplicem columnam statuunt alteram nubis interdiu, alteram ignis noctu. Alij melius, non duas, sed vnam, & eadem columnam nubis, & ignis fuisse putant, quæ interdiu speciem lucidæ nubis, noctu vero speciem ignis exhiberet, quod clare colligi existimant à Numeror. 9. vers. 15. & 16. Huius autem columnæ munus erat interdiu, & noctu illuminare.* Beata Virgo Maria columna erat nobis, quæ Elisabetham illuminabat, vt agnoscerent Christum, qui dies est, eadem erat columna ignis per noctem, quæ Ioannem, qui nocte, & tenebris peccati originalis caligabat, illustrauit, vt agnoscerent Christum. Quid ergo nos miseri, nos obtenebrati, quid in nocte huius sæculi faceremus, si tam lucidam lucernam, si tam luminosam columnam non haberemus. Vnde D. Bernardus sermone de Natiuitate B. Virg. *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum Vo dies: Tolle Mariam hanc maris Stellam, quid nisi caligo inuoluens, vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquentur:* Et D. Bonauentura in speculo, lect. 3. *Mariæ est nobis*

Mediante Virgine Maria Christus illuminauit Elisabetham & Ioannem.

co-

columna nubis, & columna ignis illuminans nos, imo illuminans mundum multis misericordiæ suæ beneficijs.

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 25. vers. 17. *Facies & propitiatorium.* Propitiatorium erat quodam operculum quo Arca erat tecta, seu velamen quale rebus pretiosis super ponere solemus. Cur vocabatur propitiatorium?

Per B. Virginem voluit Christus, Ioannem purificare.

Respondetur. Quod propitiatorium appellabatur à propitiando, quia Deus in eo existens propitiabatur Israelitis, expiabat, & mundabat peccata. Maluenda: *Septuaginta alteram nominis Capporeth interpretationem dixerunt, quæ græca voce hilasterion id est, propitiatorium placatorium, expiatorium, reconciliatorium, nimirum quod ex eo operculo Arcæ, Deus propitiaretur populo, operiret, expiaret peccata.* Beata Virgo Maria propitiatorium erat, in qua Christus existens purificauit, purgauit Ioannem, quia in vtero eius veniens à sorde originalis culpę præcursorem suum mundauit: licet enim Deus in se misericors sit, & propitius peccatori, in B. tamen Virgine existens, propitior, & misericordior est.

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 49. vers. 9. *Ad prædam fili mi ascendisti, quis suscitauit eum?* Maluenda hæc verba intelligit de Christo filio Iudę, & de victorijs quę reportauit de morte, peccato, & diabolo. Cur cum Christus Dominus tam potens sit ad salutem nostram operandam, & perpetrandam sui corporis gloriam, tamen cum ad generis humani redemptionem deuenit, dicitur quod ascendit, & cucurrit, ad gloriam autem sui corporis narratur, quod Pater excitauit eum?

B. Virgo ad opera charitatis velox.

Respondetur. Quod suscitatio corporis erat ad gloriam, & maiestatem suam, & ad hanc ita moras iraxit, quod dicitur Pater eum suscitasse: at vero generis humani redemptio, erat opus charitatis, & ad hoc exequendum dicitur, quod ascendit, & cucurrit. Christus enim ad opera charitatis festinus fuit, & properus. Silueira: *Quia ad ea quæ charitatis, ac beneuolentiæ erant Christus Dominus maximè præuolabat: ad ea vero quæ dignitatem, maiestatemque præseferebant, ita erat humilimus, vt dicatur quod Pater excitauerit eum. Diuinus amor rapidissimo ad aliorum vtilitatem cursu, ad honores vero lente, ac moroſe tendit.* Ita Beata Virgo quoniam originalis in præcursore nęuus extergendus erat, non pausat, non lentum trahit gradum, sed cum festinatione ad opera charitatis exercenda, montana perambulat velox, & celer festinat. Imo Beata Virgo, vt opera charitatis præstet, & perficiat, nunquam cunctatur, nec moras nectit, sed celeritatem adhibet. Matthęi 25. vers. 5. *Moram autem faciente Sponso.* Id est, Christo, vt exponit *Hugo Cardin.* Si Sponsus, & Sponsę expectabantur, cur Sponsus moram fecit, non vero Sponsa? Resp. Quod Sponsus Christus est. Abacuc 2. *Si moram fecerit expecta eum*, Sponsa vero Beata Virgo Maria, *Veni Sponsa mea*, Christus aliquando moram facit, quia est Iudex: at B. Virgo non moratur, quia Mater misericordię, & vt hęc exequatur, semper properat, & maturat. Silueira: *Christus qui Sponsi nomine intelligitur, cum sit Iudex aliquando tardat: at Beata Virgo, quæ intelligitur Sponsæ nomine cum sit Mater misericordiæ, semper festinat.* Abijt ergo B. Virgo cum festinatione, tum ad celeriter visitandam cognatam senem, quod erat opus charitatis, tum vt Ioannes sanctificaretur, quod erat opus misericordiæ.

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 10. vers. 13. *Steterunt que Sol, & Luna obediente Domino voci hominis.* Cur steterunt Sol, & Luna ad vocem Iosue? An quia Deus annuit voci, & precibus, aut votis cuiusquam Israelitæ pugnantis, eo quod ipse pugnaret pro eis?

B. Virginis verbum virtute Filij Dei in ea existentis, Ioannem à peccato purgauit.

R. Quod verba Iosue fuerunt significatiua, & efficacia, seu efficentia, seu effectiua; vnde ad vocem Iosue fletetunt Sol, & Luna, quia illa verba effecerunt, quod significarunt. Quia Deus per verbum hominis operabatur. Toletus: *Verba hominum per quos Deus mira operatus est, erant significatiua, & efficatia, quale fuit illud verbum Iosue, Sol contra Gabaonem ne mouearis, & Luna contra vallem Ayalon, quod Solem stare fecit Deo operante per hominis verbum. Sicut verbum Petri Actor. 3. Surge & ambula, claudum ambulare fecit, fuitque instrumentum virtutis Dei, & verbum Sacerdotis, ego te absoluo, aut ego te baptizo, non tantum significant, sed etiam efficiunt.* B. Virginis verbum salutationis significatiuum fuit, & effectiuum, per quod Deus Ioannem purgauit à peccato. Vnde D. Vincentius Ferrer ait: *Verbum Virginis fuit tantæ virtutis, quod sicut verbum Sacerdotis in baptismo virtute Christi sanctificat animam baptizati, sic illud verbum Virginis virtute Filij Dei in ea incarnati, & in ea existentis, san-*

tificauit Ioannem Baptistam. Sanctificatur enim creatura per Verbum Dei. 1. ad Timoth. 4.

5. Maria Magdalena.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 41. vers. 45. *Deditque Vxorem Aseneth.* Quæ fuit Aseneth? Cur Ioseph duxit eam in vxorem?

Maria Magdalena meruit pœnitentia sua esse Sponsa Christi

Respondetur. Quod fuit filia Putifaris, quia omnes viros oderat, in alta turri conclusa morabatur, eratque ita magna sicut Sara, ita speciosa, vt Rebecca, ita decora, vt Rachel, eamque in domum patris sui intraret Ioseph, & vidisset eam, sciens quod omnes viros oderat, sicut, & omnes fœminas, ipse salutatus ab illa illam resalutauit, & pater puellæ volens, vt Ioseph duceret eam in Sponsam, iussit filiæ, vt Ioseph oscularetur, quam ad hoc faciendum ad se venientem, Ioseph cum cognosceret, manum pectori eius apponens, detinuit eam, & ad se accedere non permisit, imo dixit non esse licitum, quod mulier idola colens, oscularetur colentem Deum vnum, & verum. Quibus auditis Virgo reclusa plorauit septem diebus, vestita vestibus doloris, omnia idola proiecit, multo ieiunio macerauit corpus, & continua pœnitentia fleuit amare. Quam cum vidisset Dominus misit ad eam Angelum quæ dixit ei, quod lachrimæ eius placuerunt altissimo, simulque pœnitentia, & ex tunc Sponsa Ioseph facta est. Merito enim pœnitentiæ, & lachrimarum eam in Sponsam Ioseph accepit. Abulensis: *Confortare Aseneth* (verba sunt Angeli) *quia nomen tuum scriptum est ab hodierno die in libro Viuentium, & non delebitur in æternum, Viuificata es, & renouata, bibes vinum in corruptionis, & comedes panem benedictionis, & non vocabitur Vltra nomen tuum Aseneth, sed multi refugij. Pœnitentia ergo quæ est Virgo filia altissimi semper videns atque modesta, orauit pro te, & ecce Sponsa eris Ioseph.* Maria Magdalena colebat idola peccatorum, vidit illam Christus, & videns non posse illius effici Sponsam, nisi Deum toto corde coleret, & amaret, corde contrita, proiecit idola, fleuit amare, & in lacu inclusa admirabilem egit pœnitentiam, per quam meruit esse Sponsa Christi, & esse refugium ad cuius preces accedentes peccatores à Deo veniam consequantur.

Dub. 2. Ad illa verba, Psam. 50. vers. 8. *In certa, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Quæ nam fuerunt occulta quæ Deus manifestauit Dauidi? An fuerunt arcana mysteria Sacræ Scripturæ, quæ aliis sunt occulta, sed Dauidi manifestata, vt est Beatorum Gloria, damnatorum supplicia, & similia de quibus agit in Psalmis?

Maria Magdalene reuelata fuit remissio suorum peccatorum, quia vere de illis doluit

Respondet. Quod occulta sapientiæ Dei fuerunt remissio peccatorum, & venia eorum, quæ Deus patefecit Dauidi per Nathan Prophetam: ideo dixit Dauid, quod Deus reuelauit ei occulta sapientiæ suæ: quia enim de peccatis doluit, Deus aperuit ei eorum remissionem. Incognitus: *Per incerta, & occulta intelligit remissionem peccatorum suorum sibi reuelatam, scilicet, per Nathan Prophetam, qui ei pœnitenti dixit: Dominus transtulit peccatum tuum 2. Reg. 12. Incerta enim, & occulta sunt quod peccatoribus ignoscat Deus. Vnde sub hac incertitudine Niniuitæ pœnituerunt dicentes. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus: sed hoc ipsi Dauid per Prophetam fuit reuelatum.* Mariæ Magdalenæ tantum dolorem, cruciatumque attulerunt errata ætatis suæ, quod à Domino meruit singulari fauore prosequi, cum ab eo audiuit: *Remittuntur tibi peccata tua.*

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 24. vers. 10. *Viderunt Deum Israel, & sub pedibus eius quasi opus lapidis Sapphirini, & quasi cœlum cum serenum est* Cur lapis habebat colorem Sapphiri, seu cœlestem?

Maria Magdalene ex peccatrice in cœlestem mutata est

Respondetur. Quod filij Israel premebantur in Ægypto operibus duris luti, & lateris, & laterem pretiosum vident splendere sub pedibus Dei, coloremque cœlicum habere, quasi lapis subiectus Dei pedibus in Sapphirum, in cœlumque mutatus sit. Oleaster: *Significatur quod sub pedibus Dei erat non quidem lapis, sed later, aut lapis formam lateris habens Sapphiri coloris. Est autem lapis Sapphirus, vt dicitur coloris cœlici, aut cærulei, & aureis punctis collucere solet. Dicunt autem Hebræi Deum laterem eis sub pedibus ostendisse, vt scirent quod ex populo seruili, populus Diuinus, & liber facti essent: ita vt lutum illud in quo in Ægypto operati fuerant, in pretiosissimum lapidem mutatum esset.* Maria Magdalena lutulenta fuit, & cœnosa, lutea, cæno peccatorum illita: sed stans secus pedes Domini corde compuncta, facta est ex lebete Phiala, & de vase contumeliæ in vas translata gloriæ. Ex peccatrice enim cœlestem mutata est.

Dub.

Dub. 4. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 6. *Fiat firmamentum.* Nomine firmamenti quidam intelligunt elementum, seu corpus aeris, alij cœlum ipsum stellatum, omnesque alios cœlestes orbes ipsi stellato vicinos, seu inferiores, seu superiores vsque ad Empyreum exclusiue. Nonulli vniuersum corpus cœleste, id est, orbes ipsos cœlestes accipiunt, absque Empyræo tamen. Inquires: si orbes cœlestes ex materia fluida aquæ extensi, & deducti sunt, cur dicuntur firmamentum?

Maria Magdalena fluida fuit per peccatum, sed in virtute stabilis per Dei sapientiam.

Respondetur. Quod licet cœlum ex fluxa illa aquarum, & labili mole deductum fuerit, tamen Dei sapientia, ita illam materiam solidauit, & firmauit; vt nullæ firmissimæ materiæ possit æquari. Diuina sapientia maximè enituit, cum exfluida materia fecit solidissimum firmamentum. Maluenda *Vide sapientiam Diuini Authoris, cœli á leuitate dicuntur, quasi leuissimi, & compactissimi & firmissimi, vt indicaret Deum imitio rerum ex fluxa, & fluida mole illa, & substantia aquarum, extendisse deduxisse, & compegisse cœlos tanta soliditate, stabilitate, & firmitudine, vt ijs nulla æris, aut chalybis firmissima materia comparari possit.* Maria Magdalena fluida fuit per fluxæ carnis scandala, sed Diuina sapientia, mulierem mollem, & leuem, & fluidam sicut aqua, effecit firmam, & in virtute stabilem. Vnde congruenter Lucæ 8. vers. 2. Vocatur Magdelene, quæ interpretatur turris, vel quia firmiter stetit in virtute, vel sustinuit amaritudinem pœnitentiæ.

Maria Magdalena fortiter sustinuit pœnitentiã.

Hugo Cardinalis: *Magdalon interpretatur turris, benè etgo dicitur Magdelene, quasi turrensis, quia dhæsit turri, id est, Christo. De quo Prouerb. 23. Turris fortissima nomen Domini. Cant. 4. Collum tuum sicut turris Dauid* Et infra: *Maria Magdalena significat pœnitentes, interpretatur enim Maria amarum mare, & Magdalena interpretatur turris, quia pœnitentes fortes debent esse in sustinendo amaritudinem pœnitentiæ, vel potius quia ipsa amaritudo debet eis esse turris fortitudinis. Cant. 7. Nasus tuus sicut turris bibani quæ respicit contra Damascum.* Beata Magdalena eremum aspertimum petijt, & in loco Angelicis manibus præparato triginta annis incognita mansit, vbi nec aquarum fluenta, nec plantæ cuius piam erant solatia, vt detur intelligi, quod fortiter sustinuit pœnitentiam.

Dub. 5. Ad illa verba, Lucæ 15. *Occidisti illi vitulum saginatum.* Cur pater filio qui vixit luxurioſe dedit vitulum saginatum, filio autem seniori, nec hædum dedit?

Maria Magdalene maiorem gratiam obtinuit, quã alij qui non peccauerunt.

Respondetur. Quod vtulus saginatus optimus, & pinguis significat abundantiam gratiæ: benè ergo filio, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, non vero seniori, qui benè vixit, pater dedit vitulum saginatum, id est, non qualemcunque, sed pinguem, quia ille lapsus in culpam, & humiliatus per pœnitentiam, abundantiorem gratiam obtinuit, quam senior filius, qui non peccauit. Hugo Cardinalis: *In duobus videtur arguere patrem, primo quod debuit, vnde dicit non dedisti mihi hædum, secundo quod fratri suo indigno dedit quod non debuit. Vnde dicit: sed postquam filius tuus Et ex hoc apparet, quod Dominus lapso, & per pœnitentiam humiliato, maiorem gratiam cumulat quandoque, quam illi qui nunquam cecidit, vt patet in Paulo, & Petro, & Magdalena Vnde Roman. 5. Vbi abundauit delictum super abundauit, & gratia.*

Dub. 6. Ad illa verba, Lucæ 15. vers. 25. *Audiuit Symphoniam, & chorum,* Caietanus: *Describitur enim chorea cum musica audita foris, & significatur audita lætitia in Ecclesia.* Cur cum appropinquauit filius senior domui non auditur musica, nec lętitia, cum autem venit filius prodigus auditur concentus chororum saltantium, & sonus musicus simphonię?

Angeli gaudebant de reparatione Magdalenæ.

Respondetur. Quod filius Prodigus lapsus fuit, sed reparatus per pœnitentiam; benè ergo ipso redeunte ad patrem auditur musica, & lætitia, quia de reparatione peccatoris non modicum gaudet Ecclesia. Hugo Cardinalis: *Ecclesia magis videtur gaudere de reparatione lapsorum, quam de stata innocentium cum maius bonum sit seruare innocentiam quam post lapsum reuerti. Ideo autem magis gaudet Ecclesia de reparatione lapsorum, quia magis de lapsu eorum dolait, sicut quando nauis proxima fuit periculo, & postea salua recipitur, maius gaudium est de illa, quam de omnibus alijs quæ prospere venerunt ad portum, licet aliæ plus valeant. & plus amentur. Sic messores gaudent cum euaserint pluuias, & grandines imminentes, sic victores erepta præda hostibus.* Sacerdos quidam vitam solitariam eligens, die quadam audiuit voces Angelorum, quibus cœlestibus concentibus reficiebatur Magdalena, & aspexit qualiter ab Angelis in ęthera leuabatur: gaudebant enim Angeli de reparatione lapsę, & de pecatrice pœnitiam agente.

S. Pater N. Dominicus.

Dub. 1. Ad illa verba, Ierem. 1. vers. 5. *Priusquam te formarem in vtero novite.* Quæ fuit illa cognitio Dei, quam habuit de Ieremia ante quam formaretur in vtero matris? An quia notus in præscientia Dei ante quam natus in vtero?

S. Dominicus prius notus quam natus.

Respondetur. Quod Ieremias ante quam conciperetur annuntiatus fuit matri, quod Nazaræus futurus erat, vt sic prius esset notus quam natus: benè ergo antequam conciperetur in vtero dicitur notus, quia prius fuit notus matri, quam mundo natus. Hugo Cardinalis: *Dicunt aliqui, quod annuntiatus fuit suæ matri ante conceptionem, quod futurus esset Nazarenus, propter quod dicitur notus ante quam natus.* Cum oraret S. Ioanna vxor Felicis Guzmani ad sepulchrum S. Dominici de Silos annuntiauit, ei quod susceptura erat filium, scilicet, S. Dominicum Patrem nostrum qui mira vitæ sanctitate luceret, & Sacrum Prædicatorum Ordinem fundaret, notus ergo fuit prius quam natus. De Elia hæc prodit Hugo Cardinalis 4. Reg. 2. vers. 11. *Dicitur quod Sabbata pater Eliæ ante quam Elias natus esset vidit in somnis Viros candidatos salutantes eum, quod cum nunciasset in Ierusalem, responsum est ei, quod habiturus esset filium, qui iudicaret Israel in gladio, & igne. Hoc verum fuit, quia Elias interfecit gladio Sacerdotes Baal.* 3. *Reg.* 18. *Et duos quinquagenarios igne consumpsit* 4. *Reg.* 1. Opera futura Eliæ ante Natiuitatem annuntiata fuerunt his signis gladio, scilicet, & igne: ita S. Pater Dominicus ante quam nasceretur, præmonstratus fuit matri, cum sibi visa est inquiete continere in aluo catulum ore præferentem facem, qua editus in lucem orbem terrarum incenderet. Quo somnio significabatur matri grauidæ, quod Sanctus Dominicus splendore sanctitatis, & doctrinæ gentes ad Christianam pietatem inflammaret.

Dub. 2. Ad illa verba, Nmeror. 24. v. 17. *Orietur Stella.* Rabbi Salomon apud Lyranum ait: *Per Stellam intelligitur aliqua constellatio specialis quæ apparuit circa Natiuitatem ipsius Dauid designans ortum eius.* Cur Dauid designatus est per Stellam? An dicitur Stella à præclara fama. Secundum illud 2. Reg. 7. *Feci tibi nomen grande iuxta nomen magnorum qui sunt in terra?* An quia sicut Stella radijs suis penetrat: ita Sanctus Dauid penetrauit Moabitas?

S. Dominicus adhuc puer futuram sanctitatē præmonstrauit.

Respondetur. Quod Dauid sanctimonia, integritate, pietate, & Religione futurus erat splendidus, & coruscus, simulque sex virtutibus, scilicet, humilitate, mansuetudine, obedientia, patia, misericordia, & charitate nitidus, & fulgens: benè ergo designatur Dauid in ortu suo per Stellam, quæ habet sex radios, quibus illuminat noctem, quia illa Stella virtutum splendorem futurum præmonstrabat in puerulo. Lyranus: *Orietur Stella ex Iacob, id est, Dauid. Vt dicunt aliqui Hebræi, qui nominatur Stella propter sanctitatem.* Et Hugo Cardinalis: *Stella sex radios habet quibus irradiat noctem.* Quædam matrona vidit in fronte paruuli, cum sacro fonte ablueretur, Stellam lucidissimam, quæ nouum iubar sęculi prędemonstrabat, splendorem, scilicet, sex virtutum, quibus maximè fuit nitidus, & clarus. Rara fuit eius humilitas, patientia, castitas, abstinentia, charitas, mansuetudo.

Dub. 3. Ad illa verba, Iudic 8. vers. 18. *Similes tui, & vnus ex eis quasi filius Regis.* Cur dicunt Zebee, & Salmana Gedeoni, quod vnus ex illis quos occiderunt in Thabor, erat quasi filius Regis? In quo apparuit ista similitudo?

S. Dominicus fuit vnus, & singularis qui in passionibus, Christo assimilatus fuit.

Respondetur. Quod vnus eorum quem occiderunt, erat singulariter, secundum delineamentum filij Regis, habebat quasi formam, delineationem, & filij Regis speciem. Hinc dicunt, quod vnus eorum qui fuit occisus erat quasi filius Regis, quia formam, & similitudinem filij Regis habebat. Maluenda: *Quali vultu, vel quo oris habitu, ac forma corporis erant. Vnus ex eis quasi filius Regis id est, regali, & magnifica forma, filij Regis os, habitumque gerens.* Sanctus Dominicus in vrbe Segouiensi à dęmonibus pro peccatis hominum fuit cōprehēsus, ligatus, flagellatus, realiter in Cruce cum clauis affixus, lancea confossus, ceteroſque omnes articulos passionis sustinuit cum doloribus indicibilibus, à pluribus quoque sanctissimis viris quemmadmodum à Beatissima Chatarina Senensi visus est cum stigmatibus in gloria coruscantibus, & in visionibus multis miraculosis, visus est mortalibus cum eisdem passionis insignijs. Id referente B. Alano de Rupe oratione 15. Laumano super hanc orationem, Hyacintho Coquieto. Alphonso Venero odèdiscalo de Beatissimo P. Dominico S enim Pater

Do-

Dominicus fuit vnus ex Sanctis. Vnus, id est, singularis, qui in passionibus filio Regis, id est, Domino nostro assimilatus fuit.

S. Dominicus sic appellatur, vt audito eius nomine officium Reparatoris notaretur in nomine.

Dub. 4. Ad illa verba, Leuitici 23. v. 1. *Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis Sanctas.* Cur primus dies septimanę Dominicus est?

Resp. Quod Dominus voluit, quod mundus haberet esse in die qui vocaretur Dominicus: vnde die Dominico mundus creatus est, vt tam magnificum opus quale fuit mundi creatio, in die Dominico haberet esse. Abulensis: *Qui est primus in origine sæculi, scilicet, in quo primo res creatæ sunt, & iste fuit dies Dominicus.* S. Dominicum fuisse mundi Reparatorem satis constat ex actis eius, & ex Sacerdote dicente loco *Dominus vobiscum* ad populum: *Ecce Reparator sæculi*, & specialiter colligitur ex eius nomine: voluit enim Dominicum appellari, vt mundus qui in die Dominico habuit esse, haberet reparationem sui postquam lapsus est, in homine qui vocaretur Dominicus.

Dub. 5. Ad illa verba 1. Esdræ 6. vers. 14. *Construxerunt iubente Deo Israel. & iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe Regibus Persarum.* Cur dicitur, quod Artaxerxes fuit Auctor ædificij Ierusalem, quia in hoc cap. legitur vers. 15. Quod Templum perfectum fuit anno sexto Darij, non ergo Artaxerxes ædificauit Templum, cum fuerit successor Darij, & domus Dei adhuc regnante Dario fuerit completa?

Christus Ecclesiam fundauit. D. Dominicus perfecit, ornauit perpoliuit.

Respondet. Quod Cyrus, & Darius Auctores fuerunt ædificij Templi, sed Artaxerxes filius Darij perfecit, absoluit, consumauit, & perpoliuit. Hinc licet domus Dei fuerit completa, & dedicata adhuc regnante Dario, ab Artaxerxe dicitur instaurata, perfecta, quia ædificium perfecit, & compleuit. Hugo Cardin. ex Beda: *Quæritur quomodo iubente Artaxerxe domus dicatur constructa, cum statim subiungitur, eam regnante adhuc Dario fuisse completam, & dedicatam, nisi forte credendum est, etiam Artaxerxem misso auro, & argento iussisse: vt quod minus in ædificio, vel ornatu Templi, vel vasorum esset completum perficeretur. Nam Esdræ illuc properante scriptum est, quod Idem Rex cum Principibus vel Consiliarijs suis, plurimum quidem auri, & argenti, & vasorum miserit ad Templum.* Inter Christum, & D. Dominicum partitur honor, & gloria: Christus habet hunc honorem, quod Ecclesiam ædificauit S. Dominicus hanc habet, quod hoc opus perfecit, cum auro, & argento prædicationis suæ compleuit, ad finem, & exitum perduxit.

Dub. 6. Ad illa verba, Exodi 37. vers. 1. *Fecit autem Beseleel, & Arcam de lignis setim.* Cur de solo Beseleel, dicitur quod fecit Arcam, & non de alijs qui vere eam fecerunt?

S. Dominico tribuendum est opus reformationis mundi per fratres Prædicatores operatum, tanquam principali agenti.

Resp. Quod licet Beseleel per se ipsum solus non fecerit Arcam, sed multi fuerint qui in eius fabricatione ministrauerunt ei, & laborauerunt, tamen Arcæ fabricatio ei attribuitur, quia erat architectus, & principale agens cæteri vero instrumenta: opus enim Arcæ principali agenti attribuitur. Abulensis: *Licet ista non fierent per Beseleel, sed etiam per alios imo magis per alios cum alij plures essent, tamen omnia dicitur fecisse Beseleel, quia actio tribuitur principali agenti sed Beseleel erat architectus. alij autem secundum dispositionem eius faciebant, ergo de ipso debebat dici facere: erat enim principium agendi. alij autem erant secundum instrumenta* Reformatio mundi per ministerium prædicationis, & illuminatio hominum per doctrinam quæ à fratribus prædicatoribus operantur quotidie, non tam ipsis attribuenda sunt, quam Sanctissimo Patri Dominico, quia iste prædicando, & docendo, fuit architectus doctrinæ, & prædicationis missus ad reparationem Ecclesiæ, & isti non illis actio attribuenda est.

Dub. 7. Ad illa verba, Leuitici 9. vers. 24. *Ecce egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum.* Maluenda: *Hoc miraculo testatum fieri voluit Deus, se approbare hunc ritum sacrificandi, & sibi placere ministerium Aaronis.* Cur ille met ignis non descendit in consecratione aliorum Summorum Sacerdotum, aut aliud miraculum non fuit patratum in initio suorum officiorum, vt demonstraretur Deum illorum officia acceptare, ergo cum in initio sui officij respectu aliorum non descendit ignis miraculosus, nec descendere debuit in initio officij Aaron.

Spiritus Sanctus in similitudinem linguæ ignitæ apparuit super caput S. Dominici, vt approbaret ministerium prædicationis, quod ex officio suscepit.

Respondetur. Quod ista inflammatio fuit facta propter Aaron, non tamen in quantum erat singularis persona, nec ad confirmandum specialiter sacrificia ab eo oblata, sed ad confirmandum in eo ordinem, & ministerium Sacerdotale, nam nunquam fuerat

aliquis Summus Sacerdos, nec habuerat aliquis talem administrationem, vt ordinatus in Sacerdotem. Vt ergo ordo Sacerdotalis, & ministerium eius approbatum esset, conueniens erat fieri aliquam inflammationem ad probandum ministerium illud. Vnde ibi non fuit facta principaliter approbatio personæ Aaron, sed magis approbatio ministerij, & ordinis Sacerdotalis. Cum autem alij consecrabantur in Summos Sacerdotes, non videbatur vlla necessitas huius miraculosæ inflammationis sacrificiorum, quoniam iam approbatio facta fuerat in Aaron. Abulensis: *Respondendum est non esse necessarium, nec valde conueniens, vt in consecratione cuiuslibet Sacerdotis magni, veniret ignis de cœlo ad cremandum sacrificia; nam non fiebat principaliter emisso ignis cremantis sacrificia à Deo propter approbationem personæ consecratæ, & ministrantis, sed magis propter ipsum ministerium Sacrificij. A principio autem quando Aaron ministrare incepit, nondum fuerat aliquis Summus Sacerdos, nec minor qui Sacrificia fecisset; ideo vt videretur ministerium istud à Deo approbatum debuit in suo origine aliquo miraculo conformari, quod fuit veniente igne à Domino ad cremandum Sacrificia consecrato, & ministrante Aaron. Cum autem alij Sacerdotes consecrabantur erat iam confirmatum Sacerdotale ministerium à principio in Aaron, ideo non oportebat, vt iteruvi approbaretur in eis facto aliquo miraculo.* Refert Leonardus de Vrino, quod semel oranti B. Dominico Romæ in Ecclesia S. Petri, apparuerunt Apostoli Petrus, & Paulus. Petrus dans ei baculum, & Paulus librum, dicentes: *Vade, & prædica verbum Dei, quia ad hoc ministerium à Deo missus es, & statim Spiritus Sanctus in similitudinem linguæ ignitæ apparuit super caput Diui Dominici, vnde in gratia, & sapientia confirmatus est.* Fecit Spiritus Sanctus hunc descensum in similitudinem linguæ ignitæ in initio prædicationis S. Dominici, vt ostenderet ministerium prædicationis, & ministrum illius esse suæ voluntatis. Nec tale quid, vel simile fecit soli tus almus in initio aliarum Religionum, & Patronorum earum, licet se exerceant cum maximo fructu in prædicatione Euangelij. Quia S. Dominicus fuit primus, & sua Religio prima, quæ ex officio prædicabat Euangelium. Vnde quando aliæ Religiones venerunt, iam prædicationis officium approbatum erat in S. Patre Dominico, ideo non oportuit, quod Spiritus Sanctus in similitudinem linguæ ignitæ appareret super aliquem Patronorum Religionum. Nec Spiritus Sanctus sic apparuit super caput. D. Dominici propter illum in quantum persona particularis erat, sed in quantum minister erat Euangelij, & propter ministerium prædicationis, quod ex officio suscepit, quodque cum circunstantijs cum quibus fuit in B. Dominico, nouum, & inusitatum hucusque erat.

S. Laurentius Martyr.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 3. vers. 7. *Et aperti sunt oculi amborum, cumque cognouissent se esse nudos.* Cur dicitur, quod aperti sunt oculi eorum ad videndum se nudos, cum antea oculis corporis, & mentis viderint se nudos. Genes. 2. vers. 25. *Erat autem vterque nudus?* Si prius viderunt se esse nudos, ad quid aperti sunt modo oculi eorum?

Respondetur. Quod prius viderant se nudos, sed non nuditate turpi, cum essent in iustitia originali: post peccatum vero experti sunt nuditatem subrationè turpis. Vnde aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt se esse nudos, quia pudebat eos de nuditate cum non essent in iustitia, cum antea non verecundarentur, cum sanctitate, & innocentia pollerent. Maluenda: *In sanctitate, & iustitia originali, tamet si nudi essent, non eis erat pudor vt pueris, & infantibus: amissa gratia, & sanctitate cœperunt sentire, curare, verecundari suam nuditatem, vt pudendam, cœpit eos pudere, ipsi erubescere, verecundari, vt pueri iam adultiores, cum se nudos vident.* Sanctus Laurentius in tormentis positus, & exutus vestibus, vidit quidem nuditatem suam oculis corporis, & mentis, sed non sub ratione turpis, cum haberet integritatem, & iustitiam originalem. Vnde ei non erat pudor de nuditate, sed sicut puer, vel infans non verecundabatur, quod esset nudus.

S. Laurentius in tormentis nudus non verecundabatur de nuditate, quia habebat innocentiam Adæ in gratia.

Dub. 2. Ad illa verba 4. Reg. 2. v. 11. *Ecce currus igneus, & equi igneidiuiserunt vtrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Cur Elias curru igneo, & equis igneis translatus est, nec alio modo vectus?

Resp.

Cruciatus ignis congruebat igneo animo S. Laurentij erga Deum.

Respondetur. Quod equi igneí, & currus igneus, quibus Elias vectus est, benè illi congruebant, quia Elias igneo amore erga Deum æstuabat, animumque habuit inflammatum, vnde igneo animo eius, consonus erat currus igneus cum equis igneis. Caietanus: *Congruit species ignis igneo animo Eliæ erga Deum.* S. Laurentius non fuit lapidibus obrutus, non saggitis trans verberatus, non aquis submersus, non capite truncatus, sed flammis exustus, quod ita congruebat calori, quo mens eius, & animus erga Deum ignitus feruebat.

S. Laurentius corpus ex parte quasi glorificatum habebat, quia insensibilis videbatur ad tormenta.

Dub. 3. Ad illa verba, ad Hebræos 6. v. 5. *Gustauerunt donum cœleste.* Quonnam donum cœleste prægustauerunt Sancti Martyres in tormentis? An Diuinas consolationes?

Respondetur. Quod aliqui Martyrum ex parte experti sunt dotes corporis, impassibilitatem, scilicet, in præsenti, quia tormenta sensibus non percipiebant, imo insensibiles videbantur ad martyria: benè ergo dicit Apostolus quod gustauerunt donum cœleste: aliqui enim eorum tormenta insensibiliter sustinebant. Hugo Cardinalis: *Gustauerunt, id est, in parte experti sunt dotes corporis, etiam in præsenti, impassibilitatem prægustauerunt. Sicut Beatus Tiburtius, qui super prunas quasi rosas ambulabat, & Vincentius similiter, & Laurentius, quasi insensibiles videbantur ad tormenta.* B. Laurentius dum in craticula supra positus vreretur, ad impiissimum tyranum dixit. Assatum est iam, versa, & manduca, quasi flammarum non sentiret incendium, ecce donum cœleste, quod ex parte gustauit in præsenti S. Laurentius, quod persecutoris pœnam non sentire visus est. Vnde S. Ambrosius: *Quamuis Rex improbus ligna subijceret, incendio maiora supponeret: tamen S. Laurentius has flammas fidei calore non sensit.*

Dub. 4. Ad illa verba, Lucæ 24. vers. 42. *Obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis.* Cur Discipuli offerunt Christo piscem assum simul cum fauo mellis? Cur seorsum piscem, & fauum seorsum non obtulerunt?

S. Laurentius in tormentis cœlestem dulcedinem gustabat.

Respondetur. Quod piscis assus est iustus flammis tribulationum torridus: fauus vero mellis est iucunditas cœlestis: benè ergo Discipuli simul cum pisce asso fauum mellis offerunt Christo, quia Christus quem igneis tormentis vrit, cœlesti consolatione satiat. Hugo Cardinalis: *Per hoc quod piscis assus, & fauus mellis simul coniunguntur, significatur, quod suos qui his tribulationibus pro nomine eius assantur, iucunditate æternæ beatitudinis satiabitur* S. Laurentius piscis fuit assus in craticula, & dum ferale patitur tormentum, hilari serenaque fronte, læto vultu, & animo erat, quia cœlesti gaudio, iucunditateque beatitudinis erat delibutus.

Dub. 5. Ad illa verba, Matthæi 2. vers. 10. *Gauisi sunt gaudio magno valde.* Quando homo gaudet? Quando gaudio gaudet? Quando gaudio magno gaudet?

S. Laurentius triplex gaudium habuit in tormentis.

Respondetur. Quod homo gaudet naturaliter cum omnia ei veniunt fœliciter, gaudio gaudet, cum æquo animo, & toleranter aduersa suffert, sed gaudio magno valde gaudet, cum probra, & contumeliæ ei sunt gratæ S. Laurentius gaudium habuit, cum fuit supra craticulam positus, vnde dicebat: *Gaudio plane, quia hostia Christi effici meruí*, gaudio gauisus est, cum patienter tormenta sustulit, sed gaudium magnum valde hausit, cum cruciatus periucundi, atque grati erant. Vnde Tyranno dicebat: *Tormenta tua epulæ mihi sunt.* Vnde ministris subijcientibus prunas insultabat leuita Christi, carnifices iudificabat, Tirannum irridebat. Hugo Cardinalis: *Naturaliter gaudet mens hominis, cum succedunt ei prospera, sed gaudio gaudet, cum æquanimiter sustinet aduersa, sed valde magno gaudio gaudet, cum ei contumeliæ sunt gratæ. Sicut Actor. 5. Ibant Apostoli gaudentes. Primum gaudium habuit Isaac Deo manens gratus in prosperis secundum Iob, qui innocentiam suam defendit in aduersis, tertium Laurentius, & Vincentius, qui carnifices irriserunt in tormentis.*

Assumptio Beatæ Virginis Mariæ.

Dub. 1. Ad illa verba, Cant. 2. vers. 5. *Quia amore langueo.* Maluenda: *Quia ægrotans amore ego.* Cur Sponsa amore se ægrotare asserit? Cur deuenit ex amore in languorem?

Beata Virgo Maria ægrotauit amore fruendi filio suo perfecte in gloria.

Resp. Quod Sponsa æstuabat donec Sponso frueretur in cœlo: hinc dicit, quod ex amore Sponsi morbo fuit correpta: amor enim Sponsi, & desiderium fruendi perfecte Sponsum, ægrotare, & languere fecit Sponsam. Maluenda: *Quia amore langueo,*

alij primo, quia infirma sum dilectione; secundo nam ægra amore sum, quasi dicat, non desino æstuare, donec perfecte fruar congressu Sponsi mei in cœlesti gloria. Beata Virgo Maria flagrabat amore filij sui, ardebat desiderio Sponsi sui, & esse cum illo in æterna beatitudine. Vnde non feruida febris eam inuasit, non inopinatus morbus, sicut cæteros eam corripuit, sed ignes illi viui amoris erga filium, eam infirmare, languere, & ægrotare fecerunt. Imo ex infirmitate amoris erga Deum mortua est. Sol habet motus varios ex vna parte in aliam, quia si semper in vnam determinatam partem moueretur, comburet omnia, & in puluerem reduceret. Abulensis in cap. 28. Exodi fol. 445. *Si Sol non haberet motum raptus, sed solum naturalem, necesse esset, vt super eandem partem terræ directe super quam mouebatur vno tempore, quod moueretur alio, & vsque in æternum nunquam variando, & sic incenderetur terra, & in cinerem solueretur.* Ita Sol amoris Diuini inter cæteras animas, præter B. Virginem Mariam, mouetur motu vario, quia variando ferit, nam modo ducit in hoc, modo in illud, modo in Deum, modo in creaturas, & aliquando cessat à motu, quia nihil amant. At B. Virginis cor, & animam non cessauit Sol Diuinus vnquam ferire, nec cum variatione feriebat, sed semper, & continue in vnam partem mouebat eam, scilicet, in Deum, necesse ergo erat vt ita incederetur, vt à vita deficeret, & moreretur. Ideo quærentibus, vnde prouenerit, quod Beata Virgo moreretur, respondendum est, mortua fuit de radijs amoris Dei.

Beata Virgo Maria ex infirmitate amoris erga Deũ mortua est.

Dub. 2. Ad illa verba, Lucæ 7. v. 38. *Capillis capitis sui tergebat.* Asserit Siluestrus Prierius se vidisse caput Mariæ Magdalenę cum paucis capillis, & incorruptis. Cur illi pauci capilli inuiolati manebant, cum alij corruptione tabescerent?

Respondetur. Quod illis capillis pedes Domini Iesu tetigit, & terfit: merito ergo nescierunt corruptionem. Congruum enim erat, quod capilli qui intrectauere pedes Christi, in corrupti, integri, & inuiolati permanerent. Siluester: *Inter omnes eius capillos, isti soli, qui Christũ tetigerunt manent incorrupti.* B. Virgo Maria mortis nexibus de primi non potuit, quod non est intelligendum, quod pœnam mortis non subierit, cum vere fuerit mortua, relinquitur ergo, quod signare non potest nisi incinerationem, vt sit sensus, non potuit mortis nexibus de primi, id est, non potuit incinerari, quia Christus non dedit Matrem suam videre corruptionem, quæ in ventre cum gestauit, & propius eum attigit. Placet afferre quæ de sacrosancto ligno Crucis tradit Maluenda cap. vltimo de Paradiso in fine: *Theologi magno consensu docent in 4. Sentent. dist. 47. & 48. Mixta omnia præter hominem, in suprema mundi exustione resoluenda in elementa. Excepere quidam apud Suarez Tomo 3. disput. 57. sect. 2. Venerabile Crucis Dominicæ lignum, quod in æternum in cœlo seruandum in incorruptibilitatis statum demutatum credidere, eo quod tam singulare, & eximium nostræ salutis instrumentũ extiterit.* Applica prudens lector ad rem.

Oportuit, quod corpus B. Virginis non videret corruptionẽ, nec cinerationem.

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 15 v. 20. *Cantemus Domino.* Dicunt aliqui, quod non solum ipsa Maria cantabat, sed quod præ cęteris mulieribus ipsa cantauit. Cur Maria præ cæteris cantauit canticum? Cur non æque cum alijs fœminis?

Respondet. Quod Moyses quia Dux erat populi cantauit cum filijs Israel præ cæteris omnibus; ita rationabile erat, quod Maria quia soror eius, & quia propheti̇ssa in populo, cum cæteris, & præ cæteris mulieribus cantauerit: quæ enim omnibus fœminis præstabat, quia Moysis soror, maiori honore erat cumulanda. Abulens. *Sicut Moyses cantauit cum omnibus filijs Israel: ita Maria soror Moysi, & Aaron cantauit cum omnibus mulieribus. Et rationabile valde erat, nam sicut Moyses qui erat Dux populi, & Propheta Domini erat principalis inter viros cantantes: ita Maria quæ prophetissa erat, debuit esse Dux, vel præuia inter cantantes mulieres.* Christus Dominus maiorem habet omnibus gloriam: ita congruum erat quod B. Virgo maiori in cœlo potiretur gloria cæteris spiritibus Beatis Angelicis, & humanis. Imo conueniens erat, quod super omnes exaltaretur. B. Virgo cum præsentata fuit triennis in Templo ascendit quindecim gradus. Cur non sex, vel decem, vel duodecim? Cur vsque ad quintum decimum processit? Accipe D. Vincentium Ferrer Serm. 2. in Natiuitate Domini: *Iste ascensus quindecim graduum signabat aliquod mysterium futurum, & ma-*

Beata Virgo Maria præ cæteris Beatis maiori gloria potitur, eo quod Mater Filij Dei.

Beata Virgo Maria ad altiorem gradũ gloriæ præ Angelis, & hominibus ascendit.

maximè de B. Virgine, vt tangit. Diuus Hieronymus, scilicet, quod supra nouem ordines Angelorum, & Archangelorum, & supra sex gradus Sanctorum, scilicet, Virginum, Confessorum, Martyrum, Apostolorum, Prophetarum, & Patriarcharum erat sublimanda. Beata Virgo in Templo ascendit quindecim gradus, insignum, quod ad altiorem gloriæ gradum præ Angelis, & hominibus erat ascensura.

Dub. 4. Ad illa verba, Exodi 15. vers. 21. *Quibus præcinebat dicens: cantemus Domino.* Iuxta Hebræum habetur: *Et respondit eis Maria*, seu *Miriam.* Cur dicitur, quod Maria respondit cantantibus? Cur aliæ mulieres non respondebant cum Maria?

B. Mariæ Virginis gloria tãta est, quod sola illa ex vna parte tantam gloriam habet, quam omnes Beati Angeli, & homines præter Christum.

Resp. Quod fœminæ canticum incœperunt in laudem Domini, sed Maria sola ex vna parte respondebat fœminis: ideo non dicitur, quod omnes respondebant, sed quod Maria respondit, quia sola chorum seorsum ab alijs ducebat. Caietanus: *Iuxta Hebræum habetur, & respondit Miriam. Innuitur enim, quod tot choris mulierum tanquam ex vna parte canentibus aliquid in Diuinam laudem, Maria sola tanquam ex altera parte canebat initium supra scripti cantici.* Omnes animæ è sæculo migrantes, quæ transacto mare peccatorum, & ex illo liberatæ in cœlestem gloriam ingrediuntur, laudes canunt Deo de victoria: at inter omnes hic est ordo, omnes præter Virginem Mariam vnum chorum componunt, Maria vero sola alterum, & quas glorias vident, tantas cantant. Quantam gloriam canunt Deo omnes animæ simul? Quantam cantat Maria? Quantas cantant cæteri Beati, quia omnis gloria in cæteris partita, adunata reperitur in Maria, vtpote quæ seorsum ab omnibus Beatis chorum ducit, & in cuius choro nullus socius cum illa, sed sola maior omnibus simul iunctis, videt, gaudet, & cantat.

Dub. 5. Ad illa verba, Canticor. 7. v. 7. *Statura tua assimilata est palmæ.* Maluenda: *Ista surrectura tua assimilata fuit palmæ.* Cur Beata Virgo Maria in assumptione cum surrexit in cœlum, comparatur palmæ?

Beata præmiatur præmio accidentali in visione B. Virginis.

R. Quod palma consueuit dari victoribus tanquam præmium, & corona. Benè ergo dicit Sponsus *ista surrectura tua assimilata est palmæ*, quia Beata Virgo beatis victoribus corona est, & accidentale præmium. Mendoza: *Non in merito ipsa Virgo cœlum ingressa palmæ comparatur: statura tua assimilata est palmæ: nam vt palma victoribus tribuitur tanquam merces, præmium, & corona, ita, & Beatissima Virgo cœlesti curiæ proponitur tanquam ingens gloria, qua illius merita cumulentur, & augeantur.* Sicut enim in visione speciosi forma præ filijs hominum, lætantur Beati, & præmiantur præmio accidentali, secundum illud Ioann. 10. dictum de Beato, *ingredietur* per visionem Diuinæ essentiæ, *& egredietur* per visionem humanitatis assumptæ, *& Pascua inueniet*, sic omnes sancti in cœlo gaudent, & præmiantur quodam præmio accidentali in visione illius, quæ speciosa est præ filiabus Ierusalem.

S. Hyacinthus Ord. Prædicat.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 25. vers. 9. *Et sepelierunt eum Isaac, & Ismael filij sui.* Cur solum nominantur Isaac, & Ismael, cum alij filij quos habuit de Cetura conuenerint ad sepulturam Abrahæ? An quia absentes erant?

S. Hacynthus maximè gloriatur, quod sit filius præcipuus S. P. N. Dominici.

Respondetur. Quod alij filij Abrahę de Cetura ad sepulturam Abrahę conuenerunt audita morte patris sui, non tamen nominantur, quia soli Isaac, & Ismael principales erant, quasi hęc sit eorum laus honor, & gloria, quod prędicipui filij sint tanti patris. Caietanus: *Nihil dicitur de filijs Cęturæ, quia isti duo prącipui erant.* S. Iacynthus Romę manibus Sancti Dominici P. N. habitum Ordinis Prędicatorum suscepit, & licet alij à S. P. Dominico, coaptati fuerint in Sacrum Ordinis Religiosum cœtum, de illis nihil dicitur, sed de solo S. Iacyntho fit mentio, quia principalior prędipuus, & insignis filius est, & maximè gloriatur quod sub Diui Dominici vexillo Religiosa, & sacra stipendia fecerit.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 6. vers. 1. *Videntes Filij Dei.* Cur filij Seth vocabantur Filij Dei? An quia procerę, & magnę staturę nempè Gigantes, vt cedri Dei, montes Dei? An quia pij, & fideles, qui vera fide, & legitimo cultu inuocabant Patrem, & à Deo vocabantur filij?

S. Iacynthus filius B. Virginis vocatur quia ab ea maximis beneficijs tanquam filius fuit cumulatus.

Resp. Quod Deus filios Seth largiori manu, & specialiori beneficentia bonis suis prę alijs cumulauit. Benè ego Filij Dei vocantur, quia affluęter, & singulari dignatione tanquã filios, bonis, & beneficijs ornauit. Marginalis Caiet. *Quibus Deus abũde benefacit, & peculiari*

dignatione bonis suis præ alijs cumulat filios Dei scriptura vocat. Sic, & Deuter. 14. Israelitæ Filij Dei dicti, quod præalijs mundi populis beneficijs Diuinis ornati sunt. Hos ergo hic adducit scriptura cùm impijs ingratos extitisse. Beata Virgo Maria S. Iacynthum filium vocat: *Gaude filij Iacynthe*, quia tanquam filium suum gratias, & fauores liberalissimè ei impendit, cum alloquitur, alloquio mulcet, quidquid à Deo petierit impetraturum, ea interueniente, promittit, tandem cum cuperet dissolui, & esse cum Christo, die Sacræ Assumptionis Deiparæ in Domino obdormiuit.

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 8. *Plantauerat autem Dominus Paradisum voluptatis.* Quæres an Paradisus fuerit in Regione ignis? Negant multi? sed cur in Regione ignis non fuit plantatus?

S. Iacinthus plus quam homine esse comprobauit, quando per ignē non timens ingressus est.

Respondetur. Quod Deus posuit Angelum contra homines ad custodiam Paradisi, vnde probatur, quod Paradisus non erat positus in regione ignis, nam si ibi fuisset plantatus, se ipsum sufficienter defenderet per ignem, quando quidem nullus esset homo, qui ad ipsum ingrederetur per ignem. Abulensis: *Si in igne fuisset Paradisus, non posuisset Deus custodiam propter lignum vitæ, quia nullus homo per ignem intrare posset, vel auderet.* S. Iacinthus ausus est ingredi voraces flammas secum ferens in vna manu S. Eucharistiæ Sacramentum, in altera Imaginem B. Virginis Mariæ, ergo non solum homo, sed plus quam homo iudicandus, qui ausus est intrare per ignem.

Dub. 4. Ad illa verba, Iosue 3. vers. 11. *Arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Iordanem.* Cur Iosue, vt Iordanis aquas diuideret, coram se deportauit, Moyses vero non eam detulit, vt mare rubrum diuideret? Si dicas quod Arca tunc non erat fabricata, cur Moyses non aliud secum tulit Diuinum adiutorium sub cuius tutela securus posset aquas maris diuidere? Cur ipse solus mare ingrediens, & aquas hinc inde diuisit?

S. Iacinthus solus sufficiebat, vt toleret metum à socijs metuentibus eum se qui, cum vadum traiceret.

Respondetur. Quod licet Arca fuerit fabricata, necessaria non erat, quia sufficiebat Moyses, vt timor à socijs tolleretur, vnde cum nullus auderet intrare, ingressus est Moyses ante eos: at Iosue Arcam secum deportauit, vt aquas diuideret Iordanis, vt hoc munitus præsidio, timorem auferret populi. Abulensis: *Ibi Moyses ingressus est ante eos, qui timorem abstulit, & consequenter alij ingressi sunt.* S. Iacinthus ad vadandum flumen redundantibus aquis præter fluens eum peruenisset nullo nauclero, nulloque nauigio, quo trans amnem veheretur ad ripas conspecto, Diuina ope implorata, comites ad iter per medios fluctus alacriter agendum hortatus: *Eeia*, inquit, *filij sequimini vestigia mea in nomine Christi.* At illi præeuntem illum sequi metuentibus, ex pario pallio aquam tangens, *agite*, inquit, *filij charissimi sit iste nobis pons Iesu Christi*, neque flumen illud rapidissimum vna cum socijs incolumis traiecit. Poterat Beata Virgo Maria ab aquis sicut ab igne liberare S. Iacynthum, non tamen tulit Imaginem Beatæ Mariæ, vt ab aquarum voragine se liberaret, & socij cum eo flumen altissimum traijcerent, quia solus absque tanto præsidio super aquas incedens demonstrauit se esse alterum Moysem legis gratiæ, qui sufficiebat ad tollendum timorem à socijs metuentibus præuntem sequi.

Dub. 5. Ad illa verba, Exodi 14. vers. 25. *Et subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum.* Notat Abulensis, quod rotarum signa arenis impressa vsque hodie perseuerant. Cur voluit Dominus, quod rotarum signa impressa manerent in arenis? Cur non abolita?

S. Hacynti miracula insensibiles creaturæ exclamant.

Respondetur. Quod Deus voluit, quod miraculum illud nulla deleret obliuio, maneant ergo vestigia, & signa rotarum impressa in arenis, vt tanti miraculi notitia è mortalium memoria nunquam excidat. Abulensis: *Magnum autem Diuinæ monitionis monimentum, atque recordatio posteris magna documenta daturum vsque hodie restat. Nam cum Ægyptij in curribus, & equis Hebræos per mare rubrum persecuti essent, rotarum signa quæ vinis arenis impressa sunt vsque hodie perseuerant, ita vt si rotarum orbita eadem die illa vestigia impressissent, & si forte contingat ventis impellentibus arenarum aggeribus signa illa occultari, mox Diuina prouidentia ad statum pristinum reducuntur, vt si Diuina miracula homines spiritu inuidiæ concitati taeuerint, ipsa per se terra exclamet.* Multi iuramento deposuerunt se apud Khioviam Ruſiæ vrbem vidisse vestigia super aquam Boristenis fluuij impressa per totum fluuium de ripa in ripam vnius hominis, quæ omnium fama communi, & voce, Beati Hacynthi esse ab omnibus populis dicuntur. Voluit enim Deus hæc hominis vestigia in flu-

fluuio permanere, vt si homines negarent, flumen per se prædicet.

Deus singulari miraculo declarauit dignitatem, & excellentiam S. Iacynthi, quod esset Summus Sacerdos in lege gratiæ.

Dub. 6. Ad illa verba, Numeror. 17. vers. 5. *Germinauit virga eius.* Dubitabis. An esset euidens signum, vt ille cuius virga in instanti floreret, esset futurus Summus Pontifex?

Respondetur. Quod virgæ ille erant aridæ, nec poterant naturaliter vna die producere folia, flores, & fructus, at illa virga posita cum alijs intra Sanctuarium die sequenti produxit folia, flores, & amigdala: vnde hoc miraculum sufficienter ostendit dignitatem Aaron Summi Sacerdotis legis antiquæ. Per miraculum enim singulare repente, & in instanti editum ostensa fuit dignitas, & præstantia Aaronis in lege veteri. Abulensis: *Sufficiens enim hoc videbatur esse nam virgæ aridæ non poterant germinare, & florere, & fructus producere naturaliter potissimè vna die, sed illæ virgæ positæ fuerunt intra Sanctuarium, & sequenti die reperta est vna earum florens: ergo miraculum erat.* Et Maluenda: *Hoc autem factum est ad augendum miraculum.* S. Iacynthus cum esset in Kouia, tanto turbine pluuiarumque influentia, & grandinis pondere totius illius possessionionis segetes percussas, non sine dolore reperit, ita vt nihil penitus in camporum ingeribus præter stramina, stipulasque quassatas aliud cerni poterat. Agricolę supplices petierunt, vt S. Iacinthus compateretur eis. Coram Deo totus effusus, accidit res notatu digna. Nam quam primum Sol radios prorrexerat in die S. Margaritæ suos omnes campos iterum plenos, culmis tritici, & aliarum segetum erectis, ac si grandine nunquam percussi fuissent reperierunt. Quod miraculum meritis S. Iacynthi ascripserunt incolæ. Igitur S. Iacynthus spicas non in spatio vnius diei, sed repente, & in instanti germinare, florere, & fructus facere fecit. Clarum ergo signum per tale miraculum Deum ostendere voluisse, eum esse alterum Summum Sacerdotem legis gratiæ, qui hoc promeruit, simulque præstantiam, dignitatem, & excellentiam sanctissimi viri.

S. Bernardus.

Dub. 1. Ad illa verba, ad Timoth. 1. vers. 18. *Secundum præcedentes in te prophetias.* Cur Apostolus dicit Timothæo, quod præcesserunt de eo prophetiæ? Quæ prophetiæ?

Respondetur. Quod quantum ex his conijcitur, ab aliqua, seu aliquibus spiritualibus personis prædicta fuerunt multa bona spiritualia Timotheo accesura, quę tam Paulo, quàm Timotheo, nota erant, & dicuntur prophetię de eo precedentes. Prę monstratus fuit enim à spiritualibus personis, vel Spiritu Sancto qualis futurus esset, Hugo Card. *Secundum præcedentes prophetias, id est, secundũ quod Spiritus Sanctus ostẽdit mihi de te forte aliqua bona signa habuerat Apostolus de Timothæo ante quam promoueret eum. Sicut legitur de B. Bernardo, quod cum conceptus fuisset, visum est matri, quod haberet catulum album in ventre, quæ stupefacta nuntiauit hoc cuidam viro bono, qui dixit ei, quod portabat in vtero vnum optimum Prædicatorem.* De Eliseo ex aliorum relatu narrat Hugo Cardinalis 4. Reg. 4. vers. 36. *Dicitur quod in ortu eius tale contigit prodigium, vt vna ex vitulis imago mugiret, quo audito in Ierusalem, Sacerdos Diuino nutu ait: Propheta natus est in Israel, qui sculptilia Deorum destrueret, & fusilia.* Vir ille Dei matri prophetica voce respondit, quod optimum catulum pararet, qui domus Dei custos futurus esset, eo quod Prędicator fieret egregius, & canis qui in vtero latrabat, signauit, quod D. Bernardus contra inimicos daret latratus, ac multos medicinalis linguę gratia esset curaturus.

D. Bernardus prophetice monstratus qualis futurus esset.

Dub. 2. Ad illa verba, Ruth. 3. vers. 8. *Viditque mulierem iacentem ad pedes suos.* Cur Booz commendatur de eo, quod iacentem mulierem, scilicet, Ruth habuit ad pedes?

Respondetur. Quod Ruth ingressa fuit in lectum Booz, rogans illum, vt eam acciperet in suam, sed ille non acquieuit pro tunc petitioni illius, vt fieret vxor eius, verum nec carnaliter ad eam accessit: cum enim mulier esset adolescentula, & pulchra facie sola existens in lectulo Booz rogans illum, & cũ tot essent incitamenta ad coeundum, omnia spreuit Booz, eam intactam dimittens: merito ergo summis laudibus efferundus Booz, & talis honestas perpetuo prędicanda. Abulensis: *Valde ergo laudabiles est vir ille qui data tali opportunitate, tantis veneris flammis resistere potuit, ideo nec à nobis sub silentio prætereundus est, sed aliquali laude canendus.* Simili valore, Diuus Bernardus rogantem mulierem, non admisit, sed reiecit. Imo propter castitatem Diuinissimus appellandus est. Genes 39. vers. 10. *Huiusce modi verbis per singulos dies loquebatur, & mulier mo-*

D. Bernardi castitas omni laude superior.

les

lecta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum Abulensis appellat Iosephum *Diuinissimum*. Cur hoc vocabulo insignitur adolescens?

D. Bernardus plus quam viriliter vtique Diuinissimè restitit mulieribus.

Respondetur. Quod Ioseph laudabilis fuit, eo quod verbis primis mulieris restitit, & viriliter egerit mulieris impetus reprimendo: at non tucumbere impudicis molestijs quotidianis, iteratis per singulos dies obscenis verbis, Diuinissimum fuit. Abulensis: *O virum laudabilem! In prima acie verbis amatorijs restitisse, laudabile quidem, & valde virile fuit, sed quotidianis iaculis venenatis non succumbere iuuenem pulchrum, & elegantis formæ, quibus fortissimi quique succumbunt, Diuinissimum fuisse fateamur.* Diuus Bernardus adolescens propter egregiã pulchritudinem vehementer sollicitatus à mulieribus, Diuinissimus dicendus est, quia à mulieribus elegantis formę appetitus sępius, plusquam viriliter, vtique Diuinissimè restitit.

S. Bernardus, vt oraret attẽte, cogitationes à se repellebat.

Dub 3. Ad illa verba, Leuitici 16. v. 17. *Nullus hominum sit in Tabernaculo quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, vt roget pro se.* Cur nullus homo debebat stare in Tabernaculo ingrediente Pontifice Sanctuarium? An ob reuerentiam Diuinæ Maiestatis, quæ tunc manifestius apparebat?

Respondetur. Quod Sacerdos magnus intrans in sancta Sanctorum, quia intrabat in locum Sanctissimum, debebat habere maximam attentionem ad Deum; hæc autem amittitur per communicationem cum alijs hominibus in collocutione, vel alias; ne igitur impediretur Sacerdos magnus ab hac deuotione, iubebatur ne aliquis esset in Sanctuario. Lyranus: *Quia tunc Summus Sacerdos debebat esse maximè eleuatus in Deum, & propter hoc excludebatur societas aliorum, quæ posset impedire ipsum.* S. Bernardus, vt oraret attente, non solum consortium hominum, & illorum colloquia, verum ipsas aliorum rerum cogitationes, quod maius est, à se reppellebat, ne cum eo ad orandum ingrederentur.

Per S. Bernardum Sacræ Scripturæ nobis dulcescunt.

Dub. 4. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 10. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum.* Rupertus ait, quod aquę erant salsæ? Si salsæ aquę, quommodo indulcedinem versæ sunt, & factæ potabiles?

Respondetur. Quod aquæ ascendebant per terrestrem Paradisum, & per illam terræ mammam: vnde licet aquæ naturaliter essent salsæ, & amaræ, dulces, & potabiles factæ sunt. Rupertus: *Aquæ sua apte natura salsæ erant, & amaræ, ascendendo autem per illam terræ mammam, scilicet, terrestrem Paradisum, versæ sunt in dulcedinem, vt dulces atque potabiles irrigarent terram.* Sacræ Scripturæ valde amaræ, imo mortuæ atque mortificantes erant, quia littera occidit: at transeuntes per mammam illam, scilicet, D. Bernardum in dulcedinem versæ sunt, cordaque hominum dulcorant. Refert Hugo Cardinalis Psalm. 91. vers. 13. *Legitur de Rege apum, quod mittat apes ad mare, vt inde afferant guttas maris, & ponat cum dulcedine florum, & inde conficiunt mel ex amaritudine, & dulcedine.* S. Bernardus ex amaritudine locorum Sacræ Scripturæ, & ex dulcedine florum, scilicet, doctrina Sanctorum Patrum, quorum vestigijs fideliter inhæsit, dulcissimam doctrinam confecit, vnde congrue appellatur mellifluus Doctor.

Dub. 5. Ad illa verba, Exodi 2. vers. 7. *Vis, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hæbream, quæ nutrire posset infantulum.* Cur fœminæ Ægyptiæ non lactauerunt Moysem? Cur lactatrix fuit mater eius? Cur ergo Moyses lac non hausit ab Ægyptijs?

S. Bernardus gustãs lac ab vberibus B. Virginis, ostendit non esse de gente huius mundi, sed superioris Ordinis.

Respondetur. Quod Moyses voluit ostendere se non esse de Ægyptiorum numero, vnde fœminis Ægyptijs ad mouentibus ei vbera, lac non traxit ab eis, sed à matre sua Hebræa, quatenus non ab Ægyptijs lactatricibus, sed ab Hebræa matre lactatus, indicaret quod in Ægyptiorum numero non erat censendus, sed Hebræorum Catalogo numerandus. Hugo Cardinalis: *Cum plures Ægyptiæ admouissent vbera, puer auertebat faciem. Tunc ait Maria. Forte vbera gentis suæ sequetur, & adduxit Thermuit Iocabeth quasi alienam, & statim accessit ad vbera eius.* Beata Virgo Maria S. Bernardum rore lacteo nutriuit, vt demonstraret, quod non erat S. Bernardus de Ægypto huius mundi, sed alterius classis, & Ordinis. Vnde cœlius Rhodiginus lib. 11. cap. 21. de Inone lactante Herculem ait: *Apud Græcos scriptum reperi, Iouem nato Hercule dormienti coniugæ suæ Iunoni eum suppositisse, & excusso de mammis ab ea lacte, infantem Diuinitatis iura acquisiuisse.* Et Alciatus emblemate 138. *Nec prius esse Deus potuit* loquitur de Hercule, *quam sugeret infans lac sibi quod fraudis nescia, Iuno dedit.* Vtamur fabula: si Hercules labris lac Iunonis trahendo participauit Diuinitatem, S. Ber-

Bernardus lactatus à B. Virgine plusquam homo apparuit, vtique ad altiorem Ordinem ascendit.

Sancta Rosa.

Dub. 1. Ad illa verba, Iosue 6. vers. 17. *Sitque Ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino.* Cur Ciuitas Iericho fuit à Iosue Deo dicata?

S. Rosa fuit primus flos sanctitatis in diarum occidentalium, quam tanquã primitiam obtulit Deo S. P. Dominicus.

Respondetur. Quod illa Ciuitas fuit prima inter alias debellata: vnde Iosue eam totam Deo deuouit tanquam primitiæ Ciuitatum Deo. Caietanus: *Totum erit Deo per modum oblationis tanquam primitiæ Ciuitatum terræ Promissionis.* America Meridionali ab idolorum cultu ad fidem Christi conuersa, primus in ea flos sanctitatis erupit S. Rosa, & eam tanquam primitiæ sanctitatis dedicauit Deo S. Pater Dominicus.

Dub. 2. Ad illa verba, Iob 3. vers. 9. *Non videat, nec ortum surgentis Auroræ.* Homerus vocauit Auroram *rosi digitam.* Cur rosi digita vocatur Aurora?

S. Rosa veniens in mundum maxima lætitia homines perfudit.

Respondetur. Quod Aurora consurgens distribuit gaudia, vt pulcherrima Rosa, prata rident, homines gaudent, aues lætantur, reptilia exultant, pisces colætantur, & omnis creatura quæ sub cœlo est, ipsa oriente gaudio perfunditur: congruè ergo *rosi digita* vocatur Aurora poetica, & venusta metaphora, quia cum videntur palpebræ, seu vibrationes Auroræ, hoc est, primi radij, seu promicationes Auroræ, Hispanice *arreboles* gaudent omnes, sicut homo lætatur visa pulcherrima rosa. Maluenda: *Homerus Auroram rosi digitam dixit, id est, roseos digitos habentem, & Virgilius in culice crinibus, & roseis tenebras aurora fugarat.* Cum S. Rosa in cunis iaceret apparuit rosa in vultu eius, in signum quod ipsa aduenies populum fidelem maxima iucunditate, & lętitia perfunderet. Quis dicere potest quot Rosa per totum ferme Christianum orbem clarissimis lętitię, & gaudijs significationibus celebrata fuit, & excepta, cum eam ascripsit Pontifex Diuorum numero. Vel in vultu infantulę rosa apparuit, in signum quod Deus eam tanquid pretiosum apud eum rosa obsignauit. De Dodanis, seu Rhodis notat Maluenda: *Constat Rhodios monetam rosa signare, extantque hodie eiusmodi nummi. Genes.* 10. *vers.* 4. Dodani, seu Rhodi monetam obsignabant, vt quam monetam maximè, magnaque æstimatione habebant, signarent rosa: ita Deus infantulam rosa in vultu eius apparente obsignauit, vt ostenderet quod pretiosa erat inconspectu Domini in æstimabileque pretium eius, plusquam moneta apud homines.

Si Rosa pretiosa fuit apud Deum sicut moneta apud homines, imo maiori pretio quam moneta coram hominibus.

Dub. 3. Ad illa verba, Iudic 4. vers. 17. *Iahel vxoris Haber cinæi.* Auctores interpretantur Iahel ceruam, capream, rupicapram, sic *Prouerb.* 15. *v.* 19. Cur viri vxores suas hoc nomine vocabant ceruam, capram?

S. Rosam vocabat Christus, R. sa cordis mei, vt ibi gratissimam, & charissimam esse ostenderet.

Respondetur. Quod nomine ceruæ vocabant viri vxores suas sibi charissimas, & gratissimas: vnde Heber vxorem suam Iahel ceruam vocabat vt hoc nomine gratissimam sibi esse Iahelem indicaret. Maluenda: *Vxor vocatur ceruæ præ gratiæ, seu ceruæ charissimæ: quod nomen tribebatur vxoribus gratissimis, & charissimis, qualis erat Iahel.* S. Rosa audiuit à Christo *Rosa cordis mei.* Rosam cordis sui appellabat: his blandicijs eam alloquebatur, vt quam charissimam habebat, amantissimis, & tenerrimis verbis *Rosa*, scilicet, *cordis mei*, appellaret.

S. Rosa in teneri anni mirificos virtutum fructus Deo nò amore acceña tulit, prius quam alij Sancti.

Dub 4. Ad illa verba Exodi 14. vers. 15 *Deuora eas igitur herba terræ, & quid pomorum in arboribus fuit.* Quo tempore terra in Ægypto profert herbas & arbores poma?

Respondetur. Quod in Ægypto mature, & præoccupato tempore terra profert herbas, & arbores fructus suos nempè in principio Martij, quia terra nimis calida est: quia enim æstuosa est præpropera est. Abulensis: *Possemus dicere, quod illa terra propter magnam caliditatem respectu huius terræ ita temporanea est, quod fructus qui hic sunt in Maio, sunt ibi in principio Martij.* Multi Sanctorum ætate maturiores, roborata, iam, & confirmata, fructum virtutis efferunt, alij in media ætate, alij in senectute: at S. Rosa ita bonæ indolis fuit, quod in tenera ætate, imo adhuc infans, fructus mirificos virtutum tulit priusquam alij Sancti, vt pater ex eius legenda. Ad illum statum in tenera ætate peruenit, quia amore æstuabat sponsi, ad quem alij in magno tempore peruenerunt, priusque fructus in amore cœlestium in silentio, in patientia in abstinentia, cæterisque virtutibus fudit, quam alij.

Dub. 5. Ad illa verba, Iudic 4. vers 4. *Erat autem Debbora vxor Lapidoth.* Nonnulli *Lapidoth* pro appellatiuo accipiunt, quasi Debbora dicatur mulier lampadarum, facularum, vt notauit

Ma-

Maluenda. Cur Debbora appellatur mulier tacularum, lampadarum? An quia erat splendido, & præfulgenti aspectu?

Rosæ vultus coruscus, & splendidus cum Sacra Eucharistia reficiebatur.

Respondetur. Quod Debbora cum Diuino spiritu arripiebatur splendores admodum facularum emittebat à facie; vnde congrue appellabatur mulier facularum, & lampadarum, quasi à facie, & vultu nitido, & splendido nomen sibi acquireret, scilicet, mager de los respiandores. Maluenda: *Mulier lampadarum, facularum, quod cum Diuino spiritu corriperetur, fulgores à facie tanquam faculas emitteret, vt Moyses radios.* S. Rosa dum sacra simaxi reficiebatur visa est crebrius accenso vultu radiare, & Sacerdotes Rosam communicaturi totam flammeam, & vultum ipsius cœlesti, & vehementi splendore radiantem conspexere, sæpe quoque visa est vultu Angelico radiare. Vnde aptissimè potest appellari Rosa: *Mulier fulgorum.*

Dub. 6. Ad illa verba, Psalmi 59. Titulus Psalmi est: *Victori pro liliis.* Alij exponunt *super lilium, vel Rosam, aut florem testimonij.* Caieranus: *Huiusmodi titulum gloriæ suæ, lilium rosam seu florem testimonij appellauit Dauid.* Maluenda, *super lilium ornatus, & ornamenti à voce Gheduth.* Cur Dauid posuit rosam in testimonium, & in insigne sui in instrumento musico, quo Psalmum istum de cantauit?

Rosa insigne, & monumentum, seu stemma Christi.

Respondetur. Quod Dauid voluit habere emblema, seu insigne aliquod in testimonium suæ regalis maiestatis: vnde instrumentum musicum, ad cuius sonum hic Psalmus decantabatur, sculptura rosæ insignivit, vt solent apud nos etiam musica instrumenta huiusmodi sculptis floribus ornari, quasi rosa esset stemma, seu testimonium, aut insigne Regalis dignitatis. Maluenda: *Gheduth varie exponunt, super lilium, vel rosam, aut florem testimonij, secundo super lilium ornatus, seu ornamenti. Notant vocem Gheduth hic capi pro certo, ac singulari ornatus genere, quo Reges decorabantur, quodque erat insigne Regiæ maiestatis, & quos eos Reges esse testabatur quale erat fortasse sceptrum, vestis aliqua insignis, vel eius generis quidpiam aliud, sic ea vox sumitur 2. Reg. 11 vers. 12. & 2. Paralipom. 23. vers. 11. Vnde hic lilium, vel rosam testimonij, vel ornatus intelligi volunt sceptrum, vel aliquod insigne Regiæ dignitatis, de quo hunc Psalmum composuerit Dauid.* Christus appellauit hanc Virginem rosam cordis sui: *Rosa cordis mei*, vt innueret, quod Rosa erat insigne, stemma clarissimum, monumentum, testimonium, seu *diuisa* suæ regiæ maiestatis, per quam tanquam per stemma clarissimum Christus dignoscitur.

Natiuitas Beatæ Virginis Mariæ.

Dub. 1. Ad illa verba, Psalmi 80. vers. 4. *Buccinate in Noemenia tuba in insigni die solemnitatis vestræ.* Alij legunt: *In operimento, in die, vel ad diem festiuitatis nostræ.* Quæ verba de festo Tabernaculorum intelliguntur in quo festo Israelitæ obtegebantur casis frondeis: ideo legunt aliqui *in operimento.* Cur dies operimenti, seu Tabernaculorum dicebatur insignis inter Hebræos?

Natiuitatis B. Virginis festum, magnæ est solemnitatis inter omnia de eadem B. Virgine, quia hodie paratur operimentum, & Taberdaculũ Filio Dei.

Respondetur. Quod populus Israel toto illo tempore ex quo profecti de Ramasses in stationem primam peruenerunt, tuguria, seu Tabernacula, seu casas ex arborum frondibus confecerunt ad eorum operimentum, ad commoditatem stationum, de qua re *Leuit.* 23. *vers.* 43. Ideo festum operimenti, seu Tabernaculorum dicebatur insigne, celebre inter Hebræos, maiorique solemnitate celebrabatur. Maluenda: *In operimento, id est, in die operimenti, quo populus Israeliticus obtegebatur casis frondeis, hoc est, in festo die Tabernaculorum. Vnde singulariter hunc locum intelligunt de Festo Tabernaculorum.* Festum Natiuitatis B. Mariæ Virginis inter omnia festa, quæ de ipsa celebrantur insigne est, & magnæ solemnitatis, quia Filio Dei paratur operimentum, seu Tabernaculum, quo naturam humanam assumpturus operiatur, & obtegatur. Vel apud Hebræos dicebatur dies solemnis, quæ in mensis septimi principio tubis clangentibus celebrabatur, scilicet, nouilunium: quando enim progrediebatur noua Luna, insignis, & celebris dies erat apud Hebræos. Maluenda: *In insigni die solemnitatis vestræ, in nouilunio diei solemnitatis vestræ.* Merito ergo dies Natiuitatis B. Virginis solemnis, & insignis appellatur, quia hodie noua Luna, id est, Beata Virgo progreditur. Vnde Hugo Cardinalis: *Hoc est thema in Natiuitate B. Virginis, quæ etiam est in Septembri: tunc enim quando nata est Beata Virgo Maria progressa est noua Luna.*

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 25. v. 10. *Arcam de lignis setim compingite.* Quid causę, quod Deus Arcam testamenti fecit?

Resp.

Nata est Beata Virgo, vt in illa Deus sua mirabilia, & potentiam demonstraret.

Respondetur. Quod Deus per Arcam volebat manifestare hominibus suam potentiam, simulque per eam multa Hebræis conferre beneficia: congrue ergo facta est Arca tanquam insigne Diuinæ potentiæ. Abulensis: *Radicale ergo fundamentum impellens ad faciendam Arcam fuit hoc, quia Deus volebat demonstrare insignia suæ potentiæ, & beneficiorum.* Ecce rationem Natiuitatis B. Virginis. In nulla enim pura creatura talia signa suæ potentiæ demonstrauit, in nullaque talia beneficia contulit, & per eam mundo, qualia in B. Virgine, cum meliorem Matrem efficere fuerit impossibile. Vnde Psalm. 109. vers. 2. B. Virginem vocat non solum virgam, sed virgam virtutis Dei, *virgam virtutis tuæ*, quia virtus Dei, & potentia in B. Virgine operata est mirabilia. Hugo Cardinalis: *Virtus enim Dei dicitur Dei potentia. Psalm. 20. Exaltare Domine in virtute tua, secundum hoc Beata Virgo dicitur virga virtutis, quia in ipsa virtus Dei, id est, potentia, mirabilia operata est. Scilicet, quod Deus homo, quod Verbum caro, quod Mater Virgo, & alia plura, vnde dicitur ei. Lucæ 1. Virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 3. vers. 6. *Qui comedit.* Laurentius Ananias ex traditione Hebræorum, & Arabum affirmat, quod in pomo efficta erat Crux. Cur in pomo, quod comedit Adamus expressa erat effigies Crucis?

Beata Virgo nascitur in mense Septembri in quo damnū illatum est homini, vt in eodem mẽse incipiat reparari damnum.

Respondetur. Quod Adamus mense Septembri comedẽs pomum vetitum, sibi, & nobis intulit damnum: in eodem ergo mense exprimatur effigies Crucis in carne pomi, vt in eodem mense, quo damnum illatum est humano generi, efformetur Crux, qua reparetur inuectum homini damnum. Maluenda de Paradiso cap. 40. *Hebræi Arabes pro certo putant huius esse fructum, quem sator generis humani Adam tanto suo, & nostro malo degustauit, nec reperiri in orbe suauiorem, credi voluere quidam discisso pomo ex primi in carne Crucis effigiem non sine admiratione.* Beata Virgo Maria nata est mense Septembri, in quo id referente eruditissimo Canisio ex traditione Hebræorum, orbis conditus fuit, & Eua formata, in quo peccauerunt parentes nostri: benè ergo in Septembri nascitur, quia si in hoc mense damnum comparatum fuit, in hoc mense Natiuitate B. Virginis damnum instaurari incœpit.

Dub. 4. Ad illa verba, Genes. 47. vers. 13. *In toto enim orbe panis deerat, & oppresserat fames terram, maximè Ægypti, & Chanaam.* Si Ægyptus oppressa fame, quando incœpit abundantia, & vbertas fructuum in Ægypto?

Nata est Beata Virgo in Septembris, qui est mensis plenitudinis, propter plenitudinẽ bonorū quæ sua Natiuitate nobis attulit.

Respondetur. Quod Ægyptus tunc sterilis, & infœcunda erat, penuria, & desiderio cibi premebantur homines: at ingrediente Iacobo in Ægyptū, Nilus extra ripas effluit, & terram feracem, vberem, & fœcundam effecit. Ad ingressum enim Iacob terra cœpit abundanter affluere. Mendoza: *Grassante fame in toto orbe ingressus est Iacobus in Ægyptum. Dicunt nihilominus Hebræi ad illius ingressum statim Nilum exundasse, & terram ex siccitate in fœcundam, infussa aqua fœcundam redidisse.* Beata Virgo Maria ingressa est in Ægyptum huius mundi quando nata est mense Septembri, qui est mensis fructuum, quia sua Natiuitate vbertatem spiritualium bonorum, & temporalium nobis attulit. Quod prophetice dixit Dauid Psalm. 64. vers. 5. *Replebimur in bonis domus tuæ.* Quæ nam domus cuius bonis replebimur? Hugo Cardinalis: *Virgo Maria est domus, in qua habitauit plenitudo Diuinitatis corporaliter. Colos. 2. id est, Dei Filius. Prouerb. 9. Sapientia ædificauit sibi domum. In bonis huius domus replebimur, quia ex ea effunduntur nobis dona gratiarum multa. Propter istam plenitudinem benè congruit, quod in Septembri nata est, qui est mensis plenitudinis.*

Dub. 5. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 22. *Et ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem.* Cur Eua formata fuit intra Paradisum? Cur hic honor vni Euæ ex omnibus mortalibus defertur?

Beata Maria Virgo nata est sancta.

Respondetur. Quod Paradisus locus erat Sanctus: congrue ergo in Paradiso formatur Eua, vt innuat eius sanctitatem. Mendoza: *Crediderim sane in gratiam Mariæ, quæ cæteris in peccati exilio nascentibus, ipsa sola nascitur in Paradiso sanctitatis.* Hinc est, quod nata est Sabbato, & congruum erat, vt quæ sancta nata est, & qua sanctitatis Auctorem paritura erat, in die quoque Sancto, seu sanctificato nasceretur. Imo cum tanta perfectione quanta nullus, quia coniunctior Christo qui est principium gratiæ, & perfectionis. Inquires: an fructus primi arborum perfectiores fuerunt illis quos postea arbores produxerunt? Resp. Quod in omnibus rebus experimur, quod quæ sunt magis coniunctæ cum suis principijs maiori gaudent

dent perfectione, quia plus participant de influxo illius: vnde fructus primi arborum meliores fuerunt, illis quos postea produxerunt arbores, quia plus participarunt de influxo terræ. Abulensis: *Credendum puto, quod nunquam arbores tantum defructu, & tam bonæ complexionis produxerunt. Ratio, quia semper operatio, quæ a solo Deo est perfectior est, quam perfectio naturalis sicut Adam dicimus fuisse hominem melius omnibus hominibus complexionatum præter Christum: ita de omnibus rebus, scilicet, de primis equis, de primis Leonibus, ita quia tunc complexio terræ erat in primo gradu, deinde continuo, quia corruptibilis est, declinat ad senium, vt res productæ minoris semper virtutis sint.* Beata Virgo Maria maiorem omnibus hominibus gratiam obtinuit, & perfectionem, quia fuit coniunctior, & propinquior Auctori gratiæ, vt ait *Diuus Thomas.*

Nata est cum tanta perfectione gratiæ, quanta nullus.

Imago S. Dominici P. N. in Soriano.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 18. *Adiutorium simile sibi.* Cur Eua vocatur adiutorium simile Adæ? Cætera animalia non poterant adiutorium esse protoparenti?

Imago S. Dominici in Soriano superior est omnibus imaginibus eiusdem, cum eadem miracula patret, quæ faciebat eius originale.

Respondetur. Quod dicens adiutorium simile sibi denotabatur excellentia Euæ super cætera animalia, quia licet alia sint adiutorium homini, sed non ad hominis similitudinem accedebant. Abulensis: *Dicendum quod ponitur primo ad excludendum indignitatem fœminæ, nam dicebatur, faciamus adiutorium, & nomen adiutorij significat rem minoris dignitatis, quam id cuius est adiutorium, cum, & pecora, & res inanimatæ sint adiutorium hominis. Vt autem non putetur fœmina tale adiutorium dicitur simile sibi, id est, non est de imperfectis adiutorijs, sed est tale, quod accedit ad veri similitudinem.* Aliæ Imagines S. Dominici P. N. ipsum adiuuant in nostram vtilitatem, sed imperfecte, hæc vero perfecte: accedit enim ad verisimilitudinem, cum ea operetur per imaginem, qua ipse Sanctus in vita mirabiliter operabatur.

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 5. vers. 3. *Genuit ad imaginem, & similitudinem suam.* Cur dicit Moyses, quod Adam genuit Seth ad Imaginem, & similitudinem suam, cum sufficeret dicere genitum Seth ad Imaginem Adæ? Cur additur ad similitudinem?

Respondetur. Quod Seth habebat similitudinem cum suo prototypo, quantum ad eius virtutes qui sunt ornamentum, & quantum ad potentias animæ. Vnde Seth dicitur genitus ad imaginem Adæ secundum potentias animæ, & similitudinem secundum virtutes quasi Seth non esset imago, & similitudo Adæ, si secundum dicta non exprimeret Adamum. Abulensis: *Ad imaginem quantum ad tres potentias animæ, & similitudinem, quantum ad virtutes quæ sunt quidam ornatus imaginis.* Imago S. Dominici in Soriano specialiter vocatur eius imago, quia in illa quasi assistunt tres potentiæ animę S. Dominici, intellectus ad videndas nostras necessitates, memoria, vt recordetur succurrere, voluntas, vt nostri compatiatur, est quoque eius similitudo, quia ornatur virtutibus, & potentia sui prototypi in memoriam omnium inuocantium patrocinium eius.

Imago S. Dominici specialiter inter omnes alias imagines, eius imago appellatur, quia videtur habere omnia quæ habuit prototypum suum.

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 22. vers. 2. *Tolle filium tuum vnigenitum.* Cur Deus vocauit Isaac vnigenitum Abrahę, cum talis non esset, siquidem habebat alium filium, scili. et, Ismael?

Imago S. Dominici in Soriano, inter omnes eius imagines præcipua est, propter modum miraculosum, quo data fuit.

Respondetur. Quod Isaac vocatur vnigenitus etiam quantum ad Abraham, ratione modi, quia iste vnus miraculose genitus fuit, Ismael autem naturaliter, quasi sit prę cipuus filius propter modum miraculosum, quo fuit genitus. Oleaster: *Isaac tibi miraculose donatus.* Ita à simili dicendum est, quod imago illa Soriana vnica est respectu S. Dominici, licet alias habeat sui imagines, quia illa sola ratione modi talis vocatur, quia miraculose pieta, allata, & data fuit, cęterę vero naturali modo habendi imagines.

Dub. 4. Ad illa verba, Genes. 9. vers. 13. *Arcum meum ponam in nubibus cœli.* Cur arcus in cœlo positus à Deo insignum suę clementię, Dei arcus singulariter appellandus est, cum cęteri ab ipso, vt Auctore saltim naturę fabricati dicantur?

Imago S. Dominici in Soriano inter omnes imagines quas adoramus, debet imago Dei dici, quia nō ab homine, sed à Deo in cœlo de picta est.

Respondetur. Quod iste arcus non est fabricatus ab homine, sed à solo Deo causatus: congrue ergo Deus vocat eum arcum suum, quasi solus ille arcus debent dici Dei, qui à solo Deo fabricatus est per sua naturalia agentia. Abulensis: *Vocatur iste arcus Domini, quia iste non est fabricatus ab aliquo homine, sed à solo Deo causatus est per sua naturalia agentia.* Cęterę imagines ab hominibus coloribus, & pigmentis expręsse sunt, hęc vero à solo Deo eximio

ar-

artificio, politissima arte, egregio opere, in nobili materia depicta est; vnde debet specialiter Dei imago dici.

Imago S. Dominici in Soriano primatum tenet inter cæteras sanctorum imagines, propter mirabilia quæ in ea videntur, & per ea patrantur.

Dub. 5. Ad illa verba, Genes. 2. vers. 11. *Nomen vni Phison.* Quis nam est Phison primus Paradisi fluuius? Quommodo interpretatur?

R. Quod secundum *D. Hieronymum* interpretatur *mutatio oris*, quia aliquando mutatur in colore, cum alicubi sit clarus, alicubi turbidus, mutatur etiam in quantitate, quia aliquando diffunditur, aliquando restringitur, mutatur quoque in sensu, quia alicubi frigidus est, alicubi calidus. Interpretatur etiam *caterua* secundum *Eusebium*, *& D. Hieronymum*, *& S. Isidorum*, quia decem fluminibus magnis sibi adiunctis impletur, & vocatur abundantia, propter abundantiam piscium quos gignit. Merito ergo fluuius de quo talia narrantur, vnus dicitur, id est, primus inter omnes fluuios, Hebraica phrasi, vt notat Maluend. de Paradiso cap. 39. Abulens. *Phison mutat vultum, sæpe tamen in colore, quia alicubi clarus, alicubi turbidus, quam in quantitate, quia alicubi diffusus, alicubi strictus, quam in sensu, quia alicubi frigidus, alicubi calidus, vel dicitur Phison, id est, abundans, quia abundat piscibus, & secundum alios Phison interpretatur caterua, quia caterua fluminum habet, scilicet, decem flumina magna, quæ in illum incidunt.* Ita imago illa cœlestis S. Dominici mutat vultum: aliquando enim hilaris est, aliquando tristis, alicubi diffusus est in patratione miraculorum, alicubi strictus, quia nulla, vel pauca propter diuersitatem deuotionis ad illum concurrentium edit, item plura miracula facit, & stupenda, plura, & maiora multo, quam imagines aliæ, vnde caterua prodigiorum inueniuntur in ea. Igitur imago hæc teneat primatum, suprema sit, & maxima inter cæteras imagines exceptis Domini N. Iesu Christi, & B. M. Virg. propter mirabila, quæ in ea videntur, & per eam patrantur.

Imago S. Dominici in Soriano videtur habere omnipotentiam participatam, quia sanat ad idolatria, cum infirmitatem idolatriæ causatura videretur.

Dub. 6. Ad illa verba, Numeror. 21. vers. 9. *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent sanabantur.* Cur voluit Deus, quod Israelitæ infirmi à morsibus serpentum, vt sanitatem recuperarent, viderent potius serpentem quam quamlibet aliam rem, cum ex visione cuiuscunque alterius rei, possent sanitatem recuperare?

Respondetur. Quod viso æneo serpente sanabantur Israelitæ à morsibus serpentum: actio enim, seu sanitas ex contrarijs fiebat, vt quemmadmodum à veris serpentibus percussi in mortis periculum incidebant, ita sanitas viso serpente æneo induceretur. Medicina naturalis dicit: contraria contrarijs curantur: at medicina supernaturalis eisdem rebus curat, quibus contrahitur infirmitas, vnde infirmi ex percussione serpentum, viso æneo serpente curabantur. Oleaster: *Adnotarunt hic Hebræi æneum hunc serpentem plane morbo contrarium fuisse remedium, ita vt nihil minus quam curare morsos à serpentibus posset, sed potius illis præsentissimam mortem adferre debebat. Eam enim æris candentis naturam esse dicunt, vt si quis à serpente morsus illud intueatur, statim moriatur. Deum ergo per contrarium, & contra naturam quodammodo eos curare voluisse, vt ista ratione illustriorem, magisque mirandam faceret saluificam suam virtutem atque potentiam, eadem quoque dicunt de ligno illo in aquas amaras proiecto, vnde dulcorabatur. Similia adferunt de massa ficorum, quo Ezechiæ Regis vlcus curatum est.* Deus dedit hominibus imaginem S. Dominici P. N. eo tempore, quo vigebant hæretici, & idolatriæ per adorationes imaginum: videbatur enim in congruo tempore data, quia cum esset mirabilis picturæ, poterat in idololatriam inducere: at voluit Deus suam manifestare potentiam, vt si ex imaginibus visis, idololatria oriebatur, ex hac imagine visa idolatria tolleretur, vt rei monstrauit euentus, quoniam multi visa hac mirabili pictura ad Catholicam fidem conuersi sunt, & sicut notauit *Caietanus*, serpens qui sanabat, erat eiusdem speciei cum serpente, qui mordebat: ita imago eiusdem speciei in ratione picturæ cum alijs, sanat ægrotos idolatras, quando visis alijs imaginibus infirmabantur.

Dub. 7. Ad illa verba, Exodi 34. v. 30. *Timuerunt prope accedere.* Cur Moyse descendente de monte timuerunt filij Israel accedere ad eum, cum quo diu conuersati erant?

Imago S. Dominici fulgoribus splendida visa est, vt summa veneratione colatur.

Respondetur. Quod Dominus dedit Moysi in vultu eius splendorem, vt in reuerentia magna haberetur nam, tantus erat fulgor faciei eius, quod ad eum accedere non poterat, nec loqui Caiet. *Pellis faciei Moysis non solum lucida erat, sed etiam splendoris radios emittebat: videntes autem Aaron, & filij Israel cornutam Moysis faciem, timuerunt*

prope accedere, vocatique ab eo reuersi sunt ad eum, descripta reuersio manifestat, quod tanta fuerat reuerentia, vt non solum desisterint ab appropinquatione, sed nec sustinerint, sed retrocesserint. Facies S. Dominici in hac imagine radios visa est splendoris vibrare, & pictura micantibus Stellis splendida, quod à Deo factum est, vt videlicet tantus Magister, tantus Doctor, tam Zelotes Dei, tam sanctissimæ vitæ homo, in Thaumaturga eius imagine prodigiorum officina, in magna haberetur veneratione.

S. Michael Archangelus.

Dub. 1. Ad illa verba, Exodi 23. vers. 20. *Ecce ego mittam Angelum meum.* Quis fuit iste Angelus à Deo missus.

R. Quod iste Angelus, qui præcedebat Israelitas, satis rationabiliter, & aliqualiter euidenter dici potest, fuisse S. Michaelem, quod vt probetur suppono, quod sicut cuilibet homini datus est suus in custodiam Angelus, cuius munus est exercere omnia, quæ in dati hominis in custodiam necessaria sunt ad salutem: ita cuilibet genti, vel Prouinciæ datus est custos Angelus cum obligatione procurandi eius salutem. Vnde cum S. Michael esset Princeps maior Hebreorum, ad ipsum pertinebat, custodire Hebræos, à periculis liberare, in via dirigere, & in terram introducere. Abulensis: *Michael erat maior Princeps Iudæorum, vt patet Daniel 10. Ergo ad eum pertinebat procurare, & exercere ea, quæ maximè pertinebant ad Iudæos, cuiusmodi erant custodia in itinere à periculis, & directio viarum, & introductio ad possidendam terram hostilem.* Populus Christianus specialis populus Dei est, specialiter ergo ad Michaelem pertinebit dirigere eum ad gloriam, custodiendo à periculis in itinere huius vitæ, & dirigendo, & ostendendo viam securam ad illam, & introducendo illum in veram promissionis terram. Dices si Deus erat custos populi, cur misit S. Michaelem præcursorem populi?

S. Michael specialiter curat de prædestinatis, liberando eos à peccatis, auferendo occasiones illorum, & introducendo eos in gloriam.

S. Michael vices Dei gerit.

Respondetur. Quod S. Michael adeo magnus est, quod vices Dei obtinuit, & in locum Dei suffectus est, tanquam tutelaris Angelus; qui populum tueretur, tegeret, & defenderet. Hugo Cardinalis Exodi 23. vers. 2. *Tradunt Hebræi, quod Dominus ipse custos eorum erat, deinde dedit eis Michaelem custodem eorum proprium, sicut aliæ Nationes habent proprios Angelos sibi Delegatos, Daniel 12.*

Dub. 2. Ad illa verba, Genes. 18. vers. 3. *Si inueni gratiam in oculis tuis.* Dicunt Hebræi, quod tres Angeli qui apparuerunt Abrahæ, erant Michael, Gabriel, Raphael. Cur Abraham cum vno loquitur, cum tres apparuerint?

S. Michael maior Angelorum.

Respondetur. Quod ille cum quo loquebatur erat Michael, & locutus fuit cum illo solum, quia maior omnium erat, cui vt maiori alij assistebant. S. enim Michael maior est Angelorum. Abulensis: *Michael autem tanquam Princeps procedebat in medio eorum, & alij duo ad dexteram, & sinistram.* Hac ratione dicunt aliqui, quod Sanctus Michael veniebat annuntiare Saræ partum. Sed cur non S. Raphael, vel S. Gabriel annuntiarunt Saræ partum? Resp. Quod singuli illorum trium Angelorum Diuinam afferebant comissionem, S. Raphael veniebat ad annuntiandum liberationem Loth, S. Gabriel Sodomæ destructionem, sed S. Michael Saræ partum annuntiauit, quia talis partus erat maius horum Nuntiorum, & præcipua res præcipuo, & maiori Nuntio committenda erat. Abulensis: *Maximum negotium maximo istorum Angelorum commendatum est.* Hinc est, quod omnes Angeli ministrant Deo sub Archangelo Michaele 1. ad Thessalonicens. 4. vers. 15. *Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo.* Si ad Resurrectionem communem concurret causa ministerialis, scilicet, virtus Angelorum, qui habebunt aliquem effectum in Resurrectione, in quantum per eos aliqua sunt agenda nempè collectio puluueris, vt docet *D. Thomas*, cur dicit Apostolus, quod in voce Archangeli, & non Angelorum resurgent mortui?

S. Michael tanquam maximo inter Angelos maximum, negotium commissum.

Omnes Angeli sub Archangelo Michaele ministrant Deo.

R. Quod hanc vocem *surgite mortui* proferent plures Angeli, vt videtur *Matth. 24.* Tamen Apostolus dicit in voce Archangeli, scilicet, Michaelis, quia omnes Angeli ministrabunt Christo in Resurrectione ordinate sub Michaele Archangelo tanquam Principi. Caietan. *Vox Archangeli potest intelligi vox Angelorum ministrantium Christo ordinate sub Archangelo Michaele, qui creditur præesse Ecclesiæ, vt quemmadmodum scriptum est in descensu Dei in monte Sina, currus Dei decem millibus multiplex, multo magis in aduentu Domini Iesu in numera multitudo Angelorum ordinatorum appareat.*

Dub.

Dub. 3. Ad illa verba, Iudic 5. vers. 23. *Maledicite Meroz*. Quis fuit Angelus qui per Balboram proferebat maledictionem aduersus habitatores Meroz, eo quod non venerint ad auxilium Israel contra Chananæos?

S. Michael tuetur maximè eos quos in suam curã suscipit.

Respondetur, Quod S. Michael in suam curam, & tutelam suscepit Israelitas: Angeli apostatæ agebant partes Iabin, & aduersabantur S. Michaeli, habitatores quoque Meroz se in hoc bello, vel neutros habuerunt, vel desides inferendo auxilium fratribus suis: ideo S. Michel iubet per Debboram maledicere Meroz, id est, contrariæ potestati, quæ præerat Chananæis, vel coniici maledicta, & execrationes in habitatores Meroz, vt sic defenderet Israelitas quos in se, & sua cura recepit. Hugo Cardinalis: *Angelus, id est, Michael, qui præerat Israeli quasi custos eius, dixit vt malediceret Meroz, quod sonat arcanum, id est, Angelis apostatis, qui aduersabantur ei in arcano iuuantes partem Iabin, cui præerant.* Hac ratione S. Michael depingitur cum gladio quasi paratus sit ad defensionem suorum, quos sub sua cura habet. Numeror. 22. vers. 23. *Cernens asina Angelum Domini stantem in via euaginato gladio.* Notat Pantaleon, quod iste Angelus erat S. Michael, qui Balaamo apparuit, eumque euntem ad maledicendum populum emendauit. Sed cur euaginato gladio apparuit? Resp. Quod Baalamus pergebat maledicturus populo Dei: ideo S. Michel euaginato gladio opposuit se ei, volens eum de medio tollere, ne populum Israel, quem in suum patrocinium susceperat, videretur armis suæ defensionis non seruare. Hugo Cardinalis: *Quasi volens interficere, quia mutauerat propositum, & captus cupiditate promissorum, disponebat quodammodo maledicere populo Dei, licet Dominus prohibuisset.*

Dub. 4. Ad illa verba, Zachariæ 3. vers. 3. *Increpet Dominus in te Satham.* Notat Lyranus, quod iste Angelus erat S. Michael: *Coram Michaele Prælato toti Iudæorum populo.* Cur S. Michael Satham, id est, diabolo desiderat Dei increpationem, & punitionem, & non Iesu Sacerdoti magno, cum vera esset accusatio Satham: accusabat enim Iesum Sacerdotem magnum pro vxore alienigena, quam ipse cum cæteris Sacerdotibus duxerat 1. Eldræ 10. & Malach 2.

S. Michel totum se effundit in procurando Diuino cultu, & gloria.

Respondetur. Quod populus volebat redire in Ierusalem pro instaurando Dei cultu, Satham vero impediebat reditum, & aduersabatur, volens populum in captiuitate retinere, at cum S. Michael feruidus esset Diuini cultus, impetu, & spiritu Diuinæ gloriæ raperetur, conatibus Satham se opposuit, & Dei punitionem in eum exoptabat. S. enim Michael inflammatur studio Diuini cultus. Hugo Cardinalis: *Zacharias vidit in spiritu Iesum filium Iosedech, & Angelum, qui Iudæis præerat simul orantes pro reditu populi, & reparatione Ierusalem, sed Satham aduersabatur ei, volens populum retinere in captiuitate, vt sic impediretur cultus Dei.*

Rosarium B. Virg. Mariæ.

Dub. 1. Ad illa verba, Iosue 6. vers. 4. *Præcedant Arcam fœderis.* Cur Deus Ciuitatem Iericho vastaturus, accepit Arcam testamenti, vt medio ad eius destructionem, cum ipse per se solus posset illam funditus euertere? Quid opus erat, quod Arca esto necessaria esset ad destructionem, circuiret totam Ciuitatem? Dicunt aliqui Arcam circuire Ciuitatem necessarium erat, vt sciretur victoriam postea partam, & Ciuitatem erutam, opus fuisse miraculosum. Sed in quo cognitum erat miraculum?

Rosarium B. Mariæ Virginis victoriã à Turcis reportauit.

Respondetur. Quod in Arca erat honor, gloria, & decus Dei, in quantum Deus per eam operabatur, vnde licet non pertineret ad opus bellicum quantum ad apparatum modo humano, tamen præcedebat cum Israelitis in lustratione vrbis, expectantes Israelitæ, quod Deus aliquid efficeret propter eam. Abulensis: *Primum erat, quia Arca Domini præcedebat cum Israelitis in lustratione vrbis Iericho, ipsa tamen non erat ad opus bellicum quantum attinebat ad apparatum modo humano, sed quantum ad operationem Diuinam, si forte quid efficeret propter eam, quia in illa erat gloria sui decoris.* Ita imago Dominæ nostræ del Rosario, vtpote materialis, non pugnauit, neque vicit, sed ipsa Beatissima Virgo, quia in illa consistebat gloria sua, & decor Rosarij, quod scilicet, per illum inuocata, eam inuocantibus non deficeret, imo iuuaret, vt vincerent.

S. Rosarij precibus victoria parta fuit vnde laudes debentur B. Virgini Mariæ.

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 15. vers. 2. *Fortitudo mea & laus mea Dominus.* Hebraice habetur: *Fortitudo mea, & cantus Iah.* Cur Moyses vocat Deum fortitudinem suam, & cantum suum, seu laudem suam?

Respondetur. Quod populus Iudaicus dixit: *Deus fortitudo mea*, quia sicut fortitudo hominis facit eum contra alterum prævalere; ita Deus fecit Hebræos contra Ægyptios posse, quasi dicat. Non est fortitudo mea robur manuum mearum, nec strepitus armorum, aut apparatus equorum, sed Deus solus, ideo laus mea, cantus meus, Deus est, quem ego laudabo, nullumque alium, qui tanta fecit mihi. Caietanus: *Est sensus litteræ, quod ipse fons essendi, fuit, & est fortitudo pugnans pro me: laudant enim, quod experientia didicerant, Deum scilicet, fuisse fortitudinem pugnantem pro eis. & profitentes non se fortes, sed suam fortitudinem esse Deum: relatiue autem ad cantum, agnoscitur Deus ratio cantus, & materia cantanda.* Hæc adumbrant Nauale bellum in quo Principes Christiani à Turcis reportarunt victoriam, non fortitudine sua, sed fortitudine Beatæ Virginis Mariæ, & eius Sanctissimi Rosarij, & ita laudem non illis, sed Virgini Deiparæ del Rosario cunctus populus Christianus tribuit, quia ipsa facta fuit Christianis in salutem, & saluationem, quia saluauit Christianos à Turcis.

S. Rosarium dedit victoriam, orans B. Pius V. ad Deum, & B. Virginem, dum committeretur bellum.

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 17. vers. 8. *Cras ego stabo in vertice collis habens virgam Dei in manu mea.* Dicunt aliqui, quod ista dicebat Moyses Iosue ad pugnandum contra Hamalec. Quomodo Iosue, & viri illi quos elegit ad pugnandum confortabantur tenente Moyse virgam in manu? Quid proderat virga Moysis ad inimicos debellandos, cum virga non esset percussurus inimicos?

Respondetur. Quod multum profecit habere Moysem virgam in manu, dum Iosue, & viri consereret manus aduersus inimicos, quia cum virga illa esset Thaumaturga, multorumque miraculorum operatrix, organum, & instrumentum Diuinæ omnipotentiæ, videns illam Iosue, & sciens illam in manu Moysis esse, simulque ad Deum preces funderet, valde confortabatur Iosue ad dimicandum. Maluenda: *Quidam intelligunt eleuasse manus suas cum baculo, seu hasta, vt solent vexilliferi, nam tum Moysem baculum, seu virgam illam suam Thaumaturgam habuisse in manu diserte dicitur vers. 9. alij volunt sustinuisse manus suas in oratione ad Deum.* Ita B. Pius V. præcepit Principi Austriaco, vt exercitum congregaret, & contra Turcas præpræliaretur, interim ipse, & filij Ecclesiæ tenerent manu virgam Thaumaturgam, & miraculosam, Rosarium nempè, recitarentque ore, quod fuit ad confortandum Ducem, & milites, cum omnes scirent esse Rosarium virgam, organum, & instrumentum quo Beata Virgo, & Deus precibus eius tot mirabilia in beneficium Christianorum fuerit operatus.

S. Rosarij ēōs fratres gratias agebant B. Virgini del Rosario de victoria.

Dub. 4. Ad illa verba, Exodi 15. vers. 20. *Egressæque sunt omnes mulieres.* Vnde egressæ sunt, & quo abierunt? Aliqui dicunt, quod fœminæ discurrebant per littus maris rubri cantantes Domino, & lætantes videndo cadauera Ægyptiorum. Cur egrediebantur mulieres post Mariam cum tympanis, & choris?

Respondetur. Quod mulieres exierunt detentoriis suis per littora maris, & discurrebant per modum exercitus cantantes, & lætantes, & gratias Deo agentes videndo corpora Ægyptiorum, & cadauera in littore. Oleaster: *Significat Mechalach chorum, seu multitudinem ordinatam ad modum exercitus.* Ita confratres S. Rosarij ferentes Diuinam Mariam secum in processione ordinati ad modum exercitus in tympanis Sacratissimi Rosarij, canentes Beatæ Virgini del Rosario gratias exhibebant de interfectis Turcis in mari.

S. Rosarium est generale alimentum omnium animarum, tam pro iustis, quàm pro peccatoribus.

Dub. 5. Ad illa verba, Genes. 6. vers. 21. *Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, & erunt tam tibi, quàm illis in cibum.* Quis erat cibus, cum quo Noe tot animalia tam diuersarum qualitatum, & conditionum potuit sustentare maximè cum ibi essent animalia carniuora? An quia tempore necessitatis omnibus alimentis vesci cogit fames?

Respondetur. Quod in Arca erant alimenta communia, seu vnus cibus communis pro omnibus animalibus inuentus à sapientia Noe: vnde licet inclusa essent in Arca animalia carnivora, & alia quæ carnes non edunt, tamen omnia cibo communi vescebantur. D. Augustinus apud Hugonē Card.

Noe

Noe erat vir sapiens, ideo forte inuenit vnum cibum in quo animalia conuenirent. S. Pater Dominicus videns perditionem animarum, cum esset vir sapiens inuenit generale remedium, quale est Rosarium sibi à B. Virgine datum, pro omnibus hominibus, siue iustis, siue peccatoribus, & communis cibus, & alimentum, quo omnes animæ nutriantur, conualescant, & viuant.

Dub. 6. Ad illa verba, Genes. 7. vers. 20. *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat.* Quæ causa fuit huius determinati numeri, vt nec plus, nec minus eleuarentur aquæ?

S. Rosarium sufficit ad omnia peccata extinguenda

Respondetur. Quod diluuium erat ad purgationem peccatorum, conuenienter ergo pertingerunt aquæ labentes ad numerum quindecim decem cubitus, ad quem peruenerunt culpæ corrumpentes: cum enim istæ ad quindecim cubitos peruenerint inficiendo aerem vsque ad illum locum, vsque illuc debuerunt peruenire aquæ mundantes. Abulensis: *Et non erat necesse plus crescere, quia vsque ad illum locum corruptus fuerat aer in peccatis, & turpitudinibus hominum.* Plura mysteria vitæ, & passionis Christi sunt quam quindecim, quare solum quindecim percensentur in Rosario, nec ipsum quindecim decades excedit? Quia cum sit remedium sanatiuum, & medecinale culparum, ibi perueniat, siquidem ibi peruenit culpa, & non est opus, vt talem numerum excedat, cum Rosario sufficientissime expellantur culpæ, & animæ sanentur. Est enim S. Rosarium sufficiens, & efficax medicina ad omnia peccata extinguenda, & ad sonandas animas à cuiuscumque peccati morte, adeo, vt sola sufficiat.

Dub. 7. Ad illa verba 1. Reg. 18. vers. 6. *In tympanis lætitiæ, & sistris.* Aliqui à voce *scalischim*, id est, *Principibus, & Ducibus*, deriuant significationem, redduntque *in sistris*, id est, *in magnificis*, voluntque intelligi eximia, & magnifica cantica, quæ principatum inter alia obtineant, aut simpliciter *in canticis*, sic dictis, quod cantiones principatum inter sermonum genera obtineant, vt Principes inter alios præstant homines de qua re *Maluenda*. Cur cancanticum quod cantabatur *in sistris* vocabatur Princeps, & magnificum?

S. Rosarij oratio principalis est inter omnes, simulque Deo iucundior.

Respondetur. Quod illud canticum, vocabatur tertiarium, quia cantabatur instrumento musico, quod constabat tribus neruis, seu chordis, aut fidibus, quod Iulius Pollux lib. 4. Onomastici, cap. 9. §. 2. Vocat *trichordum* inuentum ab Assyrijs. Alij intelligunt genus cantionum quas Hispanice vocamus *ternarios*, quæ tribus vocibus constant, & hoc genus cantionum suauius, & iucundius est: benè ergo cum reuerteretur percusso Philisteo Danid, egressæ mulieres de vniuersis vrbibus cantabant choroque ducebant in occursum Saul Regis in sistris lætitiæ, id est, cantiones quæ tribus vocibus constabant, quia istæ suauiores iucundiores erant Sauli. Maluenda: *Fortasse intelligit genus illud cantionum, quas Hispanice vocant ternarios, quæ tribus vocibus tantum, aut choris constant, & solent esse suauiores.* Sanctum Beatæ Virginis Rosarium constat tantum tribus vocibus, vel tribus chordis, scilicet, mysterijs dolorosis, gaudiosis, & gloriosis Domini nostri Iesu Christi, & Beatæ Virginis: vnde congrue oratio hac Princeps, magnifica, eximia inter alias orationes quas recitamus appellatur, simulque maiorem lætitiam, iucunditatem, & suauitatem haurit Dominus hac audita oratione, quam alijs.

S. P. Franciscus.

Dub. 1, Ad illa verba 1. ad Timoth. 1. v. 15. *Quorum primus ego sum.* Cur Apostolus non dixit se fuisse peccatorem, sed se esse primum peccatorem, id est, maximum?

S. P. Franciscus vere fuit humilis, quia se maximum peccatorem reputauit.

R. Quod Apostolus erat valde humilis in oculis suis. Vnde ex humilitate se ipsum accusauit, quod erat primus inter peccatores, id est, maximus, non solum quod fuit, sed quod erat. Hugo Cardin. *Primus ego sum, id est, maximus inter peccatores. Ecce humilitas Apostoli, qui se reputauit inter peccatores maximum, non solum fuisse, sed esse: non enim dicit quorum primus ego fui, sed ego sum.* Ita Sanctus Pater Franciscus cuidam fratri interroganti, quam opinionem de se haberet, respondit, videor mihi esse peccator maximus, quod ex humilitate dixit: cum enim esset vere humilis, non dicit quod fuit peccator, sed quod est maximus inter peccatores.

Dub. 2. Ad illa verba 1. Reg. 17. vers. 39. *Accinctus ergo Dauid gladio eius,*

nempè Saulis, vt exponit *Maluenda*. Cur Saul dedit Dauidi arma sua, cum impar esset Sauli?

S. Franciscus armis vulnerum Christi, quasi par est Christi.

Respondetur. Quod Saul voluit Dauidem sibi æqualem constituere: congrue ergo dedit illi Saul arma sua, vt qui inæqualis erat Sauli, quasi armis redderetur æqualis. Diuus Augustinus: *Ornatus est Dauid, vt quoniam ætate, & viribus impar erat, quasi armis par esset.* Christus Dominus voluit S. P. Franciscum sibi parem efficere, vnde in manibus, & pedibus eius apparere cœperunt signa clauorum, ipsorũ cicatricibus in inferiori parte manuum, & superiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus existentibus ex aduerso. Dextrum quoque latus, quasi lancea transfixum rubra cicatrice habuit obductum, quod sæpè sanguinem effundebat. De quibus vulneribus Iacobus de Voragin. *Dedit*, inquit, *illi vulnera tanquam arma sua*, vt armis vulnerum Christi, quasi par esset Christo. Hinc est, quod S. P. Franciscus per incendium cordis, totum in Christo Iesu crucifixi expressam similitudinem se transformauit. D. Dionisius de amore, ait: *Amor vulnerat, & transfigit iecur.* Quomodo amor vulnerat? Est ne acutus? Accipe D. Thomam in 3. dist. 27. art. 1. ad 4. *Ex hoc quod amor transformat amantem in amatum, facit amantem intrare ad interiora amati, & è contra, vt nihil amati, amanti remaneat non vnitum, sicut forma peruenit ad interiora formati, & è conuerso, & ideo amans quodammodo penetrat in amatum, secundum hoc amor dicitur acutus: acuti enim est diuidendo ad intima rei deuenire, & similiter amatum penetrat amantem ad interiora eius perueniens, & propter hoc dicitur, quod amor vulnerat, & transfigit iecur.* Incendium amoris S. Francisci transformauit in se Christum, & Christus intrauit in eum, & è conuerso Christus in S. Franciscum, vt nihil Christi amati, S. Francisco amanti remaneret non vnitum. Vnde S. Franciscus quodammodo penetrauit in Christum, & cum amor sit acutus, & acuti sit ad intima rei deuenire, S. Franciscus in Christum penetrando, vulnera Christi accepit in manibus, pedibus, & latere.

S. Franciscus per incendium amoris, Christi crucifixi similitudinẽ in se transformauit.

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 5. vers. 26. *Iste consolabitur nos.* Cur dixit Lamech, quod Noe consolaturus erat nos? An quia Noe in diluuio sedauit iram Dei, & fuit vnica spes generis humani?

Respondetur. Quod Noe fuit generis humani instaurator, & restitutor: Benè ergo Lamech vocauit Noe consolatorem, quia genus humanum reparando, magnam attulit mundo consolationem. Hugo Cardinalis: *Iste consolabitur nos, quia per ipsum facta est generis humani reparatio.* Dominus præcepit S. P. Francisco, vt suam Ecclesiam repararet: *Francisce vade, repara domum meam.* Vnde Ecclesiæ solatij medelam præstitit, cum missus fuerit à Deo in reparatorem: cuius ruinas virtute sua doctrina, & exempio per se, & filios suos fulsit. Vnde reparatio spiritualis hominum post Christum attribuenda est S. Francisco, 1. Reg 14. vers. 13. *Cum vidissent faciem Ionathæ alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat sequens eum.* Si Philistini ceciderunt cæsi à Ionatha, cur armiger eius interficiebat eos? Egebat ne Ionathas armigero, cum ipse Philisthæos vulneribus affecerit?

S. Franciscus Ecclesiæ solatium, cum missus fuerit in reparatorem Ecclesiæ.

Respondetur. Quod Philisthæi ceciderunt coram Ionatha, sed armiger eius interficiebat Philisthæos post Ionatham, vnde casus Philisthinorum adscribitur Ionathæ, interfectio vero armigero eius. Ideo triumphi honor partitus est inter Ionatham, & armigerum eius. Caietanus: *Et armiger eius interficiens post eum, ita vt casus Philisthinorum attribuatur Ionathæ, mors autem etiam armigero.* Quis armiger Ionathæ, id est Christi, nisi S. P. Franciscus, do tibi. Lyrinum: *Per armigerum autem eius intelligitur Beatus Franciscus, qui arma Christi non solum in mente per fidem, sed etiam in corpore per expressam similitudinem portauit, & per Crucem pœnitentiæ post Christum incedens.* Ceciderunt coram Ionatha, id est, Christo peccatores, *cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* At armiger eius S. Franciscus post eum interfecit spiritualiter eos, ita vt casus peccatorum hominum attribuatur Christo, mors vero spiritualis peccati adscribatur S. Francisco, quia per se, & filios suos peccato cruentum bellum indixit.

S. Francisco post Christũ attribuenda est reparatio spiritualis hominum.

Dub. 4. Ad illa verba, Exodi 25. vers. 30. *Et pones super mensam panes propositionis inconspectu meo semper.* Quando panes calidi ponebantur super mensam? An simul cum frigidis?

Respondetur. Quod tollebantur panes propositionis frigidi, & loco eorum substituebantur panes calidi, ne super mensam deessent panes calidi. Hu-

Humillimus, & ardentissimus P. Franciscus, suffectus fuit in locum superbissimi, & frigidissimi Seraphim.

go Cardinalis ad Rom. 11. vers. 17. *Si autem aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum esses Oleaster insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es Hoc significatum est. Exodi 25. per panes propositionis, qui ponebantur calidi, frigidis prius sublatis.* Vnus de Seraphim superbus, in amore Dei fuit frigidus, & algidus, at humilis Franciscus: calidus, & feruidus, vnde merito in locum superbi, & frigidi Seraphim constitutus est humilis, & ardens Franciscus, quia locus quem perdidit vnus Princeps de ordine Seraphico, reseruatus fuit vni humili, & ardentissimo Francisco. Adferam D. Vincentium Ferrer: *Socio oranti fuit visa in cœlo pulcherrima Cathedra cum corona, & dicens: o benedictus erit qui in illa collocabitur, respondit Christus: Cathedram illam perdidit vnus Princeps de ordine Seraphim ex sua superbia & reseruatur humili Francisco.*

Dub. 5. Ad illa verba, Exodi 33. vers. 16. *Nisi ambulaueris nobiscum vt glorificemur ab omnibus populis.* Iuxta Hebræum habetur: *Et separati erimus ego, & populus tuus ab omni populo qui super faciem terræ*, Oleaster, *& diuisi erimus*, scilicet, in dignitate, & celsitudine, vt exponit *Oleaster*. Cur Moyses putabat, quod si Dominus ductor esset populi, excellentior esset populus in dignitate, & celsitudine omnibus populis?

S. Francisci Religio honorabilior alijs debet iudicari, eo quod Christus dedit eis legulum.

Respondetur. Quod alij populi dirigebantur per Angelos: at si populus Israel haberet Deum verum, & fortem ductorem populi, hoc esset honorabilius, & excellentius: benè ergo dicit Moyses, quod si Deus dirigeret populum in via per se ipsum, populus separatus, & diuisus esset in dignitate, & celsitudine ab alijs populis, cum sublimius, & excellentius sit dirigi per Deum, quam per Angelum. Abulensis: *Verbum quod hic ponitur in Hebræo potest significare distinctionē si autem accipiatur pro distingui, est sensus: Domine præcedas nos, vt distinguamur à cunctis populis: quasi dicat; alij populi diriguntur per Angelos, nos autem dirigimur per te ipsum.* Religio S. P. N. Francisci honorabilior omnibus iudicari debet, quia aliæ diriguntur ad gloriam per Angelos cum sui fundatores quasi Angeli sunt; illa vero per ipsum Christum, cum ipse dederit ducatum, scilicet, Regulam suam, & ita suam appellauit Christus insignum specialis honoris, dignitatis celsitudinis, & distinctionis illius ab illis. Num Christus dixit S. Francisco: *Regula tua non est tua, sed mea*, hoc est, ego sum, & ero Dux, & Legislator tuus, tuæque Religionis, & ex inde tua Religio erit diuisa, & separata ab alijs in dignitate, & celsitudine.

Dub. 6. Ad illa verba, Lucæ 16. vers. 30. *Si quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam agent.* Cur diues petit vnum ex mortuis mitti, vt fratres agant pœnitentiam? Si habent Moysem, & Prophetas, cur vnus ex mortuis petitur?

Peccatores in die iudicij non poterūt se excusare, quod nō egerunt pœnitētiam, cum Deus miserit S. Franciscum, & ordinem Minorū ad prædicandam pœnitentiam.

Respondetur. Quod Moyses, & Prophetæ typum gerunt Prædicatorum sæcularium, ad quorum prædicationem sæculares pœnas pro sceleribus non susceperunt voluntarias: at mortui sunt S. P. Franciscus Fratres Minores, qui mortui debent esse mundo, ne ergo peccatores aliquod prætendant excusationis velamen, quod non egerunt pœnitentiam, quia non habuerunt vnum ex mortuis, qui eos instituerit, misit Dominus S. P. Franciscum, & Fratres Minores in mundum, vt prædicent mundo, quasi in die tremendi Iudicij non possint peccatores excusatione vti, quod animi sordes per pœnitentiam non deleuerunt, cum Dominus miserit S. Franciscum eiusque filios, qui ad pœnitentiā agendam populos trahunt. Hugo Card. *Duo genera prædicatorū distinguuntur hic. Quidam sunt sæculares in mundo conuersantes, & hij signantur per Moysem, & Prophetas: sicut enim per Moysem mandata, & prohibitiones, & per Prophetas comminationes, & promissiones signantur, ita, & illi qui docent, & prædicant ista. Alij sunt Religiosi claustrali lege viuentes, & hij signantur per mortuos. Primo misit Deus Moysem, & Prophetas, id est, sæculares Prædicatores, sed mundus non credidit eis, dicens se potius velle credere factis quam verbis, & nolle audire Prædicatores, quæ non faciunt quæ docent. Volens ergo tollere excusationem, & occasionem murmurandi, misit postea mortuos, id est, Fratres Minores, & Fratres Prædicatores, qui sunt mortui mundo. Vnde Colos. 3. Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Hos petit mundus, & hoc est, quod dicit. Non Pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam agent.*

S. Vrsula, & Sociæ.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 6. vers. 16. *Facies, & fenestram.* Dicunt Hebræi fenestram fuisse ex crystallo. Cur Noe fenestram Arcæ fecit ex crystallo potius

S. Vrsula socias simul defendebat à barbaris, & illuminabat, hortando ad virginitatis constantiam.

tius quam ex alia materia?

Respondetur. Quod fenestra simul repellebat aquas, quæ oppugnabant Arcam, & illuminabat Arcam, quia crystalina suscepta è cœlo luce: vnde Noe ex crystallo potius quam ex alia materia fenestram Arcæ confecit, vt simul propelleret aquas, & illuminaret inclusos in Arca. B. Albertus Magnus: *Fenestra crystalina quam fecit Noe in Arca, secundum quod traditur Hebræi, quæ excludebat aquam in quantum fenestra, & illuminabat Arcam in quantum crystalina susceptà luce aliunde.* S. Vrsula fenestra erat crystallina propter suam puritatem, in quantum fenestra, repellebat barbaros, & impuros homines irruentes impotenti libidinis æstu in illustre illud Virginum agmen, in quantum crystallina, illuminabat Arcam, id est, socias, hortando eas, quod potius mors erat subeunda, quam virginitatis decus amittendum.

S. Vrsula acerbissimum sui lijc martyrij, sociarum passionum spectatos, & propriam mortem sustinēs.

Dub. 2. Ad illa verba, Exodi 12. vers. 30. *Surrexitque Pharao nocte.* Cur interfectis primogenitis Ægypti super vixit Pharao? An non tolleretur de medio, ne videret cruentam strangem?

Respondet. Quod Deus voluit, quod Pharao tot mortes subiret, quot spectabat in emortuis primogenitis Ægypti. Vnde super vixit tot primogenitis interfectis, vt multas in corde sustineret mortes. Mendoza: *Aliorum funeribus superstes fuit, vt multiplicis mortis reus, non vnam simplicem subiret, sed quo plures spectaret, eo plures pateretur.* Hunni in rabiem immanitatis conuersi omnes Virgines ad vnam trucidant, id spectante S. Vrsula, vt non semel tantum pateretur in se, sed sæpius in socijs moreretur, & quo plures sociarum spectabat passiones, eo plures subiret cruciatus.

S. Vrsula denotos suos à Diuinæ iræ iaculis liberat.

Dub. 3. Ad illa verba, Exodi 19. vers. 4. *Sicut aquila prouocans ad volandum filios suos, expandit alas suas.* Loquitur hic de Angelo qui personam Dei repræsentabat, & posuit se inter castra filiorum Israel, & Ægiptios super mare rubrum. Cur Angelus iste comparatur aquilæ, & non alteri ex auibus? Vide solutionem fol 193. dub. 5. Ita illustrissima S. Vrsula nouissime directa in ipsam sagitta transfixa est, vt ipsam recipiens denotos suos à Diuinæ iræ iaculis liberet, & seruet incolumes.

Dub. 4. Ad illa verba, Cant. 4. vers. 8. *Veni de Libano Sponsa mea, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Senir.* Cur Sponsus vocat Sponsam, vt coronetur? Cur ter dicit *Veni de Libano*, qui interpretatur, *candidatio*?

S. Vrsula triplici decoratur aureola, sociæ duplici.

Respondetur. Quod Sponsa typum gerit illorum, qui suæ intendunt castitati, alios ad fidem conuertunt, simulque ex hortantur ad passionem laborum: benè ergo Sponsus vocat ter Sponsam, vt coronetur: qui enim talia agunt triplici corona digni inuenti sunt. Hugo Cardinalis: *Per caput, & verticem duplicem coronam intelligas, per caput auream, per verticem quæ est suprema pars capitis, aureolam, in signum quod illi qui alios spirituali pane reficiunt eis deberent ornari. Et dicit veni primo, veni secundo, veni tertio, qui non solum propriæ candidationi intendis, sed etiam aliorum saluti, & exhortationi.* S. Vrsula propriæ intendit candidationi, scilicet, conseruationi propriæ virginitatis, socias ad fidem conuertit, insuper exhortata est ad martyrium: ideo Sponsus ter vocat eam ad coronam, vt triplici corona fulgeat, quia Virgo, quia Martyr, quia Doctrix. Vnde *Dionisius Cartusianus* in festo huius diei: *Virgines istæ duplici decorantur aureola, vtpote virginitatis, & martyrij, sed electissima Vrsula triplici potiter aureola, nam vltra duas præfatas habet Doctorum aurealam, quia tot Virgines conuertit, atque in fide docuit.*

Dub. 5. Ad illa verba, ad Colossenses 1. vers. 2. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Cur dicit Apostolus, quod ad implet ea quæ desunt passionum Christi in carne sua? Cum passio Christi non fuerit diminuta, sed sufficiens ad redemptionem?

S. Cordula ad impleuit in carne sua, quæ defuerunt passionum S. Vrsulæ.

Respondetur. Quod Christus, & Ecclesia est vna persona mystica, caput Ecclesiæ est Christus, corpus omnes iusti, quilibet autem iustus est membrum huius capitis, vt dicit Apostolus 1. Corinth. 12. *Et membra de membro*: benè ergo dicit Apostolus, quod adimplet ea quæ desunt passionum Christi in carne sua: hoc enim deerat, quod sicut Christus, qui est caput Ecclesiæ, passionem sustinuit in corpore suo, ita pateretur in membro suo, quod erat Paulus, ne caput passionem subiret, & membrum non pateretur. Diuus Thomas: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea: hoc enim deerat, quod sicut Christus passus erat in corpore suo, ita pateretur in Paulo membro suo, & similiter in alijs.* Quædam Virgo ex vndecim millibus nomine *Cordula* timore perterrita in naui nocte illa se abscondit, sed in crastinum morti se offerens Mar-

tyrij coronam suscepit, vt adimpleret in carne sua quæ deerant passioni S. Vrsulæ: deerat enim, quod sicut caput harum sanctarum Virginum, quæ erat S. Vrsula, passa est in corpore suo, ita pateretur in membro suo, quod erat *Cordula*.

Dub. 6. Ad illa verba, Genes. 23. vers. 19. *Sepelivit Abraham Saram vxorem suam in spelunca agri duplicis.* Beniamin Tudelensis citatus à Maluenda affirmat, quod nulli Iudæorum permittitur in illo agro domum extruere. Cur domus ibi non eriguntur, cum videamus in agris domus erectas?

S. Vrsulam, & socias decorauit Dominus hoc honore, vt intra ambitum virginalis sepulturæ, nemo vsque hodie mortui corpus audeat sepelire.

Respondetur. Quod in illo agro manent monumenta domus Abrahæ: congrue ergo Iudæi in illo domum non ædificant in reuerentiam Abrahæ, quasi Abrahamum colant, cum ibi domos non ædificant. Beniamin Tudelensis: *In ipso duplicitatis agro antiquæ domus Patris nostri Abrahæ monumenta adhuc extant, & visuntur, ne iniuriamque licet illic domum ædificare propter Abrahæ obseruantiam.* Area Templi harum sanctarum Virginum nullum suscipit defunctum, etiamsi sit puer recens baptizatus propter Sanctarum Virginum reuerentiam. Vnde Baronius in notis ad Martyrologium Romanum: *Pij non imperite videntur asseruere, quod Templi area nullum suscipit sepeliendum, imo pueros recens baptizatos de nocte quasi euomens in superficiem reijcit visendos.* Pro deuotis erga has Sanctas Virgines, dico, quod eis dignantur occurre in morte, cum lampas vitæ extinguitur. Vnde Dionisius Carthusianus vbi supra: *Beatissimæ Virgines istæ suis deuotis frequenter, ac valde specialiter consueuerunt succurrere, prout de hoc multa habentur miracula.* Et Leonardus de Vtino: *S. Vrsula memor est suorum deuotorum, vt patet in visione cuiusdam Virginis ex numero istarum, quæ deuotum suum Religiosum dulciter consolata est.* A pœnis quoque Purgatorijs deuotos suos liberant. Vnde in Theatro vitæ humanæ littera 5. fol. 88. littera H. habetur, quod quædam mulier sanctis virginibus deuota dixit: *Virginalem illum exercitum Colonienſem S. Vrsulæ, & sociarum viuens quotidie veneratasum, & earum precibus nunc ab expiatorijs pœnis liberata sum, & ad hoc ad vitam redire compulsa, vt omnibus earum memoriam digne habentibus assuturam in morte suffragia nuntiarem, dummodo è vita tales exeant, quibus oratio suffragari possit.* Matth. 25. vers. 7. *Exierunt ob viam*

S. Vrsula, & socias succurrunt deuotis suis in morte.

S. Virgines deuotos suos à Purgatorio liberant.

sponso, & sponsæ. Quis Sponsus? Quæ Sponsa? Quę Virgines quę Sponso, & Sponsę exeunt obuiam? Resp. Quod Sponsus Christus, Sponsa Beata Virgo, cum Christus, & Beata Virgo veniunt in morte ad consolandum suos deuotos, S. Vrsula, & socię sunt Virgines quę exeunt obuiam Sponso, & Sponsę, cum de his virginibus legatur, quod frequenter occurunt in agone. D. Hieronymus ad quandam Virginem citatus à Daniele Agricola: *Qualis erit illa dies cum Maria Mater Domini choris occurrat tibi comitata virgineis, ideo de Virginibus dicitur, quod exierunt obuiam Sponsi, & Sponsæ, id est, Christo, & Mariæ.*

Omnes Sancti.

Dub. 1. Ad illa verba, Leuitici 16. vers. 30. *In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini.* Cur Iudęi prętet speciales purificationes, quas habebant, faciebant vnam generalem purificationem pro omnibus?

Quod in singulis sanctorũ solemnitatibus omittitur, in hac generali solemnitate suppletur.

Respondetur. Quod in illa die delebantur omnes negligentię, & immunditię quę per annum contrahebantur. congrue ergo Iudęi prętet purificationes speciales quas per annum habebant, vnam generalem purificationem faciebant, vt in hac generali, supplerentur defectus commissi in purificationibus singularibus. Abulen. *Causa ponitur huius festiuitatis scilicet, quod in vna die omnes negligentiæ, & immunditiæ quæ cõtractæ fuerant per annũ delerentur: nam interdũ aliquis contraheret immunditiã & non mundaretur, siue per obliuionem, siue per negligentiam: conueniens igitur erat, vt in vna die anni pro omnibus his fieret remissio, & potest poni exemplũ de festiuitate Omniũ Sanctorũ, nam cum nõ celebrentur per totum annum specialiter festiuitates singulorum Sanctorum vel in eis quæ celebrantur aliquid omittitur, in vna die, in qua est generalis solemnitas Omnium Sanctorum, ea quæ omissa sunt supplentur.* Memoria ergo omnium sanctorum vna die habetur, vt quidquid humana fragilitas in solemnitatibus eorum minus plene peregisset, in hac sancta obseruatione solueretur.

Dub. 2. Ad illa verba, Cant. 2. vers. 5. *Fulcite me floribus, stipate me malis.* Maluenda: *Sustentate me, sternite me, corroborate me istis malis.* Cur Sponsa petit floribus fulciri, & malis sustentari, & corroborari? An quia Sponsa langue-

bat

bat, & odore, seu gustu maiorum reducitur languens spiritus? Cur rosis, liliis, violis, malis vult corroborari?

Omnium sanctorum festivitas fulcimentum, & oblectatio est Ecclesiæ.

Respondetur. Quod rosa significat Martyres, lilia Virgines, violæ Confessores, mala Doctores, & Prædicatores, & actiuæ vitæ deditos: iis omnibus Sponsa, id est, Ecclesia sustentatur fulcitur, corroboratur, & oblectatur: festivitas enim Omnium Sanctorum, Ecclesiæ est fulcimentum, & oblectamentum. Hugo Cardinalis: *Vox Sponsæ ad omnes fideles, qui in ea sunt quorum alij fulciunt Sponsam rosis, vt Martyres, alij liliis, vt Virgines, alij violis, vt Confessores, & claustrales, alij malis, id est, operibus misericordiæ stipant, vt Doctores & Prædicatores, & boni actiui in coniugio viuentes.*

Dub. 3. Ad illa verba, Psam. 83. vers. 8. *Ibunt de virtute in virtutem videbitur Deus Deorum in Sion.* Cur iusti ierunt de virtute in virtutem visuri Deum in Sion? Cur non dicit, quod virtute peruenerunt?

Sancti per diuersos actus virtutis peruenerunt ad æternam patriam.

Respondetur. Quod sicut filij Israel quadraginta duobus mansionibus per diuersa loca ad terram promissam peruenerunt: ista iusti per multos actus virtutum quæ comprehenduntur in octo beatitudinibus, quas ponit Diuus Matthæus, ascenderunt in patriam, per easque tanquam per mansiones illuc peruenerunt. Hugo Cardinalis: *Ibunt proficiendo de virtute in virtutem, id est, de actu vnius virtutis in actum alterius virtutis. Istud figuratum fuit in itinere filiorum Israel, quo per diuersas deserti mansiones peruenerunt ad terram Promissionis: per diuersas enim mansiones de quibus habetur. Numeror. 33. Significatur diuersæ virtutes, per terram Promissionis æterna patria designatur.*

Dub. 4. Ad illa verba, Genes. 50. vers. 5. *In sepulchro meo, quod fodi in terra Chanaam sepelies me.* Cur dicit Iacob, quod fodit sepulchrum in terra Chanaam, cum iussisset sepeliri in spelunca duplici, quam emit Abraham ab Efron, vt patet *Genes. 23. vers. 16.* non ergo fodit Iacob speluncam duplicem in qua sepultus est, cum iam esset facta à tempore Abrahę?

Sancti hæreditario iure obtinent patriam.

Respondetur. Quod Iacob tanquam hæres Abrahæ possedit locum illum sepulchri non in se, sed in auo suo Abraham, qui emit eum locum pro se, & sua posteritate: congrue ergo Iacob dicit, quod fodit illud sepulchrum, cum iure hæreditatis obtineret illud. Maluenda: *Asserit Iacob se scidisse, aut fodisse, vel emisse sepulchrum, cum id fecerit Abraham quia loquitur iure hæreditario succedens in bonis.* Sancti vocantur ab Apostolo ad *Roman. 8. vers. 17. Filij Dei, & hæredes*, vnde iure hęreditatis obtinent cœlum tanquam hęredes Dei, & cohęredes Christi.

Dub. 5. Ad illa verba, ad Roman. 8. vers. 17. *Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei.* Cum hęres non sit nisi mortui, quo pacto Paulus dicit Dei hęredes: cum Deus immortalis sit?

Sancti bonis cœlestibus potiuntur absque detrimento Dei, & absque vlla diminutione in aliquo sanctorum.

Respondetur. Quod licet filij hęreditatem non adipiscantur nisi patre defuncto, & ex hoc videatur, quod homo, non possit esse hęres Dei, qui nunquam decedit, tamen illud habet locum in bonis temporalibus, quę simul à multis possideri non possunt, & ideo necesse est, vnum decedere, vt alius succedat: sed bona spiritualia simul à multis haberi possunt, absque vllo detrimento Dei dantis, & iustorum possidentium, & ideo non oportet patrem decedere, vt filij sint hęredes. Sancti enim bonis cœlestibus potiuntur absque detrimento ipsius Dei, & absque vlla diminutione in aliquo Sanctorum. Caietanus: *Hæreditare inter homines duas habet conditiones, alteram perfectionis alteram imperfectionis: nam perfectionis est, quod hæres vniuersa bona patris acquirat, ac possideat, vt Dominus: imperfectionis vero est, quod ad hunc effectum mors interueniat patris. Quam oportet interuenire, quia vniuersitatis bonorum non possunt esse ambo simul Domini sine damno alterius, puta patris spoliantis se libertate Domini, ex hoc ipso, quod adsciscit filium in condominum omnium. Quo circa Filij Dei sunt hæredes Dei, secundum quod hæreditas perfectionem secluſa imperfectione significat, nam Filij Dei super omnia bona Dei constituuntur Domini absque vllo detrimento Dei Patris, & quod plus est absque vlla diminutione in quolibet hærede.*

Dub. 6. Ad illa verba, Apocalipsis 17. vers. 6. *Vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & miratus sum cum vidissem illam.* Cur D. Ioannes admiratur de damnatione meretricis magnę? Nonne causam damnationis sciebat? Isaias quoque non miratur de gaudijs ęternis cap. 64. Quare ergo miratur D. Ioannes de pœnis inferni?

gaudia exprimi non possunt, sicut nec damnatorum pœnæ.

Respondetur. Quod D. Ioannes miratur de pœnis meretricis magnę: Isaias quoque quasi miratur de gaudijs ęternis, quia sicut pœnę damnatis pręparatę excogitari non possunt; ita gaudia

dia iustis pro visu exprimi nequeunt. Hugo Cardinalis: *Respondeo, & si sciret vehementes pœnas damnatorum esse, non tamen tantas quantæ sunt: neque enim possunt exprimi, sicut nec gaudia bonorum. Vnde Isaiæ 64. Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.*

Animæ Purgatorij.

Dub. 1. Ad illa verba, Exodi 10. vers. 14. *Leuauit locustas quæ ascenderunt super totam terram, quales ante illud tempus non fuerunt, nec postea futuræ sunt.* Cur dicitur, quod locustæ, quas leuauit ventus vrens tempore Moysis, fuerunt maiores, quales non fuerunt ante illud tempus, nec postea: cum Ioelis 2. dicatur de locustis quæ eius tempore euenerunt, quod *similes eis non fuerunt à principio, & postea non erit vsque in annos generationis, & generationis?*

In pœnis Purgatorij consideranda est, non solum diuturnitas temporis, sed intensio pœnarum.

Respondetur. Quod locustæ quæ in terra Ægypti venerunt tempore Moysis fuerunt maximè graues quantum ad efficaciam, quia pernicioſissimæ fuerunt ex diuturnitate temporis, qua durauerunt: at vero quæ tempore Ioelis venerunt fuerunt maiores extensiue, quia diutius durauerunt, non vero intensiue, quia non ita graues. Vnde attendenda est maioritas penes intensionem, non vero penes extensionem plagæ. Lyranus: *Secundum aliòs dicentes, quod Ioel loquitur de locustis ad litteram, dicendum quod istæ locustæ fuerunt graues intensiue, sed non extensiue, quia modico durauerunt, sed illæ diutius.* Pœnæ Purgatorij graues maximè sunt, non solum extensiue, & quia diu persecuerant, sed quia intensissimæ, vnde non solum diuturnitas temporis, sed intensio pœnarum consideranda est.

Dub. 2. Ad illa verba, Ruth 4. vers. 12. *Fiat domus tua sicut domus Phares.* Cur quando Booz duxit Ruth in vxorem, omnis populus laudauit illum, & summas illi gratias egit?

Pietas maximè commendanda, liberare animas ab igne Purgatorij.

R. Quod in magnum bonum defuncti cedebat hoc, vtpote, quod liberabat eum ab infortunio in illo tempore reputato pro maximo, quale erat, quod nomen alicuius familiæ periret, non enim periret familia Mahalon accipiendo Booz Ruth in vxorem, quæ vxor fuit Mahalon. Vnde magna fuit pietas Booz erga Mahalon defunctum, cum duxit vxorem Ruth, quia liberauit defunctum ab infortunio. Abulensis: *Se habebat Booz pie respectu defuncti, nam obligabatur Booz suscitare semen defuncti, & suscitare volebat illum.* Si hanc pietatem exhibere familiæ alicuius, vt liberetur ab illo labore, laudes meretur, quanto magis merebitur illas, qui orando, sacrificia exhibendo defunctum ab igne Purgatorij liberat?

Dub. 3. Ad illa verba, Deuteronom. 28. vers. 31. *Non est qui te adiuuet.* Caietanus: *Et non erit tibi liberator.* Cur transgressoribus legis non erit adiutor, & in angustijs liberator?

Animabus Purgatorij maximus dolor est carere suffragijs aliorum.

Respondetur. Quod si non habeant adiutorium, qui liberet in præsura, & angustijs, desperatione cruciantur, quasi maximus cruciatus sit in labore constituto, carere adiutore, qui liberet. Abulensis: *Ad maiorem dolorem, quia quando homo habet aliquem adiutorem, confidit se posse recuperare res, ideo non tantum tristatur, cum autem adiutoribus caret, desperatio eum valde cruciat.* Ad maiorem dolorem animarum Purgatorij est, quod non habeant adiutorem, qui eas orationibus, eleemosynis, sacrificijs, liberet de cruciatibus, quia si illum habent, confidunt se citius posse accipere gloriam, qua carent, & mitius tolerant pœnas, quando vero adiutoribus carent, valde cruciantur.

Dub. 4. Ad illa verba, Matthæi 5. vers. 26. *Amen dico tibi non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem.* De quo carcere loquitur Dominus, quodque est nouissimum quadrans?

In Purgatorio vsque ad minima quæque peccata soluentur.

Respondetur. Christum dixisse, quod sis consentiens, id est, benevolus, & benignus aduersario tuo. Qui autem non fuerit benignus ex omissione venialiter culpabili, non exiet de Purgatorio carcere donec reddat vltimum quadrantem, in quo intelligitur, quod nihil remanebit in Purgatorio impunitum, sed vsque ad minima peccata ibi punientur. Caietanus: *Si in carcerem contingat te ob omissam benignitatem detrudi, Amen vero dico tibi, quod non exibis inde, donec reddas, hoc est, donec totum damnum, cuius occasio fuisti solues, & breuiter propter imperfectionem omissionis esset peccatum veniale. Tunc enim non exibit de carcere Purgatorij, donec luendo pœnas, soluat etiam nouissimum minimum quadrantem, hoc est, vsque ad minima quæque ex similitudine minimi nummi significata.*

Dub. 5. Ad illa verba, Iosue 7. vers. 21. *Pallium coccineum, regulam auream.* Iuxta Hebreum habetur. *Et linguam auri.* Sub figura enim linguæ formatum erat aurum illud, vt notat *Caie-*

tanus. Cur lingua auri simul erat cum pallio coccineo? Cur iuxta purpureum pallium non erat corona, vel sceptrum, quod est insigne Regum, cum Reges purpura, vel coccino ad magnificentiam vti soleant?

Pretiosus est coram Deo, qui pro Sanctis animabus orat.

Respondetur. Quod purpura habet colorem flammeum, & typum gerit Animæ Purgatorij, quæ flammis cruciatur: lingua aurea, est illa quæ pro animabus preces fundit coram Deo congrue ergo simul cum purpura erat lingua auri, quia lingua est qua petimus, & rogamus, illa lingua erit auri, id est, pretiosa apud Deum, quę pro animabus orat, petit, & rogat. Quidam Modernus: *Purpura flammei coloris & significat Animam Purgatorijs flammis addictam.* Vnde cum oramus pro viuis, simul pro mortuis debemus orare. Ideo in Missa, cum ter dicamus *agnus Dei*, bis tamen dicimus *miserere nobis*, quia cum Diuinam misericordiam petimus pro ijs qui sunt in mundo, simul debemus eam implorare pro ijs qui sunt in Purgatorio. Diuus Thomas 1. Ioannis 3. vers. 5. *Dicitur ter agnus Dei propter tres partes corporis Christi mystici. Quidam enim sunt in miseria vitæ præsentis in mundo, alij in Purgatorio, alij in cœlo. Bis ergo dicitur miserere nobis, propter illos qui sunt in mundo & in Purgatorio.* Hinc est, quod maior iniuria, & maius peccatum est coram Deo non orare pro mortuis, qui se non possunt iuuare, quam non orare pro viuis, qui iuuare se possunt. Accipe Abulensem in cap. 28. Exodi fol. 115. littera C. *Adhuc maius peccatum est cum quis recipiens stipendia de bonis mortuorum, non orat pro eis, quam si reciperet stipendia de bonis viuorum non oraret pro eis: sicut enim quis nocet alicui misero non potenti se defendere, & tollit ei decem, quam cum quis nocet alicui diuiti potenti se defendere, tollendo ei decem. Mortui namque solis viuorum orationibus adiuuantur, à se ipsis autem iuuari nihil possunt, cum iam sit extra terminum merendi, sed solum vt puniantur quantum deliquerunt. Viuentes autem sunt in via termini merendi, & demerendi, ideo licet alijs precantibus non iuuentur, per suam tamen operationem iuuabuntur, Maius ergo scelus est mortuorum stipendia deuorando pro eis non orare, quam de viuorum possessionibus, aut muneribus sustentari, & pro ipsis non precari.*

Pro viuis, & mortuis simul orandũ.

Defunctis non succurrere orationibus, & sacrificijs debitis pro illis, grauius peccatũ est, quã talia debita sacrificia viuis non persoluere.

Dub. 6. Ad illa verba, Numeror. 29. vers. 1. *Mensis septimi prima dies venerabilis, & sancta erit vobis.* Notat Hugo Cardinalis, quod *hæc dies solebat dici festum cereorum, quia tunc accendebant cereos, sed à modernis Iudæis translati sunt cerei ad decimum diem eiusdem mensis.* Cur Iudæi ad decimum diem mensis transferebant cereos, qui accendebantur prima die mensis, quæ erat festum clangoris, & tubarum, in qua cornibus pecuinis clangebant in memoriam liberationis Isaac, ariete pro ipso oblato? Si illa solemnitas primæ diei accepta erat Deo, cur illa die cereos non accendebant, sed in decimum transtulerunt?

Plus placet Deo, quod expenditur in beneficiũ defunctorũ, quam quod insumitur pro solemnitate festorum.

Respondet. Quod decima die mensis septimi veniebant Iudæi ad prosequendas funeris exequias pro defunctis supremis honoribus. Hinc cereos quos accendebant in illa solemnitate quando festum agebant prima die pro liberatione Isaac, transtulerunt ad decimum diem, cum annuam celebrabant solemnitatem pro defunctis, vt innuerent quo magis placent Deo sumptus, & eleemosynę in obsequium defunctorum, quam expensę quę insumuntur pro solemnitate alicuius festi. Hugo Cardinalis: *A modernis Iudæis translati sunt cerei ad decimum diem mensis eiusdem quæ est pro mortuis.*

Reliquiæ Sanctorum.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 23. vers. 2. *Mortua est in Ciuitate Arbe, quæ est Hebron.* D. Hieronymus: *Dicitur Ciuitas Arbe, hoc est, quatuor.* Cur Arba Ciuitas quatuor dicta est? An quia olim in ea quatuor viri pij habitauerunt, Aner, Escol, Mamre, Abraham? An quia ex ea vrbe egressus Abraham, quatuor Reges percussit? An quia ibi imperitarent quatuor famosi Gigantes Arba, Achiman, Sisai, Tholmai?

A Reliquijs Sanctorum debent vrbes celebre sibi nomen accipere.

Respondet. Quod in Arba quatuor Patriarchæ Adam, Abraham, Isaac, Iacob sepulti sunt. Hinc Arbe Ciuitas quatuor dicitur, & ab his Sanctorum Reliquijs nomẽ factum est vrbi. Ciuitates enim à Sanctorum Reliquijs gloriosum nomen sibi debent accipere. Diuus Hieronymus: *Dicitur Ciuitas Arbee, hoc est, quatuor, quia ibi Abraham, Isaac, & Iacob conditus est, & ipse Princeps humani generis Adam.*

Dub. 2. Ad illa verba Genes. 50. vers. 24. *Asportate ossa mea vobiscum.* Cur Ioseph non fecit se statim portare sicut pater suus? Cur non iussit corpus suum statim in terram Chanaam reportari?

An

An quia Ioseph sciebat non multo post eos inde exituros?

Reliquiæ Sanctorum solatia sunt afflictis.

Respondetur. Quod Ioseph sciuit filios Israel post mortem eius multas afflictiones passuros in Ægypto, & voluit, quod in maximo illo eorum dolore, solatio fruerentur. Hinc non præcepit corpus suum statim asportari in terram Chanaam, sed voluit cum eis manere in Ægypto, vt ex corpore Ioseph præsenti, aliquid solatij in afflictionibus reportarent Reliquiæ Sanctorum oblectamenta, & solaria sunt afflictis. Diuus Thomas ad Hebræos 11. vers. 10. *Quia sciebat, quod multas afflictiones debebant sustinere filij Israel post mortem eius, vt ergo haberent certam spem de liberatione sua, & reditu ad terram Promissionis, voluit ad solatium, corpus suum remanere cum ipsis. Vnde, & Moyses tulit illud secum, sicut quælibet tribus corpus patris sui, vt dicit D. Hieronymus.* Aliter potest dici: Quod Ioseph multa beneficia contulerat Ægyptiis, quorum memoria duraret dum haberent ossa Ioseph præsentia, ratione quorum Ægyptij benignè tractarent fratres Ioseph: vnde non præcepit eis, vt statim ossa eius inde educerent, sed quando ipsi de terra illa exirent, Sanctarum Reliquiarum causa Deus homines benignissimè tractat. Abulensis: *Ioseph dicit hoc prudenti factum consilio, vt manente Ioseph in Ægypto manerent beneficia in recordatione Ægyptiorum, & leniter tractarent cognationem Ioseph.*

Sanctarum Reliquiarum causa Deus benigne, & leniter tractat homines

Dub. 3. Ad illa verba Exodi 14. vers. 16. *Eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare.* Cur iussit Dominus Moysi, quod eleuaret virgam, cum nec virga, nec manus Moysis virtutem ad diuidendum mare haberent?

Respondetur. Quod licet manus, aut virga illius propriam non haberent ad diuisionem maris virtutem, signabatur tamen per factum illud, quod Deus dabat virtutem Moysi, vt in sui populi salutem mare diuidere posset. Manus enim, & virga, non sua, sed Dei virtute, operabantur mirabilia. Abulensis: *Ista eleuatio virgæ, & extensio manus secundum se nihil proderat, quia nullius potentiæ ad hoc agendum erat manus Moysi, aut virga eius, sed ista fiebant ad signandum, quod Deus mare Rubrum diuideret ad preces Moysi in vtilitatem Hebræorum.* Quando manus, brachium, os, baculus, vestimentum, vel Reliquia alicuius sancti mirabile quid effecit in ægrotis, vel cum in periculis constituti sumus, non illud virtus propria, sed Diuina illis assistens efficit.

Sanctorum Reliquiæ nõ virtute propria, sed Diuina illis assistente efficiunt mirabilia

Dub. 4. Ad illa verba, Iudic. 19. vers. 29. *Arripuit gladium, & cadauer vxoris cum ossibus suis in duodecim partes, ac frusta concidens misit in omnes terminos Israel.* Cur Leuita carnes vxoris occisæ in duodecim scidit partes, & sparsit eas per terras, & terminos duodecim Tribus Israel?

Respondetur. Quod Leuita volebat mouere Israelitas ad vindictam sceleris Gabaonitarum qui vxore Leuitæ tota nocte abusi sunt. Hinc Leuita in duodecim partes corpore vxoris scto, ad singulas tribus singulas portiones misit: videntes enim Israelitæ membra mulieris occisæ, ad vindictam contra Gabaonitas mori sunt. Maluenda: *Zelo iustitiæ, & à Deo impulsum id Leuitam fecisse aiunt, vt eo facto reliquas tribus ad vindicandum tam atrox flagitium magis accenderet.* Mulier ista typum gerere potest Ecclesiæ, membra illius sunt filij eius, quando eos occidunt hæretici, & infideles, idem est, ac Ecclesiam scindere, in tantas partes diuidere quantæ sunt partes corporum scissorum ab illis. Recte ergo partes, membra, Reliquiæ Sanctorum prodeunt hodie in publicum fidelium, vt ira sancta, zelo iustitiæ contra hæreticos, & infideles accendamur, & in illorum profiliamus vindictam.

Reliquiæ Sanctorum ostenduntur fidelibus, vt ira illorum contra hæreticos accendatur.

Dub. 5. Ad illa verba 1. Reg. 1. vers. 5. *Annæ autem dedit partem vnam, quia Annam diligebat.* Quid nam hoc loco nomine partium intelligitur? An vestes quę in tribus festiuitatibus iuxta morem illius gentis, vxoribus, & libetis, ac famulis tribuebantur?

Respondetur. Quod partes erant sacrificiorum, nam Elcana sacrificauit pacifica, ex quibus sacrificale conuiuium familię instruxit, partes quas tanquam sanctas Leuitę habebant, diuilit inter domesticos, Annę autem dedit vnam partem san-

Deus Reliquijs Sanctorum populos honorat.

tam illius sacrificii, vt Anne tribueret, & afferret honorem, quasi Elcana valde honorasset vxorem, & filios, distribuendo eis partes sanctis quæ de sacrificio remanebant. Lyranus: *Per hoc intelliguntur partes sacrificij: faciebat enim Elcana hostiam pacificam Domino prosequtiarum actione, de qua vna pars incendebatur super Altare, scilicet sadeps, reliqua erat Sacerdotis, vt pectusculum, & armus dexter, reliquæ carnes erant offerentis, & de istis dabat partes filijs, & filiabus ex vxoribus, quasi quid sacrum, Annæ autem dedit partem vnam, & in hoc volebat honorare eam.* Sancti dum vixerunt se ipsos immolauerunt hostiam laudis alij castigando carnem, alij subeuntes martyrium, perfecto autem sacrificio, quod fuit post mortem, Elcana, id est, Deus distribuit has partes, & hæc reliquias familiæ suæ quæ est intra Ecclesiam, diuidit inter Ciuitates, & populos, vt dum sacra ossa partitur, summo honore populos honestet. Hinc est, quod ossa Adæ per filios Noe distributa fuerunt in diuersas orbis partes, vt amplissimo honore diuersas mundi partes afficerent. Maluenda de Paradiso cap. 57. *Noe Arcam cum esset vna cum liberis suis conscensurus impendente diluuio S. Iacobus Orrobaita tradit, secum in eam intulisse ossa Adami: eaque deinde post diluuium Arca egressum, suis filijs distribuisse, pro vt o bem terrarum inter illos habitandum partiebatur. Verbi gratia caluariam Adami dedisse primogenito suo Sem, cum in Iudæam ceu suam hæreditatem veniret, illam Adæ caluariam, quæ sibi de illius ossibus ex paterna distributione obuenerat, in Adæ sepulchro, quod alioquin iam tunc illic extabat, reposuisse.* Sicut enim Noe distribuendo filijs suis Reliquias Adæ, eos honorauit, & filii Noe partiendo in diuersas orbis partes primi parentis sacra pignora, populos honestarunt: ita Deus distractis Reliquijs Sanctorum in diuersa Regna, Prouincias, Vrbes, amplissimo honore populos ornat.

Reliquiæ Sanctorum præsidium sunt in periculis.

Dub. 6. Ad illa verba, Sapientiæ 18. vers. 25. *His autem cessit qui exterminabat, & hæc eximuit* Robertus Holkot ait: *Ostendit quantam reuerentiam fecit Angelus Aaron sic induto, vbi dicit, his autem cessit.* Cur Angelus vilo Aarone cessauit percutere populum? An quia magna fuit dignitas, & vis intercessionis, & precum Sacerdotis?

Reliquijs Sanctorum Deo ostensis, deferuescet vis iræ eius.

Respondetur. Quod Aaron indutus erat sacris vestibus. Hinc Angelus hæc eximuit, his cessit, & reuocatus est ab exequenda sententia de interitu populi. Intuitu enim sacri amictus defecit in Angelo iræ vis: tantam enim sacris vestibus exhibuit reuerentiam. Hugo Cardinalis: *His autem cessit Aaron, quasi dicat Auctor, non in vanum his vestibus erat indutus Aaron, quia his cessit malus Angelus, qui populum occidebat: alioquin non posset populus magnitudinem iræ tolerare. Angelus eximuit Aaron sic vestitum, & cessauit percutere populum, quod fuit conueniens.* Deus iratscitur nobis propter peccata nostra, cum autem vult pœnas expetere, & vindictam sumere, ostendamus ei Sanctorum Reliquias, sacras vestes, tunicam, cingulum, & alia huiusmodi, & impetus iræ conquiescet, furor remittetur, & restinctus erit.

Pro Apostolis.

Dub. 1. Ad illa verba, Genes. 1. vers. 6. *Fiat firmamentum.* Quod postea vocauit cœlum. Cur Deus dixit fiat firmamentum in secunda die, cum ante secundum diem creati sint cœli?

S. Apostoli quasi fundatores fuerunt Ecclesiæ, quia prædicatione fidei, Ecclesiam ampliauerãt.

Respondetur. Quod Deus disposuit illos cœlos quantum ad aliquam qualitatem, faciens extensionem illorum, velut telam, pellem, cortinam: inde dicit Moyses, quod Deus secunda die fecit firmamentum, quod vocauit cœlum: licet enim cœli ante secundum diem fuerint creati, tamen secunda die dicitur fecisse firmamentum, quod postea vocauit cœlum, quia secunda die cœlum iam creatum extendit sicut pellem, & ampliauit. Abulensis: *Fiat firmamentum, id est, disposuit illos cœlos, quantum ad aliquam qualitatem, quia non potest secundum istam opinionem accipi, quod firmamentum tunc factum sit, quia dicit, quod omnia simul creata sunt; accipitur ergo facere, disponere, sicut etiam Nabuchodonosor dixit se fecisse, vel ædificasse Babylonem, quam tamen*

non

non ædificauit ipse, sed Nemrod, & alij sequentes eum paulo post diluuium, vt patet Genes. 11. Ipse autem solum fortificauit eam, vel ampliauit aliquid in ea. Sancti Apostoli quasi Fundatores Ecclesiæ visi sunt, non quod eam fundauerint, cum à Christo fuerit fundata, verum quia doctrina sua homines ad fidem trahendo ampliauerunt Ecclesiam, & extenderunt.

Dub. 2. Ad illa verba, Isaiæ 2. vers. 4. *Non leuauit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Cur dicit Isaias, quod gens non leuabit contra gentem gladium, cum *Lucæ 21. vers. 10.* dicatur: *Surget gens contra gentem?*

S. Apostoli populos subdiderunt Christo, non armis bellicis, sed prædicatione Euangelij.

Respondetur. Quod prophetia Isaiæ sic intelligitur, quod non leuabit gens contra gentem gladium, vt populus Christianus subigatur Christo, quia Sancti Apostoli non labore bellico homines Christo subegere, sed doctrina, & pace Christiana, eos debellarunt, & Christo subdiderunt. Caietanus: *Non est sensus huius prophetiæ, quod in aduentu Messiæ desinant bella omnia: ita quod non erunt amplius arma bellica, manifestauit ipse Christus in Euangelio dicens; surget gens contra gentem: sed sensus huius prophetiæ est, quod populus Messiæ non acquiretur, non propagabitur, nec seruabitur armis bellicis: & hoc verum esse patet ex institutione Christi, quia non misit Apostolos ad acquirendum mundum armatos, sed tanquam oues inter lupos: & discipulis petentibus. Lucæ 22. vers. 49. Domine si percutimus in gladio reprehendit: sed media ad acquirendum, propagandum, & seruandum populum Christianum instituit Doctrinam Euangelicam.*

Dub. 3. Ad illa verba, ad Hebræos 8. vers. 11. *Et non docebit vnusquisque proximum suum.* Quomodo verificatur in Nouo Testamento, quod non docebit vnusquisque proximum suum?

Sanctorum Apostolorum excellentia, quod fuerint instructi à Christo; & habuerint sapientiam infusam.

Respondetur. Quod Apostoli edocti sunt à Christo, sapientiamque Diuinitus traditam acceperunt: vnde in præsenti statu, non verificatur vniuersaliter de omnibus, quod non docebit vnusquisque proximum suum, cum per Apostolos homines fuerint edocti, sed de solis Apostolis verificatur, quod non fuerint ab aliis instructi? vnde dicit Apostolus, *& non docebit vnusquisque proximum suum*, id est, non docebit Apostolos, quia ipsi ab aliis non fuerunt instructi, sed à Christo, quod ad magnam eorum pertinet excellentiam, quod habuerint sapientiam infusam. Diuus Thomas: *potest intelligi de præsenti statu, & sic non verificatur vniuersaliter de omnibus, sed tantum de primis fundatoribus Noui Testamenti, scilicet, Apostolis, qui immediate fuerunt instructi à Deo, quando aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. Lucæ vlt. Apostoli ergo facti sunt perfecte cognoscentes, & non ab aliis instructi, sed simul à Christo acceperunt sapientiam infusam.*

Dub. 4. Ad illa verba, Lucæ 9. vers. 1. *Dedit illis virtutem, & potestatem.* Quid est hoc, quod Dominus dedit Apostolis virtutem, & potestatem? In quo differunt potestas, & virtus?

S. Apostoli grauia sustinentes, difficillima molliti sunt.

Resp. Quod S. Apostoli patienter, & æquo animo sustinuerunt aduersa quantumuis grauia, ideo dicit, quod dedit eis virtutem, vt grauia subirent; similiter aggressi sunt ardua, & difficillima, scilicet, conuersionem mundi, vnde dicit, quod dedit illis potestatem videlicet, vt præclara facinora molirentur, quatenus grauia sustinentes, difficillima conarentur. Hugo Cardin. *Dedit illis virtutem & potestatem virtus ad sustinendum grauia, potestas ad faciendum ardua.*

Dub. 5. Ad illa verba, Psalmi 86. vers. 7. *Et Principes sicut lætantium.* Iuxta Hebræum habetur: *Et Principes erunt sicut parturientes.* Maluenda per Principes intelligit Sanctos Apostolos? Sed cur dicuntur parturientes?

Sanctorum Apostolorum totum studium fuit filios generare Ecclesiæ.

Respondetur. Quod totum studium Apostolorum fuit parturire, & generare filios Ecclesiæ. Hinc parturientes dicuntur, quasi totus eorum conatus fuerit salus, & conuersio aliorum. Caietanus: *Propterea describuntur Principes Ciuitatis Apostoli, & alij similes sicut parturientes, generantes alios. Filioli mei, inquit Apostolus, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Totum studium Principum fuit, & esse debet ad salutem aliorum. Aliter potest dici, quod Apostoli dicuntur parturientes, quia ad similitudinem parturientis dolore, & desiderio angebantur, donec ad Christum conuerterentur populi. Diuus Thomas, ad Galatas 4. vers. 19. *Iterum parturio. Dicit parturio id est cum labore, & dolore ad lucem fidei reduco, in quo apparet dolor Apostoli. Vnde conuersio hominis partus*

Sanctorum Apostolorum magnus labor, & dolor pro conuersione hominum.

dicitur. Iob 39. *Incurvantur at fœtum, & pariunt.* Apocalip. 12. *Clamabat parturiens, & cruciatur, vt pariat.* Et inde est, quod Apostolus ex dolore dure eos vocat, sicut mulier ex dolore partus dure clamat. Isaiæ 42. *Quasi parturiens loquar.*

Dub. 6. Ad illa verba 3. Reg. 10. vers. 18. *Duodecim leunculi stantes super sex gradus.* Cur Salomon in throno quem fecit posuit duodecim leunculos? Nonne duo Leones stabant iuxta manus singulas tenentes sedile? Cur ergo, & duodecim leunculi?

Sanctos Apostolos posuit Deus in Ecclesia, vt eorum vitam singulariter imitemur.

Respondetur. Quod Salomon est Christus, Thronus eius Ecclesia, duodecim leunculi duodecim Apostoli: congrue ergo posuit Salomon duodecim leunculos in Throno, id est, Christus duodecim constituit Apostolos, quia eos posuit, vt eorum virtutes singulariter imitandas nobis proponamus. Voluit ergo Dominus, quod eorum arripiamus similitudinem. Hugo Cardinalis: *Duodecim leunculi duodecim Apostoli, quorum vitam ad imitationem debet habere præoculis quilibet anima fidelis* 1. Corinth 4. vers. 16. *Imitatores mei estote.* Vnde Psalm. 28. vers. 1. Dixit Dauid: *Afferte Domino filios arietum.* Hugo Cardin. *Afferte Domino filios arietum, id est, vos metipsos, qui estis filios arietum, id est Apostolorum per generationem Apostolorum.* Cur Apostoli arietibus comparantur à Dauide, cum Christus Dominus agnis comparauerit? Quia sicut grex sequitur arietem vnum, ita homines sequi debent Sanctos Apostolos, eos moribus & vita referentes. Hugo Cardinalis: *Hos debent imitari fideles, sicut grex sequitur arietem ducem. Dicuntur autem Apostoli arietes ista ratione, scilicet, quia ducunt simplices Ecclesiæ, sicut aries ducit gregem. Afferte Domino filios arietum, vt scilicet, sitis imitatores Apostolorum, in immolatione corporum vestrorum.* Vnde Leuitici 5. *Anima quæ peccauerit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum Sacerdoti iuxta mensuram æstimationemque peccati.*

Pro Martyribus.

Dub. 1. Ad illa verba, Psalm. 30. vers. 18. *Erubescant impij.* De quo erubescebant impij? An de impietate confundebantur?

Respondetur. Quod Saul persequebatur Dauidem, mortem ei machinabatur, & cum eum capere non valeret, accipiebat confusionem, & erubescebat, quod irrita fierent eius aduersus Dauidem consilia. Ita tyranni rubore suffundebantur, quod non possent tot exquisitis tormentis vincere Sanctos Martyres, vnde confusi ignominia, & quod frustrarentur eorum consilia, & à fide auertere eos non possent in domum reuertebantur. Lyranus: *Describitur æquitas Diuinæ retributionis, quantum ad persequentes. Erubescant impij non potentes assequi suum intentum in persecutione iustorum: sicut tyranni intendentes per tormenta, auertere Martyres a fide, & non valentes, erubescebant, & confundebantur de eius tolerantia, sicut patet de Daciano, & Sancto Vincentio, & de Paschasio, & Sancta Lucia, & multis alijs. Et Saul persequens Dauidem, eum capere non valens, reuertebatur in domum suam,* 1. Reg. 23. & 24.

Tyranni erubescebant, quod Sanctos Martyres, tot tormentis nō possent à fide auertere.

Dub. 2. Ad illa verba, Psalmi 117. vers. 6. *In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me Dominus in latitudine.* Hugo Cardinalis hæc verba intelligit de Ecclesia. Cur Ecclesia exaudita est, & educta in latitudine, quando Martyres passi sunt? Quæ fuit latitudo?

Sanctorum Martyrum morte magis dilatatur Ecclesia.

Respondetur. Quod Ecclesia in tribulatione Martyrum inuocauit Dominum, & exaudiuit eam, & posuit in latitudine, quia quanto magis cruciabantur, tanto plures ad fidem conuertebantur, & dilatabatur Ecclesia in passione Sanctorum Martyrum cum ipsi tortores conuertebantur ad fidem. Hoc verificatur in eo, qui duxit Sanctum Iacobum ad tribunal; qui cum fortiter Martyrium subeuntem vidisset, statim se, & ipsum Christianum esse professus est. Similiter multi videntes eorum constantiam, fortitudinem, & toleranciam, fideles facti sunt. Hugo Cardinalis: *De tribulatione inuocaui Dominum, quando scilicet Martyres tribulabantur, & exaudiuit me Dominus ponendo in latitudine, quia quanto magis tribulabantur fideles, tanto plures conuertebantur ad fidem & magis dilatabantur, & numero & merito.* Vnde Isaias cap. 53. vers. 8. loquens de Christo, ait: *Generationem eius quis enarrabit?* De qua generatione loquitur, an de generatione eius Diuina, an de humana ex Virgine Matre? Si de his loquitur, certum est has duas genituras esse ineffabiles; potest dici quod Isaias loque-

loquebatur de progenie, & longa serie filiorum Dei, qui ex morte, & Cruce eius progignendi erant, sicut Longinus, Centurio, & alij visa Christi morte, conuersi sunt ad fidem; quis ergo hanc generationem enarrabit, quasi dicat nullus, quia multi crediderunt in eum, vt patet Ioann. 12. vers. 24. & 25. Hugo Card. *Generationem eius, id est, multiplicationem fidelium quos in Cruce parturiuit. Isai. 66. Si ego qui generationem cunctis tribuo sterilis ero, ait Dominus Deus.*

Dub. 3. Ad illa verba, Genes. 40. vers. 3. *Misit eos in carcerem Principis militum in quo erat vinctus, & Ioseph.* Cur Ioseph vinctus fuit in carcere, seu turri, vt ait *Maluenda*, Principis militum? Cur non detrusus in ergastulum hominum popularium?

Christus quam plurimos Martyres in tormentis honorauit, cum capite truncati fuerunt.

Respondetur. Quod Deus voluit honorare Ioseph in vinculis. Hinc non fuit coniectus in carcerem, vbi homines ex infima classe mancipabantur, nec in custodiam publicam deductus, sed in carcere, seu turri, vbi nobiles mittebantur. Honorat enim Deus seruos suos in tormentis. Oleaster: *Nota qualiter in malis, & in carcere voluit honorare seruum suum Dominus, vt ibi esset vincta Ioseph, vbi Principes vinciri solebant, vt tolerabilior sit illis probatio sic Martyres suos voluit pro maiori parte decollari, quæ mors nobilior esse solet, sic Petrum Apostolum sua Cruce euexit.* Multi Martyres sicut Diuus Ioannes Baptista, S. Cornelius, Sancta Margarita, & alij quam plurimi decollati animam reddiderunt Deo: cum enim hæc mors sit nobilium, pro maiori parte voluit eos decollari, vt in tormentis suos nobilitet. Hinc est, quod multi Martyres igne non cremati, gladio tran fixi sunt, vt Sancta Polibnia. Sancta Lucia, Sancti Cosmas, & Damianus, quatenus gladio interempti, & sanguinem super terram effundentes honorarentur, & morti Christi assimilarentur, qui sanguinem suum non super aquam, nec super ignem, sed super terram effudit. Episcopus Didacus Aluarez: *Obseruandum est eam ob causam Deum multoties Martyres suos in medio flammarum intactos seruasse, ne perirent incendio, quos tamen gladio post modum occidi permittit, vt Redemptoris morti assimilarentur magis, qui pro nobis suum super terram sanguinem fudit.*

Sancti Martyres sanguinem fundentes super terram, magis assimilantur Christo.

Dub. 4. Ad illa verba, Psalmi 34. vers. 5. *Congregata sunt super me flagella, & ignorauí.* Cur dicit Dauid, quod Christus ignorauit flagella quibus fuit cæsus, cum ad Hebræos 4. vers. 13. dicat Apostolus: *Omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius*, ergo non ignorabat flagella.

Respondetur. Quod Christus oblatus fuit passioni, quando ipse voluit, & quærentibus se obuiauit, vnde non ignorabit ventura supra se flagella, habuit se tamen ad modum ignorantis, & hæc est magna auiditas patiendi, cum scientia passionis, se offerre sponte passioni. Lyranus: *Sic me habui, ac si ignorarem flagella super me ventura, nam iuit obuiam quærentibus ipsum, & se manifestauit.* Ita quam plurimi Martyrum non ignorabant tormenta super ipsos ventura, sicut S. Fœlix, S. Eulalia, Emeritensis, & alij, qui nimia auiditate patiendi ad agonem conuolabant, seque ad præsidis Tribunal sistebant, vt ostenderent se voluntarie quæsisse cruciatus.

Martyres multi scientes supplicia, voluntarie quærebant tormenta.

Dub. 5. Ad illa verba, Iudic. 8. vers. 20. 21. *Tu surge. & irrue in nos, quia iuxta ætatem robur est hominis.* Cur Zebee, & Salmana voluerunt interfici per manus Gedeonis potius, quam per manus pueri primogeniti Iether?

Respondetur. Quod si Iether puer percuteret eos, multum paterentur, cum multos ictus sustinerent, & diuturno eos afficeret dolore: vnde vt leuiori cruciatu interirent, voluerunt interfici à Gedeone, qui cum multas vires haberet, vnica percussione interficeret. Dolebant enim pluribus vulneribus à puero interfici. Abulensis: *Propter dolorem, quia si puer occisurus esset illos oporteret, quod sæpè percuteret eos, quia paucas vires habebat, & paterentur nimis in hoc, ideo, vt leuiori cruciatu vitam finirent, voluerunt occidi à viro, qui posset eos vnico ictu occidere.* S. Martyres Martyrij cupidissimi fuerunt, & volebant mori pluribus vulneribus non vno, vt suum in Christum amorem ostenderent. Qui moritur ex ardentissimo amore multoties mori desiderat, aut vitam pluribus ictibus finire, qui vero moritur ex timore, vnam mortem coactus subijt, & eam vno ictu subire desiderat. Vnde 1. Petri 2. vers. 24. ait de Christo D. Petrus: *Qui peccata nostra in corpore suo pertulit.* Diuus Thomas: *Nota in hoc, quod dicit, qui peccata nostra, maximè nobis commendatur dilectio Saluatoris.* In

Sancti Martyres ita flagrabant amore in Christū, quod volebant pluribus vulneribus, non vno ictu mori.

quo commendatur eius dilectio? An quia peccata nostra portauit? An quia maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis? Quia scilicet, non in vno membro, sed in omnibus acerbissimam sustinuit passionem: benè ergo in hoc commendatur nobis Christi dilectio: ardens est enim amor amantis, & patientis, cum omnia membra pro dilecto patiuntur. D. Thomas: *In hoc quod dicit, qui peccata nostra in corpore suo pertulit, maximè nobis commendatur dilectio Saluatoris in totalitate patientis, quia non in vno membro, vt capite truncati, vel transfossi, sed in quolibet. In primis in capite coronam mirabilem spineam in pedibus, & manibus clauos, in latere lanceam, quod notatur, ibi in corpore suo, toto scilicet, vnde Isaiæ à planta pedis. Volue, & reuolue illud Dominicum corpus, & vbique inuenies dolorem, vbique cruorem.* Volue, & reuolue corpora plurimorum Martyrum, nempè S. Vincentij, S. Agathæ, S. S. Appolloniæ, SS. Cosmæ, & Damiani, & aliorum, & vbique inuenies dolorem, vbique cruorem, in quo eorum in Christum amor commendatur, quia non in vno membro, sed in multis pertulerunt tormenta, sustinuerunt cruciatus. Et S. P. Dominicus cum in latrones incidisset, qui eum interficere volebant, dixit illis, quod si eum occidere vellent, oraret eos, vt iam abscisso vno digito, iam alio, & paulatim singulis membris abscisis, cum occiderent, non vero vnico vulnere interimerent.

Pro aliquibus SS. Confessoribus.

Dub. 1. Ad illa verba, Iudic. 8. vers. 16. *Tulit ergo seniores Ciuitatis & spinas deserti, ac tribulos, & contriuit cum eis, atque communiuit viros Socoth.* Cur Gedeon carnes seniorum Socoth triuit spinis, & rubis?

S. Benedictus carnis rebellionem spinis compressit.

Respondetur. Quod Gedeon voluit punire rebellionem filiorum Socoth tali spinoso supplicio extendens eos super spinas, id est, vepres, vel paluros, & tribulos deserti valde pungentes, quatenus spinis triti, & puncti eorum contumacia, & rebellio reprimeretur. Ita S. Benedictus videns suæ carnis rebellionem, nullo alio supplicio puniuit eam nisi conculcatione illius inter spinas, & tribulos campi. Caietan. *Afflictio siquidem Principum Socoth cum spinis, & rubis siue per modum flagellationis, siue alio modo describitur per experimentalem cognitionem, qua senserunt in proprijs carnibus spinas, & rubos.* Vnde Psalm. 88. vers. 11. ait Dauid: *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum.* In quæ verba Hugo Cardinalis *Prouerb. 20. Liuor vulneris absterget mala, sicut de B. Benedicto legitur, qui cum à stimulo carnis semel in tantum infestaretur, vt deliberaret de reditu ad sæculum, proiecit se nudum inter spinas, & vrticas, & dicit D. Gregorius: quod per vulnus corporis sanauit vulnus mentis. Ecclesiastici 11. Malitia vnius horæ oblitionem facit luxuriæ maximæ.*

Dub. 2. Ad illa verba, Leuit. 16. vers. 5. *Suscipietque ab vniuersa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato.* Ex duobus illis hircis qui offerebantur, vnus erat, qui peccata populi super se portabat, qui in Hebræo vocabatur *Azazel*, id est, *proforti.* Cur appellabatur fortis?

Respondet. Quod Azazel portabat supra se iniquitates totius populi, quod aliquid magnum valde erat: vnde conuenienter appellabatur *fortis*, magnum, excelsus, & forte erat populi peccata supra se portare, & pro populo expiare. Oleaster: *Faciet illum peccatum, id est, hostiam pro peccato, ad expiandum illum, id est, per illum scilicet, populum, & quod dicitur admittendum eum pro capro Emissario, Hebraice habetur pro Azazel.* Hoc confirmat excellentiam gratiæ Sanctorum, qui satisfactionem aliorum peccatorum supra se sumpserunt. Sicut S. Pater Dominicus, S. Iacinthus, S. Ignatius Loyola.

Sanctorum Dominici Iacinthi, Ignatij de Loyola, gratia magna dignoscitur in eo, quod supra se aliena peccata susceperunt.

Dub. 3. Ad illa verba, Numeror. 3. vers. 47. *Siclus habebat obolos viginti.* Quæ moneta, & cuius quantitatis erat obulus?

Respondetur. Quod obolus apud Hebræos erat moneta parua, & minima, eratque mensura, regula, & modus omnium ponderum, per quam aliæ monetæ ponderabantur, & mensurabantur. Ita S. Franciscus de Paula, humiliratem sic coluit, vt se omnium minimum diceret vnde mensura, & regula est aliorum, & consequenter perfectior aliis videbatur. Id est, Religiosi S. P. Francisci de Paula sunt inter omnes alios Religiosos aliarum Ordinum minimi, ergo sunt mensura cæterorum, & consequenter perfectiores alijs debent esse, appellantur ergo in Ecclesia minimi, credo Diuina prouiden-

S. Franciscus de Paula, quia omnium minimum se dicebat, perfectior omnibus videbatur.

dentia sic disponente, vt iniquè perse dicores alijs esse debere. Abulensis: *Dicitur esse obolus moneta parua inter Israelitas, ideo per eam fit computatio maioris monetæ. Nam semper minimum est mensura omnium aliorum, vt patet in 4. Phisicæ, & in Metaph. Ratio huius est, quia mensura habet naturam distinguentis, igitur in quo reperitur maior distinctio, est magis mensura huiusmodi autem est minimum, quia propter habere paruas partes est multum distinctum.*

Dub. 4. Ad illa verba, Deuteronom. 3. vers. 27. *Oculos tuos circumfert ad occidentem, & ad aquilonem.* Quomodo Moyses potuit videre totam terram Promissionis, cum potentia visiua illius tantæ virtutis esse non posset, vt in tantam distantiam, vt videri posset, extenderetur, tum etiam quia collis Phasgæ non erat tam eminens, vt ex illo tota terra posset conspici.

5. Benedictō omnem mūdum Deus miraculosè ostendit, quia Dux, & Pater omniū Monachorū.

Respondetur. Quod potentia visiua Moysis super naturaliter elenata fuit à Deo, vt videret distincte omnem terram Promissionis: quia enim Dux erat populi, hoc fauore prosequutus est eum. Vnde S. Benedicto omnem mundum Deus miraculosè ostendit, quia Dux, & Pater omnium Monachorum. Abulensis: *Dicendum quod Deus supernaturaliter eleuauit potentiam visiuam eius, vt distincte videre posset. Sicut eleuauit B. Benedictum semel, & vidit totum mundum. Vt patet 2. Dialogo per D. Gregorium.*

Dub. 5. Ad illa verba, Genes. 26. vers. 24. *Ego sum Deus Abraham.* Cur dicitur solius Abrahæ Deus, cum sit etiam aliorum Patriarcharum, & iustorum, imo omnium creaturarum Deus?

Iesuitæ per cultum specialem quem Iesu impendunt, vocantur Iesuitæ, & eorum Religio Societas Iesu.

Respondetur. Quod dicitur Deus Abraham, quia specialiter Deum colebat, & ratione huius cultus effecit Deum tam singulariter suum, ac si nullius alterius esset nisi ipsius. Deseruit hic locus, pro laudandis Iesuitis, & Religione eorum, quæ vocatur societas Iesu, quia Iesus licet sit omnium, quia tamen specialiter colunt Iesum, & eius cultui insistunt, merito Iesus vocatur illorum ea specialitate, ac si illius solius esset Religionis. Honcala: *Deus alicuius omnium conditor, non quod non sit aliorum Deus, sed quod is cultu aliquo vel priuato vel sanctiori, quam cæteri eum colat.* Vel potest dici, quod Iesuitæ iuste sic appellantur, & non Ignaciste, quia officium faciunt Iesu: *Deuteronomij 25. vers. 5. Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui.* Inquires. An mortuo maiori fratre cuique filijs, & secundo accipiente viduam in vxorem etiam sine liberis mortuo, & ita vsque ad vltimum filium minorem, qui filios haberet, cuius nomine filij vocandi essent, nomine primi patris, vel nomine vltimi qui filios genuit? Videtur quod vocandi erant nomine fratris vltimi, quia iste illos genuit.

Iesuitæ iustè sic appellantur, & non Ignaciste, vt qui iure non sunt filij Iesu, nomine, & officio Iesu fiat filij Iesu.

Respondetur. Quod quando aliqua mulier sine filijs erat à viro defuncto relicta, accipiebat eam in vxorem frater defuncti, & primum filium quem habebat ex ea appellabat nomine fratris defuncti, licet eum non genuerit, vt qui non erat filius maioris fratris iure, esset saltem nomine, & hæreditatis successione. Caietanus: *Vetustissimus mos fuit filios nominare ex patribus, puta filium Israel filium Ioel, & sic de alijs vsque adeo, vt propria nomina aliquorum virorum illustrium ignoremus, eo quod sunt inscripti filiationi patrum, tanquam filij essent seruantes nomen patris. Et quoniam ad hoc præcipuè studuit antiquitas, ideo filius primo natus ex fratria, nomen defuncti firmate decernitur ad seruandum illius nomen: quemmadmodum etiam erat illius hæres.* Inter omnes Religiones, nulla est quorum filij non nominentur nomine sui fundatoris vere patris eorum, solum Iesuitæ non nominantur Ignaciste à Patre suo S. Ignatio, sed vocantur Iesuitæ. Quare? Quia proprium munus, & officium Iesu erat salus animarum procuranda, mortuus est Iesus sine liberis huius Sponsæ, venerunt filij Ignatij filij minoris, & in officium Iesu taliter, tam strenue, tanta cura saluti animarum incumbentes, vt nomen fratris maioris Iesu videlicet suscitarent in posterum, quod non nomine Patris Ignatij, qui genuit eos, sed maioris fratris Iesu, Iesuitæ appellandi merito forent, vt non interrumpatur familiæ successor, hoc est, Iesu familia. Quommodo autem vere Iesuitæ appellari possunt, cum Iesus eos non genuerit, hoc est, eos non fundauit? Vt qui non erant filij iure, essent saltem nomine, & hæreditarie, & officij, ac ministerij Iesu successione.

Dub. 6. Ad illa verba, Iosue 14. vers. 15. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe.* Notat Abulensis, quod in He-

Hebron est ager quidam, cuius terra est rubea. Inquires ad quem vsum deseruit illa terra rubea?

Ex sepulchro S. Raymundo, & ex loco Natiuitatis S. P. N. Dominici puluis perenniter scaturiés, morbis medetur.

Respondetur. Quod terra illa rubea comeditur ab Ægyptijs, & salutaris est, & profícua, & quasi aromatica pro curandis infirmitatibus, & pro hoc vsu venalis habetur, quasi Diuina Prouidentia multam curam haberet de illius terræ incolis, cum terram illis prouidit saluti proficuam. Abulensis: *In Hebron est ager quidam, cuius terra est rubea, quæ ab incolis effoditur, & per Ægyptum venalis asportatur, & quasi pro specie aromatica carissimè venditur, in quo satis magnum apparet miraculum, quia quantum ager ille profundè effossus fuerit toto anno ad educendum terram, tanto anno sequenti reintegratur, ita vt terra semper inde effodiatur, & tamen nihil per successiones sæculorum deficere videatur.* Ex sepulchro primo Sancti Raymundi, puluis enascitur, qui licet copiosè inde exportetur, nunquam tamen deficit, eoque multæ graues infirmitates corporis curantur. Ex loco quoque natiuitatis Sancti Patris nostri Dominici terra, seu puluis emanat in tanta quantitate, & abundantia, quod licet ex ea multum asportetur quotidie, nec iacturam, nec diminutionem patitur; & in aquam iniectus puluis, febres tollit, & sanitatem ex qualibet infirmitate amissam restituit.

Pro aliquibus Sanctis Episcopis.

Dub. 1. Ad illa verba, Leuitici 16. vers. 8. *Mittensque super vtrumque sortem.* Cur per sortem eligendus erat hircus, qui peccata populi erat portaturus?

S. Nicolaus Dei iudicio designatus Episcopus.

Respondetur. Quod poterat dubitari quis hircus erat mactandus, vel quis dimittendus: vt autem scirent Dei voluntatem, Aaron misit sortem super vtrumque hircum, nam cum istæ sortes non procederent per voluntatem humanam, sed ex Deo dirigente ipsas, ponens Aaron sortes, vt sciretur per illas, quis hircus erat eligendus, videbatur hoc esse per certitudinem à Deo factam, & sciebat, quod non per voluntatem humanam, sed Diuinam eligebatur hircus mactandus, & immolandus Deo. Abulensis: *Iubebat Deus, vt mitteretur sors super istos duos hircos, vt sciretur quis esset pro Deo, quia Iudæi erant infirmi, si forte Deus non designaret sibi, quis caper esset ille, qui portare deberet iniquitates, adhuc dubitarent, simile autem est in sortibus, quæ datæ sunt ad eligendum vnum Apostolum, quando sors cecidit super Mathiam, nam adhuc Apostoli erant infirmi in fide, & non videbatur eis satisfactum, si congregati inuocato Spiritu Sancto eligerent concorditer aliquem Apostolum, non intelligerent tamen, quod Deus elegisset illum, cum hic procederet ista electio à voluntate humana. Cum autem ponerentur sortes, vt sciretur per illas, quis deberet esse Apostolus, videbatur hoc esse per certitudinem a Deo factam, nam sortes istæ non procedebant per voluntatem humanam, sed ex Deo dirigente illis, sicut declarauerunt ipsi Apostoli ponentes istas sortes, vt habetur Act. 1. cum dicitur: Tu Domine qui nosti.* S. Nicolaus in officium, & Dignitatem Episcopalem non per hominem, sed Dei voluntatem assumpsus est, vnde cum Prouinciales Episcopi de Episcopo Myræ deligendo consultarent, voce de cœlo lapsa cuidam insinuatur præsuli, dignum Episcopatu Nicolaum, vnde summo omnium consensu Myræ Episcopus creatur. Similiter populus Mediolanensis de Episcopo deligendo desiderabat, sed de repente puero Ambrosium Episcopum exclamante, vniuersi populi vox erupit Ambrosium Episcopum deposcentis.

S. Ambrosius non ab homine, sed à Deo electus Episcopus.

Dub. 2. Ad illa verba 1. Paralipom. 6. vers. 10. *Ipse est qui Sacerdotio functus est in Ierusalem.* Cur nominatur Azarias specialiter Sacerdotio functus, cum in Templo Ierusalem multi alij functi fuerint Sacerdotio, scilicet, Sadoc, Achimas, & plures alij?

D. Gregorius. D. Ambrosius, & alij digni fuerunt præsulatu quia valide restiterunt Principibus.

Respondetur. Quod Azarias impetu, & Spiritu Diuini honoris raptus pro Sacerdotio pugnauit inhibendo Oziæ Regi officium Sacerdotis: ideo singulariter de eo dicitur, quod functus fuit Sacerdotio in domo Domini, quia qui zelo, & ardore Diuini honoris incendebatur, solus meruit nominari Sacerdos. Lyranus: *Prætermissis alijs filijs Leui qui similiter Sacerdotes fuerunt in domo Domini, de Azaria singulariter dicitur, ipse est, qui Sacerdotio functus est in domo, quam ædificauit Salomon in Ierusalem, hoc est, quia zelo Dei ductus constanter restitit Oziæ Regi Iudæ volenti thurificare in Templo Domini.* Ita Sancti Pontifices. Diuus Gregorius. Diuus Ambrosius, B. Pius V. B. Thomas Cantuariensis, Magnus Basilius, & alij quam plurimi zelo honoris Dei pug-

pugnauerunt, valide se opponentes Principibus pro eo tuendo, & immunitate Ecclesiæ.

Dub. 3. Ad illa verba 2. Nehemiæ 6. *Non ingrediar.* Cur Nehemias noluit in Templo se abdi, vel claudere portas Templi, cum inimici eius nocte venturi essent, vt interficerent eum?

S. Thomas Cantuariensis Ecclesiam more castrorum non obseruauit, vt pro ea morte subiret.

Respondetur. Quod Nehemias noluit de Templo Dei facere castrum, vt se defenderet, & tueretur: vnde noluit valuas Templi claudi, quasi indignus esset nomine Sacerdotis, & vita ipsa, si persecutionem fugeret, & in Templo se abderet. Ita S. Thomas Cantuariensis, cum nefarij satellites vellent eum è medio tollere, & conuenirent in Templum, vt S. præsulem aggrederentur, Clericis Templi aditus præcludere conantibus, accurrens, ostium aperuit, dicens, non est Ecclesia Dei custodienda more castrorum, & ego pro Ecclesia Dei libenter mortem subibo. Hugo Cardinalis: *Non ingrediar, quasi dicat: Non faciam de Templo castrum vt in eo abscondar. Simile dixit B. Thomas Cantuarensis, cum satellites irruerunt in Ecclesiam, & seruientes sui vellent Ecclesiam claudere. Non est inquit Ecclesia, vt castrum obseruanda.*

Dub. 4. Ad illa verba, Zachariæ 13. vers. 8. *Et erunt in omni terra dicit Dominus: partes duæ in ea dispergentur, & deficient, & tertia pars relinquetur in ea.* Lyranus de bono Prælato moraliter exponit, temporaliter à tyranno afflicto. Quid est hoc, quod in terra duæ partes dispergentur, & deficient, & tertia pars relinquetur in ea? Cur tertia pars ducenda erat per ignem, vrenda sicut argentum, & probanda sicut aurum?

S. Thomas Epiſcopus Cantuarienſis ſimul cum cognatione ſua paſſus aduerſa, quia obſtitit Regi.

Respondetur. Quod hæc exponuntur de optimo Prælato, qui aliquando vexatur, & aduersis premittur simul cum cognatione sua ei adhærente. Hinc dicit, quod tertia pars per ignem tribulationis probabitur, vt non solum aduersa sustineat in se, sed in suis patiatur. Quod verificatur in S. Thoma Cantuariensi, qui constanter obsistens cupiditati Henrici Secundi Regis Angliæ, in exilium pulsus fuit, & mox propinqui eius omnis ætatis, amici, fautores electi sunt. Lyranus: *Potest exponi moraliter de bono Prælato, quem Deus aliquando permittit temporaliter affligi ad augmentum sui meriti, quia tamen ad hoc sequitur frequenter dispersio gregis sequitur, & erunt in omni terra, scilicet Diœcesi dicti Prælati, partes duæ in ea, quia maior pars populi dimittit Prælatum in persecutione tyranni, & tertia pars, id est, minor pars adhærens sibi, quæ cum eo vritur igne tribulationis sicut contigit de Sancto Thoma Cantuariensi, cuius cognatio tota per ipsum de Anglia fuit crudeliter electa.*

Dub. 5. Ad illa verba 2. Nehemiæ 6. vers. 3. *Opus grande ego facio, & non possum descendere.* Cur Nehemias non acquieuit Sanaballat, & Gosiem qui vocabant eum, vt fœdere eis iungeretur?

S. Martinus Epiſcopus Spiritu Sancto intus edocente, intellexit verſutias diaboli.

Respondetur. Quod Sanaballat cum socijs Iudæis ad fœdus insidiosis litteris inuitabat Nehemiam vt sic ædificationem muri impediret, occidendo eum: Nehemias vero cognouit malitiam, & machinationem hostium Samaritanorum aduersus eum, vnde non acquieuit eis, nec voluit descendere, nec secutus est eorum monitiones, imo respuit eas, & excusauit se dicens, quod si descenderet ad eos negligeretur opus, & oportebat portas munire valuis. Spiritus enim Dei sanctum virum intus edocebat, vt malitiam inimicorũ cognosceret. Sic Sanctus Martinus contempsit consilia diaboli volentis eum decipere, & Spiritu Sancto inspirante, eius agnouit dolum. Lyranus: *Per Nehemiam autem, qui malitiam prædictorum cognoscens, verbis eorum non acquieuit, signantur illi qui malitiam dæmonis cognoscentes eius respuunt monitiones. Sicut de B. Martino legitur, quod cum diabolus sibi apparuisset in forma Regis pulcherrimi diademate, & purpura decorati, dicens se esse Christum in mundum venturum sed ei primo volebat apparere, sicut sibi prædilecto, eum deciperet; tunc Martinus eius malitiam cognoscens, dixit: Dominus Iesus Christus non purpuratum, & diademate rententem se venturum prædixit, & tunc diabolus ad hanc vocem confusus recessit, & cellam illam fœtore replenit.*

Dub. 6. Ad illa verba 1. ad Thessalonicenses 2. vers. 1. *Scitis introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit.* Cur dicit Apostolus, quod introitus eius ad eos non fuit inanis? An quia fuit difficilis, cum multas tribulationes passus esset?

S. Martinus fructuoſam fecit Eccleſiam ſuam.

Respondetur. Quod introitus Apostoli ad Thessalonicenses fuit valde fructuosus, & eis vtilis: vnde dicit, quod non fuit inanis, seu infructuosus, quasi indignus esset nomine Prælati, si subditis non fuisset proficuus. Ita S. Martinus

nus fructuosus fuit Ecclesiæ suæ. Hugo Cardinalis: *Non fuit inanis, id est, infructuosus, sed magnum fructum habuit in vobis. Econtra potest dici de introitu multorum Prælatorum, quia inanis est, & sine fructu. Non enim quærunt animas, sed pecunias, intrant non ad implendum subditos, sed euacuandum, & ideo dicitur aduentus inanis, quia animas non ædificant, sed necant. Ioelis 2. Quasi hortus voluptatis terram coram eo, & post eum solitudo deserti. Ipsi habent naturam viperæ, quæ in ortu suo necat matrem sic Prælatus malus in ortu suo, id est, in introitu prælationis, cum iam factus est Prælatus, suo exemplo corrumpit Ecclesiam. Sicut Benjamin in ortu suo, & matrem suam occidit, Genes. 35. Bonorum autem introitus fructuosus est, vnde legitur, quod quando inuentum est corpus Beati Martini floruerunt arbores, & segetes in messem falcæ sunt, in signum, quod fructuosam dum vixerat fecerat Ecclesiam.*

Dub. 7. Ad illa verba, Genes. 3. vers. 15. *Tu insidiaberis calcaneo eius.* Cur diabolus prædicetur calcaneo mulieris insidias posituras?

S. Martynus maximè insidiatus à diabolo in fine vitæ.

Respondetur. Quod calcaneus sicut est extrema pars hominis, ita significat finem vitæ hominis, in quo diabolus fortiter tentat hominem ad decipiendum, sicut Beatum Martinum retinere tentauit, sed nihil in eo suum reperiens, confusus abscessit. Hugo Cardinalis Psalm. 48. vers. 6. *Calcaneus est extrema pars hominis, potest notare finem hominis, id est, mortem. De hoc calcaneo dicitur Genes. 3. Tu insidiaberis calcaneo eius, id est, fini vitæ eius. Tunc enim maximè diabolus insidiatur, vnde & Beato Martino insidiatus est.* Sed nihil in eo reprehensibile inuenit, Psal. 87. vers. 6. *inter mortuos liber.* Quommodo iustus inter mortuos liber? Si hæc intelligantur de Christo, certum est quod fuit in mortuis liber, quia etsi mortuus, liber tamen mortis nexibus, & vinculis fuit, nam potuit non mori, si voluisset, & mortuus resurgere cum voluit: at iustus non potest non mori. Quommodo ergo verificatur, quod liber est inter mortuos? Nimirum quia ita inuita cauerit à culpa, quod in morte à culpa liber est. Hugo Cardinalis: *Inter mortuos liber, id est, ita caueo mihi à peccato, & veniam peto à Deo, quod in morte libero à culpa, & tandem à pœna. Liber fuit Beatus Martinus, qui dicebat diabolo insidianti: Quid hic agis cruenta bestia? Nihil in me funestum reperi.*

S. Martynus in fine vitæ inuentus est irreprehensibilis.

Pro aliquibus Sanctis Doctoribus, & Prædicatoribus.

Dub. 1. Ad illa verba, Exodi 28. vers. 29. *Quando ingredietur Sanctuarium.* Quommodo Deus declarabat Summo Sacerdoti suam voluntatem quado ingrediebatur Sancta Sanctorum?

S. Gregorio Magno S. Ambrosio, & Basilio dictantibus libros visus est super humeros Spiritus Sanctus sub columbæ specie, in signum quod per eos loquebatur.

Respondetur. Quod Sacerdos habebat lapidem Sardonicum in superhumerali, & in dextro humero magnus fulgor apparebat, in signum quod Deus acceptabat sacrificium Summi Sacerdotis: vnde per illum splendorem, qui à populo videbatur in humero dextero Summi Sacerdotis, Dei voluntatem cognoscebat populus. Abulensis: *Iosephus dicebat, quod in Sardonice qui erat in superhumerali in humero dextero tantus radiorum fulgor apparebat, cum sacrificia Deus acceptabat, vt longè existentibus ille notabiliter videretur.* Ita euenichat Diuo Gregorio Magno, & Diuo Ambrosio Mediolanensi, & Senensi, & Diuo Basilio Magno, quod super humeros illorum dextros, siue scribendo, siue concionando, Spiritus Sanctus videbatur sub columbæ specie, ad claram manifestationem, quod erant verba illorum Diuina responsa, & quod Deus per linguas eorum loquebatur.

Dub. 2. Ad illa verba Numeror. 11. vers. 16. *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel quos tu nosti, quod seues populi sint, & Magistri.* Cur necessum erat quod prudentes essent, & Magistri, si eo ipso quod electi erant à populo, & à Moyse confirmati, infundebat eis Deus spiritum propheticum, per quem securi erant, ne in aliquem errorem inciderent?

SS. Doctores ingenij acumine vigebant, ne cum à se loquerentur errarent, & à veritate deficerent.

Respondetur. Quod licet Septuaginta Senes prophetarent secundum spiritum propheticum, tamen multoties iudicaturi erant Rempublicam, non habentes spiritum propheticum, sed ex proprio dictamine, & genio: vnde oportebat quod essent ex se viri prudentes, & magni consilij, ne quando ex se iudicarent, in aliquo deficerent. Abulensis: *Respondeti potest, quod ideo fuerunt isti viri prudentes assumpti, quia quamquam secundum spiritum propheticum prophetarent, aliquando tamen iudicare deberent, non habentes spiritum propheticum.* Ita licet doctrina fuerit reuelata à Deo Sanctis Doctoribus, quis dubitat Diuum Hieronymum, Diuum Ambrosium, Diuum Augustinum, Diuum Gregorium, Diuum Thomam.

Nefas est in disputationē deducere, quæ Sacri Doctores docuerunt, cum sufficiat hoc dixisse vnus ex illis.

Di-

D.Bonauenturam præclaro, & summo ingenio fuisse præditos? Ne quando aliqua ex se docerent, in errorem inciderent. Vnde tanta reuerentia Sacris Doctoribus exhibenda est, quod non est dubitandum de veritate doctrinæ eorum, cum sufficiat illam docere vnus ex Ecclesiæ Doctoribus. Ideo Abulensis in Prologo D.Hieronymi Epist. ad Paulin. fol. 7. littera D. it de Phitagora: *Valerius Maximus, sic ait, Phitagoræ tanta reuerentia ab Authoribus attributa est, vt quæ ab ipso audissent in disputationem deducere nefas putarent, interpellati autem, vt causam redderent, hoc solum respondebant, scilicet, Phitagoram dixisse.* Nefas est impugnare Sacros Doctores, & in disputationem deducere quæ docuerunt, cum sufficiat hoc dixisse, S. Hieronymum, S. Ambrosium, S. Augustinum, S. Gregorium, S. Thomam, S. Bonauenturam.

Dub. 3. Ad illa verba, Iosue 7. vers. 21. *Regulamque auream.* Aliqui reddunt apud Maluendam: *Regulam, Virgam, spathulam gladiolum.* Si erat regula, cur appellatur virga spathula, gladiolus? Regula assumitur ad explorandas longitudines, virga ad percutiendum, spathula, & gladius ad feriendum, cur ergo regula, virga, spathula, & gladiolus dicitur?

Sancti Doctores lingua aurea sunt Ecclesiæ, quæ aliorum mensurat doctrinas, & hæreses interimit.

Respondetur. Quod sub figura linguæ efformatum erat aurum illud, & significat linguam cuiuslibet Sacri Doctoris, quæ velut aurum æstimatur in Ecclesia: congrue ergo lingua aurea, dicitur regula, virga, spathula, gladius, regula quidem, quia per doctrinam Sanctorum Doctorum regulanda, & mensuranda est aliorum doctrina, virga, quia Ecclesiæ inimicos percutit, spathula, quia hæreticos vulnerat, gladius, qui hæreses ferit. Misit enim Deus Sanctos Doctores, vt hæreticos exagitent, errores eliminent, hæreses interimant, aliorum doctrinam mensurent. Maluenda: *Leschon proprie est lingua, sed hic metaphorice accipiendum; aiunt fuisse clinodium, seu ornamentum ex auro instar linguæ formatum. Varie reddunt, linguam, laminam, regulam, virgam, spathulam, gladiolum.*

Dub. 4. Ad illa verba 1. Esdræ 7. vers. 6. *Et ipse Scriba velox in lege Domini.* Cur Esdras dicitur velox Scriba in lege Domini? An quia promptus, & expeditus in exarandis litteris?

Respondetur. Quod Esdras non à velocitate exterioris actus scribendi commendatur, sed à velocitate ingenij, ac doctrinæ in lege Moysis laudatur, vtpote qui respondendo de ijs quæ legis Moysis sunt, promptissimus erat, & in soluendis dubijs velocissimus. Laudatur ergo Esdras de velocitate ingenij in soluendis dubijs circa legem Moysis. Maluenda: *Exponunt, & ipse Scriba festinus, celer expeditus, promptus, non quod manu promptus esset ad exarandas, seu depingendas litteras (quamuis hoc esse potuit) sed quod esset legis Doctor, legis peritus, doctissimus, & exercitatissimus, ingenio & eruditione promptissimus, & peritissimus intelligenda, exponenda, interpretanda Moysis, quasi dicat sacrarum litterarum, & vniuersæ legis Dei doctissimus Interpres.* Quam festinus D. Hieronymus in interpretanda Sacra Scriptura! Quam celer D. Ambrosius in eius expositione! Quam expeditus D. Augustinus in interpretatione! Quam promptus D. Gregorius in eludidatione sensus moralis! Quam velox D. Thomas in soluendis dubijs, quod, & de D. Bonauentura dicam. Sancti enim Doctores, tam præstantes erant ingenij, quod velocissimi fuerunt in soluendis Sacræ Scripturæ dubijs.

Sancti Doctores tam præclari fuere ingenij, quod velocissimi fuerunt in soluendis dubijs Sacræ Scripturæ.

Dub. 4. Ad illa verba, Apocalipsis 2. vers. 28. *Et dabo illi Stellam matutinam.* Cur Dominus promittit Ecclesiæ suæ Stellam matutinam? Quænam fuit hęc Stella?

D. Gregorius Magnus datus Ecclesiæ non à casu, sed à consilio Dei.

Respondetur. Quod Stella matutina, id est, Lucifer vigil est, & magna inter Stellas, & significat D. Gregorium Magnum. Hunc ergo Dominus promisit Ecclesiæ suę, vt eam illuminaret quasi non à casu, sed ex Dei consilio datus sit Ecclesię vigil Pastor, & Magnus Doctor. Hugo Cardinalis: *Stella matutina fuit. Diuus Gregorius ad litteram, qui in fine illius status natus est. Hunc dedit Dominus Ecclesiæ ad illuminationem eius. Dat ergo Dominus Ecclesiæ Stellam matutinam, quando Magnum, & Vigilem Doctorem excitat, & suscitat, qualis fuit. Diuus Gregorius: sic enim accipitur hic ad litteram 2. Paralipom. 9. Quia enim Deus diligit Israel, & vult saluare eum in æternum, idcirco posuit te super eum Regem.*

Dub. 5. Ad illa verba, Leuitici 1. vers. 2. *Loquere filijs Israel, & dices ad eos.* Quommodo tanta, & tam dilecta multitudo ad audiendum vocem vnius viri congregari potuit?

Respondetur. Quod vniuersus popu-

S. Ludouicus Bertrandus S. Vincentius Ferrer super naturaliter audiebantur à quibus naturaliter audiri non poterant.

pulus congregatus fuit simul ad audiendam legem, cæremonias, & præcepta, quę illi ex parte Dei Moyses proponebat, & licet videretur impossibile, quod à tanta hominum multitudine posset audiri, illud quod impossibile erat virtute naturali, virtute Diuina fiebat propter Dei honorem, & æstimationem legis, quam declarabat, & simul in testimonium sanctitatis sui ministri. Supernaturaliter enim confortabatur vox eius, vt a distantibus audiretur. Abulensis: *Dicendum est, quod tota multitudo Hebræorum, & Ægyptiorum ascendentium cum eis simul congregata, poterat audire vocem Moysi, quoniam licet Moyses non sufficeret secundum tenorem vocis suæ, ita vt audiretur à tanta multitudine, tamen Deus supernaturaliter confortabat vocem eius, & eam claram, & sonantem efficiebat, ita vt à tota multitudine faciliter audiretur.* Ita S. Ludouicus Ord. Prędicat. à maximâ hominum multitudine, & discorde apud Indos audiebatur, & intelligebatur, quia licet naturaliter vox nequiret audiri, aut intelligi à tanta multitudine, & discorde, supernaturaliter tamen confortabatur vox eius, vt audiretur, & intelligeretur. Diuus quoque Vincentius Ferrer eiusdem Ordinis, quando prædicabat, ab omnibus audiebatur, & intelligebatur à quibus naturaliter, aut propter distantiam magnam, aut ignorantiam linguæ in qua loquebatur, intelligi nullatenus poterat, supernaturaliter Deus eleuabat vocem eius, & contemperabat faciem doctam sonantem, & suauem, & intelligibilem, vt tanta centena millia vocem vnius clare, & distincte, & dulciter audirent.

Dub. 6. Ad illa verba, Psalm. 18. vers. 4. *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* An diuersitas linguarum, qua Euangelium omnibus gentibus per Apostolos fuit prædicatum, esset ex parte audientium, vel prædicantium?

S. Vincentius Ferrer vernacula lingua suæ gentis prædicans ab omnibus clarissime intelligebatur.

Respondetur. Quod Apostoli vnam linguam Hebræam loquebantur, & omnes, qui eos prædicantes audiebant, eam intelligebant tanquam linguam propriam, vnde ex parte audientium erat diuersitas linguarum, quia cum omnes Nationes haberent propriam linguam, omnes tamen intelligebant Hebraicam. Hoc enim donum à Spiritu Sancto obtinuerunt Apostoli, quod loquentes vna lingua Hebręa, ab omnibus diuersarum linguarum intelligebantur. Incognitus: *Quod ex parte audientium, quia quamuis Apostoli solum linguam vnam, scilicet, Hebraicam loquerentur, tamen illam omnis natio vt propriam intelligebant. Sicut enim per vnam, eandemque litteram diuersi diuersa intelligunt, vt puta, nos intelligimus, medium, & Græci finem, & geometra figuram circularem, sic per eandem vocem Apostolorum diuersæ Nationes proprium idioma intelligebant. Consimiliter, quando Scribæ adduxerunt ad Christum mulierem in adulterio deprehensam: & Christus inclinans digito scribebat in terra: dicitur quod quasdam litteras faciebat, per quas quilibet illorum peccata suæ cognoscebat, propter quod confusi vnus post vnum exibat.* Ita D. Vincentius Ferrer nactus fuit illud mirabile Spiritus Sancti donum, vt vernacula suæ gentis lingua apud diuersissimas Nationes prædicans, ab omnibus clarissime intelligeretur.

Dub. 7. Ad illa verba, Isaiæ 42. vers. 2. *Non clamabit.* Cur dicit Isaias de Christo, quod non clamauit, cum *Ioannis 7. vers. 37.* dicat Euangelista de eo, clamabat dicens: *Si quis sitit, veniat ad me*, ergo Christus clamauit.

S. Antonius Paduanus, D. Ambrosius Senensis impetu, & spiritu salutis animarum rapiebantur.

Respondetur. Quod non clamauit clamore contentionis, & iracundiæ, sed clamore charitatis, qua accensus, & feruidus erat, docens homines veritatem, feruide, & vehementer plenus spiritu prædicabat. Hugo Cardinalis: *Est clamor veniens ex impetu contentionis, & est clamor proueniens ex feruore charitatis de primo dicitur hic, de secundo Ioannis 7.* Ita Sancti Prædicatores suam administrationem peregerunt impetu charitatis ducti, inuehebantur ardore spiritus in scelera, sicut D. Antonius Paduanus, D. Ambrosius Senensis, S. Petrus Telmo, & alij qui feruidi fuerunt, & ardore, incendioque salutis animarum inflammati.

Pro aliquibus Virginibus.

Dub. 1. Ad illa verba 2. Machabeor. 1. vers. 21. *Non inuenerunt ignem, sed aquam crassam.* Inter festa particularia quæ Iudæi celebrabant vnum erat de conuersione ignis in aquam, & de aqua in ignem. Cur pro conuersione hac festum agebant speciale Iudæi?

S. Castidę specialis laus honor, & memoria debetur propter conuersionem panis in rosas

Respondetur. Quod cum in Persidem duterentur Iudæi Sacerdotes qui tunc cultores Dei erant, acceperunt ignem de Altari, & occulte absconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & sic-

eus, & in eo conturati sunt eum. post septuaginta tamen annos Nehemias misit nepotes Sacerdotum illorum, qui absconderant, & non inuenerunt ignem, sed aquam crassam, postea accensus est ignis magnus, & in hoc patuit miraculum, quod ignis conuersus fuit in aquam, & rursus aqua in ignem. Vnde in memoriam huius miraculi festum celebrabant Iudæi. Abulensis Leuitici 23. *Erat aliud festum de igne, quando venientibus de captiuitate Babylonica Iudæis ignem Altaris per septuaginta annos in puteo latentem in aquam crassam conuersum inuenerunt, quæ postea rursus in flammas accensa cremauit omnia sacrificia imposita super Altare, & lapides Altaris. De hoc habetur 2. Machabeor.* 1. Cum S. Catilda: panem adferret Captiuis Christianis, interrogata à patre quid portabat in gremio, dixit quod rosas gerebat. Ideo ei debetur specialis laus, & honor propter conuersionis panis in rosas.

Dub. 2. Ad illa verba, Isaiæ 56. vers. 5. *Dabo nomen melius à filijs, & filiabus.* Alij legunt: *Et nomen melius quam filiorum, aut filiarum.* Cur Dominus dicit Eunuchis iustis, quod dabit illis nomen melius quam filiorum, & filiarum? An esse patrem, & genitorem non est nomen bonum, cum Deus instituerit matrimonium pro generatione filiorum?

Præstantius est esse Virginem, quam coniugatam.

Respondetur. Quod licet esse patrem, aut matrem sit laudibile, cum Deus nuptias approbauerit tamen præstantius est, & excellentius esse cœlibem, & virginem. Hinc Deus consolatur Eunuchos iustos, quod dabit eis nomen melius à filijs, & filiabus, quia virginitas, & cœlibatus præstantior est matrimonio. Maluenda: *Aptius exponitur, nomen præstantius cœlibatus, & virginitatis, quam sit patris, & genitoris filiorum, & filiarum. Nam proculdubio ad hunc Isaiæ locum videtur alludisse Christus. Matthæi 19. vers. 12.* Hugo Cardinalis: *Et nomen melius à filijs, & filiabus, quia melius, & nomen continentis, quam coniugati, Virginis, quam patris, vel matris. Ecclesiast. 26. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* S. Lucia, S. Vrsula, S. Chatarina, & aliæ respuerunt nuptias, virginitatis, integritatis, castimoniæ laude commendantur, quia elegerunt, quod præstantius est, & excellentius.

S. Lucia, S. Vrsula, S. Chatarina excellentius nomen habent, quam patres, & matres.

Dub. 3. Ad illa verba 1. ad Corinth. 7 *Quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Legit Cajetanus: *Sed ad decorum, & assidendum Domino sine distractione.* Cur dicit Apostolus, quod quæ de virginitate loquitur, honesta sunt, & decora, & ad assidendendum Deo sine distractione? An coniugalis status non est honestus, & in illo non potest homo orare Deo?

Respondet. Quod licet status coniugalis sit honestus, est tamen minus honestus, similiter licet in illo statu possit homo assidere Deo, tamen est cum impedimento, quia quæ nupta est, cogitat quæ mundi sunt, & quomodo placeat viro, curatque de filijs, de regimine domus, & huiusmodi: at vero Virgines sine impedimento Domino seruiunt, nullis curis distrahuntur. Hinc dicit Apostolus, quod Virginitas facultatem præbet sine impedimento ad seruitium Domini. Virgines enim Deo attentius vacant. Cajetanus: *Per quæ significatur, quod abstinere à coniugio nullum est indecens, sed decorum & præter hoc est vtile ad continuam assiduitatem sui ipsius coram Domino sine distractione, sine retractione, quam patiuntur coniugati, quos oportet retrahi à curis consequentibus coniugium, quos est impossibile assiduamente vacare ijs quæ sunt Domini: cum oporteat eos cogitare quomodo placeant sibi in vicem.* Ita S. Agnes, S. Teresia, S. Rosa, S. Clara, S. Magdalena de Pacis à rerum cœlestium contemplatione non ab ducebantur, nec earum mens se effundebat, sed assidua mente Deo vacabant. Vnde elegerunt statum continentiæ, vbi est maius commodum, & liberior facultas seruiendi Deo.

S. Agnes, S. Theresia, S. Clara, S. Rosa, S. Magdalena de Pacis Deo attentius vacabat.

Dub. 4. Ad illa verba, Psalm. 103. vers. 5. *Fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in sæculum sæculi.* D. Basilius: *Miraculum miraculo excipitur.* In quo apparet miraculum, & potentia Dei fundantis terram? An quia post sæculum expurgata, & in meliorem formam redacta, perpetuo mansura est, vt Theologi docent? Quod ergo miraculum fuit fundare terram stabilem?

Respondetur. Quod terra immota manet iacens super aquas fluidas, & instabiles. Hinc opus miraculosum est in quo Diuina manifestatur potentia, fundare terram cum tanta stabilitate, quod super fluxibiles aquas maneus, non vacillat, nec labitur. Titelmanus: *Sic ad mirabili potentia, & sapientia in medio totius mundi alis machinæ constituisti super aquas tantum pondus terræ,*

S. Virgines Chatarina, Lucia, Agnes, Margarita, stabiles in virginitate, ita vt dimoueri eas non possent tyranni.

quasi centrum immobile: ita vt iacens super aquas elementum maximè fluidum, & instabile, nunquam tamen subsidat, nec immergatur in aquas, neque se vertat aliquando de parte vna in alteram, quommodo aqua hac illac que fluit, & refluit. Dei potentia ostensa fuit in S. Agatha, Chaterina Martyre, Margarita, Lucia, Vrsula, in hoc quod fecit eas ita stabiles, & immobiles, quod nec blanditijs, nec terroribus, nec promissis à proposito colendæ virginitatis dimoueri potuerunt.

Dub. 5. Ad illa verba, Iudic 11. vers. 36. *Fac mihi secundum, quod pollicitus es.* Inquires, an Iepthe immolauit filiam suam Deo? Videtur quod sic, nam S. Athanasius in Synopsi, ait: *Iephte filiam in occursum progressam immolandam occidit*, idem *D. Hieronymus, lib. 1. in Iouinianum*, & *D. Ambros. lib. 1. Officiorum.* Et alii multi, qui reuera cruento holocausto fuisse immolatam existimarunt. Alii vero non reali sacrificio mactatam, & crematam, sed Deo tantum consecratam, & Nazaræam factam docent ex Hebræis multi, ex nostris *Pagninus, Lyranus, Arias Montanus*, quam sententiam Maluenda probabiliorem reputat, quasi tam grata fuerit Deo virginitas filiæ Iepthe consecrata Deo, extincta in ea omni spe prolis, ac si cruento holocausto fuerit immolata. Virgines enim suam virginitatem Deo in perpetuum consecrantes, acceptæ sunt Deo, ac si se ipsas Deo reali sacrificio immolarent: Iosephus: *Quod vouisti pater, me sanctam fore Domino. Conditionem accipio: id ego quoque voueo, & me à potestate patria emancipatam Deo soli mancipo. Sic illa ratum effecit votum patris, & vltro stabilit, se in perpetuum quasi Naziræam futuram Domini. Nam quod de humano sacrificio quidam interpretati sunt, neque hac delectetur Deus, nec sensit hoc Iepthie fides. Etenim Deus prohibet eam, & damnat. Deuteronomij 12. vers. 31.* Ita S. Virgines Chaterina Senensis, Rosa, Theresia, Clara gratum sacrificium de se Deo obtulerunt, cum vltro virginitatem suam perpetuam Deo sacrarunt.

Virgines virginitatem suam Deo in perpetuum consecrantes acceptæ fuerunt ei, ac si se ipsas reali sacrificio immolarent Deo.

FINIS.

Explicit liber tertius Conceptuum Prædicabilium pro Festiuitatibus Domini nostri Iesu Christi, Beatissimæ Virginis Mariæ, & Nonnulis Sanctorum.

ELENCHVS PRO CONCIONIBVS DE TEMPORE,

Littera F. Folium. Littera D. Dubium indicant.

Dominica 1. Aduentus, Lucæ 21. Vers. 25.

Erunt signa in Sole & Luna, & Stellis. D. Thomas *Triplex creatura conuenier ad punitionem malorum, scilicet spiritualis corporalis, & composita: spiritualis Angelus, composita homo corporalis vero duplex superior, & inferior, superior corpora cœlestia, inferior elementa. Ostendit ergo Dominus in Euangelio hoc quod mali recipient pœnam, à Domino ab Angelis, a corporibus cœlestibus, ab elementis & a seipsis.* Quia enim Deo non obedierunt homines, omnes creaturæ contra eos pugnabant, fol. 29. dub. 92. fol. 108. dub. 55. Et offenso Deo omnes creaturæ contra Dei offensores insurgent, fol. 127. dub. 7.

Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis. Thomas Trugillo: *Quamuis isti planetæ non peccauerint, tamen puniuntur, quia peccatoribus seruierunt. Considera quantum Deus odiet peccatum: peccatum enim damnat, instrumentum etiam peccati.* Deus irascitur creaturis quæ seruierunt peccatori fol. 89. dub. 99. Seruiet quoque Deus in instrumenta quæ fuerunt peccati, fol. 84. dub. 78. fol. 295. dub. 7.

Arescentibus hominibus præ timore. Homo cum incipit vivere, incipiat timere Diuinum iudicium, f. 77. dub. 51 6. R. Sed heu, quod diabolus conatur eripere à nobis metum in Deum, fol. 42. dub. 42.

Præ timore. Timorem nobis incutit Dominus, quia Deus amandus, & timendus, fol. 1. dub. 3. Vnde homo ex Dei timore diligenter exequetur Diuina præcepta, fol. 334. dub. 3. Sed non sit: seruilis, sed filialis, qui præ cæteris virtutibus vtilior est ad incipiendam virtutem, progrediendum in ea, & ad perfectionem perueniendum, fol. 335. dub. 6.

Præ timore. Carthusianus: *Timor erit in cunctis hominibus, præsertim in iustis, quos extrorsus tot portenta accusabunt, interius vero eorum conscientia arguet.* Mali quia stimulis conscientiæ agitabuntur, Iudicem timebunt, fol. 80. dub. 61. Vnde qui adstabunt ante Iudicem, curent modo à remorsu conscientiæ liberari, fol. 180. dub. 7. Nam in illo periculo, conscientiæ remorsu torquebuntur: tunc enim peccata in memoriam venient, fol. 179. dub. 2. At bona conscientia testimonium dabit Iustitiæ coram Deo, fol. 180. dub. 5. Perfruenturque tunc requie, fol. 126. dub. 29. Quia qui in gratia est nihil timet, secus qui est in peccato, fol. 66. dub. 10.

Præ timore. Licet mali multis tunc præmantur malis, tamen propter malam conscientiam grauiora timebunt, quam patiantur: fol. 115. dub. 86.

Præ timore. Omnes debent timere districtum iudicium, maximè Prælati, quia reddent rationem non solum pro se, verum pro subditis, fol. 106. dub. 64.

Præ timore & expectatione. Ordinat Dominus, quod permixtus sit timor expectationi, vt inter timorem, & spem viuat peccator. Inter metum enim, & fiduciam Iustitiæ, & misericordiæ Diuinæ gradiendum est, fol. 42. dub. 42.

Tunc videbunt filium hominis. Tunc facies Christi iustis erit iocunda, peccatoribus terribilis, fol. 113. dub. 75. Formidabile nque se ostendet mandatorum suorum transgressoribus, fol. 189. dub. 8.

Tunc videbunt filium hominis. Seuerum, & rigidum, vt qui misericordia Dei abusi fuerunt in præsenti, in futuro experiantur seuerum Iudicem, fol. 260. dub. 4. fol. 189. dub. 8.

Cum potestate magna. Vt reddat vnicuique secundum opera sua, nam omne bonum suum præmium tunc consequetur, sicut omne malum sua pœna punietur, fol. 103. dub. 28. Et quælibet persona particularis præmiabitur, vel punietur pro propriis meritis, vel demeritis, non pro alienis, fol. 307. dub. 2. Quia non erit rectum iudicium, si boni non præmientur, & mali non puniantur, fol. 303. dub. 4.

Tunc videbunt filium hominis venientem cum potestate. Quia non respiciet personas, sed merita, vel demerita, fol 81 dub. 1. Et Diuina Iustitia omnes cuiuscumque conditionis personas inuadit, fol. 96 dub. 127. 5. Respondet. Nec procedet incitato reo, fol. 80. dub. 58. Nec incognita causa sententiam proferet, fol. 83. dub. 72. Nec peccatum, quod non scit iudicialiter, iudicialiter examinabit, ibi. dub. 73.

2. Resp. Sed omnia disponet non ex amore erga iustos, nec ex odio erga peccatores, sed ex meritis, & ex rationis iudicio, fol. 96. dub. 126. Ideo peccatores his auditis, confitemini peccata vestra, quia qui peccatum suum confitetur antequam in iudicium vocetur, peccatum multum diminuit, fol. 82. dub. 71.

Ite maledicti in ignem æternum. Christus non Leui de causa, sed propter transgressionem præceptorum irascetur, fol. 188. dub. 6.

Ite maledicti in ignem æternum. De pœna ignis æterni admonentur mali, vt modo abstineant à culpa, quia timor pœnæ à culpa retrahit, fol. 116. dub. 87. Et vbi maior timor pœnæ, maior est à culpa continentia, fol. 70. dub. 23. Vel punitionem malorum prædicit, quia Deus ante denuntiat, quam puniat, fol. 77. dub. 51. 6. Resp. Et Prædicatores solatij sunt, cum mala malis ad eorum pœnam, bona bonis ad eorum consolationem ventura hodie annuntiant, fol. 127. dub. 32. 4. Resp. Vel minas denuntiat Dominus, ne Deum offendamus. Minis enim insequitur eos qui parati sunt Deum offendere, vt absterreantur ab offensa. fol. 275. dub. 1. Ideo Deus consuevit ante culpam, pœnam designare, vt per anticipatam pœnam, culpam futuram deuitet, fol. 50. dub. 75. Qui vero minas Dei non timet, tunc punietur à Deo, fol. 334. dub. 5.

Ite maledicti in ignem æternum. Cum Christus sententiam protulerit, nullus sanctorum orabit pro malis, cum nullam habeant excusationem, quam apponant sancti pro peccatoribus Diuino iudicio, fol. 294. dub. 5. De pœnis inferni. Vide *Infernus*, fol. 232.

Dominica 2. Aduentus. Matth. 11. Vers. 2.

Ioannes autem in vinculis. In carcere erat S. Ioannes, sed non supprimebatur aduersus. Quia labores licet impetant iustum, non tamen eum extinguunt, f. 40. dub. 32. Imo sunt exercitamentum virtutis, fol. 91. dub. 105. Vnde ad custodiam virtutis ordinauit Deus aduersitatem S. Ioannis, fol. 135. dub. 7. Hac ratione securus fuit in aduersis, fol. 11. d. 32. Vel in vinculis erat non à casu, quia ex Dei prouidentia eueniunt, fol. 134. dub. 1. Ideo consolantur iusti, quia iusto Dei iudicio eueniunt. fol. 135. dub. 5.

Ioannes autem in vinculis. S. Ioannes in amicitia Dei erat, & in vinculis detinebatur, quia Deus speciales amicos suos aduersis exagitat, fol. 136. dub. 11. Vt per afflictiones melior redderetur. Nam aduersa quæ patiuntur iusti, meliores reddunt eos, fol. 284. dub. 5. Imo innocentibus sunt ad coronam, fol. 282. dub. 1. Et nota patientiam S. Ioannis, qui non conqueritur in vinculis, vt Deo placeret. Delectatur enim Deus, cum iustus sustinet patienter aduersa, fol. 135. dub. 8. Ideo patientiam S. Ioannis in aduersis constituti imitemur: patiuntur enim iusti, vt imitemur eorum patientiæ. fol. 284. dub. 5.

Ioannes in Vinculis. Herodes in vincula coniecit S. Ioannem, quod valde vtile fuit ei, quia melius est homini vexari à malis, quam ab illis liberari, fol. 13. dub. 7.

Ioannes in Vinculis. Nec tamen Discipuli eum deserebant in aduersitate constitutum, quia eum diligebant; cum homines in amore sint instabiles: in prosperitate enim permanent, in aduersitate recedunt, f. 137. d. 8.

Mittens duos. In hoc, quod duo erant inter se concordes ostenditur eorum perfectio, quia noua perfectio hominibus ex aliorum consortio, & vnitate accrescit, f. 31. d. 105. Imagoque Dei relucet in concordia duorũ, f. 55. d. 92. 2. R. Concordiaque duorum à gratia Dei venit, f. 64. d. 129. Commendabilisque maximè est concordia multorum, licet inter se repugnantium, f. 31. d. 102. At amicitia malorũ dirimẽda est à Prælato, f. 86. d. 86.

Mittens duos. Vt interrogarent, an Christus esset Messias, an alius expectandus, quod magnum negotium erat? Nam iusti melius negotia magni ponderis agunt, quam omnes de populo, fol. 243. dub. 4. 2 Resp.

Mittens duos. S. Ioannes Discipulos habebat virtute pollentes, vt dignitas S. Ioannis ostendatur. Dignitas enim Prælati non est pensanda à numerositate subditorum, sed à subditorum maiori perfectione, f. 192. d. 4.

Mittens duos. D. Chrisost. *Vt in suspicabilis interrogatio fieret.* S. Ioannes duos tantum mittit è suis Discipulis, quia forte isti sapientiores erant, & ex rebus visis seduci non poterant. Sapientes enim viri fallaciæ expertes sunt, secus insipientes, fol. 73. dub. 40.

Mittens duuos. D. *Chrisost. Vt ex rebus ipsis discerent distantiam inter ipsum, & Iesum.* Isti Discipuli sapientes erant, & visis Christi miraculis valebant cognoscere distantiam quæ erat inter Christum, & Ioannem: oportet enim cognoscere, quod Prælatus loco, & præeminẽtia diuisus est à subditis, f. 12. d. 34.

Mittens duos. Sciebat S. Ioannes Christum esse Messiam, tamen mittit Discipulos, vt interrogent an sit Messias, quia quæ audimus, & à nobis credenda sunt, examinanda sunt, nec standum est proprio iudicio, f. 74. d. 41.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus. Caiet. *Constat enim Discipulos Ioannis minus benè sensisse de Iesu, tum ex eo, quod ante quam Ioannes mitteretur in carcerem, liuore tacti dixerunt Ioanni de Christo. Rabbi qui erat tecum trans Iordanem.* Inuidi erant Discipuli, & ignorabant, quis Christus esset: inuidia enim excæcat hominem, vt non cognoscat excellentiam eius, cui inuidet, f. 239. dub. 7.

Renuntiate Ioanni quæ audistis, & vidistis. Caietan. *Respondet Iesus non testimonio Verborum, sed factorum, vt referendo Ioanni,*

mi-

miracula, conuincantur à Ioanne ex ipsis miraculis, & non dubitent ipsum esse verum Messiam. Dominus voluit renuntiari Ioanni miracula quæ faciebat, vt plenitudinem eius Diuinitatis agnoscerent, cuius præclarus index est beneficientia. Benefacere enim insigne Diuinitatis est, fol. 5. dub. 14. 3. Resp.

Cœpit dicere de Ioanne S. Ioannem non homo, sed Christus laudat, vnde carpendus non erat à turbis S. Ioannes, cum laudetur à Christo viro præexcellenti, fol. 8. dub. 25. Laudaturque secundum ea quæ merita eius exigunt, fol. 247. dub. 2. Laudatus tamen se humiliat, cum alij ex laudibus superbiant, fol. 32. dub. 106. fol. 9. dub. 27. 2. Resp.

Cœpit dicere de Ioanne. Christus laudat Ioannem sine diminutione tamen aliorum, fol. 247. dub. 1. Cum soleat laudari homo facta comparatione alterius ad alterum, ibi.

Cœpit dicere de Ioanne. Vt laudata eius virtus ad alia excitaretur, nam opera laudata incitamenta sunt ad alia operanda, fol. 8. dub 25. Laus quoque excitat generosum virum ad virtutum opera, fol. 247. dub. 5. Nec cum exaggeratione laudatur, cum multi cũ exaggeratione laudibus efferantur, ibi. dub. 4.

Arundinem vento agitatam. Commendat Dominus S. Ioannem de constantia, quia aduersitate, non mutauit S. Ioannis fortissimum animum, sed in eodem statu permansit, fol. 134. dub. 3. Vnde extenuaretur eius opinio, si in virtute constans non esset, fol. 20. dub. 62. 2. Resp. Nec dicenda est virtus, quæ constans non est, fol. 344. dub. 5. Ideo in aduersis à virtute non recidit, fol. 135. dub. 9.

Mollibus vestitum. Non indutus fuit mollibus qui vestimentum de pilis camelorum habuit, & si modo mollibus vestiretur, suspicioni subiaceret repentinus ornatus, & splendor, fol. 17. dub. 48.

Plusquam Propheta. A prophetia commendatur licet de virtute fuerit laudatus, quia cuiuslibet viri obscura laus est, sine scientiarum encomio, fol. 8. dub. 26. Et scientia inter omnes huius mundi diuitias prætiosior æstimatur, fol. 71. dub. 27.

Dominica 3. Aduentus, Ioann. 1 vers. 19.

Miserunt Iudæi à Ierosolimis. Hugo Cardinalis: *Miserunt Iudæi à Ierosolimis vbi consilium, & iudicium habebatur, & ideo ibi erant homines sapientiores, & astutiores. Et quos miserunt? Sacerdotes sapientes in lege.* A primaria Ciuitate, in qua erant sapientiores, qui ratione duce, & sapientia cuncta gubernare videbantur, miserunt Iudæi Sacerdotes in lege sapientes ad Ioannem, innuentes quod ductu rationis, & sapientiæ mouebantur ad mittendam legationem. Sapientia enim, & Iudicio omnia disponenda, & agenda sunt, fol. 1. dub. 1.

Miserunt Iudæi. Contra naturam se ingerebant negotio spirituali, quale erat offerre dignitatem Messiæ Ioanni. Contra naturam enim est, quod sæculares spiritualibus negotijs, & Sacerdotes sæcularibus se ingerant, fol. 22. dub. 69. 3. Resp.

Miserunt Iudæi Sacerdotes, & Leuitas. Qui principaliores erant in populo, & pro re magni ponderis qualis erat hæc, principaliores sunt designandi, fol. 243. dub. 4. 3. Resp. Vel Sacerdotes, & Leuitas mittunt, qui prudentiores erande populo, & experti in negotius. Experientia enim docet qualiter homo prudenter regerat, fol. 313. dub. 5.

Ad Ioannem. Ioannes erat ex Tribu Leuitica, & non poterat esse Messias, qui ex Tribu Iudæ vaticinatus erat, tamen Iudæi Ioannem volunt eligere Messiam, quia Ioannes erat eorum consanguineus. Multoties caro, & sanguis constituit Prælatum, fol. 27. dub. 87. Vel Iudæi quia superbi erant, volebant auferre dignitatem Messiæ Christo, & deferre eam Ioanni. Superbia ita excæcat hominem, quod homo ratione non ducitur, nec quod rectum est iudicat, fol. 329. dub. 3.

Ad Ioannem. Gistandis: *Cur potius existimabant Ioannem esse Messiam quam Dominum Iesum Christum? Propter habitus asperitatem, quia Ioannes erat indutus de pilis camelorum, id est, vestibus de pilis camelorum contextis: Iesus autem ferebat vestes communes.* Ioannes putabatur pauperior Christo, & Christo præponere volebant. Pauper enim omnibus antefertur, f. 99. dub. 12. Vel volebant in dignitatem Messiæ euchere S. Ioannem virum prudentem. Prudens enim euehendus est ad honores, & dignitates, fol. 312. dub. 4.

Non sum. Munus Messiæ erat redimere, & saluare, quod agere non poterat S. Ioannes: pulchrè ergo dignitatem recusat, vt doceat homines, quod qui non habent ea, quæ sunt necessaria ad dignitatem, debent eam subter fugere, fol. 192. dub. 3. Vel dixit *non sum*, offerebatur S. Ioanni dignitas, & eam non acceptauit, nec desiderauit. Iustus enim non solum fugit dignitatem verum voluntarem ad eam, fol. 148. dub. 9. Vel dixit, quod non erat Christus, ne videretur præiudicare honori Christi, fol. 389. dub. 2.

Non sum ego Christus. Hugo Card. *Et confessus est publicè, & non negauit veritatem & tantum valet, quantum illud, & confessus est quia non sum ego Christus, vt quidam vestrum opinantur.* Confessus est, inquam, veritatem, & non negauit vsurpando sibi Diuinum officium, quod esset negare ipsum Christum, qui est ipsa veritas, & confessus est veritatem, quia non sum ego Christus. Homo enim ad veritatem natus est, & per veritatem Deo est similis, fol. 25. dub. 79.

Elias es tu? Propheta es tu? Non. S. Ioannes negat se esse Eliam, & Propheram, & tamen à Domino vocatur Elias. Matthæi 11. vers. 14. *Si vultis recipere ipse est Elias*, eum quoque Propheram appellat Matth. 11. vers. 19. *Et plusquam Prophetam* de se ergo negat esse Eliam, & Prophetam, quia iustus excellentiam suam occultat, fol. 245. dub. 12. Vel dicit, quod non est Propheta, licet plusquam Propheta esset, quia iustus se ipsum non laudat, fol. 247. dub. 3.

Propheta es tu? Nō. S. Ioannes elevatus erat à terrenis, & se ipsum cognoscebat, fol. 22. dub. 71.

Elias es tu? Propheta es tu? Hugo Cardinalis: *Putabant enim aliqui Iudæi ipsum esse Eliam propter nimiam abstinentiam, & continentiam, & vitam solitariam, & liberam delictorum reprehensionem.* Qui alicuius exprimit similitudinem in moribus, putatur esse eum quem imitatur. Vnde peccatores belluinis nominibus nuncupantur, quia belluas imitantur, fol. 118. dub. 95.

Elias es tu? Propheta es tu? Cum Ioannes non solum esset Propheta, sed etiam plusquam Propheta. At cum negat id quod erat, inde maximè sublimatur plusquam id quod erat, vt Angelus diceretur. Curat enim Deus exaltare iustum, fol. 243. dub. 2. Vnde quo magis se deprimit homo, eo exaltabitur, fol. 227. dub. 7. Et præmium humilitatis est elevari ad id, quo indignum se reputabat humilis, fol. 227. dub. 1. 3. Resp. Infine.

Ego vox. A Sacerdotibus offerebatur Ioanni Diuinitas, noluit tamen eam admittere, vt persisteret in sua sphera. Nihil enim excellentius est, quam dum quilibet conseruat ordinem suum, in eoque se continet, fol. 32. dub. 1. *Vide Domin. 2. Quadragesimæ: Faciamus tria tabernacula in fine.* Vnde qui supra se extollitur, infra se deijcietur, fol. 85. dub. 79.

Ego vox. Non dixit ego sum Ioannes, sed ego vox clamantis: clamant enim opera iustorum, & se ipsa nuntiant, nec nomine indigent, vt cognoscantur, qui vel quales sint, fol. 21. dub. 67.

Ego vox. Verba sunt humilitatem significanti: quid est enim vox nisi aer sonans: benè ergo dicit se esse vocem humilitatis causa, quia humilitas iustum sustentat, & conservat, fol. 226. dub. 5. Vel prudenter. Resp. *Ego vox*, humilitatis causa, quia sine prudentia, virtus moralis nulla esse potest, fol. 312. dub. 1.

Ego vox clamantis. Non dixit ego vox clamans, sed officium suum exposuit, quod erat vox Christi, vt non sibi, sed Christo, cuius legatione fungebatur, tribueret. Vere humilis quidquid agit, non sibi, sed Deo tribuit, fol. 225. dub. 2. 2. Resp. Vel dicit se esse vocem clamantis, id est, Christi, quia Prædicatores scientiam suam debent Christo referre, & attribuere, fol. 54. dub. 87. 5. Resp. Vel ideo dicit se esse vocem Christi, vt ostendat se idoneum, & fidelem ministrum in prædicanda veritate, cum non gloriam suam, sed Dei potius quærat, fol. 194. dub. 6.

Ego vox. Ab vtilitate quam prædicatione afferebat mundo nominatur, quia boni ab vtilitate quam afferunt, mali à damno, quod inferunt, nomen sibi accipiunt, fol. 269. dub. 1.

Ego vox. Hugo Cardinalis: *Non respondet Ioannes propriam nominationem, neque genus, neque patriam, vt diceret ego sum, Ioannes filius Zachariæ Pontificis de Ierusalem, sed ego vox.* Dicens se esse vocem nomen humile elegit, & excellens quale erat nomen *Ioannes* tacuit, ne duceretur vana gloria. Humilis præstantissimum nomen tacet, & humile eligit, vt vanam gloriam fugiat, fol. 336. dub. 4.

In deserto. Diuus Thomas: *Vt in deserto manens immunis esset ab omni peccato, vt sic dignior esset Christi testimonium ferre, & ex vita sua testimonium suum credibilius esset hominibus.* Optimus erat Ioannes prædicator, cui prius vitæ sanctæ, deinde sanæ doctrinæ intendebat, fol. 195. dub. 8. Egregius erat prædicator, qui prius puritatem curabat in se, qui alios mundaturus erat, fol. 6. dub. 18. Vnde ita virtute pollere debet prædicator, quod Christi similitudinem referat, fol. 56. dub. 93.

Quid ergo Baptizas. Caietanus: *Interrogauerunt eum, & dixerunt, vt intelligamus, quod non ex commissione mittentiū sed ex proprio sensu subiunctam interrogationem fecerunt: commissum enim erat eis, vt interrogarent, Tu quis es? Et non, vt arguerent de Baptismo.* Acceptam manum à Iudæis, legari pro libito extendunt, nec scientes voluntatem mittentium Iudæorum, interrogant quid ergo baptizas? At optimus minister Principis, manum acceptam à Principe, non pro sua voluntate, sed pro voluntate Principis extendit, vel non extendit, fol. 48. dub. 68. 3. Resp.

Quid ergo baptizas. Diuus Thomas: *Videbant multitudinem populi ad Ioannem concurrere propter nouum ritum baptizandi, & extraneum à vita Phariſæorum, & legis, inuidebant Ioanni.* Inuidos rebus opimis alterius inuidet, fol. 66. dub. 7.

Medius vestrum stetit quem vos nescitis. Iudæi Christum non cognoscebant, quia in peccato erant: ignorantia enim ex peccato prouenit, fol. 98. dub. 11. 2. Resp. Et quia cæcitas intellectus eorum, ex mala eorum voluntate prouenie bat, fol. 341. dub. 5.

Dominica 4. Aduent. Lucæ 3. Vers. 1.

Anno quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris. Cum talia capita Reipublicæ numerantur, totius populi denorantur peccata, quia peccata quæ superiores committunt, facile, & cito addiscunt, & faciunt inferiores, fol. 84. dub. 77. Peccataque superiorum ad malum exemplum alios inducunt, fol. 65. dub. 6. Vnde superiorum malum exemplum, non inuitat, sed cogit subditos ad imitationem, fol. 200. dub. 8. Ideo vnum peccatum Regis multiplicatur in subditis, cum malum exemplum Regis imitantur fol. 199. dub. 6. Pro hac materia. Vide *exemplum. imitatio.* At cum Prælatus, & Rector iustus est, in subditis splendet virtus, fol. 306. dub. 6.

Procurante Pontio Pilato Iudæam. Respublica Iudaica exosa omnibus facta est, vbi tot dominabantur mali Rectores, totque inundabant peccata. Ex impiorum enim factis Respublica redditur omnibus odiosa, fol. 114. dub. 79. At in ea commorante S. Ioanne Baptista, aliisque iustis, honorabilis facta est Iudæorum Respublica, quia virtus aliquorum bonorum, splendidam facit Rempublicam, licet multi mali inhabitent eam, fol. 4. dub. 13. Magisque honoratur Respublica à viris virtuosis, quam de honoratur à pluribus malis, fol. 343. dub. 4.

Procurante Pontio Pilato. Pessimi Rectores, vitijs infecti, indignique præsulatu describuntur. Quia qui sanctitatem non colit indignus est Prælati officio, fol. 111. dub. 68. Quia multa sunt necessaria Prælatis in quantum tales sunt, quæ illis in quantum personæ particulares, necessaria non sunt, fol 60. dub. 111.

Procurante Pontio Pilato Iudæam. Infœlix Respublica quæ tam scelleratos Rectores habebat, quod ex ira Dei procedebat, sicut ex misericordia Dei prouenit, quod subditi habeant optimum Prælatum, fol. 307. dub. 8.

Procurante Pontio Pilato. Malis datus est principatus in suorum scelerum pœnam, quia Prælatio consueuit dari alicui in pœnam sui peccati, fol. 88. dub. 93.

Tetrarcha Galileæ Herode. Herodes omnia quæ iustitiæ erant vendebat, quia cupidus, & Princeps, & Iudex, quoties ei aurum offertur toties in contrarias sententias os commutat, fol. 44. dub. 43. 2. Resp. Clauecque aur' talium lingua clauditur, & aperitur, ibi. 2. Resp. Quia Herodes venalem exponebat iudicaturam, fol. 241. dub. 1. Vnde indignus erat dignitate, dignusque, quod ea priuaretur, quia de iustitia suspecti, arcendi, sunt ab officio, fol. 112. dub. 68. 2. Resp.

Sub Principibus Sacerdotum Anna, & Cayphà. Hugo Cardinalis: *Isti autem ambitione victi Sacerdotium pecunia emerant à Romanis, & erat Anna Socer Cayphæ, vt dicitur Ioannis* 18. Mali hæreditario iure volunt obtinere dignitatem, fol. 46. dub. 60. 2. Resp. Vel Annàs, & Cayphàs erant pessimi Principes abutentes sua potestate, vnde non regnabant per Deum sed à se, fol. 319. dub. 7.

Procurante Pontio Pilato Iudæam. Iste Cæsari adulabatur, eique submittebat se, vt procurationem consequeretur. Ambitiosum multis se submittit, vt obtineat, fol. 22. dubs 71. 3. Resp. Et nota, quod non recensentur anni vitę quibus isti Rectores Reipublicę fuerunt vixerunt, sicut S. Scriptura de alijs narrat, quia male vixerunt: non enim numerantur apud Deum anni vitę quibus male Prælatus viuit, fol. 194. dub. 8. fol. 319. dub. 8.

Factum est verbum Domini super Ioannem. Hos nefandos Principes apponit Euangelista, & statim S. Ioannem introducit, vt sub tot facinorosis Principibus virtus S. Ioannis eniteat, quia contraria iuxta se posita magis elucescunt, fol. 34. dub 8. 3. Resp.

Factum est verbum Domini, Mittebatur S. Ioannes, vt prędicaret, & doceret, ideo prius verbum prędicationis in eo fit, & in se adimpleuit, quod docturus erat. Prędicator prius faciat quam doceat prędicando, fol. 2. dub. 7. Quia exempla efficacius imprimuntur quam verba, fol. 199. dub 3. Vnde Deus irascitur Prędicatori, qui prius non facit, quę docet fol. 195. dub. 8.

In deserto. Pulchre cum Pilatus, Annàs, & Caiphas erant in Ierosolimis, Ioannes narratur esse in deserto, declinans impiorum consortium, quia boni periclitantur in consortio malorum, fol. 10. dub. 29. Ideo separandi sunt mali à bonis, ne inficiantur boni, fol. 18. dub. 53. In fine. Cum socij facilę trahant alios ad se prępcipue ad malum, fol. 325. dub. 3. Vnde S. Ioannes fugit consortium malorum, quia ex eorum societate timere poterat, iacturam virtutis, fol 326. dub. 4. Vel fugit ne ex malis socijs, similis in moribus reputaretur, ibi. dub 5. Vel quia societas malorum ita fugienda est, quod nec aspicienda est, fol. 325. dub. 2. Vel quia non viuit, qui in societate malorum viuit, fol. 325. dub. 1.

In deserto. In deserto datum est verbum Ioanni, quando separatus erat à malorum societate, quia societas malorum officit ad Diuinos fauores impetrandos, fol. 24. dub, 77. 2. Resp.

In deserto. Vt minus vacans humanis, magis vacaret Diuinis, fol. 35. dub. 15. Vel vt cura rerum temporalium oblita, totus incumberet virtuti, fol. 114. dub. 81.

Venit in omnem regionem illam. Valde notanda est series verborum: *Factum est verbum*

Iohannes

bum Domini, & venit in omnem Regionem. Nobilis erat S. Ioannes. Vnde vbi primum factum est verbum Domini super eum, nulla mora interposita statim venit ad prędicandum. Quo enim quis dignitate naturę est nobilior, eo debet esse ad obediendum promptior, fol. 6. dub. 21. Sed heu, quod promptiores sunt insensibiles creaturę ad obediendum, quam multi homines, fol. 14. dub. 40.

Prædicans baptismum pœnitentiæ. Non sublimia, sed quę ad salutem animarum, qualis est pœnitentia prędicabat: quia bonus Prędicator non alta, sed quę ad salutem sunt debet prędicare, fol. 1. dub. 4. Simulque docere doctrinam cuius homines sunt capaces, fol. 12. dub. 34.

Prædicans baptismum pœnitentiæ. Pœnitens erat S. Ioannes, & pœnitentiam prędicabat, vt assimilaret sibi per iustitiam, & virtutem peccatores, fol. 7. dub. 23.

Dominica in septuagesima, Matthæi 20. vers. 1.

Homini Patri familias. Caietanus: *Pater familias personam Dei tenet, qui licet Dominus sit omnium, respectu tamen electorum patrem familia se exhibet, quoniam sunt domestici Dei.* sub Patre familias Dei persona intelligitur, qui super electos singulariter vigilat, curamque erga eos habet singularem. Singularis est enim vigilantia Dei erga Ecclesiam, & eos qui intra Ecclesiam sunt, fol. 121. dub. 7. Ideo vult Deus, quod homo curę, & protectioni eius se ipsum committat, fol. 187. dub. 12. Resp.

Homini Patri familias. Diuus Hieronymus: *Quando agebat opera clementiæ hominis nomen oppositum est.* Deus homo dicitur ob humanitatem, & clementiam. Et Prælatus humanus sit, & clemens, quia clementia similem facit Deo Prælatum, fol. 25. dub. 79. 5. Resp. Compatiens quoque, & mansuetus erga subditos, fol. 61. dub. 117. Nam ad Prælatum per se attinet misericordia, per accidens vero Iustitia, fol. 306. dub. 3.

Exijt primo mane. Exijt pater ad laborem, quia Prælationi annexus labor, fol. 47. dub. 63. Vnde sicut aliis prędest officio, ita debet prędire in operibus, & labore, fol. 27. dub. 87.

Exijt primo mane. Summo diluculo, in ipso matutino tempore Dominus vineę, non dormit, sed vigilat, nō sibi indulget, sed pro cultura vineę exijt è domo sua, quia Prælatus non sibi indulgere, sed subditorum profectui debet intendere, fol. 47. dub. 63. 3. Resp. Et dub. 65.

Conducere operarios in Vineam suam. Non ait, quod exijt Dominus vineę vocare credentes ad Ecclesiam, sed operarios, qui operentur, quia non sat est credere, sed oportet, quod fides societur operibus. Vnde Christiani multi Deum fide cognoscunt, sed factis negant, fol. 206. dub. 6. Et fideles fidem cum operibus debeant ostendere: at Hęretici fidem crepant sine operibus, fol. 16. dub. 46.

Conducere operarios. D. Paschasius: *Omnes simul qui vocantur ad vineam, vna Ecclesia sunt, vnaque vinea de vite, quæ Christus est, propaginata, in qua, & ad quam, qui intrat, vel qui conducitur, nemo otiosus, sed omnes operarij esse debent.* Homo tam ad laborem, quàm ad quietem debet esse promptus, fol. 91. dub. 109. Immo pluribus diebus laborandum, paucis quiescendum, fol. 34. dub. 9. Vel misericors Dominus operarios vocat, vt laborent, & mereantur, quia ex misericordia Dei prouenit, quod homo promereatur, fol. 259. dub. 7. Et tantę fœlicitatis est posse mereri, quod melior est peccator, qui potest habere meritum dum viuit, quam iustus mortuus, qui mereri non potest, fol. 258. dub. 6.

Conducere operarios. D. Chrisost. *Scitote quia mercenarij sumus conducti. Sicut ergo nemo conducit mercenarium, vt hoc solum faciat, quod manducet: sic, & nos non ideo vocati sumus à Christo, vt hæc solum operemur quæ ad nostrum pertineant vsum, sed ad gloriam Dei.* Boni in operibus suis gloriam Dei quęrit, malus vero gloriam mundi ambit, fol. 114. dub. 70. 3. Resp.

Ex denario diurno. Carthusianus: *Beatitudo, seu æterna vita appellatur denarius, quoniam est præmium benè agentis.* Beatitudo bonis operibus emitur, & acquiritur, vnde qui habet merita, dignus est sperare viram ęternam, fol. 118. dub. 97. Vel dicit ex denario diurno, quia spes prędij excitat ad laborem. fol. 308. dub. 5. Ideo homines terreni mouentur ad obseruantiam legis intuitu bonorum terrenorum, quę respiciunt, vt prędium, fol. 221. dub. 7.

Ex denario diurno. Carthusianus: *Vita æterna appellatur denarius diurnus quoniam propter eum quotidie laboratur, & quotidie ingredientibus Regnum cœleste confertur.* Sicut enim operarius quotidie propter denarium impensam laboris agit in aliqua re, ita propter vitam ęternam, quotidie debet homo laborare, quia requies patriq non dabitur nisi post labores. fol. 33. dub. 6. Vnde per laborum tolerantiam tanquam per viam Regiam tenditur ad coronam, fol. 91. dub. 108.

Stantes in foro otiosos. Prędat non esse, quam otiosum esse, fol. 19. dub. 56. Deus in familia sua otiosos non sustinet, fol. 47. dub. 63. 2. Resp. Otio non vacandum, sed incessanter operandum, fol. 16. dub. 46. In fine.

Quia

Quia qui otiosus est in multa mala labitur, fol. 273. dub. 1. Et otiositas perditissimos homines generat, fol. 274. dub. 5. Cum sit multorum malorum occasio, ibi. Ideo otium maximè fugiendum, fol. 25. dub. 80. Et qui otiosi sunt impœnitentes sunt, fol. 273. dub. 3.

Ite, & Vos in Vineam meam. Ad operandum mittuntur à Patre familias, quia homo otio non vacans, sed operosus Sanctam Trinitatem imitatur, fol. 26. dub. 80. 2. Resp. Ideo iusti, nec per breue tempus cum possunt laborare, otio languent, fol. 273. dub. 2.

Ite, & Vos in Vineam meam. Ad laborem vocat Dominus vineæ, quia otiosi ad laborem vocandi, vt sibi proficiant, fol. 273. dub. 4.

Tota die otiosi. Hugo Cardinalis: *Otiosi, Vobis nihil proficientes proximis non subuenientes, Deo non seruientes, hostibus non resistentes, pœnitentiam non agentes, in posterum, non prouidentes.* Qui inutilis est sibi Deo, & proximo, otiosus est, fol. 35. dub. 12. Ideo ex numero creaturarum expungendus, quia per opera sua Deum non laudat, fol. 2. dub. 9.

Misit eos in Vineam suam. Hugo Cardinalis: *Vt scilicet eam colerent, & custodiret. Genes. 2. Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradisum voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum. Cantico. 1. Posuerunt me custodem in vineis. Diuus Chrisostomus. Mercenarius positus est in vinea si neglexerit, non solum mercedem perdit, sed, & desertæ vineæ damnum exigetur ab eo.* Quia negligentes Prælati, qui vineam sibi comissam non curant, pro casu subditorum puniendi sunt, fol. 108. dub. 53.

Circa Vndecimam vero exijt. Diuus Thomas: *Vidit primos, & non increpauit, istos autem vidit, & increpauit, quia primi adhuc infirmi sunt, & dominantur passiones in eis, ideo excusandi sunt quod non expendunt tempus in seruitio Dei, sed senes abundant sensibus, ideo illos increpat.* Per primam, tertiam, sextam, nonam, & vndecimam horam significantur ætates hominis, senes adumbrantur in vocatis hora vndecima, & maximè arguuntur à patre familias, quod otiosi sint, quod virtute non fulgeant, quod moribus sint corruptis. Merito increpantur, quia cum ætate senes sint, prauis moribus corrupti sunt, fol. 115. dub. 84.

Voca operarios. Hugo Cardinalis: *Dicit Dominus vineæ Pater, procuratori, id est, filio, Voca operarios hos vocat Dominus quatuor modis, scilicet, per sanctorum prædicationem, per beneficiorum largitionem, per internam inspirationem, per flagellorum correctionem. Prouerb. 1. Vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* Deus assiduus est inuocatione hominum multis modis, fol. 292. dub. 10. Qualiter debet homo vocationi Diuinæ respondere *vide, ibi.* Illi operarij tenebantur laborare in vinea, quæ intra eos erat, id est in anima, vt dicit D. Chrisostomus, & tamen, iussit procuratori reddere eis mercedem, quia Deus præmiat ea opera ad quæ alias tenemur, fol. 279. dub. 7.

Redde illis mercedem. Hugo Cardinalis 2. *Timoth. 4. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, de reliquo reposita est mihi corona Iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex, 1. Corint. 3 Vnusquisque mercedem suam accipiet secundum suum laborem.* Præmiat enim Deus hominem secundum sua merita, fol. 308. dub. 3. Quia gerit se erga hominem secundum merita, & de merita eius, fol. 258. dub. 5. Et iustus merito suæ Iustitiæ, & virtutis obtinet à Deo, quidquid possidet, fol. 258. dub. 2.

Redde illis mercedem. Bonus pater familias, qui laborantibus in vinea mercedem reddit, at mali homines liberales sunt in mulieres quibus obiectantur, parci vero in seruos, qui eis ministrant, fol. 250. dub. 4.

Tolle quod tuum est. Dedit illi, quod tuum erat, quod sub pacto, & conditione promisit pater familias reddidit ei. Iustitia enim omnibus vtilis est, in iustitia vero omnibus perniciosa, fol. 45. dub. 53. Omnes virtutes suis possessoribus salutares sunt, at Iustitia omnibus proficua, ibi. dub. 54.

Multi sunt Vocati, pauci vero electi. Si hac die vis agere de saluandis. Vide in Indice, *Saluatio.*

Dominica in Sexagesima, Lucæ 8. vers. 4.

Exijt qui seminat. Homo iste exijt ad exhibendum cultum terræ, quia illa officia subeunda sunt, quibus securiori conscientia viuere possimus, fol. 99. dub. 12. Vel sator iste prudens erat, & exijt seminare, vt temporalia acquireret: vir enim prudens facile diuitias comparere potest, fol. 313. dub. 6.

Exijt qui seminat. Hugo Cardinalis: *Exijt qui habet officium seminandi, vt semine.* Qui officio fungitur, abijciat delicias, & quietem, non se contineat claustus in domo, sed egrediatur ad laborem, vt onera sui muneris adimpleat. Officium enim non datur ad otium, sed ad operandum, & laborandum, fol. 39. dub. 29 Vnde habenti aliquod officium, non est exprimenda sua obligatio, cum officio sit annexa, fol. 20. dub. 63.

Exijt qui seminat. Hugo Cardinalis: *Oportet, & Prædicatorem exire. Ierem. 48. Moab requieuit in fœcibus suis. Genes. 12. Egredere de terra tua. Micheæ 4. De Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem, & con-*

cis

concident gladios suos, id est, subtiles quæstiones in vomeres, id est, in grossas prædicationes. Prædicator doctrinam non abscondat, sed excat, vt seminet, quia dona accepta Deo non sunt abscondenda, sed in proximorum vtilitatem danda, fol. 2. dub. 8. Vnde ad hominum conuersionem ordinatus, totum tempus perdit, quod in hoc munere non consumit, fol. 61. dub. 116. Ideo nihil erit Prædicator, qui per Euangelium filios non gignit, fol. 99. dub. 104. R.

Exiit qui seminat. Vt seminet exiit, ita multi non lucent quia non exeunt, vnde fulgerent, & magni appellarentur, si occasionem lucendi haberent, & occasio eos deregeret, fol. 21. dub. 68.

Exiit qui seminat. Sator Prædicator est, seminans quidem quasi continuo seminans, quia nunquam debet cessare ab opere, qui aliorum virtutes curat, fol. 34. dub. 8.

Natum aruit quia non habebat humorem. Hugo Cardinalis: *Natum ad horam, aruit, quia non habebat humorem deuotionis, aut gratiæ. Oseæ 8. Culmus stans, non est in eo germen, non faciet farinam, quod si fecerit alieni comedent eam.* Sunt aliqui qui suscepto semine Diuinæ Doctrinæ, continuo germinant aliquos deuotionis fructus ad horam, sed quia non habent humorem gratiæ & charitatis in charitate, fructus eius arescunt. Virent enim opera si habent radicem charitatis, fol. 17. dub. 50. Et à charitate procedit opus bonum, ibi. Vel per humorem significatur gratia, quæ requiritur ad operationes virtutum, vnde illa deficiente, opera virtutis non agit homo, ideo signum de monstrans ad esse in homine gratiam, est operatio virtutum, fol. 38. dub. 23.

Aliud cecidit secus viam, aliud cecidit supra petram, aliud cecidit inter spinas. Hugo Cardinalis: *Quid igitur, de semine isto tres partes deperierunt, etiam Christo seminante? Solutio? Non est hoc vitio seminis, vel seminantis, sed suscipientis, id est animæ, & ita monet Discipulos non desides esse, & si multi pereant suscipientium verbum, quia hoc, & Domino contigit, qui cuncta prouidit. Isaiæ 5. Triginta modij sementis facient modios tres. Vide ergo prædicationum multitudinem, & raritatem fructus.* Quod Prædicatores fructus non colligant, non est ex defectu prædicationis, nec verbi, quod prædicatur, sed auditorum semen verbi suscipientium, qui non sunt terra exculta, sed petrosa, & plena spinis vitiorum.

Exiit qui seminat. Aliter exponitur hoc Euangelium, scilicet, de Deo, secundum *Hugonem Cardinalis*, qui seminat, cum beneficia largitur, & in terram effundit, quia Deus magis vult manifestari per ea quæ nobis communicat, quam per illa quæ ipse solus possidet, fol. 37. dub. 21. Exiit seminare, id est, beneficia largiri: ex sua excellentia, quia dignitas eius monet eum ad benefaciendum, fol. 19. dub. 60. Et eius magnitudo à beneficientia deprehenditur, fol. 20. dub. 64.

Exiit qui seminat. Non dicit, quod seminabit, nec quod seminaturus est, sed quod seminat, quia Deus beneficia incipiens largiri, manum non tollit, nec supersedet à beneficijs congerendis, fol. 155. dub. 2.

Et aliud cecidit in terram bonam. Perpende summam Dei liberalitatem. Præuidebat Sator istæ tres partes terræ malas, ac steriles futuras, vnam secus viam, alteram petrosam, spinosam aliam, & præter has vnam tantum bonam, & tamen æqualiter diffundit suum semen, sua beneficia in malas partes, ac in vnam bonam, quia Deus bona sua iustis, & iniustis largitur, fol. 45. dub. 55. Nec in vnum diffudit, sed in omnes, fol. 14. dub. 39. 2. Resp.

Et dum seminat aliud cecidit secus viam. Id est super homines vanis cogitationibus, & dæmonum suggestionibus peruios, aliud cecidit supra petram, id est, super indomitos, & superbos, aliud cecidit inter spinas, id est, homines sollicitudines, & curas temporales habentes. Cecidit ergo semen super malos, quia Deus beneficia sua impendit multis licet malis, fol. 28. dub. 89.

Aliud cecidit inter spinas. Sator semen sparsit, sed fructum colligit spinas, & tribulos, quia mali rettribuunt mala pro bonis: coniurant enim se homines contra benefactorem, fol. 157. dub. 2. Imo ingratus acceptum beneficium iniuria recompensat, fol. 234. dub. 3.

Aliud cecidit inter spinas, & exorte spinæ suffocauerunt illud. Semen iactum est bonum temporale, quod Deus largitur homini, spinæ sunt peccata, quæ pungunt, quid est hoc, quod iacto semine terra non reddidit fructum, sed sterilis facta est? Nisi quod sterilitatem terræ ex peccatis nostris prouenit, fol. 90. dub. 104. Et bona temporalia aufert Deus, vt puniat nos, non solum in nobis, sed etiam in rebus nostris, fol. 159. dub. 4. Bonorumque temporalium iactum videt homo in suum supplicium, fol. 160. dub. 5. Et bona temporalia pro beneficio dat Deus illis qui ei seruiunt, & aufert ab illis qui eum offendunt, fol. 151. dub. 4. Et qui ingrati sunt Diuinis beneficijs, puniuntur à Domino in bonis temporalibus, fol. 218. dub. 6. Vnde Deus dat bona temporalia secundum mensuram nostram, id est, secundum quod boni, vel mali sumus, fol. 164. dub. 4. Hinc est, quod homo per peccatum amittit bonum temporale, perseuerando vero in obseruantia Diuinæ legis custodit, fol. 47. dub. 64. Quapropter

Deus

Deus propter iusti virtutem terram facit copia fructuum affluere fol. 127. dub. 32. 3. R.

Exortæ spinæ suffocauerunt illud. Sparso semine, exoriuntur spinæ, quæ pungunt, vt innuat, quod bonis temporalibus affluentes grauissimas habent punctiones, fol. 164. dub. 5. Cum multo labore acquiruntur & desunt cum eis opus est, fol. 160. dub. 8. Et ita feruent homines cupiditate bonorum, quod non quiescunt, fol. 164. dub. 3. Et qui bona temporalia possidet seruus est, & onus ponderosum sunt eorum, fol. 159. dub. 1. fol. 159. dub. 3.

Aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Terra bonam semen suscepit, & reddidit fructum copiosum, vt instruat, quod qui beneficium accipit ex Iustitia tenetur retribuere benefactori, fol. 157. dub. 3. & dub. 5.

Aliud cecidit in terram bonam. Tres partes seminis perierunt, et vna fecit fructum abundantem, vt doceat, quod bona temporalia non tertæ, sed Deo tribuenda sunt, fol. 4. dub. 14. 2. Resp. Vel tres partes pereunt vt sciant homines, quod quanto maioribus bonis abundant, maiorem habent inopiam, & eis tam deest, quod habent, quam quod non habent, fol. 163. dub. 1. Quod multoties permittit Dominus, in signum prædestinationis hominum, quia bonorum temporalium continuus successus signum est Diuinę reprobationis, fol. 159. dub. 2. Vel aliquando permittit Deus bona temporalia deficere hominibus, ne labantur in vitia, fol. 160. dub 6. Et ne Dei obliuiscantur, ibi. dub. 7. Et Deum timeant, quia qui temporalibus abundat, nec Deum timet, nec pœnas, nec alios reuerebatur, ibi. dub. 9.

Natum erat. Semen est bonum temporale, quod habitum arescit, quia bona temporalia instabilia sunt, fol. 46. dub. 59. Præcipue quæ male acquisita, non habent stabilitatem, fol. 164. dub. 6. Et nota quod tres partes seminis perierunt, vt doceat hominis abstinere à peccato, cum terra pro voto non respondet, fol. 91. dub. 106.

Dominica in Quinquag. Lucæ 18. Vers. 35.

Cum appropinquaret Iericho. Hugo Cardinalis: *Hoc sonat Iericho, id est Luna, quæ semper est mutabilis.* Dominus appropinquabat Iericho, id est, hominibus illius loci mutabilibus, qui benè Luna dicuntur, quia homo mutabilis est, fol. 34. dub. 8. 3. Resp. Et peccator instabilis, nunquam in eodem loco permanet, fol. 111. dub. 65.

Cæcus quidam. Cuius nomen erat *Bartimæus*, sed à D. Luca non exprimitur nomen, quia significat peccatorem. Et peccatores non, sine carent coram Deo, fol. 57. dub. 100. fol. 123. dub. 17. Vnde indignus est, quod nō, minetur, fol. 270. dub. 6.

Cæcus quidam. Benè hic homo cæcus describitur, quia cum significet peccatorem, peccatum excæcat peccatorem, fol. 295. dub. 9.

Sedebat. Hugo Cardinalis: *Sedebat terrenis amore inhærens*; quia peccator verbo, & opere ostendit se esse de terra, fol. 23. dub. 73.

Cæcus quidam sedebat. D. Matthæus duos cæcos commemorat, cap. 20. vers. 30. *Ecce duo cæci sedentes secus viam*, qui typum gerunt peccatoris, duo ergo narrantur cæci, quia si cæcus est peccator, & peccator socios vult habere in peccato, fol. 73. dub. 37. 2. Resp.

Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret. Dominus Iesus transibat per illam viam, quia Deus gyrat peccatorem, veluti vt viam inueniat reducendi eum ad se, fol. 76. dub. 48.

Miserere mei. Non diffidit de Domino Iesu, nec peccator diffidat de Deo, cum genus sit Dei ex parte animæ, fol. 23. dub. 74.

Miserere mei. Se esse cæcum cognoscebat, & Deus vult, quod peccator recognoscat grauitatem sui peccati, fol. 83. dub. 72. 2. R. Et quod consideret, quot ornamentis virtutum, & gratiæ propter peccatum nudatur, fol. 74. dub. 42.

Ipse vero multo magis clamabat: filij David miserere mei. D. Chrisostomus apud Hugonem: *Talis est natura fidei, quanto plus vetatur, eo magis accenditur. Virtus fidei in periculis secura est, in securitate periclitatur.* Qui præibant increpabant eum, vt taceret, in cæco vero magis, ac magis fides augebatur fides enim quo opprimitur, eo magis augetur, fol. 205. dub. 4.

Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se. Accessit ad Dominum Iesum, & dedit illi vires, vt accederet, nam cum Deus vocat peccatorem, vires dat, & animum veniendi, fol. 81. dub. 65.

Quid tibi vis faciam. Hugo Cardinalis: *Non quærit ex ignorantia, sed ideo vt rogetur, & mentem ad orationem excitet.* Quia Deus hominem, excitat ad beneficia petenda, fol. 57. dub. 98. Et cum vult exaudire hominem, solet excitare eum, ad hoc vt recurrat ad Deum, fol. 197. dub. 1.

Domine vt videam. Mendicus erat, & cæcus homo iste, & tamen non petit, quod Dominus inopiam suam subleuet, sed quod lumen infundat oculis: solet Deus inspirare homini quæ petere debet, fol. 197. dub. 3.

Domine, vt videam. Rogauit pro illuminatione oculorum, & orationem eius expectabat Dominus: quia precibus tanquam pretio Dei beneficia emuntur, fol. 97. dub. 4.

Et Iesus dixit illi respice. Prius nominatur Sacrosanctum nomen Iesus, deinde quod dixit illi *respice*, quia ex nomine, ad beneficia largienda exercitatur Dominus, f. 36. dub. 16

Et confestim vidit. Quia dehonestaret Dominus beneficium collatum, si in benefaciendo moras traheret, fol. 2 dub. 5. Vel quia spem posuit in Domino, confestim vidit, quia spes firma habenda est, ad obtinendum, quod consequi speramus, fol. 328. dub. 4.

Confestim vidit. Exauditus à Domino, quia quod petebat homo vtile erat ei, & Deus exaudit hominem cum quod petit, expediens est petenti, fol. 300. dub. 6. Vel obtinuit visum quem à Domino petebat, quia perseveravit magis, ac magis clamando, & perseverantia impetrat, quod alij non perseverantes, non obtinent, fol. 297. dub 4.

Confestim vidit. Tempore congruo petiit illum à Domino, & obtinuit. Qui enim vult aliquid impetrare, petat tempore opportuno, & observet occasionem, fol. 297. dub. 4.

Sequebatur illum. Beneficio obstrictus, quia Deus beneficijs suis obstringit hominem, fol. 57. dub. 102.

Dedit laudem Deo. Patratis miraculis Deo, & Sanctis qui miracula edunt, gratiæ agendæ, fol. 45. dub. 57.

Feria 4. Cinerum Memento Homo.

Memento homo quia pulvis es. Malorum nostrorum origo pullulauit ex quadam mortis dissuasione, cum diabolus dixit Euæ. Genes. 3. vers. 4. *Ne quaquam moriemini*, volens ergo Ecclesia adferre remedium malorum nostrorum principio, dissuasioni mortis apponit veram illius assertionem, dicens: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Vt homo suæ fragilitatis memoriam fixam habeat, fol. 121. dub. 11. Et quod fragilitas humana est parum permanens, fol. 17. dub. 50. Vnde in omni statu eget cognitione sui, & propriæ fragilitatis, fol. 49. dub. 71.

Memento homo quia pulvis. S. Mater Ecclesia his verbis in memoriam reuocat nostram fragilitatem, quia homo seipsum non cognoscit, fol. 56. dub. 94. Vel ideo de ea admonetur homo, vt humiliratem semper conseruet, fol. 37. dub. 22. 1. Resp. Vel de ea edocetur, vt consideratio sui superbiam reprimat, fol. 23. dub. 74. 2 Resp. Ideo non debet superbire homo, cum sit terra progenitus, fol. 4. dub. 14. Vnde homo ex vilitate sui se deprimat, fol. 28. dub. 88. Ideo, Deus in homine temperauit superbiam, & dejectionem, fol. 37. dub. 22. 2. Resp. Cinere quoque capita nostra aspergit Ecclesia, vt superbia nostra contera tur, fol. 44. dub. 51.

Memento homo quia pulvis es. Homo ab initio vitæ suæ fragilitatis memor sit, fol. 170. dub. 1. Et frequens debet esse in sui cognitione, fol. 171. dub. 3. Quia secum habet materiam, vt cognoscat, quam vilis, fragilis, & labilis sit, ibi. dub. 3.

Memento homo quia pulvis es. Cum diaboli tentationibus maximè vexentur homines hoc tempore, Ecclesia consulit, quod homo recorderetur suæ fragilitatis, quia qui suam agnoscit vilitatem, securus est, quod diabolo præualebit, fol. 171. dub. 5.

Memento homo quia pulvis es. Considera quis sit Deus, & cognosces quis es, quia quanto homo plus Deum cognoscit, tanto magis suam vilitatem agnoscet, fol. 171. dub. 6.

Memento homo quia pulvis es. Hoc sacro tempore ad pœnitentiam hortamur, & ad vulnera peccati sananda, sed S. Mater Ecclesia prius de nostra vilitate nos admones, quia peccator consideratione suæ vilitatis, vulnera peccati curabit, fol. 171. dub. 7.

Memento homo quia pulvis es. Hoc quadragesimali tempore misericordiam Dei imploramus vt propitius sit peccatis nostris, & Ecclesia Sancta, quod pulvis fumus in memoriam nostram redigit, quia qui considerat seipsum, facile Deum ad misericordiam mouet, fol. 172. dub. 8.

Memento homo quia pulvis es. Licet Ecclesia omnibus hominibus fragilitatem hominis commemoret, tamen Prælatorum memoriam suæ vilitatis commemoratione refricat, quia in dignitate constitutus, faciliter suæ fragilitatis obliuiscitur, fol. 171. dub. 4.

Feria 4. Cinerum, Matth. 6. Vers. 16.

Cum ieiunatis. Malorum nostrorum aliud principium processit ex quadam Adami gula, *deditque viro suo qui comedit*, at S. Mater Ecclesia Adami gulam ieiunio excludit, dicens: *Cum ieiunatis.* Hugo Cardinalis: *Ieiunium corporale est abstinere à cibo corporis tempore certo, quod multa bona efficit si recte fit.* Fiet recte ieiunium, si ieiunans non solum seruet ieiunium, sed temperate comedat, fol. 229. dub. 2. Vel tunc fit recte, si ieiunio humilietur homo, male autem si superbiat, fol. 230. dub. 6.

Cum ieiunatis. Ieiunio macerandum corpus, vt homo satisfaciat, & à peccato expietur, fol. 230. dub. 5.

Cum ieiunatis. Si multum affligitur ieiunio corpus, Deus recte ieiunantibus austeritatem cibi reddit suauem, & salubrem, fol. 229. dub. 1.

Cum ieiunatis. Corporali ieiunio maceratur corpus, & multa bona adfert. Fœlicitas enim hominis à ieiunio, fol. 94. dub. 121.

Cum ieiunatis. Licet ieiunio extenuetur

cor-

corpus, bonam tamen valetudinem iuuat, f. 230 d. 8. & fol. 30. d. 96. Vnde Vespesianus singulis mensibus die vno abstinebat, & ieiunabat, ibi. Et vide consilium Galeni de abstinentia, at gula vires frangit, fol. 218. d. 2. Et gulosi pigri sunt, & languedi ad bona, fol. 219. dub. 6.

Cum ieiunatis. Ieiunio comprimuntur vitia, sed gula pereunt virtutes, f. 219. d. 4. Ex illa motus libidinis insurgunt, fol. 74. d. 42. 2. Resp. fol. 219. dub. 2. Ieiunio autem obtegitur contra frigus, & calorem inferni, fol. 230. dub. 7.

Nolite fieri sicut hypocritæ tristes. D. Chrisost. apud Hugonem Card. *Sciens Dominus quod non potest esse hilaris qui ieiunat, non dixit, nolite esse tristes, sed nolite fieri: aliud enim est esse, aliud fieri. Assiduum ieiunium naturaliter facit esse tristem, qui autem per impostaram, vel hypocrisim pallentes apparent, non sunt tristes, sed fiunt.* In Dei obtequio maximè commendatur, quod verè, & non ficte Deo seruiamus; verus enim homo Deum non ficte, sed in veritate colit, fol. 117. d. 94. 2. Resp.

Exterminant facies suas. Hugo Card. *Exterminant facies suas, id est, extra terminos proprios ponunt facies suas, non brachia, sed facies in quibus magis apparent.* Hypocrisis intercluditur à Domino, quia hypocrita videtur in cœlum tendere, in re tamen non tendit, f. 227. d. 1. 3. Resp. Cum bonis habet speciem sanctitatis, cum malis intentionem malam, ibi. dub. 3. Mixtus est in se ex bono, & malo, tamen refert similitudinem cœlestis viri, cum non sit vir cœlestis, f. 228. d. 6. Solum habet virtutis simulationem, & vmbram, ibi. d. 7. Vnde diaboli martyr est, fol. 229. dub. 8.

Exterminant facies suas. Caietanus: *Exterminant pro obscurant. Verè enim obscurant naturalem vultum, & alterum vultum mentiuntur. Sicut enim mulieres multæ clarificant facies suas artificiosè, ita vt pellis earum lucere videatur: ita huiusmodi hypocritæ obscurabant facies suas arte, vt apparerent ieiunantes.* Hypocrita opera sua colorat, vt appareat virtuosus, sicut mulier faciem, vt videatur pulchra, fol. 227. dub. 4.

Receperunt mercedem suam. Hypocrita vult apparere vir virtuosus, vt auram populare capiat, quia laudes hominum quærit, f. 227. d. 3. Sed in præsenti suum præmium consequitur, ibi. d. 2. Et mercedē suam in hoc mundo recipit, f. 229. d. 8.

Vnge caput tuum. Hugo Card. *Metaphora est à Palestinis sumpta. Isti enim in festis caput suum vngebant sensus est, vnge caput tuum oleo, id est, festinum, & hilarem te exhibe. 2. Corinth. 9. Hilarem datorem diligit Deus Ecclesiastici 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Quia gaudium, & lætitia cordis maximè adiuuat ad agendum quæ sunt cultus, & obsequij Dei, f. 211. d. 1. Et qui benè agit hilaritatem animi, qui vero male mœstitiam consequitur, fol. 103. dub. 30. 2. Resp.

Vnge caput tuum faciem tuam laua. Caietanus: *Docuit nos his cautelis intelligere, vt tanto studio fugienda sit a nobis in operibus super erogationis eleemosynæ, orationis, & ieiunij, vitandaque vanagloria, vt occulte exerceamus huiusmodi bona opera, vbi timor est ne obrepat vanagloria.* Quia opera nostra Deo placebunt, si ab humanis oculis abscondātur, f. 13. d. 37. Vnde amor verus, & perfectior in Deum in nobis ille est, qui facit nos operari propria virtutum opera solum propter ipsum, fol. 142. dub. 3.

Sed Patri tuo. Ex nobis ipsis cognoscere possumus an opera nostra placeant Deo, vel non, fol. 101. dub. 20. Et nota quod ab hac die specialiter menemur ad opera virtutum. Tempore enim Quadragesimæ vberiores debēt esse fructus virtutum, quam in alijs anni temporibus, f. 44. d. 51.

Feria 6. post Cineres. Matth. 5. Vers. 44.

Diliges proximum tuum. Verè proximum diligit, qui timet cum offendere, nam amor verus plus timet offensam amati, quam damnum proprium f. 138. d. 1. Homo diligat proximum, sicut se ipsum, ibi. d. 3. Et totam legem implebit, qui proximum dilexerit, ibi. dub. 6. Et peccatum contra amorem proximi specialiter vindicabitur in die iudicij, ibi. dub. 5.

Odio habebis inimicum tuum. Inimicitia valde molesta est Ecclesiæ, vel Reipublicæ, f. 236. dub. 1. Et modus quo inimici occulti ad inuicem se lædunt, difficile cognoscitur, ibi. Et nota quod dum vixerimus, inimicos habebimus, ideo coram inimicis prudenter age, fol. 312. dub. 3.

Ego autem dico vobis. Exprimit illud pronomen *ego*, vt libenti animo legem suscipiant homines; libenter enim legem amplectuntur, cum Legislatorem dignissimum esse agnoscunt, fol. 2. dub. 6. Vel pro nomen *ego* posuit, vt homines in animum inducat, præceptum Christi esse suauissimum, cum diabolus suadere nitatur homini legem Dei esse duram, fol. 67. d. 14. Si autem difficile existimatur præceptum, leges vt sint iustæ debent habere aliquam difficultatem, vt sit locus merito, sed non tantam quod impleri non possint f. 54. d. 88. Lex bona est iustis, & custodientibus eam, sed grauis peccatoribus, fol. 249. dub. 6.

Diligite inimicos vestros. Leue præceptum ponit, quia præcepta Dei leuia sunt, vnde & peccatum hominis graue, quia contra præceptum Dei leue, fol. 41. dub. 39. Nec legem imponit Dominus cum grauamine nostro, fol. 249. d. 3. Ideo qui facillimum præceptum violat, non eleuat culpam, sed aggrauat, fol. 81. dub. 66.

Diligite inimicos vestros. Charitas nouum modum diligendi inuenit; scilicet, inimicos, f. 170. dub. 11. Habet enim dilatationem, f. 17. dub. 50. Ideo affectiones humanæ constringendæ, charitas dilatanda, fol. 168. dub. 1. Et talis debet esse charitas, & dilectio proximi, quod in bonis velimus, quod alius nos præcedat, in malis vero nos præcedamus illos fol. 168. dub. 2.

Diligite inimicos vestros. His verbis curat Dominus vitare odium hominum, ne homines exitiales sint his quos odiunt; nam odium inimicorum vltra vitam in aliquibus transit, vsque ad vindictam de mortuis, ibi. dub. 5. Soletque inimicitia durare cum omni progenie offen-

dentis, f.86.d.86. Imò inimicus familiam inimici sui vsque ad necem insectatur, f.237.d.7

Diligite inimicos vestros. Nec lęteris de ruina inimici tui: vindicatur enim homo cum lętatur de ruina sui inimici, non cum gaudet de iustitia Dei punientis inimicum, f.338.d.4. Ideo offensus tenetur dimittere odium, sed non pœnam iustam, & debitam offendenti, f. 274.dub.6.

Diligite inimicos vestros. Ne graviter puniaris propter odium, quia grauius punitur peccatum contra fraternam charitatem, quam contra Deum, f.169.d.4. Imo Deus benefacit diligenti inimicum, vnde multiplicat bona temporalia, & spiritualia ei, qui erga inimicos reprimit iram, fol.240.dub.5.

Diligite inimicos vestros. Remittendo illis illatas iniurias, nam solus dicendus est frater, & quod diligit, qui remittit iniurias, non vero qui vlciscitur, f.98. d.10. Et maximè laudandus est qui acceptam iniuriam impunitam abire permittit, fol.236.dub.6.

Diligite inimicos vestros. Parcendo eis, vt ego parcã vobis, quia qui misericors est in alios, & inimicis parcit, dignus est misericordia, & benignitate Dei, f.262.d.3. Sed heu, si inimicus parcit, est propter propriam, quam expectat vtilitatem, fol.236.dub.2.

Benefacite ijs qui oderunt vos. Quia beneficientia in inimicos illustriorem reddit hominem, quam aliud illustre opus, f.237.d.7. Ideo iustus potius attendit bono particulari suorum inimicorum quam proprio, f.166.dub.7. Vel quia beneficium collatum inimico trahit eum ad amorem, ibi.d.7. Tum etiam quia inimici muneribus, & beneficijs emolliuntur, fol 238.d 9. Et nota quod si non benefacimus inimicis subueniendo eis cum indigent, nec Deus benefaciet nobis. nam Deus eo modo legerit erga nos, in necessitatibus nostris, sicut nos erga proximum in necessitatibus suis, fol.138.dub.2.

Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, pro offendentibus vos, vt exponit *Caietanus.* Quia oratio efficacior esse solet apud Deum, quo magis offensus fuerit orator ab his pro quibus orat, f.237. d.5. Imo pro inimicis ea a Deo petere debemus quę nobis cupimus, ibi. d.8. Et vindicatur homo de homine ibi iniurioso, si desinat orare pro eo, f.338. d 2. Pro oratione pro inimicis, audi D. Gregorium apud Hugonem Card. *Ille suas preces insulsescere multum facit, qui eas pro inimicis effundit. Iuste quæ quis petit adipiscitur, cum eius animus, nec in petitione odio inimici fuscatur.* Et Hugo Cardin. *Nota quod Ecclesia tribus modis impugnatur odio, verbis, & cruciatu corporis, Ecclesia e contrario diligit, orat, benefacit.* Vide fol.359.dub.6.

Qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos. Caietanus: *Ex hoc enim quod Dominus declarat rationem benefaciendi inimicis ex imitatione Dei, quatenus non excludit a communibus beneficijs malos, & iniustos, docet præceptum suum intelligendum esse de diligere, & benefacere in communi. Specialiter autem diligere, & benefacere non explicatur hic a Domino, sed reliquit intelligendum ex generali regula præceptorum affirmatiuorum, quod scilicet obligant tempore necessitatis. Ita quod sub præcepto de diligendo inimicos comprehenditur benefacere inimicis, etiam in speciali tempore necessitatis. Iuxta illud Prouerb. 25. vers. 21. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, da ei aquam bibere.* Benefaciendum est inimico, & auxiliandus est, cum auxilio nostro eget, f.236.dub.4. Vel dicit, quod Solem suum oriri facit super bonos, & malos, vt instruat quod beneficia communia non debemus negare inimicis, sicut Deus bona sua iustis, & iniustis non negat, f. 45.dub.55.

Vt sitis Filij Patris vestri. Hugo Cardinalis: *Filij debemus esse imitatione. Imitari enim debemus Patrem nostrum Deum, qui diligit inimicos suos,* D. Chrisostom. *Filij carnales frequenter sunt similes patribus in facie, vel loquela, vel risu, aut in aliquo corporis signo, Filij autem spirituales in sanctitate. Et illi quidem si similes fuerint nullam laudem merentur, si dissimiles nullum vituperium, quia non est in potestate hominis, quam qualitatem corporis accipiat: Filij autem Dei si similes fuerint, laudandi sunt, & si dissimiles, nimis vituperandi, quia in potestate cuiuslibet est mensura iustitiæ faciendæ.* Dicit ergo Dominus quod inimicos diligamus, vt tanquam boni Filij parentem nostrum Deum imitantes, declaremus nos filios esse Patris cœlestis. Quia solus dicitur filius patris, qui per bona opera exprimit patrem, f.122.d.14. Vnde filius malus quasi non filius sui patris habetur, f.117.d.90. Et diligendo inimicos benefaciẽdo eis, & orãdo, honoratis patrẽ vestrũ, quia pater honoratur ex virtute filiorũ, & ipsi filij honorantur, f.118.d.97.

Estote ergo, & vos perfecti sicut, & pater vester perfectus est. Hugo Cardin. *Sicut imitationem notat, non æqualitatem.* Ergo sicut Pater cœlestis diligit inimicos, & nos diligere debemus imitando Patrem: debemus enim studere quantũ in nobis est Deum imitari, f.25.d.79. Imitandumque Deum nobis proponere debemus, in ijs quibus imitabilis est, fol.231.dub.5.

Dominica 1. Quadragesimæ, Matth.4. vers.1.

Tunc ductus est Iesus, vt tentaretur. Hugo Card. *Post baptismum Christi subiungit Euangelista de tentatione eius, vt rectum ordinem conuersandi nobis ostendat. Nam post acceptam gratiam Spiritus Sancti, dolens se diabolus derelictum, acrius insurgit. Vnde Ecclesiast.2. Filij accedens ad seruitutem Dei.* Diabolus virtuosos viros acrius tentat, quam alios, f.332.d.2. & f.178.dub.7. in medio.

In desertum. Prierius: *Debuit ire ad campum certaminis, id est, solitudinem, in qua diabolus magis audet inuadere.* Quia diabolus opportunitatem quærit ad tentandum, solitarioique aggreditur, fol.67.dub.13.

In desertum. Gistandis hìc dub. 4. *Quid agebat*

bat Iesus in deserto? Respondet S. Vincentius, quod licet Euangelistæ non clarè hoc dicant, tamen in sequentibus, vt Lucæ 6. cap. patet quid faciebat. Nam factum est in illis diebus exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei, post orationem dormiens super terram, & ita noctem consumabat in somno, & oratione, in die vero contemplabatur, & orabat. Orabat Dominus in deserto, antequam tentaretur à diabolo, innuens quod oratio tribuit vires ad quæuis pericula subeunda, fol. 282. dub. 5. Vel orabat ante tentationem, vt doceat, quod qui tentatur Diuinum auxilium debet petere, ne succumbat, fol. 331. dub. 1. 2. Resp.

In deserum. D. Cyprianus: *In desertum Christus ingreditur, locus secretus eligitur, quia solius Dei iudicio ieiunia sunt agenda.* Ad orandum, & ieiunandum in desertum, locum occultum se confert, vt fugeret vanam gloriam. *Vide Caietanum Feria 4. Cinerum vnge caput tuum.*

Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Pro ieiunio. *Vide Feria 4. Cinerum, cum ieiunatis.*

Et cum ieiunasset. D. Basilius homilia 1. de Ieiunijs ieiunij: *Dominus noster non prius in carne, quam pro nobis assumpserat diaboli insultus excepit, quam eam ieiunio communisset, simul & nos erudiens vt nos met aduersus tentatoris conflictus exemplo palestrarum vngamus, & exerceamus.* In certamine enim flagitandum est auxilium ex ieiunio ad victoriam, f. 52. d. 84. Ieiunioque regitur homo, & operitur tanquam scuto ad tentationē, f. 230. d. 7.

Quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Non vnum, vel alterum diem ieiunat Dominus, sed quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vt nos excitet ad obseruantiam, & obedientiam huius præcepti, quia subditus faciliter obedier Prælato, si conspiciat obseruatum prius, id quod faciendum præcipit, f. 6. dub. 20. Et verè sequetur Christum, qui eum imitatur in his quæ sustinuit, f. 131. d. 6. Vel quadraginta diebus, & noctibus ieiunauit Christus, vt homines cōfundat qui hoc præceptum per totidem dies non obseruant: exemplaris enim obseruantia legis, legum transgressores confundit, fol. 199. dub. 4.

Et accedens tentator. Syriacus: *Accedens criminator.* Diabolus tentator, & criminator dicitur, quia à variis tentationibus quibus hominem tentat, nomen sibi ascisit, fol. 22. dub. 71. 4. Resp.

Accedens tentator. Hugo Card. *Tentabat ad deijciendum, & explorabat ad faciendum, nouerat autem venisse in mundum per concentum Angelorum, per aduentum Magorum, per Ioannis testimonium, & per Patris vocem in baptismo, sed fastu superbiæ discredit, cum eius infirmitatem cernit.* Vidit tentator Christum ex tot dierum ieiunio debilem, & imbecillem, & accessit ad tentandum, quia diabolus non fortes, sed debiles tentare aggreditur, f. 67. dub. 12. 2. R. Et nota quod licet tentatus, debiles habeat vires naturæ ad resistendum, viribus gratię fortis erit, quia tentationes licet excedant vires naturę, non tamē gratię, f. 332. d. 4.

Accedens tentator. Valde confisus de victoria, quod Christum posset vincere, quia experientia didicit, quod homines magnis auxilijs præuenti, adhuc tētationi succumbunt, f. 65. d. 5. Vnde nunquam in vanum tentare solet, f. 64. d. 3. Nec regulariter tentat, quem casurum non reputat, fol. 67. dub. 12. 2. Resp.

Accedens tentator. Sperabat Christum vincere, qui est caput iustorum, nam Christo victo, confidebat, & iustos, qui sunt membra Christi vincere, vnde diabolus aduersus Prælatos militat, quia ipsis deiectis in peccatum, scit quod subditi cadent in culpa, f. 190. d. 3.

Accedens tentator. Hugo Car. *Permittit autem Deus hominem tentari propter maius exercitium, & cautelam. Psalm. 54. Contristatus sum in exercitatione mea.* Vnde tentationibus probatur iustorum virtus, & eorū vita purgatur, f. 331. d. 1. Ideo tentationes nō nocent iustis, sed prosunt. f. 332. d. 2. Adeoq; vtiles sunt alijs quod cōsumunt vitia maximè superbiā, ibid.

Dic vt lapides isti panes fiant. A gula incipit tentare, vt ad grauiora trahat, quia diabolus à leuioribus peccatis incipit, vt ad grauiora perducat, fol. 71. dub. 30.

Dic vt lapides isti panes fiant. Ecce calliditas diaboli: videbat Christum esurientem, & lapides, vt in oblectamenta panis conuertat, offert, quia diabolus per blanditias primo seducit hominem, vt seductum opprimat violenter, fol. 190. dub. 1. Vnde quem consilio ad peccatum non trahit, obiecto gustu, & delectatione peccati perficit. f. 72. d. 34. 2. R.

Dic vt lapides isti panes fiant. Cum Dominum videret fame laborantem, inde modum efficacem inuenit ad tentandum, quia diabolus tentationis modum quærit efficacem ad tentandum, f. 67. d. 15. Vnde eligit mulieres ad tentandum homines, quia efficacior est mulier ad tentandum virum, quam diabolus, fol. 67. dub. 15.

Dic vt lapides isti panes fiant. D. Thomas: *Magnum documentum, vt homo nihil faciat ad arbitrium diaboli. Nihil vnquā sapiens Dux debet facere ad arbitrium sui hostis, etiam si bonum videatur, & ideo Dominus lapides in panes commutare noluit, quia ille suggerebat.* Noluit Dominus de lapidibus facere panes, ne faceret voluntatem diaboli, & conueniret cū illo: in nulla enim re conuenere Deus, & diabolus, nec coniungendæ sunt res illius, cum rebus istius, f. 64. d. 4. Et cum diabolo nullum fœdus sanciendum, sed continua inimicitia cum eo habenda est, f. 68. d. 84.

Tunc assumpsit eum diabolus. Diabolus deuictus in vna tentatione, non quieuit, sed

inde magis accenditur, & stimulatur ad tentandum. Vnde ardentem habet intentando cautelam, fol. 333. dub. 5.

Mitte te deorsum. Hug. Card. *Non poterat eum precipitare, neque nocere ei. In quo notatur debilis virtus inimici, D. Hieron. Debilis est hostis, qui non potest vincere nisi volentem.* Vnde ita debilis est, quod homo non potentia diaboli, sed astutia superatur ab eo, fol. 66. dub 8.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum. Hug. Card. *Nota impudentiam diaboli, qui etsi victus est, non tamen cessat, quia tamen non potest de vno vitio tentare, saltem tentat de alio.* Multis modis tentat, nam venit ad hominem tentandum superbia carnali, desiderio, & curiositate, fol. 85. dub. 82. Quod quidem callide agit, vt quem non vicerit vna tentatione, alia vincat. Ezech. 17. vers. 3. *Plena plumis, & varietate.* Cur Aquila plena varietate plumarum venit ad Libanum? Hug. Card. *Venit diabolus cum plumarum varietate, vt si vni non placeat vna delectatio, suadeat aliam, sicut dicitur in vitis Patrum, quod diabolus cum multis ampullis iuit ad fratres commouendos.* In tentatione Christi nostra tentatio significatur: sicut enim tentauit Christum de gula, superbia, & auaritia, ita homines triplici gladio impugnat, gula, auaritia, & superbia, vt qui euaserit de vna tentatione, incidat in aliã.

Mitte te deorsum. Cognouerat diabolus Christũ valdè difficilem ad ascensiones, & sublimitates, & propensum ad abiectionem, & humilitatem, ideo nõ suadet quod ascendat, sed quod se deijciat, & mittat deorsum. Explorat diabolus hominis inclinationem, vt tentet, hominemque trahit sua inclinatione, f. 64. d. 2. Paratq; laqueos in is, quæ magis ad nostram inclinationẽ tendunt, ibi. Callidèq; trahit homines in ruinam ex eorũ proprio affectu, f. 71. d. 28.

Vade Sathana. Hug. Card. *Nota autem quod audita blasphemia in Deum, quasi indignabundus respondit Dominus, & dure aliquantulum. Vnde Chrisost. In duabus tentationibus mitis permansit Dominus, in tertia exasperatus est, & quasi iratus dixit Vade, Sathana. Hoc exemplo discamus nostras magnanimiter sustinere iniurias, Dei autem iniurias, neque ad auditum sufferre, quoniam in proprijs iniurijs esse quempiam patientem laudabile est, iniurias autem Dei dissimulare impium est.* Dominus Iesus verè amabat patrẽ, & verus amor Dei iniurias Deo illatas habet proprias, fol. 142. dub. 1. Vnde qui Deum amat, honorem Deo ablatum, quasi sibi ablatum putat, ibi. in fine. *Feria 4. post Domin. 1. Quad. Matthæi 12. v. 38.*

Magister. Iudæi se persuadebant, quod Christus volebat Magistrum appellari, & ideo Magistrum dicunt adulando, sed mendaces erant, & fraudolenti. Adulator enim mendax est, & fallax, fuco verborum ludit, & fraudat, fol. 133. dub. 3.

Magister. Magistrum dicunt, quasi dicant: tu solus Magister, neque alius hoc illustri nomine debet appellari, quod ideo dixerunt, vt per adulationem eum traherent, adulator, vt gratiam Principum venetur, eos laudat cum aliorũ contemptu, ibi. d. 7.

Magister. Adulabantur Domino, & nihil deerat, nisi quod de medio tollerent, quia adulator propè homicida est, ibi. dub. 4.

Magister. Magistrum appellabant, & eius virtutes destruere conabãtur, quia adulator virtutes eius, cui adulatur destruit, ibi, d. 5

Magister. Magistrum dicebant, vt viderent Iudæi, an adulationibus laberetur in aliquod opus calumnia dignum. Homo enim cum se adulatum videt promptissimus est ad quæcumq; mala agenda, ibi, d. 2

Magister. Verborum lenocinijs, & blanditijs Christi aures demulcebant Iudæi, Christus tamen adulationem contempsit, vt instruat homines, quod qui testimoniũ habet propriæ conscientiæ, magis sibi quã adulationibus debet credere, fol. 17. d. 52. Vnde qui se ipsum cognoscit, facile liberatur à corruptione, & laqueis adulatorum, fol. 133. dub. 6.

Magister. Christo adulantur Scribæ, & Pharisæi, quia putabant Christum eos benignè excepturum, quia se adulatum videbat. Adulator enim ab omnibus excipitur, qui adulator non est ab omnibus deseritur, ibi, dub. 8.

Magister. Magistrum vocant, vt explorent, an Christus aliquo superbiæ motu ducatur, quia laudatio gignit superbiam, f. 9. d. 27. 2. R. Et ex laude homo intumescit, & superbit, f. 32. d. 106. Vel Magistrum modo appellant, vt eum magnificent, quẽ antea calumniabant, quia homo modo magnus, modo paruus est, prout vituperatur, vel laudatur, fol. 17. dub. 52.

Volumus. Scribæ, & Pharisæi suam volunt sibi retinere voluntatem, secundũ suũ beneplacitum omnia fieri, & ordinari, vt innuant quod Dei voluntatem non sequebantur, sed suæ erant nimis addicti, fol. 49. dub. 68. 4. R. Et vt ostendant, quod cum Deo non ambulabant, quia se Diuinæ voluntati non conformabant, f. 124. d. 22 Ideo homo debet agere secundum voluntatem Dei, non propriam, fol 278. dub. 1.

Volumus à te signum videre. Caiet. *Signum videre de cœlo, vt Lucas ait: Puta in manna, vt apud Moysem, vel in Sole, vt apud Iosue, & Isaiam, aut in grandine, & similibus, vt apud Samuelem, aut in igne, vt apud Eliam.* Nimis curiosi erant Pharisæi, & Scribæ, ideo in multa peccata labebantur,

tur, Chrino adulabantur, propriam voluntatem sectabantur, & superbè loquebantur Christo. Signaque de cœlo ex curiositate inquirebant. Curiositas enim origo peccati est, fol. 72. dub. 32.

Volumus à te signum videre. Paulò ante viderant dæmonē potenter expulsum, & multa alia mirabilia, sed noua petunt, quia hominem rerum nouitas delectat. fol. 69. dub. 21.

Volumus à te signum videre Gisfandis dub. 4. *Signum dæmoniaci poterat fieri per dæmones, quoniam superiores possunt expellere inferiores: ideo volebant aliquod signum videre, quod à solo Deo effici potest.* Male perebant Iudæi, cum miracula à Deo fiant, & ei tanquam origini sint referenda, fol. 45. dub. 57. Non cognoscebant miraculum in dæmoniaco factum, ex eorum mala voluntate, habebant confusum intellectum, sicut confusum habebant affectum. Cæcitas intellectus ex mala voluntate prouenit, fol. 341. dub. 5. Et cum multa signa passim fierent à Christo, alia signa petunt, ita erant obtenebrati, vt manifesta signa, nec caperent, nec viderent, quia in peccato erant, & peccatum confundit, & hebetat intellectum, vt non cognoscat veritatem, fol. 92. dub. 113.

Generatio mala, & adultera. Caietanus: *Vere generatio secundum originem in se mala, & adultera, quia imitabantur malos, & adulteros patres, qui occiderunt Prophetas, qui fornicati sunt cum idolis.* Generationem malam, & adulteram vocat eos Dominus, innuens quod à suis progenitoribus hæreditariæ hanc malitiam acceperunt, quia ex malo matre malus filius, fol. 209. dub. 3. & fol. 115. dub. 82. Filius quoque sequitur consilium mentem, & animum patris sui, fol. 210. dub. 6. Ideo conuenienter exprobrat Christus Scribas, & Pharisæos, quia exprobrandus est filius, qui malos æmulatur parentum mores, ibi, dub. 7. Vel generationem malam appellat eos, qui bilingues erant, in præsentia vocabant eum Magistrum, in absentia non, in præsentia, benè, in absentia malè loquebantur de eo, fol. 252. dub. 2. Eos asperis verbis tractat, quasi reijciens eos à se, quia adulatores erant, & Deos à se longè reijcit adulatores fol. 132. dub. 1.

Generatio mala, & adultera. Mitissimus erat Dominus, & tamen alperrimè eos increpat, quia Scribæ, & Pharisæi duri erant, & homines duri, durè sunt arguendi, fol. 316. dub. 6. Et reprehensio dura danda est superbis, & duris, lenis verò humilibus, ibi. Vel Dominus rigidè arguit eos, quia mansuetus cum rigore debet arguere, rigidus verò cum lenitate reprehendere fol. 317. dub. 6. 2. R.

Generatio mala, & peruersa. Abulensis: *Iudæi maximè gloriabantur, quod essent filij Abrahæ, ipsumque minimè imitabantur.* Eos reprehendit, quia quamuis ab Abrahamo genus ducerent, tamen ab eius virtutibus defecerant, & ignominiosus est filius, quia à virtute patris decisit, & deficit, fol. 209. dub. 4.

Generatio mala, & adultera, Iudæi maximè gloriabantur de generis nobilitate, & inde eorum generationem malam dicit, & damnat, quia dolose petebant signum. Mali bifrontes sunt, & versipiles, iusti verò simplices, & candidi, fol. 64. dub. 130. in fin. Et nota, quod Christus durè loquitur Pharisæis, Samaritanæ verò leniter, quia Prælatus varias figuras prout necessitas exigit, debet mutare, fol. 43. dub. 48. Ideo fauoribus, & austeritatibus subditos debet regere, fol. 43. dub. 44. Vel vocat generationem malam, & aduleteram, obijciendo eis malitiam suorum parentum. Defectus enim patris filijs obijciuntur, fol. 210. dub. 73. Resp.

Signum quærit. Hugo Cardinalis: *Signum de cœlo, & signum non dabitur ei nisi signum Propheræ. Contra Nonne signum fuit Lazari suscitatio, Ioann. 11. Item Ioann. 12. Vox de cœlo audita est quasi tonitruum, & Sol obscuratus est, Matth. 27. Solutio, id est, dabitur eis signum mortis, non potentiæ, vt Resurrectionis, & Ascensionis, quia resurgentem non viderunt, neque ascendentem in cœlum.* Iudæi signum de cœlo quærebant, vt tonitruum tempore Samuelis, 1. Reg. 7. Igne tempore Eliæ, 3. Reg. 18. Tamen Dominus non dedit eis nisi signum mortis eius quam viderunt, vt doceat Principes, quod si multum ab eis petatur, aliquid concedant petenti, fol. 317. dub. 3.

Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Caietanus: *Pœnam generationis illius postquam descripsit in futura vita, describit modo, etiam in præsenti vita. Prædixit enim eis quod in iudicio resurrectionis tempore condemnabuntur. & modo prædicit, quod etiam in præsenti vita peiora patientur quam patres sui passi fuerunt, & ad hoc affert parabolam de reciduo statu vnius hominis habitati à dæmone. Sic erit, & generationi huic pessimæ. Longè peiora euenerunt generationi illi, quam omnibus prioribus generationibus: nam gens illa habita alias fuit a dæmone, & vexata multis malis, curataque est mediante Moyse, & Propheris, sed post Resurrectionem Christi, & cætera habitatur vsque in hodiernum diem ab vniuersis dæmonibus, affecta est obstinata, & in sua perfidia contra Messiam perseuerans, quod est peius omnibus prioribus.* Pœnam quam habituri sunt in præsenti, & in futuro eis denuntiat Dominus, vt minas Dei timeant, vnde quia Iudæi minas Domini non timuerunt, in futuro punientur ab eo, fol. 334. dub. 5. In præsenti quoque vita multis malis afficiuntur & non sentiunt, quia in sua malitia obstinati. Peccator enim obstinatus, etiamsi laboribus opprimatur, non sentit, fol. 59. dub. 110.

Ecce Mater tua, & fratres tui foras stant. Diuus Chrisostom. apud Hugonem : *Vidit diabolus, quia persuadebat Christus populo, quod esset Filius Dei, dicens, ecce plusquam Salomon hic, & plusquam Ionàs ; timens ne derelinquatur, ad impediendos Sermones eius introduxit parentes eius carnales, vt per illorum contemplationem Diuinitatis eius obscuraret verba. Ideo venit aliquis quasi diaboli aduocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur. Ecce Mater tua, quasi dicat quid gloriaris in cœlo, qui radices habes in terra? Non potest esse Filius Dei, quem homines genuerunt.* Diaboli aduocatus impugnabat Christum, quia diabolus grauius impugnat homines per homines quam per se ipsum, fol. 104. dub. 36.

Quærentes te. Mater eius, & fratres, id est, consanguinei (more enim scripturæ vocantur fratres, consanguinei) quærebant Christum, & inuenerunt : Christus enim facile à quærentibus inuenitur, fol. 1. dub 2.

Quicumque fecerit voluntatem patris mei, ipse meus frater, soror, & mater est. Qui enim voluntatem patris facit, filius patris est, & voluntatem patris in ijs quæ bona sunt debet exequi. Vnde qui voluntatem Christi non facit, nec frater, nec soror Christi est, fol. 341. dub. 4. Imo qui voluntatem Domini sciuit, & non fecit, plus punietur quam is qui ignorauit, fol. 341. dub. 6.

Feria 6. post 1. Domin. Quadragesimæ, Ioanni 5 vers. 1.

Est autem Ierosolimis probatica piscina. In qua infirmi salutarem medicinam compabant. Diuina enim prouidencia infirmitatibus nostris ex peccato prouenientibus, remedia prouidit, fol. 15. dub. 44.

Iacebat multitudo magna languentium. Hugo Cardinalis: *Verbum iacendi notat mansionem.* Iacebat multitudo languentium tanquam immorantes in languore peccatorum. Peccatores enim in peccatis suis persistunt, fol. 22. dub. 71.

Aridorum. Hominum, scilicet, inutilium, quia aridus est, qui alijs inutilis est, fol. 14. dub. 41.

Multitudo magna languentium cæcorum, claudorum, & aridorum. Hugo Cardinalis: *Cæcorum quibus nulla est sanitas naturalis, quia à priuatione ad habitum, vbi destructa est potentia recipiendi, non est regressio cursu naturæ. Claudorum qui vitiata siue distorta habebant membra. Aridorum quibus in musculis membrorum non tantum est obstructus meatus spiritus, sed etiam meatus nutrimenti, & posuit ista tria, quia in omnibus nulla est cura naturalis.* In his nulla erat cura naturalis, vt sanati mediante aqua piscinæ (quæ virtutem habebat à voluntate Diuina, vt notat Hugo Cardinalis) Deus cognosceretur Author illius beneficij. Vult enim Deus cognosci Author suorum beneficiorum, fol. 4. dub. 14. fol. 17. dub. 53. fol. 120. dub. 6. fol. 183. dub. 10.

Descendebat Angelus, & mouebat aquam. Non vero aliquem sanabat infirmum, sed tanquam bonus Minister in suo se munere exercebat, quod ad commotionem tantum aquarum erat. Minister enim Principis, vel Prælati, manum acceptam non extendat pro libito suo, sed pro Principis, vel Prælati voluntate, fol. 49. dub. 68. 3. Resp.

Angelus autem Domini descendebat, & mouebat aquam. Mittebatur Minister Domini Angelus, vt moueret aquam, vt instruat Principes, & Prælatos, quod Ministros habeant ad negotiorum expeditionem, fol. 27. dub. 85. Vnde Prælato graue onus est Prælatio si non habeat sufficientes Ministros, & leue si habeat necessarios, fol. 305. dub. 2.

Angelus Domini descendebat. Inuisibiliter veniebat, & mouebat aquam, nec ab aliquo videbatur. Descendebat clam ad beneficium sanitatis, quod expectabant languidi ex descensu Angeli. Quia benefactor clam debet conferre beneficia, fol. 156. dub. 6.

Angelus Domini descendebat. Hugo Cardinalis : *Potest dici, quod in aqua erat quædam potentia sanatiua materialis, & passiua, in Angelo autem quasi actiua, & completiua.* Aqua ex voluntate Diuina habebat vim passiuam, & Angelus actiue, & completiue ex eius descensu, vt benefaceret infirmis tanquam Dei Minister. Ministri enim propter Principem, cui ministrant, beneficia exhibent, cui Princeps beneficia largitur, fol. 155. dub. 4. fol. 37. dub. 20.

Angelus autem Domini descendebat. Gilandis ex D. Chrisostomo: *Angelus Domini descendens turbabat aquam, & sanatiuam imponebat virtutem.* Vt suppleret defectum quem habebat aqua ad sanandum, erudiens Principes, & Rectores, quod defectus Reipublicæ suppleant, fol. 56. dub 19.

Descendebat secundum tempus. Alij legunt: *Secundum opportunitatem.* Vt doceat, quod nacta occasione, & congruo tempore agendum est, fol. 279. dub. 2. & fol. 312. dub. 2.

Et qui prior descendebat sanabatur. In illo vno qui prior descendebat in piscinam, notatur magna diligentia ad obtinendam salutem. In re enim salutis, non est super sedendum, sed festinandum, fol. 322. dub. 3.

Sanus fiebat. Dicunt aliqui cum Magistro Historiæ Scholasticę. Hugon. & Lyran. Quod Lignum Sanctæ Crucis fuerat in eodem loco defossum per Salomonem admonitum per Reginam Sabà, quæ noluit transire super illud, quia in eo debebat suspendi quidam

Rex

Rex Israel, & ab illo ligno virtutem sanatiuam habebat aqua, quommodo illud lignum talem virtutem habebat tunc, cum adhuc Christus non fuisset in eo crucifixus? Resp. S. Vincentius Ferrer: *Quod talem virtutem habebat propter significationem. Sicut Numeror. 21. De serpente æneo, quem aspicientes sanabantur à percussionibus serpentum, & hoc propter significationem Passionis Christi, qui debebat in ligno poni.* Lignum conferebat virtutem sanatiuam aquæ, ad significandum, quod per Lignum Crucis futura erat salus homini. Signis enim ostendit Dominus beneficium, quod largiturus est, fol. 77. dub. 51. 4. Resp.

Sanus fiebat. Non erat necessaria virtus actiua in aqua superflua esset, quia ex descensu Angeli mouentis aquam, vel ex ligno Crucis ibi defosso vim habebat, vt instruamur, quod superflua sunt vitanda, fol. 37. dub. 20.

Triginta, & octo annos habens in infirmitate sua. Hugo Cardinalis: *Ecce describit eum à patientia in longitudine infirmitatis, & hæc omnia faciebant eum approximare saluti, quæ est per Christum.* Infirmus iste typum gerebat peccatoris, qui triginta & octo annos habebat in infirmitate sua, id Domino permittente, vt multis doloribus vexatus, reuerteretur ad Dominum. Deus enim laboribus vexat peccatores, vt resipiscant, & emendentur, fol. 91. dub. 106. Vel quia multis doloribus quos sustinebat paraliticus, significabat Dominus labores multos quibus premit peccatores, fol. 87. dub. 89. Vel ideo triginta & octo annos habebat in infirmitate sua, quia infirmitas ex peccato prouenie bat, & diuturnitas laborum supplicium erat peccati. Labores enim peccatoribus sunt supplicia, fol. 91. dub. 105. Vnde aduersitate affliguntur peccatores propter suam malitiam, non veto cum iuste viuunt, fol. 135. dub. 6.

Vis sanus fieri. Hugo Cardinalis: *Requirit voluntatem hominis, quia non iustificat inuitum: non enim vult Deus coacta seruitia. Ecclesiastici 15. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi. In nobis ergo est si volumus recipere eius salutem, quæ præsto est, & quam offert Deus.* Dominus interrogat eum alliciens eius consensum, in quo significatur, quod dissentiens non curatur ab infirmitate spirituali, quia ponit impedimentum. Vnde vt opus nostræ salutis operemur duo requiruntur, & operatio humana, & cooperatio Diuina, fol. 46. dub. 61.

Vis sanus fieri. Hugo Cardinalis: *Non dicit, vis te curabo? Quia nihil magnum adhuc de Christo suspicabatur, sed in vniuersali erigit eum ad fidem.* Quia fides necessaria est ad Diuina beneficia obtinenda, fol. 205. dub. 2.

Vis sanus fieri. Vide Dominica in Quinquagesima: *Quid tibi vis faciam, vis sanus fieri?* Non petit homo infirmus, & tamen Christus sanitatem offert, quia magnum est beneficium, cum nulla supplicatione præmissa confertur, fol. 3. dub. 10. 2. Resp.

Domine. Gistandis ex D. Chrisost. *Opinabatur autem fortasse vtilem sibi fore Christum ad mittendum eum in aquam.* Infirmus cum egeret Christo, vt mitteret in piscinam, Dominum vocauit. Homo enim valde colit eum, cuius ope in necessitate eget, fol. 266. dub. 3.

Hominem non habeo. Homo iste humilis valde, & pauper erat, vnde non nominatur, vt ait Hugo Cardinalis: *Quidam homo, non ponit nomen eius, vt innuat humilitatem eius, & paupertatem.* Non habebat hominem, qui mitteret eum in piscinam, quia humilis, abiectus, & pauper erat. Christus vero eum vidit iacentem, & sanauit. Principes abiectos, & pauperes homines non curant, Dei vero prouidentia vsque ad minimos se extendit, fol. 311. dub. 5. Ideo Prælatus obliuioni non tradat subditos, etiam minimos, & despectos, sed eorum sit semper memor, fol. 121. dub. 9. Et Rex erga vassalos suos licet parui sint, tanquam frater cura, & amore se debet gerere, fol. 318. dub. 5.

Dicit Iesus: surge. Non statim eum sanauit, cum vidit illum iacentem, sed postquam interrogauit eum *vis sanus fieri*, dicit infirmo, *surge*, distulit sanitatem. Quia Deus necessitatibus nostris differt occurrere, vt liberati gratias agamus, fol. 267. dub. 5. Vel dicit Iesus, surge, vt magni æstimet beneficium, post tam longam infirmitatem, fol. 154. dub. 5.

Tolle grabatum tuum. Caietanus: *Non solum vires ad surgendum, & tollendum grabatum, sed ad ambulandum portando onus, collatæ sunt.* Quia ex vno beneficio collato infirmo, motus fuit ad alium conferendum, fol. 29. dub. 93. fol. 123. dub. 18. Vel dedit illi salutem quam exoptabat, insuper & vires, quia liberalis plus largitur, quam abeo petatur, fol. 251. dub. 7.

Tolle grabatum tuum. Sanus factus, grabato oneratur, vt tanti beneficij non sit oblitus & memor sit. Qui beneficium accipit sui benefactoris non obliuiscatur, fol. 121. dub. 11. 2. Resp. fol. 117. dub. 93. Sed heu, homo in prosperitate benefactoris obliuiscitur, in aduersitate memor est, fol. 49. dub. 69.

Ne deterius tibi aliquid contingat. Caietanus: *Tum recidiuum peccatum. Tum noua ingratitudo deterius aliquid meretur.* Quia qui peccatis addit peccata, grauissime punitur, fol. 89. dub. 98.

Noli amplius peccare. Quia iteratio peccatorum abominaliorem quam antea reddit

pec-

peccatorem, fol. 295. dub. 12. Peccatique iteratio, maius peccatum est, & nimis vituperabile, ibi. Vel dicit, *noli amplius peccare*, quia beneficium acceptum adstringit hominem, vt abstineat ab offensa benefactoris, fol. 157. dub. 6. Beneficiaque Dei recipere, & Deum offendere est grauissimum genus peccandi, ibi. Vel dicit, *noli amplius peccare*, quia vitiosi ad tempus à peccatis abstinent, postea tamen idem repetunt sceleus, fol. 345. dub. 3.

Dominic. 2. Quadrag. Math. 17. Vers. 1.

Et post dies sex Gistandis: *Vt dicitur Matthæi 16. & Marci 8. & Lucæ 9. Dominus promisserat Discipulis dicens sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in Regno suo, volens ergo ostendere quid est illa gloria in qua postea venturus est, in præsenti vita reuelauit. Transactis igitur sex diebus post dictam promissionem illos duxit in montem.* Promissa enim non sunt frangenda, sed standum promissis, fol. 188. dub. 4. Promissis deficere maximum dedecus est, fol. 309. dub. 3. Vnde Deus promissa sua adimplet iustis, ibi. dub. 5. Et principalium virorum est præstare, & exequi, quæ promittuntur, fol. 310. dub. 6. Nec placent Deo hominum oblationes, si promissa non implent, ibi. Ideo promissa implenda sunt, cum expediunt vtilitati eorum, quibus promittuntur, ibi. dub. 4.

Post dies sex. Non duxit eos statim, ac promisit in montem excelsum videre gloriam suam, sed post sex dies, quia fauores, beneficia non sunt statim largienda cum promittuntur, ac petuntur, sed mora, & tempore interueniente, fol. 43 dub. 47.

Petrum, ac Iacobum, ac Ioannem. Gistandis: *Lyra dicit, quod isti tres excellebant alios, quia Petrus excellebat in feruore fidei, & ideo sibi traditæ sunt claues Regni Cœlorum, Ioannes in prærogatiua virginitatis, & ideo erat Christo magis familiaris: Iacobus autem in martyrio assumpto, quia primus inter Apostolos martyrio est coronatus.* Ex omnibus Discipulis hos tres assumpsit, quia virtute cæteris erant potiores. Qui singulariter Deum attendit, amplissimo fauore decoratur ab eo, fol. 125. dub. 26. Et Deus ex iure honorat iustos singulari honore ob præclarissima merita, ibi. dub. 27. Ideo honor, & fauor prius deferendus est præstantissimis, quam minus excellentibus, fol. 225. dub. 1.

Petrum, ac Ioannem, & Iacobum. Tres Discipuli præstantiores erant aliis, & ex fauore Christi eis impenso, dignoscitur præstantia eorum super alios, fol. 203. dub. 4. fol. 204. dub. 8.

Petrum, ac Ioannem, & Iacobum. Hos singulariter elegit, quia fauores non debent esse communes, & vulgares, sed deferendi sunt illustribus, & dignioribus, fol. 203. dub. 3.

Petrum, ac Ioannem, & Iacobum. Alios Discipulos secum non assumpsit ad ostendendam gloriam suam, sed hos adduxit præ cæteris, quia maior habetur fauor paucis singulariter concessus, & aliis negatus, fol. 205. dub. 10.

In montem excelsum seorsum. D. Chrisost. in Catena. D. Thomæ: *Seorsum ducit, vt reliqui Discipuli nihil patiantur humanum, id est, aliquem inuidiæ motum.* Non duxit Dominus in montem excelsum separatum ab hominum comercio, ne alij Discipuli viderent, quod isti præ cæteris fauoribus prosequebantur, ad inuidiam prouocarentur. Fauores Prælati manifeste ostensi alios ad inuidiam prouocant, fol 101. dub. 19. & 21. Vnde qui publice, & non secreto impendit fauorem alijs, timeat damnum sibi inferendum, fol. 204. dub. 9.

In montem excelsum seorsum. Hugo Cardinalis: *Seorsum à strepitu mundi.* Non infrequentia Ciuitatis, sed in secessu à negotijs, & hominum tumultu ducit eos, vt videant gloriam suam: à mundi enim strepitu subducit, quia qui terrenis rebus implicantur, priuantur Diuinis fauoribus, fol. 24. dub. 77.

In montem excelsum, vt post laborem itineris haberent requiem, vnde requies patriæ dabitur post labores, fol. 33. dub. 6.

Seorsum, ab alijs Discipulis fauet illis Dominus ostendens gloriam suam, vt in magna æstimatione habeant fauorem. Quod enim datur omnibus indiuise, nec seorsum ab alijs. pro pauco, & exiguo extimatur à recipiente, fol. 184. dub. 4.

Transfiguratus est ante eos. Hugo Cardinalis: *Nota quod quidam se figurant, alij defigurant, alij transfigurant, figurant se mulieres, quæ se pingunt. Talibus dicitur Isaiæ 57. ornasti te regio vnguento. Tales volunt Domino contradicere dicenti, Matth. 5. Non potest vnum capillum album facere, nec nigrum. Difigurant se hypocritæ, & tentani. Matth. 6. Exterminant facies suas, & alij se transfigurant modo de vna forma in aliam. Hij sunt inaniter gloriantes, qui sunt sicut camaleon: sic transfigurari non est bonum, sed sicut transfiguratus est Dominus.* Multi varias figuras sumunt, secundum quod volunt placere mundo, vel Deo.

Resplenduit facies eius sicut Sol. Gistandis, vt colligitur ex D. Chrisost. *super Matthæum, multo clarior Sole resplenduit facies Christi, sed quia in hoc mundo, nil clarius Sole refulget, & nil albius niue inuenitur, ideo Euangelista posuit exemplum de Sole, & niue quo ad vestimenta, quamuis niui excesserint in albedine.* Splendor vultus Christi excellentior erat luce Solis, & candor vestimentorum eius ma-

ior

ior albedine niuis: at quia in his sensibilibus non est quid lucidius Sole, nec candidius niue, splendor vultus comparatur Soli, albedo vestimentorum niui, vt per hoc palpabile exemplum ad notitiam inuisibilis gloriæ veniamus: ex notis enim, & visibilibus ad inuisibilia deuenie ndum est, fol. 95. dub. 123.

Resplenduit facies eius sicut Sol. Non materiali Sole sed propria luce non aliena: at multi lucent non ex propr ijs, sed ex alieris, fol. 222. dub. 8. Et nota, quod cum repentina fuerit hæc transfiguratio, repentinus quenitor, nullus admiratur. quia a gloria animæ procedebat claritas corporis: at subitaneus hominis ornatus, & splendor suspicioni subiacet, fol. 17. dub. 48.

Resplenduit facies eius sicut Sol. D. Chrisostom. *Tantum splendoris adaptauit, quantum poterant ferre,* vt doceat Doctores, & Prædicatores capacitati auditorum se accomodare, fol. 3, dub. 10. fol. 95. dub. 123.

Resplenduit facies eius sicut Sol. Facies sunt iusti, quia sicut per faciem cognoscitur homo, sic per iustos cognoscitur Christus, facies ergo Christi, id est, iusti resplendet sicut Sol, quia iusti licet in mundo videantur obscuri, in Christo tamen lucent, fol. 19. dub. 59.

Apparuerunt Moyses, & Elias. S. Vincentius Ferrer: *Nullus aliorum ieiunauit Quadragesimam nisi isti duo Moyses, & Elias,* tanquam optimi ieiunatores apparent, vt videant gloriam Christi. Ieiunio enim beatitudo obtinetur, quia amittitur, fol. 94. dub. 111. 2. Resp. Vel vt innuant, quod qui ieiunant frequenter, quendam beatitudinis statum sortiuntur, fol. 50 dub. 72.

Apparuerunt Moyses, & Elias. D. Anselmus: *Moyses, & Elias apparuerunt, quia lex, & Prophetæ in alto celsioris intelligentiæ cernuntur cum Euangelio, ac concordia in dictis suis cum Euangelio.* Moyses legem, Elias Prophetas, ac proinde vterque totum antiquum Testamentum denotabat: ideo concorditer apparent in monte cum Authore Noui Testamenti Christo, vt vtriusque Testamenti concordia exprimatur. Nouum enim Testamentum congruit cum Veteri, fol. 120. dub. 2. 2. Resp.

Moyses, & Elias. D. Thomas: *Cum Christus transfigurari voluerit, vt gloriam suam hominibus ostenderet, ideo conueniens fuit, vt de præcedentibus ipsum testes adessent, scilicet, Moyses, & Elias & de sequentibus ipsum, scilicet, Petrus, Iacobus, & Ioannes, vt in ore duorum vel trium staret omne verbum.* Moyses, & Elias cũ tribus Apostolis astant Christo, quia in honoribus non est renuendum æquales habere socios, fol. 224. dub. 8. Vel quia Deus, & Principes volunt habere testes fauorum, quos impendunt, f. 204. dub. 7.

Moyses, & Elias. D. Lucas addit: *Visi in maiestate.* Origenes: *Visi in gloria.* Transfigu ratur Dominus Iesus in gloria, & tunc seruos suos ostendit in maiestate, quia bonus Princeps cum suis gloriam, & honorem partitur, fol. 56. dub. 95. Vnde Deus magis vult manifestari per ea quæ nobis communicat, quam per illa quæ ipse solus possidet, fol. 37. dub. 21. Vel Moyses, & Elias vocantur ad gloriam transfigurationis, quia viri prudentes fuerunt, magni consilij, cauti, & prouidi, vt innuat, quod prudentia ducit ad cœlum, fol. 312. dub. 4. Et quod prudentis conuersatio in cœlis est, ibi.

Loquentes cum eo. Moyses, & Elias ieiunauerunt, & familiariter loquuntur cum Christo. Ieiuni enim familiaritatem habent cum Deo, fatuti quasi à Deo ignorantur, fol. 79. d. 57. 2. Resp.

Loquentes cum eo. Scilicet, de Cruce, & morte eius. In gloria constituti non de proprijs commoditatibus, sed de bono communi loquebantur. Proprium Principis, & Ministri bonum debet vtilitati communi esse coniunctum, fol. 51. dub. 91. Vnde Deus, nec bonus Princeps suo commodo, sed aliorum prouidet, fol. 166. dub. 4. Homines quoque particulares, non particulari commodo, sed communi prouideant, fol. 165. dub. 2.

Loquentes cum eo. Cum Moyse, & Elia loquitur de consilio super genus humanum redimendum per mortem, nec alijs reuelat cordis secreta, quia arcana cordis paucis consiliarijs sunt reuelanda, fol. 173. dub. 7. Vel cum illis loquitur de consilio suo, quia mens, & intentio eorum nota erant, vnde nulli fidenda sunt consilia, quin prius cognoscatur fides, animus, intentio, fol. 174 dub. 8.

Bonum est nos hìc esse. Hugo Cardinalis: *Si stilla compellebat eum ita dicere, quid ergo erit de abyssali plenitudine. 1. Corint. 2. Oculus non vidit.* Gaudia beatitudinis excogitari non possunt, fol. 151. dub. 1. Superantque omnem dicendi copiam, fol. 35. dub. 1.

Faciamus hìc tria Tabernacula. Non dicit faciamus domos, sed Tabernacula, quæ non sunt permanentia, sed transitoria, vt innuat quod illi fauores transitorij erant: fauores enim, & gratiæ Principum transitoriæ sunt, tributa vero permanentia, fol. 202. dub. 2.

Faciamus hic tria Tabernacula. Petrus optimus Prælatus, qui sibi laborem in faciendo Tabernacula vult assumere, & ab hoc onere alios liberat. Bonus Prælatus sibi onerosa assumit, vt ab eis subditos liberet, fol. 63. dub. 12 743. Resp.

Faciamus hìc tria Tabernacula. D. Proculus: *Ex piscatore factus Tabernaculorum fabricator, dum Saluatorem his compellat verbis. Faciamus tria Tabernacula, tibi vnum, Eliæ vnum, Moysi vnum, nescien s quid diceret.* Petrus in piscatoris officio se exercuerat, nunc

in ædificatoris artem se ingerit. Ideo de ignorantia notatur: ignorantia enim est, quod vnusquisque non persistat in sua sphæra, *Vide Dom. 3. Aduentus, ego vox.*

Nemini dixeritis visionem hanc. Silentium indicit, quia fauores, & honores Principis secrete accepti, non sunt publicandi: fol. 324. dub. 2. Offenditur enim Deus, vel homo, cum fauores secreti collati reuelantur, ibi. sed heu, multoties contigit, quod secretum, quod vni, vel paucis reuelatur, statim ad aures omnium peruenit, ibi. dub. 1. Sciant tamen huiusmodi secretorum reuelatores, quod eorum fama damnum patietur irreparabile, fol. 325. dub. 3.

Feria 4. post Domin. 2. Quadragesimæ, Matth. 20 vers. 17.

Ecce ascendimus Ierosolimam. Non ait ascenditis, sed ascendimus, Christo ascendente Ierosolimam, Discipuli ascendunt, opera suo exemplo mouent alios ad similia: fol. 198. dub. 1. Vnde superiorum exemplum tam in bono, quam in malo non inuitat, sed cogit subditos ad similia, fol. 200. dub. 8.

Assumpsit duodecim Discipulos. Christus omnes vocat, nullum excludit. Acceptio enim personarum Deo obdibilis est, & à Prælato fugienda, fol. 27. dub. 84. Nec respicit personas, sed merita, vel de merita, fol. 31. dub. 1. Ideo in diuisum affectum omnibus ostendat, f. 34. dub. 10. Vnde æqualitas Prælatorum in fauoribus, mensura ut suarum actionum, fol. 6. d. 20. Æque que se habeat ad omnes, nec sit partialis, fol. 192. dub. 1. & fol. 223. dub. 2.

Assumpsit duodecim Discipulos. Omnes assumit, vt innuat, quod Prælatus sine subditis non potest reperiri, f. 11. dub. 31. 2. Resp.

Filius hominis tradetur. Dum Ierosolimam ascendunt, de passione, & morte sua loquitur, vt doceat, quod ad cœlestem Ierusalem per laborum tolerantiam tanquam per viam Regiam tenditur, fol. 91. d. 108. Et per pugnam, & bellum intratur in eam, fol. 96. dub. 127.

Filius hominis tradetur. D. Chrisost. apud Hugon. *Prædicit passionem suam, quia omnis aduersitas, quæ subito venit, nimis grauis est quam vero prænoscimus, & expectamus leuior inuenitur.* Aduersitates enim præuitæ minus sustinentem lædunt, fol. 136. dub. 10.

Tradetur flagellabitur crucifigetur. Traditionem, flagella, crucifixionem suam refert, quia labores laboribus succedunt continuo, fol. 90. dub. 101.

Et tertia die resurget. Hugo Cardinalis: *Ecce subiungit causam consolationis.* Dolores passionis temperat gloria resurrectionis, vt innuat, quod Deus mittit suis consolationes inter labores, fol. 178. dub. 6. Vel post quam loquutus est de aduersis in passione, postea loquitur de gaudio resurrectionis, vt doceat, quod bonis prius aduenium aduersa, deinde prospera, fol. 10. dub. 30. 3. Resp. Nec Deus mærorem præstat, quim aliquam consolationem non exhibeat. fol. 175. dub. 4. Consuenit quoque suis mærorem prius quam consolationem, & lætitiam suis infundere, fol. 178. dub. 7. Nec aliquem affligit, quim statim sequatur consolatio, fol. 98. dub. 9. Ideo afflictis solatium adferendum, lætaque miscenda tristibus, fol. 93. dub. 10. 2. Resp.

Tradetur, flagellabitur, resurget. Humilibus Discipulis Sacratissima Mysteria suæ passionis, & Resurrectionis reuelat, quia humilis præparatus est, vt Diuina Mysteria ei pareant, fol. 58. dub. 104. 2. Resp.

Adorans, & petens. D. Chrisost. in Cat. D. Thomæ: *Reuerentia exhibita petit, vt quod petierit sibi detur.* Ambitiosus enim multis se sub mittit, vt obtineat, fol. 22. dub. 71. 3. Resp. Et nota quod multi per hypocresim adorant, genua flectunt, & inclinant se, vt dignitatem obtineant, sed irridetur à diabolo, qui propter hypocrisim ad dignitatem assumitur, f. 194. dub. 9.

Adorans. Quandam speciem obsequij in adoratione exhibet, velut præsagium. quod filiorum dignitas quam petebat, quædam seruitus erat. Prælatio enim datur homini propter subditos, vt eos regat, seruusque sit eorum, fol. 318. dub. 4.

Tunc accessit adorans, & petens. Christus loquebatur de Passione sua, & morte, & mulier accessit petens honores pro filijs suis, qui superbe præ cæteris ambiebant dignitates, superbia ita excæcat ambientem, quod ratione non ducitur, neque iudicat, quod iustum est, fol. 329. dub. 3.

Et petens. B. Albertus Magnus: *Rogat mulier affectu propinquitatis, ac familiaritatis.* Iure consanguinitatis, ac propinquitatis merito, filijs suis præsumpsit extorquere Principatum, sed errauit mulier, quia caro, & sanguis non debent constituere Prælatum, sed Deus, fol. 27. dub. 87.

Et petens. D. Chrisostom. apud Hugonem Cardin. *Audacem fecerat eam naturum affectus.* Cum mulier esset mater, magno affectu tenebatur erga filios primasque sedes non pro se sollicita, sed pro filijs ambitiose petit. Parentes enim magis solliciti sunt pro filijs, quam pro se ipsis, fol. 114. dub. 79. 2. Resp. Vel pro se non petit sedem in Regno Christi, quia nouerat, quod mulier à præsidentia excludenda est, fol. 122. dub. 12.

Et petens. Abulensis: *Quia facilius concederet Christus Matri, quam Filijs, quia forte illa adiuuauerat Dominam nostram sororem suam ad nutriendum Christum.* Quia hæc mulier

adiud

adiuuit forsam B. Virginem quando nutriuit Christum, sedes petebat. & honores: putabat enim, quod Christus more aliorum qui honores impendunt propter aliquod acceptum obsequium, daret filijs. Sedes in Regno suo, sed hoc alienum erat à Christo, cum multi honores non dent nisi ei, qui bonum aliquod contulit. fol. 224. dub. 5.

Et petens. Abulensis: *Quia facilius concederet Christus matri, quam filijs, quia forte illa adiuuauerat Dominam nostram sororem suam ad nutriendum Christum.* Filij non per se, sed per matrem petunt primas sedes, & mater præsumpsit, quod Christus concederet ei petita, quia hæc mulier benefecit matri suæ, & adiuuit quando eum nutriuit, vnde pro præmio huius beneficij sedes petit, quia nouerat, quod Deus remunerat beneficia quæ alijs impendimus. fol. 58. dub. 104.

Vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram. D. Chrisost. apud Hugonem Cardin. *Quia diabolus Adam spoliauit per mulierem, istos separare volebat per matrem.* Conabatur diabolus seperare istos per matrem, & per matrem petebant sedes ad dexteram, & sinistram, quia diabolus, quod de se desperat, confidit de muliere. fol. 73. dub. 38.

Vnus ad dexteram, & alius ad sinistram. Lyranus: *Primatum Cathedræ petebant, in quo timebant Petrum sibi præferri.* Adhuc carnales erant Discipuli, & inuidia moti, quod Petrus præponeretur eis, sedes per matrem petunt. Inuidus enim non solum inuidet bona quæ in alijs reperiuntur, sed illa quæ sibi videntur alijs possibilia. fol. 66. dub. 7. Nec inuidus vult alium sibi præponi. fol. 102. dub. 22. 2. Resp.

Vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram. Mater curabat pro filijs temporalia, non spiritualia, vt innueret, quod corporum erat mater, non animarum, audi. D. Chrisost. *Alij filijs suis militias prouident, alij honores nemo salutem filijs suis prouident, perditionem illorum magno pretio comparant, salutem autem illorum, nec dono accipere volunt. Si viderint illos pauperes tristantur, si viderint potentes, nemo tristatur, vt ostendant, quod corporum sunt parentes, non animarum.*

Nescitis quid petatis. Quia vtilius est homini sub potestate alterius viuere quam in libertate. fol. 88. dub. 91. Vnde homines tanto licentius peccant, quanto minus sunt subiecti. fol. 293. dub. 11. Vel *nescitis quid petatis,* merito nescij reputantur, cum dexteram, & sinistram tanquam dignitates postulant, vt sedeant. Non enim dignitas ad requiem, sed ad laborem datur. fol. 39. dub. 29. Quia Prælatus non constituitur in dignitate, vt requiescat, sed vt laboret. fol. 307. dub. 9.

Nescitis quid petatis. Quia multoties ambitiosus contra se in damnum proprium honores ambit. fol. 148. dub. 8. Vel nescientiæ notam incurrunt, quia tantum sibi dignitatem cupiunt, debebatis alijs locum dare, neque omnia vobis assumere. fol. 14. dub. 4. 0. 2. Resp. Vel *nescitis quid petatis,* quia his sedebus semel obtentis, non satiabitur appetitus vester, sed alias dignitates ambitiose petetis, quia ambitiosus non satiatur. fol. 147. dub. 3. Vnde qui sunt in dignitate constituti, aliam ambiunt, tanquam proximiores ad eam, quia dignitati proximiores, ardentius dignitates ambiunt. fol. 147. dub. 2. Et cum iactura alterius ambiunt. ibi. dub. 4. Tamen pro ambitiosis nolunt haberi, excusant ambitionem, & palliant. fol. 148. dub. 6. Et nota, quod Dominus negat eis ex misericordia sedes primas, forte noxiæ essent illis: muneris enim Dei est vitare quæ noxia sunt. fol. 53. dub. 87. 2. Resp.

Potestis bibere Calicem quem ego bibiturus sum? Christus per mortem, & labores obtinuit Regnum Cœlorum, similiter, & nos per labores abtinebimus, quia qui ad Deum vult accedere, transire debet per flammas amoris, & gladium resecationis appetituum carnalium. fol. 95. dub. 125. Et cœlum per pugnam, & bellum intratur. fol. 96. dub. 127. Vnde Christus quos habuerit laborum socios, habebit beatitudinis consortes. fol. 151. dub. 7.

Potestis bibere Calicem quem ego bibiturus sum. Caietanus: *Ac si aperte diceret: ideo nescitis quid petatis in mea Resurrectione, quia putatis vos peruenturos ad Regnum meum sic viuentes, cum ego surgam à mortuis, sed longè aliter est, quia modus perueniendi ad Regnum meum est per Passionem, & mortem, & propterea examinate vires vestras, si potestis bibere Calicem Passionis, & occisionis.* Homo experientia discat, quid valeat, quid potest, quasque vires habeat ad agendum. fol. 221. dub. 4. Vel dicit potestis bibere Calicem quem ego bibiturus sum, vt ad sequelam suam eos excitet: vere enim sequitur Christum, qui eum imitatur in his quæ sustinuit. fol. 131. dub. 6. Ideo peccatores cernentes propriam miseriam, & Christi fœlicitatem, qui per passionem peruenit ad Regnum, Christi imitamini Passionem, & virtutem. fol. 100. dub. 17. 4. Resp.

Non est meum dare vobis. Quia distributio sedum pro qualitate meritorum facienda est. Vnde Deus gerit se erga hominem secundum merita, & demerita eius. fol. 258. dub. 5. Ideo Prælatus distribuat honores, & beneficia, secundum quod ei videtur iustum. f. 306. dub. 5.

Iesus autem vocauit eos ad se. Caietanus: *Vocauit eos decem, vt omnes simul proprius, familiarius, ac magis benigne reprehendat, duos quidem ambitionis, decem autem indignationis. Vna tamen, & eadem ratione, quia vna*

erat

erat radix peccati omnibus, scilicet, appetitus primatus : nam illi duo manifeste petierunt primas sedes, & iste decem indignitati sunt quod omnes ipsi postpositi sunt ab illis duobus: ex eodem siquidem more prouenit velle primatum, & nolle post poni. Omnes vocat, duos qui primatum appetebant, & decem, qui de hoc indigniti sunt, quia omnes primas sedes ambiebant, & omniū ora claudit: ambitiosis enim rollit Deus occasiones consequendi, quod ambiunt, fol. 146. dub. 1.

Feria 6. post 2. Domin. Quadragesimæ, Matth. 21. Vers. 33.

Homo erat Pater Familias. D. Chrisostom. *Deus dicitur homo nomine, non natura, similitudine, non veritate, qui Angelorum, & hominum natura Dominus, est benevolentia Pater.* Non dicitur Dominus, vel Princeps vineæ, sed Pater, vt explicet suum erga homines amorem. Vnde inclinatur ad amandam imaginem suam sicut homo sibi similem, fol. 27. dub. 85. Sed diabolus homini suadere nititur minorem esse amorem Dei erga nos, fol. 68. dub. 14. 2. Resp.

Qui plantauit vineam. Non in proprium commodum, sed in suorum vtilitatem, quia Deus consulit vtilitati temporali suorum, multaque eis largitur cum commodo eorum coniuncta, fol. 141. dub. 6. At multi beneficium, quod largiuntur in suam vtilitatem referunt, fol. 156. dub. 5. Nec Deus suam vtilitatem quærit, sed nostram, fol. 30. dub. 100. fol. 166. dub. 5. Vel cum plantat vineam Pater Familias nominatur : dignus est enim, quod dignitate præmineat, qui non sibi, sed aliorum vtilitati consulit, fol. 21. dub. 66. Ideo bonus Prælatus non sibi, sed subditorum consulat vtilitati, ibi. 2. Resp. At mali Prælati vtilitatem propriam potius curant, quam animarum, fol. 165. dub. 1.

Plantauit vineam. Nobilis erat Pater Familias, & vineam plantauit agricolis locandam, quia nobilitate excellentes ex sua dignitate mouentur ad benefaciendum, fol. 19. dub. 60. Ideo Principis magnitudo à beneficientia deprehenditur, fol. 20. dub. 64.

Sepem circundedit ei. Ad eam conseruandam. Bonus enim Princeps conseruare tenetur quæ facit, fol. 30. dub. 99. Vnde qui dat esse, debet dare conseruationem, fol. 17. dub. 49.

Sepem circundedit ei. Nempè legalibus præceptis quæ per sepem intelliguntur, vt notant: *Euthimius, & Theophilactus.* Seps enim lex est quæ coercet homines ne cadant, fol. 48. dub. 68.

Ædificauit turrim. Nec sepem, nec turres ædificauit Pater Familias, quia cum seps, & turris lex sit, Prælatus non multas turres, nec sepes, id est, leges debet imponere subditis, quia multitudo præceptorum periculosa est propter difficultatem in eorum implctione, fol. 54. dub. 89. At si multæ imponantur, ex amore non timore seruent subditi, & apparebunt lex vna, quia amor ex multis præceptis vnum, & leue facit, timor vero vnum, multa, & grauia reputat. fol. 249. dub. 2.

Plantauit vineam, sepem circundedit ei, ædificauit turrim. Non contentus est Pater Familias vineam plantare, insuper sepem circundedit, turrim ædificauit, torcular fodit, quia studium eius erat, curam habere singularium comoditatum agricolarum, fol. 46. d. 58. Vel sepem circundedit ei, turrim ædificauit, torcular fodit, vt multiplex esset in beneficijs conferendis. Ideo benefactor incipiens benefacere, non super sedeat à beneficijs, fol. 155. dub. 2.

Locauit eam agricolis. Vineam plantat, sepe circundedit, torcular fodit, turrim ædificauit, & vineam locauit agricolis, vt suis beneficijs astringeret agricolas. Beneficium enim hominem obstringit, fol. 57. dub. 102. fol. 157. dub. 6. Vnde ex beneficio accepto obligatur homo, fol. 27. dub. 86. 2. Resp.

Locauit eam agricolis. Ex gratia, nam beneficium ex iustitia non debetur, sed ex gratia datur, fol. 40. dub. 34.

Locauit eam agricolis. Vt ab agricolis maximè æstimaretur: beneficium enim quo magis particulare, eo magis æstimari debet, fol. 156. dub. 9. Vnde maior habetur fauor vni singulariter concessus, & alijs negatus, fol. 205. dub. 10.

Locauit eam agricolis. Vt in ea laborerent. Beneficia enim diligentia humana custodienda sunt, ne amittantur, fol. 47. dub. 64. 2. Resp.

Locauit eam agricolis. Non alijs, sed agricolis vineam locauit, qui capaces erant huius beneficij, agricolarum est in vinea laborare, vnde beneficia conferenda sunt illis, qui sunt capaces beneficij, fol. 125. dub 3. Vel locauit agricolis, vt eorum fidelitatem probaret. Principes enim tentent Ministros suos an fideles sint, fol. 54. dub. 87. 3. Resp.

Et locauit eam agricolis. Id est, Prælatis, vt sciant dignitatem non esse naturalem, & natiuam, sed datam, fol. 46. dub. 60.

Locauit eam agricolis. Multi intelligunt per agricolas Prælatos Ecclesiæ, quibus vinea Domini locatur, & bona Ecclesiæ dantur, vt sibi accipiant necessaria, non vt in superfluos vsus insumant, fol. 30. dub. 97.

Peregre profectus est. Hugo Cardinalis: *Profectus est Iudæos propter suam superbiam suo arbitrio relinquens.* Qui nusquam abest, sed vbique est, gessit se tanquam absentem, relinquens agricolas suæ voluntatis arbitrio, vt laborarent : Deus enim relinquit hominem

tem in sui arbitrij libertate, fol. 68. dub. 16.

Alium ceciderunt, alium occiderunt, alium lapidauerunt. Non satis fuit agricolis cedere vnum ex Ministris, quos Pater familias miſit, ſed alium occiderunt, & alium lapidauerunt, quia iniqui peccata peccatis addunt. Vnde peccatum vnum, alterum quaſi concatenatum ſecum fert, fol. 77. d. 35. Peccatumque inſequitur peccatorem, donec in multa peccata eum deijciat, fol. 103. dub. 31. 2. Reſp. Et ita excæcat peccatorem, quod peccatis addit peccata, fol. 294. dub. 1.

Verebuntur Filium meum. Cum Pater familias videret inſolentias, de eis adhuc malè non iudicat, ſed ex bonitate ſua videtur præſumere, quod filium ſuum verebuntur. Iuſtus enim de nullo malè ſuſpicatur, fol. 66. dub. 9.

Hic eſt hæres, venite occidamus eum. In corde meditati ſunt occidere hæredem, & executi ſunt occiſionem, ideo malæ cogitationes abijciendæ ſunt, ne in conſenſum lauatur homo, fol. 291. dub. 5. fol. 103. dub. 31.

Venite occidamus eum. Inſanabiles erant agricolæ, qui ex malitia peccabant. Ideo qui non ex imbecillitate, aut paſſione, ſed ex malitia peccat, inſanabilis, & incorregibilis eſt, fol. 290. dub. 1.

Venite occidamus eum. Pater familias non iratus fuit colonis, quia occiderunt Miniſtros ab eo miſſos, ſed patienter ſuſtinuit, ideo ad occiſionem hæredis ſe inuitant, quia peccator patientia taciturna Dei abutitur ad peccandum, fol. 73. dub. 36. & 37.

Venite occidamus eum. Colloquendo inter ſe ipſos, vnus alium inducit ad occiſionem, & grauiſsimè peccarunt. Maior enim culpa eſt inducere alios ad peccandum, quam peccatum ipſum committere, fol. 83. dub. 73. Et maxima pœna digni inuenti ſunt, quia qui alios ad peccatum inducit, indignus eſt, quod in conſpectu hominum appareat, nec à miſera fortuna emerget, fol. 85. dub. 82. 2. Reſp. Et ille qui alium ad peccatum trahit, grauiori pœna, quam ille qui peccat, puniendus, fol. 90. dub. 104.

Venite occidamus eum. Vinea locata erat colonis, & contra Patrem familias inſurgunt occidendo Miniſtros, & patris filium. Ingratus enim acceptum beneficium iniuria recompenſat, fol. 234. dub. 3. Et coniurant ſe homines contra benefactorem, ita vt oporteat benefactorem armis ſe munire, vt ſe ab illis defendat, f. 157. dub. 2.

Venite occidamus eum. Non ſunt contenti occiſione aliorum, inſuper occidunt hæredem, damnati erant agricolæ, & peccator damnatus maiora peccata iniit, fol. 105. dub. 38. Et qui lata via gradiuntur, ad mala præcipitantur, fol. 104. dub. 34.

Habebimus hæreditatem. Miniſtros occiderunt, & hæredem, vt vinea maneret apud eos. Auaritia enim omnibus peccatis exhibet facultatem, fol. 151. dub. 6.

Malos male perdet. Pater familias tolerauit colonos delinquentes, vſque ad tempus opportunum, vt perderet eos. Princeps toleret delinquentes vſque ad opportunum tempus, ne commoueatur populus, fol. 194. dub. 7.

Malos male perdet. Omnes qui fuerunt æquales in delicto, male perdet, vt ſint æquales in pœna, in pœna ſimiles erunt, qui fuerunt æquales in culpa, fol. 291. dub. 3. 2. Reſpond. fol. 302. dub. 5. fol. 107. dub. 51.

Vineam ſuam alijs locauit agricolis. Vineam quam maximè amabant, abſtulit ab eis, puniens eos. Punit enim Deus peccatorem in is, quæ magis amant, fol. 87. dub. 9. Vel vineam abſtulit ab eis, quia coloni mali Miniſtri erant, & Princeps iuſtè priuat malos Miniſtros honoribus, & dignitatibus, fol. 318. dub. 6. Vel vineam ſuam abſtulit ab eis, quia ingrati fuerunt, & Deus punit ingratum in bonis temporalibus, fol. 218. dub. 6.

Vineam ſuam alijs locauit agricolis. Vt agricolæ ex amiſsione vineæ torqueantur. Amiſſa enim fœlicitas maximè torquet, fol. 113. dub. 74. Et bonum amiſſum pœnam auget, fol. 94. dub. 120. Et in miſeria poſitus antiquæ fœlicitatis memoria torquetur, fol. 210. dub. 3. Vel vinea ablata fuit eis, & alijs data, vt videntes ſe vinea priuatos, & alios in ea ſucedentes, virtuti ſtudeant. Ideo peccatores cernentes propriam miſeriam, & aliorum fœlicitatem virtutem ſequantur, fol. 100. dub. 16. 4. R. Hac ratione fœlicitas aliena cum infœlicitate propria comparata, peccatorem reſipiſcere facit, fol. 210. dub. 2. Vel vinea auferetur ab eis poſtquam fuerit ablata, cognoſcant bonum quod amiſerunt. Excellentia enim boni tunc cognoſcitur, cum amittitur, fol. 75. dub. 55. Vnde increpandus eſt, qui bonum quod obtinuit, non conſeruauit, fol. 39. dub. 117. Vel vinea oblata eſt ab eis in pœnam ingratitudinis, Ingratitudo enim grauiter vindicatur

à Deo, fol. 233. dub. 2. Imo obligat, vt puniatur grauius propter ingratitudinem, qui minus deliquisset videtur, fol. 234. dub. 2. Ideo Deus aufert auxilium suum ab ingratis, & tradidit eos in manus aduersariorum, sicut Iudæi, de quibus agit hæc parabola, traditi sunt in manus inimicorum suorum propter ingratitudinem suam, fol. 234. dub. 4. Vel vinea ablata est ab eis, quia patrem familias læserunt occidendo Ministros, & filium. & qui Prælatum lædit, pœnas leuet, fol. 112. dub. 70. 2. R. Et nota quod Pater familias molestius tulit horum colonum ingratitudinem, quam occisionem seruorum, & filij: ægrius enim fertur ingratitudo, quam alia illata iniuria, fol. 234. dub. 5. Vel vineam abstulit ab agricolis, vt doceat homines abutentes diuinis beneficijs, sicut coloni abusi fuerunt, in alieno capite periculum facere, alieno que periculo discere, fol. 109. dub. 57. fol. 89. dub. 100.

Vineam suam alijs locauit agricolis. Coloni abstulerunt vineam ab hærede, & vinea ablata est ab eis, quia peccator per quæ peccat, punietur, fol. 75. dub. 44. fol. 85. dub. 81. fol. 116. dub. 88. fol. 346. dub. 6. Deus quoque gerit se cum peccatore, sicut peccator gerit secum Deo, fol. 292. dub. 8. Vel vinea ab eis aufertur, & alijs locatur. Quia peccator multa temporalia propter peccatum amittit, & alijs dantur, fol. 294. dub 2. Vel vinea ablata est ab eis in pœnam, quia voluntariè occiderunt Ministros, & hæredem, & peccata voluntatis impunita non manebunt, fol. 293. dub. 3.

Dominica 3. Quadragesimæ. Luc. 11. Vers. 14.

Erat Iesus eijciens dæmonium. Dominus Iesus in deserto dæmonium eiecit vno verbo, hic vero aliquali mora propter diuturnitatem dæmonis (moram enim denotat verbum *erat*) vitium quod in morem abijt difficille expellitur. Peccata enim recentia facile, vetusta vero difficillime auferuntur, fol. 79. dub. 56. Quia diabolus quem tenent propter peccatum, ita possidet quod difficillis sit curationis, f. 190. dub. 9.

Erat Iesus eiciens dæmonium. Quod vnum erat cum homine illo. Pecator enim diaboli est cibus, & vnum cum illo corpus efficitur per peccatum, fol. 85. dub. 80.

Et illud erat mutum. Gistandis, Dionus Chrisostomus ait: *Quod dæmon vtrumque auditum opilauit; scilicet, auditum, & visum, quoniam vt dicitur Matth. 12. dæmoniacus erat mutus, & cæcus, & dæmon cæcitatem induxit, & loquelam abstulit, quod patet, quia dicitur, & cum eiecisset dæmonium locutus est mutus.* Auditum, visum, loquelam abstulit, multaque mala intulit. Diabolus enim solum est potens ad inferendum malum, non vero bonum, f. 190. dub. 2.

Et illud erat mutum. Surdus quoque & cæcus, quia diabolus quem semel ingreditur, non sistit vsque quo plenius potentias, & animum possideat, fol. 190. dub. 8.

Et erat mutum. Cæcus quoque, quia diabolus impedit potentiam peccatoris, ne agnoscat, fol. 190. dub. 4.

Vel erat Iesus eijciens dæmonium. Tuens eum, & protegens. Eijciebat dæmonium à dæmoniaco, tanquam optimus Princeps, qui subditos ab inimicis tuetur, f. 317. dub. 1.

Erat Iesus eijciens dæmonium. Hugo Cardinalis: *Continuationem denotat præteritum imperfectum.* Illud *erat* moram denotat in eijciendo dæmonium. Cum tamen posset in instanti eum eijcere, vt inde homines viderent, quam magnum, & miraculosum sit opus conuersio peccatoris. Opus enim Diuinum, & insolutum est, quod ex malis boni procreentur, f. 5. dub. 14.

Locutus est mutus. Hugo Cardinalis: *Locutus est mutus, & audiuit similiter. Vnde tria miracula simul facta sunt in eo. Cæcus vidit, mutus locutus est, & dæmon expulsus est, & dæmoniacus liberatus est.* Multa beneficia contulit ei Dominus dæmonem expulit, visum, auditum, & loquelam restituit, à dæmone liberauit: Cum enim Deus incipit benefacere alicui, beneficia cumulat, & ex vno beneficio ad aliud excitatur, fol. 3. dub. 12. fol. 57. dub. 103.

Locutus est mutus. Homo iam loquebatur, & adhuc mutus dicitur. Qui enim fuit peccator, licet nunc meliorem vitam instituerit, pro peccatore habetur, fol. 291. dub 4. Et ex peccatore iustus, & in melius commutatus non priori nomine, sed illustriori appellandus erat, fol. 14. dub. 36. 2. R.

Locutus est mutus. Iuxta multorum sententiam locutus fuit in laudem Christi, vt doceat quod homo linguam suam aliorsum non dirigat, quam ad Deum prædicandum, fol. 62. dub. 24.

Locutus est mutus. Verba in laudem Chri-

Christus tanquam gratus suo benefactori: gratus enim debet esse animus in benefactorem, fol. 35. dub. 12. 2. Respondet. Et gratitudo erga benefactorem ingenita debet esse, fol. 39. dub. 28. Vnde non homo, sed brutum animal est, qui gratitudinem non recognoscit, fol. 61. dub. 114.

In Belzebuh Principe dæmoniorum, dæmonia eijcit. Caietanus: *Vt colorarent dicta sua dicunt, quod in virtute Principis dæmoniorum eijcit inferiores dæmones.* Mali vt se illustrent & alium infamant, fol. 252. dub. 4.

In Belzebuh dæmonia eijcit. Coram inimicis Christi hoc dicebant Pharisæi, vt male cogitarent de Christo. Ideo nullum verbum ex ore excidendum est nisi cum multi examine coram inimicis, ne detur eis occasio detrahendi, aut male cogitandi, fol. 252. dub. 6. Vnde ita loquendum est de proximo, vt non detur occasio, quod audientes quid sinistrum concipiant de eo, fol. 251. dub. 1.

In Belzebuh dæmonia eijcit. Hugo Cardinalis: *Inuidia non quærit quid dicat, sed solum, vt dicat. Item D. Chrisostom. Æmulatione non est malitia alia deterior. Adulter enim in breui complet peccatum suum, æmulator vero nunquam quiescit. Inuidia aliena bona non loquitur, ibi muta est, circa mala loquax. Ideo quando hoc Euangelium legitur, cantatur de Ioseph vendito ex inuidia fratrum intertia Dominica Quadragesimæ, ex hac Abel innocens occiditur, ex hac Dathan, & Abiron, & Maria contra Moysem insurgunt, ex hac sunt lites, & bella, quid inuidia non patitur alterius præmia nentiam.* Torquetur enim inuidus de exaltatione eius, cui inuidet, sicut Pharisæi videntes Christum hoc miraculo exaltatum, fol. 239. dub. 7.

In Belzebuh dæmonia eijcit. Ex loquela eorum, & Christi contemptu, colligitur, quam proclines essent Pharisæi ad scelera, quia loquacitas multorum scelerum causa est, fol. 67. dub. 11. Vnde linguam hominis non labi signum magnæ perfectionis, fol. 252. dub. 5. Et qui lingua non labitur, secum adfert signum suæ beatitudinis, ibi. dub. 5.

In Belzebuh dæmonia eijcit. Caietanus: *Faciunt Iesum non solum virum malum, sed pessimum magum, diuinaque opera fingunt diabolica.* Miraculum patratum, expulsio dæmonis. Principi dæmoniorum attribuunt, non in Christum, cum beneficium in eum à quo accipimus referendum sit, fol. 36. dub. 17. Vel pessimi erant Pharisæi, blaspheme asserentes Christum virtute dæmonis eijcere dæmonia. Iudicium enim bonum debebant formare de rebus non solum quæ bonæ sunt, sed quæ apparent bonæ, fol. 77. d. 33.

Signum quærebant de cœlo ex eo. Caietanus: *Si per cœlum intelligebant superiorem aerem ad Eliam, & Moysem expectant. Ille enim ignem, iste manna de cœlo attulit. Si vero de cœlo proprie loquuntur, ad Isaiam, & Iosue spectant: ille enim Solem per quindecim lineas retroduxit, iste autem Solem fixit in cœlo contra Gabaon.* Dominus tamen negauit eis signa quæ petebant, quia petenti aliquid melius est, quod ei negetur, quam quod concedatur, fol. 154. dub. 7.

Ipse autem, vt vidit cogitationes eorum. Quamuis illa verba: *In Belzebuth Principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Valde contumeliosa essent, tamen Christus non respondit nisi, vt vidit, seu sciuit cogitationes eorum, nam opera, & verba ab intentione ponderanda sunt, quia ab intentione bona, vel mala dicuntur: opera nostra ex corrupto affectu mala redduntur, fol. 72. dub. 34. Et ab intentione ad rectum finem illustrantur, vel bona, aut mala sunt, fol. 6. d. 20. 2. Resp.

Omne Regnum in se ipsum diuisum desolabitur. Hugo Cardinalis: *Ad litteram verum est. Diuus Hieronymus: Concordia parvæ res crescunt discordia maximæ dilabuntur. Oseæ 10. Diuisum est cor eorum nunc interibunt.* Etenim cum non est vnitas in Republica, pericula imminent, cum autem concordia prosperitas erit, fol. 194. dub. 1.

Si autem, & Sathanas in se ipsum diuisus est. Hugo Cardinalis: *Id est, Regnum eius quod est congregatio dæmonum, & malorum hominum, qui reuera nullam habent pacem ad inuicem, vel concordiam, Sap. 4. Multigena impiorum multitudo non erit vtilis.* Inter dæmones nulla concordia est, quia diabolus desidijs gaudet, diuisionibusque delectatur, fol. 193. dub. 5. Vnde membra eius homines, scilicet, improbæ vitæ diuisioni in populo vacant, fol. 194. dub. 2. Et Schismatici qui ad eum pertinent aduersantur Spiritui Sancti, qui amat vnitatem, & discordiam odit. fol. 193. dub. 3. Ideo diabolus, qui concordiam nescit, timet concordiæ vnitatem, fol. 193. d. 3.

Si in digito Dei eijcio dæmonia. Asserit Dominus, quod in digito Dei, hoc est, Spiritu Sancto, vt habet Diuus Matthæus, eijcit dæmonia, vt calumniam Pharisæorum refutet, & maculam qua falso aspersus fuerat deleret, honorique suo consuleret. Mala enim fama extergenda est, fol. 101. dub 2. Nam ex bona fama, & opinione homo accenditur ad bene operandum,

dum, fol. 202. d. 8. Et propriæ famæ ita consolendum, quod non detur occasio malæ suspicioni, fol. 201. dub. 5.

Beatus Venter. Dominus Iesus detrahitur à Pharisæis, & à muliere extollitur, quia tunc commendandus est homo, cum periclitatur eius fama, & opinio, fol. 201. dub. 6. & fol. 248. dub. 8. Et tuendus est, cum homines de illo male concipiunt, fol. 200. dub. 1. Vnde iustus potius tuetur famam alterius quam suam, fol. 202. dub. 7. Deus quoque contulit bonæ existimationi eorum qui pariuntur, ne aliquid mali de illis suspicetur, fol. 201. dub. 4. Vel Marcella famula Sanctæ Matthæ laudauit Christum à Pharisæis calumniatum, vt innueret, quod non sunt carpenda opera, quia laudabatur ab authoritate fœminæ præcellentis, fol. 8. dub. 25. Vel à Pharisæis calumniatur, & à Marcella laudatur, vt ostendat, quod homo magnus est, vel paruus, secundum quod vituperatur, vel laudatur, fol. 17. dub. 52. Et nota quod mulier non laudauit Christum de hoc opere, seu miraculo, quia Christus præsens erat, & opus laude non indiget, cum de præsentia Authoris constat, fol. 9. dub. 27.

Feria 4. Domin. 3. Quadragesimæ Matthæi 15. Vers. 1.

Tunc accedunt ad eum. Accesserunt ad Iesum, quia mitis, & suauis erat: vnde asperitas facit hominem inaccessibilem, fol. 115. dub. 59.

Quare Discipuli tui transgrediuntur. Caietanus: *Non inquirendo, sed arguendo, non solum Discipulos, sed retorquendo in Iesum transgressionem, inuehuntur.* Prælato enim tribuitur si subditus labatur in peccatum, fol. 78. dub. 54. 2. Resp. Actionesque subditorum adscribuntur Prælato, fol. 305. dub. 1. & 4.

Quare Discipuli tui. Pharisæi se ipsos non cognoscebant, & aliorum defectus prospiciebant. Homo enim se ipsum ignorat, & prolpicit aliena - fol. 56. dub. 94. Vel vitam aliorum curabant, vnde curioli erant, & ex curiositate in multa mala labebantur, ideo curiositas origo peccati est, fol. 72. dub. 32. Superbique erant, ideo de alienis defectibus curiosam habebant diligentiam, fol. 186. dub. 6.

Quare Discipuli tui transgrediuntur. Fœtida erat lingua eorum, quia lingua detractoris fœtida est, cum defectus aliorum denudat, fol. 252. dub. 3. Et multis comparatur lingua eius propter multas proprietates quas habet detractor, ibidem, dub. 3.

Quare Discipuli tui transgrediuntur. Omnibus Discipulis detrahunt, quia detractor omnibus æqualiter detrahit, nec vlli parcit, fol. 265. dub. 4. Vel prius laudant eos, quod sint Christi Discipuli, deinde defectus dicunt, quia conditio detractoris est, vt eum cui detrahere vult, prius commendet, & laudet, vt mala credantur, ibi. dub. 3. Vel Discipulos Christi nominant, eisque detrahunt, quia detractor verbis, vt apparent bonis, vt rit eum cui detrahit, f. 263. dub 5.

Quare Discipuli tui transgrediuntur. Iniqui Pharisæi, qui defectus publicabant, cum proximorum defectus occultandi sint, magnalia vero prædicanda, fol. 185. dub. 2. Ideo defectus dissimulandi sunt, & permittendi secundum qualitatem personæ in quo inueniuntur fol. 186. dub. 5.

Quare Discipuli tui transgrediuntur. Mirum valde fuit quod alios defectus non publicent Pharisæi, nec alios addant, cum mos sit detractorum defectus quos audiunt, & sciunt spargere, & multos de suo adijcere, fol. 186. dub. 7. At non sciebant alios defectus in Christi Discipulis, si autem viderent, omnes referrent, quia cum aliquis defectus de aliquo narratur, non sistitur vsque quo omnes quos habet, & habuit referantur, fol. 185. dub. 1. Vel Pharisæi inuidebant Discipulis Christi, & mirum fuit, quod falsa de Discipulis non dicerent: cum inuidus detractor nedum vera delicta, nedum dubia, sed falsa, & à se cognita, vt falsa proferat de alijs, fol. 238. dub. 3.

Non lauant manus suas. Quia Discipuli erant Christi, notabatur in eis, quod non lauabant manus; quilibet enim defectus maximè notatur in eo, qui virtuosus est, fol. 186. dub. 8. Et nota quod Discipuli Christi non curabant detractionem, imò paruipendebant, quia murmurationes æstimare, est puerile, & muliebre, despicere vero est virile, & forte, fol. 265. dub. 2.

Non lauant manus. Iudæi, & præcipuè Pharisæi frequenter tam ante mensam, quàm inter manducationem manus lauabant, vt ait Diuus Marcus cap. 7. vers. 3. *Pharisæi enim, & omnes Iudæi nisi crebro lauerint manus non manducant.* Apostoli vero licet lauarent manus ante prandium, vel cœnam ex decentia hominibus solita, non tamen crebro ter, aut quater inter manducandum, quod pertinebat ad circunstantiam illius statuti seniorum, quia singulæ circunstantiæ legis, & circa eam præceptam relinquendæ sunt prudentiæ humanæ, ideo

Dis-

Discipuli crebrò non lauabant manus inter manducandum, quia lauare, aut non lauare manus ter, aut quater, videbatur eis, quod eorum prudentia relinquebatur, fol. 53. dub. 85.

Non lauant manus. Licet Dominus non remoueret a suis Discipulis illam communem honestatem ante mensam lauandi manus, maximè cum Dominus arguat Simonem, inuitatus ad mensam *aquam pedibus meis non dedisti*, reprobauit tamen superstitiosas Iudæorum lotiones, quales erant ter, aut quater lauare manus inter manducandum leges enim eædem non possunt omnibus dari vniuersaliter, cum aliquibus sint inutiles, aliquibus vtiles pro varietate locorum, & personarum, fol. 53. dub. 86. 2. Resp. Præcepta quoque Prælati pro loco, & tempore debent mediocritatem habere, fol. 43. dub. 43. Et stricta præcepti coarctatio aliqua concessione mollienda est, fol. 49. dub. 69. 2. Resp.

Quare vos transgredimini mandatum Dei. Diuina præcepta displicebant eis; ideo transgrediebantur ea, quia præcepti displicentia causa peccati est, fol. 69. dub. 19. Vel transgrediebantur mandatum Dei, quia sicut studium bonorum est præcepta obseruare, ita malorum est ea perfringere, fol. 120. dub. 4. Vel non obseruabant mandatum, quia dubitabant an tale esset, & qui dubitat de re præcepta, an talis sit, propè est vt transgrediatur præceptum. fol. 69. dub. 22.

Propter traditionem vestram, quam timore obseruatis, quia homines timore potius, quam amore præcepta obseruant, fol. 70. dub. 24. 2. Resp. Vel non obseruabant mandatum Dei, quia Diuina præcepta, propter traditiones suas accusabant, simul, & Legislatorem. Vnde erant imperfecti obedientes, nam imperfectus obediens accusando præceptum, accusat præceptorem, fol. 69. dub. 19.

Propter traditionem vestram. Non multum ante aduentum Christi, editus fuit liber Hebraicus huiusmodi traditiones, & præcepta ad seruandam accurate legem perscribens, ne caderent Iudæi in legis transgressionem. Præcepta enim coercent homines ne cadant. fol. 48. dub. 58. Vnde si lex violatur, alio præcepto debent homines astringi, ne labantur, fol. 88. dub. 91. Et legibus adiungendi sunt Ministri à Prælatis, qui eas custodire faciant, ne prolabantur homines, sicut Pharisæi vtpote Ministri seniorum, traditiones seniorum custodire faciebant, fol. 95. dub. 124. 3. Resp.

Quare vos transgredimini mandatum Dei. Hugo Cardinalis: *Ad eos enim pertinet peccata arguere, qui nec æquali, nec inæquali, nec maiori inuoluti sunt crimine. Ioann. 8. Qui sine peccato est vestrum primus in illam lapidem mittat, lapidem obiurgationis, & reprehensionis.* His verbis arguit eos Dominus ostendens quod non erant digni Discipulos reprehendere de transgressione traditionum seniorum, cum ipsi sint transgressores mandatorum Dei. Non enim debet reprehendere alios, qui in delicto meretur reprehendi, fol. 116. dub. 89.

Quare & vos transgredimini. His verbis castigat Dominus Pharisæos detractores Discipulorum. Non enim vult Dominus murmurationem impunitam manere, fol. 264. dub. 1. Et murmurator à detractione non desistens, inauditus debet puniri, fol. 37. dub. 88. in fine. Et curat Deus punire detractionem, licet ille de quo detrahitur, dissimulet detractionem, sicut Discipuli Christi dissimulabant calumniam, fol. 185. dub. 3. Ideo lingua detractoria pœnas æternas loco præmij reportabit, fol. 265. dub. 52. Resp.

Honora patrem, & matrem. Hugo Cardinalis: *Nota quod grues dicuntur fouere parentes in senectute, honorant autem in duobus necessaria dando, & reuerentiam exhibendo, quæ duo Paulus vocat honorem debitum senibus: scilicet, Præsbyteris. 1. Timoth. 5. Qui benè præsunt Præsbyteri duplici honore digni habentur. D. Hieronymus. Honor in Scripturis, non tam in salutationibus, & officijs deferendis, quam in eleemosyna, & munerum collatione sentitur.* Filij honorant parentes, si labore manuum suarum parentes nutriant, fol. 127. dub. 32. 2. Resp.

Hypocritæ benè prophetauit de vobis Isaias: populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me. Dure loquitur eis Dominus, quia verbis simulabant aliud ab eo quod corde gestabant, & odiosum est Deo quod homo aliud opere simulet, & aliud corde gestet, fol. 66. dub. 6. in fine.

Populus hic labijs me honorat. Soli Scribæ, & Pharisæi accesserunt Discipulos accusantes, tamen Dominus totum populum arguit de eodem delicto, quia defectus vnius, vel aliquorum in omnes de eodem populo inducuntur, fol. 136. dub. 4.

Populus hic labijs me honorat. Arguit eos Dominus quod labijs solum eum honorent, quia non sufficit laudibus aliquem honorare, nisi operibus honoretur, fol. 224. dub. 6.

De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta. Hugo Cardinalis: *Cogitationes malæ contra seipsum, homicidia contra proximum, adulteria in idolatria, fornicationes in traditionibus, furta in auaritia, falsa testimonia, in falsa doctrina, blasphemiæ contra Deum.* Peccata enim radicem habent in corde, fol. 295. dub. 9.

Feria 6. post Domin. 3. Quadrages. Ioann. 4. vers. 1.

Venit in Ciuitatem Samariæ. Venit in Ciuitatem Samariæ, vt mulier Samaritana non periret, sed per doctrinam eam attraheret, ideo negligentes Prælati, vel de vnius subditi iactura puniendi sunt, f. 108. dub. 53.

Iesus ergo fatigatus ex itinere. Fatigatur Iesus, vt doceat Prælatos, quod proprio cum dispendio debent conferre vtilitati subditi, fol. 59. dub. 108. 2. Resp.

Iesus fatigatus ex itinere. Hugo Cardinalis: *Fatigatus, quia viros velociter ambulauerat, & causa huius esse potest salus illorum ad quos tendebat, quibus se citius voluit præsentare: & est quasi causa trahens, & alia vt daret nobis exemplum laboris in itinere, & opere prædicationis, vt dicit Chrisostomus.* Satisfaciebat Christus suo muneri, & obligationi, qualis erat salus animarum: vnde Prælato non est exprimenda sua obligatio, cum officio sit annexa, fol. 20. dub. 63.

Hora erat quasi sexta. Quando Sol maximè splendet, expectabat Dominus mulierem Samaritanam, & peccatricem, quia veniebat ad misericordiam exercendam. Misericordia Dei longanimis est, & misericorditer sustinet peccatorem quem punire potest, fol. 52. dub. 81. Et Dei misericordia splendet expectando peccatorem ad pœnitentiam, fol. 260. dub. 3.

Venit mulier de Samaria Fotina vocabatur, tamen nomen eius non exprimitur, quia iusti tantum nominantur apud Deum, non vero peccatores, qualis erat hæc mulier, fol. 57. dub. 101. Et nota, quod hæc mulier inops erat, & victitabat de ijs, quæ concubinarij ei dabant. Inhonestæ enim fœminæ, ex ijs quæ luxuria acquirunt victitant, fol. 253. dub. 1. Et cum ita lubrice viueret, plena erat amaritudine, quia luxuria plus amarescit quam delectat, fol. 253. dub. 4.

Da mihi bibere. Petit Christus à muliere aquam, tanquam eleemosynam, vt occasionem habeat maiora donandi, scilicet, gratiam. D. Chrisostom. *Fons vitæ iuxta fontem sedens bibere poscit non bibere volens, sed potum dare. Da mihi bibere, vt dem tibi bibendam aquam immortalitatis: ego enim salutem mortalium sitio non vt bibam sed vt potum præbeam Patrem imitor Deum: sic enim dixit Deus ad Abraham, Genes. 22. Offert mihi filium tuum Isaac in holocaustum. Non quod filium accipere vellet, id dixit, sed quod proprium filium orbi terrarum largire vellet.* Maiora enim promittit Deus liberali in pauperes, quam dat homo in pauperes munificus, fol. 198. dub. 7.

Da mihi bibere. Conuersionem mulieris exoptat Christus, & opera bona, vt æternam vitam donet. Hugo Cardinalis: *Quasi dicat: cito conuertere, & me potabis, quasi dicat: Tu sitis ad culpam, & ego sitio te ad gratiam, tu sitis tuam damnationem, ego tuam salutem, tu sitis diuitias, & ego eleemosynas sitio, & alia bona opera. D. Augustin. Mirum est, quod panis esurit, & fons sitit, via lassatur, sed hæc omnia propter nos. Vnde Ioann. 19. Sitio, salutem scilicet, peccatorum. Genes. 27. Cum Isaac cibos oblatos comedisset, obtulit Iacob, & vinum. Quo hausto dixit ad eum: accede ad me, & da mihi osculum fili mi. Accessit, & osculatus est eum, statimque, vt sensit vestimentorum eius fragrantiam, benedicens illi ait. ecce odor filij mei. Hic notantur quinque, cibus, potus, osculum, fragrantia, & benedictio, cibus boni operis, infra, meus cibus est, vinum compunctionis, osculum contemplationis, fragrantia bonæ opinionis, quæ omnia merentur benedictionem æternæ retributionis.*

Da mihi bibere. Aquam petit tanquam eleemosynam à muliere, vt spiritualem salutem mulier consequatur: maximè enim curat Deus salutem spiritualem munifici in pauperes, fol. 198. dub. 9. Vnde benignus erga pauperes credi potest, quod saluus erit, fol. 197. dub. 1.

Da mihi bibere. Hugo Cardinalis: *Tu sitis diuitias, & ego eleemosynas sitio.* Sed Samaritana noluit dare, fortam quia sola erat cum Christo: ac si coram Discipulis peteret Christus aquam, forte vanitate ducta aquam daret, quia multoties eleemosyna datur ex vanitate, fol. 196. dub. 2. Sed qui facit eleemosynam obcaptandum plausum hominum, priuatur mercede eleemosynæ, fol. 198. dub. 8. Vel noluit dare aquam Christo, quia putabat mulier magnum quid esse, quod daret: qui enim dat, multum dare, qui recipit, parum recipere sibi videtur, fol. 184. dub. 4. At dona etsi in se sint magna, in reputatione tamen dantis, parua habenda sunt, fol. 182. dub. 1.

Da mihi bibere. Hugo Cardinalis: *Dominus monet nos ad parcitatem, & sobrietatem, in hoc quod fatigatus sedet supra fontem, & petit aquam ad potum.* Sed homines istius temporis non possunt ita abstinere, sicut antiqui, cum natura sit debilior, fol. 129. dub. 1.

Da mihi bibere. Hugo Cardinalis: *Christus delitiosam vitam semper abiiciens, laboriosam vero constrictam, & cum labore parcam inducit, ex hoc vtique erudit non superflua petere. Ita enim vult a superfluis abuos nos esse, vt etiam ipsorum necessariorum multa abscindamus. Sic ergo Christus inuitat nos ad parcitatem in hoc, quod non vinum, sed aquam petit.* Vinum non petiuit Christus, sed aquam quæ sufficiebat ad recreationem hominis fatigati ex itinere: cibus enim necessarius sumendus

est

est post culpam, superfluus vitandus, fol. 129. dub. 1.

Vt cibos emerent. Hugo Cardinalis: *Cibos autem secum non portabant, quia decuit eos, qui futuri erant Doctores mundi, esse attentos continue in Doctrina Christi, & attendere ijs, quæ ab eo dicebantur, nec impediri cura, & sollicitudine mundi nisi cum vrgeret necessitas.* Discipuli Christi secum non portabant cibos, sed ierunt in Ciuitatem, vt emerent, quia viri Deo vacantes, temporalium prouidentiam non curant, à perfectione deficientes eiidem distrahuntur, fol. 75. dub. 47. 2. Resp.

Quommodo tu Iudæus cum sis, à me bibere petis aquam. Hugo Cardinalis: *Nota quod mulier secundum Chrisostomum hoc dicebat, quia nolebat, quod Christo, aliquis posset obuiare, & improperare ei quod frangeret legem. Pro se enim non quærebat ipsa, quia non erat prohibitum Samaritanis conti Iudæis, sed è contra, & ideo dicit non coutuntur Iudæi Samaritanis, & non è conuerso.* Charitas potius tuetur famam alterius quam propriam, fol. 202. dub. 7.

Si scires donum Dei. Donum Dei gratia est Spiritus Sancti, & bene dicitur Dei donum, quia gratia non est ex homine, sed à Deo, fol. 215. dub. 2.

Tu forsitam petisses ab eo. Hugo Cardinalis: *Quia non cogeris in quo notatur libertas arbitrij.* Deus enim non cogit voluntatem humanam, etiam in sui obsequium, sed relinquit hominem in libertate sui arbitrij, fol. 68. dub. 16.

Tu forsitam petisses ab eo. Hugo Cardinalis: *Ad nos dicit si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi da mihi bibere, quasi dicat si scires quam paratus est ad dandum, & quam feruens, & importunus est ad rogandum te de his, quæ sunt ad profectum tuum, tu forsitam petisses ab eo, id est fiduciam petendi concepisses. Quis enim desperet vbi offert se.* Gratia Dei quærenda est, nec Deus deserit quærentes eam, fol. 25. dub. 2.

Si scires donum Dei. In peccatis erat mulier, & hæc mysteria non intelligebat, vnde qui in statu gratiæ est, Diuina mysteria percipit, fol. 216. dub. 4. Vel quia lubrica erat non percipiebat Christi Doctrinam, ideo casti capaces efficiuntur cœlestis Doctrinæ, fol. 27. dub. 7.

Dedisset tibi aquam viuam. Hugo Cardinalis: *Aquam viuam dicit Spiritus Sancti gratiam, fecundantem in operibus bonis, viuificantem in virtute.* Vnde signum demonstrans adesse in homine gratiam, est operatio virtutum, fol. 38. dub. 23.

Domine da mihi hanc aquam. Gistan dis: *Appellauit eum Dominum propter oblationem factam de potu aquæ viuæ.* Reuerenter loquitur ad Christum mulier, quæ antea dixerat. Tu Iudæus cum sis: sperabat recipere ab eo aquam viuam, & cum videret Christum sibi vtilem futurum, magna reuerentia eum prosequitur. Qui enim ab alio beneficium expectat, valde vrbanus est erga eum, fol. 155. dub. 3.

Da mihi hanc aquam. Lyra: *Gratia non datur adultis de communi lege sine motu proprio in Deum.* Hugo Cardinalis: *Etsi Dominus gratiam paratus sit dare sicut habetur. 1. Pet. 1. Sperate in eam quæ vobis offertur gratiam, tam cor ad suscipiendum, & haurientem eam oportet habere, quia dicit Diuus Augustinus: qui te creauit sine te, non te iustificat sine te, id est, nisi cooperaris. Vnde Psalm. 8. Aperi os tuum, & implebo illud.* Deus non infundit homini secundum modum consuetum iustificandi suam gratiam, nisi illam desideret homo, quod est petere donum Dei, cum apud Deum istud desiderium, sit oratio, & petitio quæ iam, nec illam dat sine motu, & cooperatione hominis ex parte voluntatis. Cooperandum est enim Deo ad recipiendam gratiam, fol. 216. dub. 5. Et vt fructus virtutum in nobis germinent, fol. 36. dub. 18.

Non habeo virum. Virum habebat, illegitimum tamen, quo tanquam adultero potius quam viro vtebatur, verum non audebat dicere se virum habere præ verecundia. Peccator enim multa habet quibus erubescat, iusti vero nihil quod verecundentur, fol. 64. dub. 130. Vel erubescebat dicere peccatum suum, quia peccatum verecundiam causat in peccatore, fol. 81. dub. 64. Adeo quod ob verecundiam peccati emendetur, fol. 103. dub. 31. Vel erubescit dicere se virum adulterum habere, vt suam innuat conuersionem, quia qui pudorem habet peccati, remedium habet peccati, fol. 81. dub. 63.

Non habeo virum. Negat se habere virum, quia forte vir ille infimæ sortis erat, & erubescebat, quod peccasset propter infimum obiectum, fol. 41. dub. 38. Vel negat se habere virum, in quo excusauit tuum peccatum, & tam pernicioſum est culpam comissam excusare, ac non commissam commitere, fol. 82. dub. 68.

Non habeo virum. D. Chrisostom. *Cœpit deinceps sua peccata aperire mulier, cœpit deinceps confiteri, & dicere non habeo virum: iam enim in scortationis, & luxuriæ profundo de mersa sum. & virum non habeo.* Mulier confessa fuit crimen suum, vnde digna fuit venia: veniabilis enim est culpa quam sequitur confessio, fol. 107. dub. 50. Confessioneque peccati iram Dei effugauit, fol. 89. dub. 97. Et peccata præterita diminuit, quia qui peccatum suum confitetur, multum diminuit peccatum, fol. 82. dub. 71.

Quinque viros habuisti. Multo tempore distulit Dominus reprehensionem huius mulieris, vt correctionem reciperet, quia correctio vt recipiatur, interponendum est tempus inter culpam, & reprehensionem, fol. 76. dub. 49. 4. Resp. Vel Christus dicit: *Quinque viros habuisti*, vt mulieris facilitatem in peccando innuat: peccator enim facilis est ad peccandum, fol. 294. dub. 4.

Et hunc quem habes, non est tuus vir. Hunc virum fornicarium cum quo fornicabatur, abscondite habebat, & Christus peccatū occultum ei obijcit. Nullum enim peccatum occultum ita est, quod non deprehendatur, fol. 105. dub. 41. Vel dicit Dominus, quod quinque viros habuit, & hunc quem habet non esse suum, peccata mulieri obijcit, quia peccatori improperandum est peccatum, fol. 106. dub. 45. Vel Dominus dicit mulieri, quod quinque viros habuit, & modo quem habet non est suus vir, irascitur vitio mulieris, non mulieri, vt doceat Prælatos iratos vitijs subditorum, fol 241. dub. 8.

Non est tuus vir. Mulier erat concubinaria, & concubinatu polluta, tamen Dominus hominem concubinarium, vocat virum, vt doceat vocabulorum honestate vtendum in turpibus rebus nominandis, fol. 97. dub 3.

Non est tuus vir. Christus mira mansuetudine mulierem reprehendit, vt ad virtutem erigat, lenis ergo, & mansueta correctio Prælati, magis erigit subditorum virtutem, quam deijcit, fol. 255. dub. 2. Vel Dominus mansuete loquitur ad eam, vt ad se attraheret. Maior est enim virtus Prælati mansueti ad vincendos subditos, quam duri ad trahendos eos, fol. 255. dub. 3. Vel mansuete eam arguit, qui esperabat eius resipiscentiam, f. 316. dub. 4. Vel leniter eam corrigit, quia mulier humilis erat, & lenis reprehensio danda est humilibus, fol. 316. dub. 6.

Venerunt Discipuli eius, & mirabantur quod cum muliere loquebatur, at illi cum ea non sunt loquti, quia loqui cum muliere luxuriosa, potest timeri periculum, vnde maius periculum timeri potest ex conuictu cum luxurioso, quam cum infideli, fol. 254. dub. 6.

Reliquit ergo hydriam. Per hydriam, *B. Albertus Magnus*, intelligit voluptates carnales, reliquit ergo hydriā, id est, voluptates carnis, vt delectationibus æternis frueretur. Qui enim delectationibus carnalibus oblectatur, non transibit ad delectationes æternas, fol. 12. dub. 34. 4. Resp.

Abijt in Ciuitatem. Acceptagratia, & elicta suæ libertati. Deus enim dat homini suam gratiam, & superaddit alia dona, faciens quod ex parte sua est, relinquens hominem in manu consilij sui, fol. 40. dub. 35. Et nota quod de cætero à peccatis abstinuit, quia multis donis repleta: quæ enim multis donis cumulata erat, plus à peccatis abstinebat; fol. 95. dub. 124.

Dominica 4. Quadrag. Ioann. 6. vers. 1.

Abijt Iesus. Diuus Chrisostomus: *Cum Dominus in die Sabbathi sanasset iacentem in porticu Piscinæ, vt patet Ioannis 5. & incusarent de violatione Sabbathi: & multa Iesus loquutus fuisset Iudæis, qui ægre tulerant, recessit ab eis, vt daret locum iræ propterea Christus furorem ex præmissis sermonibus natum, secedendo mitigauit in Galilæam vadens.* Abijt ergo Iesus trans mare Galilææ, Iudæorum furorem declinans, eorumque iræ cedens, quia in periculo versatur vita hominis coram irato dum manet ira eius, fol. 126. dub. 2. Ab ira cundoque fugiendum est, ne prorumpat in opus, fol. 241. dub. 7. Et iræ Iudæorum dandus erat locus, vt tempore sedaretur, fol. 240. dub. 4.

Abijt Iesus. Victor Antiochenus: *Per hoc Christus Dominus Ecclesiæ Doctores, ac Pastores monet, ne externis curis perpetuo se det, sed priuatim sæpè, secretoque agentes animum colligant, eumdemque à publicis negotijs, & occupationibus quantum res patitur, identidem seuocent.* In re virtutis quærenda quies, vt vltra progrediatur, f. 33. d. 5. Vel Dominus reliquit Iudæam inundatione peccatorum diffusam, & abijt trans mare Galilææ, vt consortium iniquorum fugeret. Valde enim placet Deo, qui à consortio malorū fugit, fol. 125. dub. 24. Vel Christus abijt in desertum, vt contemplationi vacaret. Prælatus enim vitæ contemplatiuæ vacare debet, fol. 59. dub. 107.

Abijt trans mare. Victor Antiochenus: *Docet in verbi ministerio desudantes, non nunquam respirare, & interquiescere, maximè vero post ministerium absolutum.* Qui incumbunt aliorum vtilitati, siue prædicando, siue docendo, siue alijs negotijs vacando, oportet quiescere. Quiescendum est enim post laborem, fol. 33. dub. 6.

Sequebatur eum multitudo magna. D. Matthæus, & Diuus Marcus exprimunt loca, è quibus veniebant; scilicet, à Ciuitatibus quas relinquebant; scilicet, à pristinis conuersationibus. Vnde Diuus Hieronymus: *Secutæ sunt eum turbæ, relinquentes Ciuitates suas, hoc est, pristinas conuersationes.* Relinquebant Ciuitates, vbi multi laquei erant, & occasiones peccatorum, ad peccatum enim vitandum, oportet occasiones

pes

nes illius resecare, fol. 68. dub. 17.

Sequebatur eum multitudo magna. Hugo Cardinalis: *Alij sequebantur, vt pascerentur ab eo, vnde Ioannis. Quæretis me, non quia vidistis signa, sed quia ex panibus manducastis, & saturati estis.* Aliqui sequebantur Christum ex necessitate quam patiebantur. In necessitate enim homo memoratur Dei, fol. 49. dub. 69. Vnde Deus multoties vult hominem necessitatem pati, vt multoties ad Deum recurrat, fol. 266. dub. 2. Vel multitudo magna sequebatur expectans alimentum à Domino, quia bona temporalia à Deo sunt expectanda, non à mundo, fol. 162. exo. 4. Nec anxie quærebant cibos, quia sperabant Christum daturum necessaria, fol. 163. dub. 8. Vnde qui anxietate cibos curat, diffidit de Deo, quod dabit necessaria, ibi.

Sequebatur eum multitudo magna. Christum sequebantur multi, at Diabolus suos habet sequaces, suos Apostolos, Martyres, Confessores, & Virgines, fol. 190. dub. 6.

Multitudo magna. Hugo Cardinalis: *Nota quod dicitur hic, multitudo magna, quia multa sunt peccatorum genera, ipse etiam peccator multiformis est, quia habet diuersas formas, siue facies deformitatum, secundum illud Psalmi 81. Et facies peccatorum sumitis. Induit enim lupi formam per rapacitatem, leonis per superbiam, vrsi per crudelitatem, & ita de alijs.* Multi peccatores sequebantur Christum, & omnes dicuntur multitudo magna propter multas figuras, quas habet, & quibus assimilatur animalibus diuersis. Peccator enim iumenti similitudinem refert, fol. 91. dub. 107. 2. Resp. At non ducat belluinam vitam, sed Dei vita viuat, fol. 38. dub. 26. 2. Resp.

Ibi sedebat cum Discipulis suis. Hugo Cardinalis: *Per hoc accusatur turba de pigritia, quia Discipuli soli sequuntur.* Turbæ sequebantur Christum, sed non sederunt in monte, sicut Discipuli cum Domino Iesu, quia qui sequuntur, pigri erant, & inferius manserunt ob pigritiam, vnde homo ad virtutem piger est, fol. 227. dub. 1.

Cum subleuasset ergo oculos. Gistandis ex Beda: *Quoniam pudice sedebat cum Discipulis attentus non prospiciens hic inde.* In demissione oculorum modestiam docet Dominus, nam ex incauto, & leui visu multa damna pullulant, fol. 71. dub. 31.

Cum subleuasset oculos. Hugo Cardinalis: *Subleuasset oculos sursum, vel quia prius circa suos Discipulos oculos habebat, & vidisset, quia multitudo magna venit ad eum, quæ stabat inferius.* Subleuans oculos Regiam Maiestatem declarabat, quia ideo subleuabat eos, vt miseriam multitudinis depelleret, & optimi Principis est requirere, & videre in necessitatibus constitutos, vt leuet, f. 267. d. 6

Vnde ememus panes. Non dedignatur Dominus à Philippo consilium petere, vt doceat Prælatos gubernare consilio, fol. 24. dub. 78.

Vnde ememus panes. Christus in deserto passus est famem, & turbæ multæ famescenti miseretur. Qui enim misertus est inopiam, scit qualiter in necessitatibus constitutis debet subuenire, fol. 267. dub. 7.

Vnde ememus panes. Solus Christus agit de huius magnę multitudinis remedio, vt doceat Principes suis de necessarijs prouidere, ne sint queruli, fol. 23. dub. 75.

Vnde ememus panes. De populi remedio agit, quia Diuina Prouidentia non patitur hominem esse breui tempore sine necessarijs, fol. 16. dub. 45.

Vnde ememus panes. Videbat Dominus turbam fame laborantem, nec habere, vnde posset sibi subuenire, & interrogat Philippum, vnde ememus panes, quia prouidentiæ Dei est succurrere nobis in is, vel quæ nescimus, nec possumus, non verò in illis, quibus possumus nobis succurrere, f. 311. dub. 4. Vel de panibus curat, quia munus Principis est, prouidere malis Reipublicę antequam veniant, f. 310. dub. 3. Vel Christus multum curat de cibo multitudinis, quia curat Deus, ne homini necessaria desint, fol. 50. dub. 71. 2. Resp. Vel vt instruat Prælatos Ministrare subditis necessaria, fol. 29. dub. 94.

Vnde ememus panes, vt manducent hij. Non ait Dominus, vnde ememus panes, vt manducemus nos, sed vt manducent hij: quia bonus Princeps non suo commodo, sed aliorum prouidere debet, fol. 166. dub. 5.

Vt manducent hij. Turbæ panem non petebant, & tamen Christus curabat de panibus, vt pauperes saturaret, quia eleemosyna danda est pauperi, etiamsi eam non petat, fol. 286. dub. 2. Vel non expectat Dominus, quod turbæ petant panes, quia eis indigebant, & in necessitate superfluunt voces, si clamat necessitas, f. 56. dub. 93. Vel quia liberalis preuenit ad largiendũ, f. 251. dub. 6. Vel à nullo rogatus pro pauperibus de panibus curat, vt inopes cibet, quia eleemosyna debet esse voluntaria, fol. 197. dub. 1.

Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis. Philippus difficultates apponit, ita multi bonum commune impediunt difficultates obijciendo, vnde reprehensione digni sunt, fol. 166. dub. 4. Ideo iustus cauet, ne mora, & cunctatione aliquod bono communi obijciat impedimentum, ibi. dub. 6.

Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordaceos, & duos pisces. Puer iste qui habet

quinq;

quinque panes, & pisces typum gerit diuitum huius mundi, quibus Deus dat diuitias, vt indigentibus elargiantur, & dimittant pauperibus, fol. 196. dub. 1. Ideo diuites bona sua in pauperes diuidant, nec ea soli possideant, fol. 43. dub. 46.

Facite homines discumbere. D. Marcus scribit: *Vt accumbere facerent secundum contubernia*, hoc est, per cœtus centenos, & quinquagenos, vt ita Apostoli sine confusione omnibus prouiderent. Confusio enim rerum, displicet Deo, placent vero res in ordine collocatæ, fol. 10. dub. 29. 2. Resp. Ideo bona cum malis non permiscenda, fol. 53. dub. 87. Et nota, quod Discipuli non inquirunt à Christo, quare iubebat turbam discumbere, quia Ministri Principum secreta eorum exquirere non debent, fol. 50. dub. 73.

Erat autem fœnum multum in illo loco. Vt notat D. Marcus, *Viride fœnum.* Caietanus: *Erat autem fœnum multum, pro herba multa in loco. Locum congruum ad sedendum describit.* Describitur locus congruus ad sedendum, attendit Christus ad commoditatem suorum, vnde curam habet singularium commoditatum hominum, fol. 46. dub. 58. & fol. 165. dub. 2. Vel super herbam fecit discumbere ex itinere fatigatos homines, vt requiescerent, & Deus requiescit cum homini requiem parat, fol. 33. dub. 4.

Distribuit discumbentibus. Hugo Cardinalis: *Distribuit per se.* Vt eos fauoribus honestaret. Magnus est enim Principis fauor cum per se ipsum, & propria manu beneficium largitur, fol. 26. dub. 82. fol. 157. dub. 10. Vel secundum Caietanum: *Legendum est, distribuit Discipulis, Discipuli vero discumbentibus, officium ipsius Iesu, & officia Discipulorum describuntur.* Christus dedit Discipulis panes, & pisces, Discipuli vero distribuerunt turbis, vt instruat Principes, quod munia quæ ad ipsos pertinent ad impleant, & sinant Ministros deputata sibi operari, fol. 19. dub 57. Vel Christus dedit Discipulis panes, & pisces, Discipuli vero distribuerunt turbis, vt in magna æstimatione haberent cibos à Christo datos, & per Apostolos distributos. Donum enim æstimatur cum est sufficiens, cum datur à Rege, & per mediatorem magnæ authoritatis, fol. 184. dub. 8.

Distribuit discumbentibus. Panes, scilicet, & pisces, vt doceat homines simplicem victum, non cara fercula edere, fol. 30. dub. 96. Vnde intemperatissimus est, qui vulgaribus cibis non contentus, exquisitos exquirit, fol. 130. dub. 7. Vel panes, & pisces dedit eis, non cibos conditos, quia victu simplici, non condito vtendum est, fol. 130. dub. 3. Vnde condita alimenta deprauant naturam, fol. 16. dub. 47. Gulosique cibos quærunt, non ad sustentandam naturam, sed ad irritandam gulam, fol. 220. dub. 5.

Distribuit discumbentibus. Hominibus, mulieribus, pueris, quia Diuina prouidentia omnibus tam paruis quam magnis necessaria suppeditat, ita debet facere Prælatus, fol. 310. dub. 1. Et nota quam opportune illis succurrit Christus, vnde culpabiles sunt, qui non oppurtune, sed tarde in necessitate occurrunt, fol. 167. dub. 4.

Distribuit discumbentibus. D. Chrisostom. *Hinc delitijs dediti intelligant quid magni illi viri, & admirabiles comederint quam vilis & modica eorum mensa erat. Intueamur eorum in omnibus abstinentiam, & imitemur.* Apostoli orbis Principes erant, & tamen pro eorum victu non aliquis panis triticeus suauis, & dulcis, sed hordaceus apponitur, sicut dabatur turbis, vt doceat Prælatos, quod vnus debet esse cibus subditorum, & Prælati, fol. 30. dub. 95. 2. Resp.

De piscibus quantum volebant. Gistandis: *An expanibus habuerint quantum volebant, sicut de piscibus dicitur? Resp. Quod sic, vt patet per hoc, quod dicitur, similiter ex piscibus, quantum volebant, & ex eo quod sequitur, vt autem impleti sunt.* Christus dedit turbis in saturitate ex panibus, scilicet, & piscibus, vt suam ostenderet humanitatem turbis, vnde inhumanus est Prælatus, qui nimis parce subditis de cibo prouidet, fol. 68. dub. 143. Resp. Vel dedit quantum volebant de panibus, & piscibus, quia liberalis ad libitum petentis largitur, fol. 250. dub. 1. Ideo qui multa præstare potest ad aliorum vtilitatem non sit parcus, fol. 16. dub. 48. Vnde Deus abhorret à manu restricta, & placet ei manus beneficia, fol. 251. dub. 5. Ideo bonus Princeps non restrictus sit, sed largus erga suos, fol. 183. dub. 3. Et nota, quod Deus largus est in hominem, homo vero parcus in Deum, fol. 184. dub. 6.

De piscibus quantum volebant. Gistandis: *An comedendo illi homines biberent. Resp. S. Vincentius Ferrer, quod ne istud prandium videatur imperfectum, cum Dei perfecta sint opera, debemus dicere quod biberunt.* Comederunt, & biberunt, quia Deus in nullo deest homini, fol. 55. dub. 9. Vel si non biberunt possumus dicere, quod ita benevolo vultu, & placido Christus cibauit eos, quod placidus Christi vultus, quo præstabat panes, & pisces, supplebat defectum dati, fol. 184. dub. 7.

Colligite quæ superauerunt fragmenta. Gistandis: *Quibus manibus multiplicabantur panes. Resp. S. Vincentius Ferrer. Quod in manibus Christi, & in gremijs Apostolorum ministrantium, & inter dentes comedentium.* In pauperes erogat panes, & pisces, ita multiplicati sunt, quod superauerunt fragmenta. Temporalia enim, quo magis in pauperes

distri-

distribuuntur, eo plus multiplicantur, fol. 198. dub. 7.

Colligiteque superauerunt fragmenta. Diuus Bernardus serm. 51. in Cant. *Iubemur colligere fragmenta, id est, nec minima beneficij obliuisci.* Mandat Dominus colligere fragmenta, vt memoriâ teneant beneficium, neque benefactoris obliuiscantur. Beneficium acceptum perpetua memoriam colendum, fol. 117. dub. 91. Et prouidentia quotidiana Dei, qua singulis diebus hominibus prouidet, obligat homines quod quotidie memores sint Dei, fol. 310. dub. 2.

Vt reparent eum, ac facerent Regem. Hugo Cardinalis: *Et facerent eum Regem pro miraculo panum, volentes sub hoc esse, suo quo videbantur non egere.* Dignus est enim, vt regali dignitate præemineat, qui non sibi sed omnium vtilitati consulit, fol. 21. d. 66. Vel voluerunt eum nobilem facere Regem, quam plebeium, quia facilius toleratur in regimine nobilis, quam plebeius, fol. 268. dub. 4.

Feria 4. Dominica 4. Quadrag. Ioann. 9. vers. 1.

Præteriens Iesus. Hugo Cardinalis: *Per hoc quod Christus exiens de Templo, venit ad sanandum cæcum, significatur quod de Templo ad agrum, id est, ac loco contemplationis, & orationis veniendum est ad actionem, & prædicationem, vt illuminetur peccator.* Diuus Gregorius: *In contemplatione hauriunt, quod a ijs per prædicationem effundunt. Ezechiel 1. Animalia ibant, & reuertebantur.* De loco contemplationis exiuit Dominus Iesus, & venit ad actionem, illuminationem, scilicet cæci, vt doceat Prædicatores de vita contemplatiua ad actiuam descendere, fol. 22. dub. 71. 2. Resp. Vel exiuit de Templo, deinde ad cæcum illuminandum processit, in quo ostendit eius charitatem ordinatam. Vera enim charitas ordinata est, cum tendit in Deum, deinde in bonum proximi, fol. 170. dub. 8. Vel commendatur eius charitas erga cæcum, vt doceat Prælatos, quod inter alias virtutes charitate debet eminere, fol. 170. dub. 9.

Vidit hominem. Magna fœlicitas huius hominis, quod Christus viderit eum. Tota enim fœlicitas hominis oritur ex eo, quod Deus eum respiciat: infœlicitas verò quod eum non intueatur, fol. 222. d. 10. Vnde Dei conspectus omnia perficit, fol. 31. dub. 101.

Hominem cæcum à natiuitate. Cæcus à natiuitate significat peccatorem, qui à natiuitate improbus est. Malitia enim improbitas, & vitia multis sunt ingenita, & ab vtero coæua, fol. 345. dub. 2.

Quis peccauit. Hugo Cardinal. *Quia Ioannis 5. dixerat sanato: ecce sanus est, iam amplius noli peccare, intellixerunt peccatum esse causam infirmitatis.* Non enim Deus, sed peccator propter sua peccata sibi est causa malorum, fol. 102. dub. 23. Ideo Deus punit hominem in corpore, & anima propter peccatum, fol. 51. dub. 78.

Quis peccauit hic, aut parentes eius. Gistandis ex Diuo Thoma: *Quo ad detrimentum rerum corporalium vnus aliquando punitur pro peccato alterius, vt in crimine lesæ Maiestatis Diuinæ, & humanæ, in quo filij puniuntur pro peccato parentum, & secundum hoc dicitur, Exodi 20. Deus visitat iniquitatem patrum in filios.* Discipuli cum hominem vident cæcum, cæcitatem referunt in peccata parentum. Peccata enim parentum puniuntur in filijs, fol. 36. dub. 86. 2. Resp. fol. 116 d. 87. 2. Resp. fol. 210. d. 5. Vel dicunt quis peccauit hic, aut parentes eius, cæcitatem peccato attribuentes, quia nullum est ibi peccatum, quod sua non sequatur pœna, fol. 87. dub. 88. 2. Resp.

Vt manifestentur opera Dei in illo. Caietanus: *Discimus hinc mala pœnæ a Deo infligi, quandoque ad manifestandum gloriam ipsius Dei. Nec in hoc iniuriam fecit Deus alicui, vtpote, qui nulli debet, & qui propter maius bonum disponit res suas sic.* Deus enim ex malis nostris bonum elicit, fol. 68. dub. 16. 3. Resp. Nec permittit malum fieri, nisi ob aliquod bonum, fol. 117. dub. 91. Prouidentiaque Dei elicit bona ex malis nostris, f. 311. dub. 4.

Vt manifestentur opera Dei. Hugo Cardinalis: *Hæc est causa, vt manifestentur opera Dei, id est, potentia Dei ad operandum in illo, id est, in eius illuminatione operum, manifester esse Deus, qui hæc operor.* Volebat Dominus illuminando cæcum, suam diuinam potentiam, diuinitatemque manifestare, vt doceat illustres viros per clarissima opera se manifestare, fol. 26. dub. 81. Vnde ab operibus debent agnosci, fol. 44. d. 50.

Vt manifestentur opera Dei. Carthusian. *Ponit Saluator plurale pro singulari, quia per opera Dei designat supernaturalem illuminationem cæci.* Non solum corporaliter, sed spiritualiter cæcum illuminauit. Deus enim multiplici beneficio corporali, & spirituali afficit hominem, fol. 57. dub. 103. Vel opera Dei dicit, quia spiritualiter cæco, spiritualem tribuit illuminationem. Opus enim diuinum, & inclitum est, quod ex malis boni procreentur, fol. 5 dub. 14.

Linuit lutum super oculos eius. Hugo Cardinalis ex Diuo Chrisostomo: *Quia enim*

Deus

Deus lutum de puluere terræ fecit, faciens hominem. Ideo Christus lutum fecit, quasi dicat ego sum qui feci Adam de luto, hoc autem non per verba dicit, sed per opus ostendit, ne videatur se inaniter iactare. At homo multa sibi arroganter tribuit, & gloriatur de opere quod non fecit, fol. 28. dub. 88. 3. R.

Fecit lutum ex sputo, & liniuit oculos eius. Lutum medium erat ad amissionem visus, si visum haberet homo: tamen luto liniuit oculos, vt visum cæco tribueret, quia Deus quæ sunt nostræ perditionis media, facit nostræ reparationis remedia, fol. 76. dub. 48.

Fecit lutum ex sputo, & liniuit oculos eius. Hugo Cardinalis ex Diuo Chrisostomo: *Cur non aqua, sed sputo ad lutum vsus est: Missurus eum erat ad Siloam, ne quid ergo fonti adscriberetur, sed ex ore eius virtutem præcessisse intelligeretur, quæ oculos, & finxit, & aperuit.* Christus virtute sua luto extenso super oculos cæci, oculos aperuit, ne tribueretur beneficium aquæ Siloe, sed Christo. Quia beneficium in eum, à quo accepimus referendum est, fol. [illegible]. dub. 17. Vnde ingratitudo maxima est, cum acceptum beneficium non in suum Authorem, sed in alium refertur, fol. 233. dub. 1. Et nota quod Christus interrogantibus Discipulis, quis peccauit hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur, non dixit: ego sum Author cæcitatis illius hominis in pœnam peccatorum parentum eius, modo autem vult, quod hoc beneficium, scilicet, collatio visus ei adsciberatur, non verò cæcitas, quæ erat pœna, quia Deus benefaciendi, non vero puniendi se Authorem vult agnosci, fol. 85 dub. 83. & fol. 189. dub. 10.

Fecit lutum ex sputo, & liniuit oculos eius. Non alicui hæc percepit Dominus, sed ipse expuit in terram, fecit lutum, & liniuit super oculos cæci, quia hæc opera non dedecebant Christum, vnde nihil operetur homo, quod præiudicet suæ dignitati, & statui, agat autem quæ eum decent, fol. 279. dub. 4. Vel per se ipsum fecit lutum, & liniuit super oculos cæci, vt singularis esset Christi erga hominem fauor. Singularis est enim Principis fauor, cum per se ipsum beneficium largitur, fol. 26. dub. 82.

Vade & laua in natatoria Siloe. Dominus solo suo verbo poterat cæco sanitatem dare, iubet tamen ad lauacrum ire, & quod ex parte sua faciat aliquid. Deus enim operatur opera nostra, si apponimus aliquid ex parte nostra, fol. 229. dub. 5.

Vade, & laua in natatoria Siloe. Dominus Iesus pro illo in terram spuerat, lutum fecerat, & liniuerat oculos eius, iubet insuper quod vadat, & lauet se in natatoria Siloe. Cæcus iste significat peccatorem inueteratum, cui tot diligentiæ mandatæ sunt, vt visum recipiat, & illuminetur, quia difficiliter renouatur homo peccatis inueteratus, fol. 38. dub. 25.

In natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Hugo Cardinalis. *Per hoc ostenditur, quod non in fonte erat virtus, sed à Christo, cuius virtus, ibi operabatur: propter hoc Euangelista interpretationem adiecit, quod interpretatur missus: quasi dicat ibi misit Christus virtutem suam.* In aqua Siloe misit virtutem suam ad curandam cæcitatem, quia Deus malis nostris ex peccato prouenientibus remedia prouidit ab initio, fol. 15. dub. 44.

In natatoria Siloe. Gistandis: *Cur iubet, vt lauet? Resp. Ne videretur curatio esse ex virtute terræ, & vt intelligatur ipsum non indigere luto ad faciendos oculos.* Bona enim naturæ Dei munera sunt, fol. 36. dub. 18. 2. R.

Abijt ergo, & lauit. Diuus Chrisostom. *Vide cæci mentem obedientem. Non dixit si opus est Siloa, quid opus est luto, sed in omnibus obediuit.* Verus obediens expeditus est, & paratus ad obediendum præcipienti, f. 272. d. 8. Sed heu insensibiles creaturę promptiores sunt ad obediendum, quàm homines, fol. 14. dub. 40. Et nota quod iubente Domino, quod iret in Siloe, & lauaret se, non retardatur difficultate eundi per longam viam, sed facile aggreditur iter. Verus enim obediens omne tam facile, quàm difficile aggreditur ex obedientia, fol. 48 dub. 67.

Quia ego sum. Diuus Chrisostomus: *Non formidauit furorem plebis, neque ostendere se ipsum, vt prædicet benefactorem.* Qui enim beneficia accepta non publicat, ingratus est benefactori, fol. 336. dub. 3.

Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit. Quia gratus erat, dedit illi Dominus cognoscere beneficium, vnde punit Deus ingratum negando oculos mentis ad cognoscenda Dei beneficia, fol. 217. dub. 3. Vel dicit, quod ille homo qui dicitur Iesus, fecit lutum, & liniuit oculos eius, gratum se ostendit erga benefactorem, quia Dominus Iesus amore erga hominem tribuit visum. Gratificatur enim beneficium cum amore, & liberalitate largitur, fol. 217. dub. 2.

Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & vnxit oculos meos. Refert homo circumstantias omnes beneficij, quod Christus fecit lutum, quod vnxit oculos, quod misit ad natatoriam Siloe, vt lauaret se, vt perpetua memoria teneret beneficium. Beneficium enim acceptum simul cum circumstantijs memoria perpetua colendum est, fol. 157. dub. 1.

Non

Non crediderunt Iudæi de illo. Iudæi contra Christum sentiebant, & non crediderunt cæco prædicanti magnalia Christi, aliter sane fieret, si vituperia dixisset de Christo, nam quæ gloriosa sunt tarde creduntur, quæ vero indecora cito, fol. 70. dub. 26.

Hunc nescimus vnde sit. Hugo Cardinalis: *Nesciebant eius Diuinitatem, vel mittentis auctoritatem dicebant se nescire, cum tamen nouerint eius ortum secundum carnem.* In peccatis erant Iudæi, & peccatum excæcat Iudicium peccatoris, vt ignoret veritatem, fol. 78. dub. 52. 2. Resp.

Feria 6. Dominica 4. Quadrag. Ioann. 11. Vers. 1.

Erat quidam languens. Lazarus amicus Christi erat, & infirmitate premebatur: Deus enim speciales amicos suos aduersis exagitat, fol. 136. dub. 11. Et laboribus explorat an diligant eum, fol. 142. dub. 4. Et vere Lazarus diligebat Christum, quia infirmans voluntatem suam Diuinæ aptauit: qui enim Deum amat, in aduersitate voluntatem suam Dei voluntati conformat, fol. 143. dub. 5.

Languens Lazarus. Describitur à nomine Lazarus, vir nobilis, & diues, aliusque diuersus à Lazaro mendico, & vlceroso iacentis ad ianuam epulonis. Quia diuites à diuitijs quibus abundant agnoscuntur, fol. 44. dub. 48. 3. Resp.

Erat quidam languens Lazarus. Hugo Cardin. *Nobilis, & magnæ opinionis, & domus eius. Et notificat eum à fama, cum dicit quidam, & a nomine cum dicit, Lazarus.* Nobiles, eorumque mores magis noti sunt, fol. 268. dub. 1.

Miserunt ergo sorores ad eum. Hugo Cardinalis: *Cur non ipsæ relicto fratre venerunt sicut centurio. Matthæi 8. Regulus. Ioann. 4. Sed mittunt: Ratio est, quia non debent mulieres discurrere, nec vagari.* Dicit Euangelista, quod sorores miserunt ad Iesum, non quod iuerunt, hoc dixit ob modestiam mulieborem, ne extra domum suam incederent, quia mulier domus suæ amans esse debet, fol. 61. dub. 118. Nec fœminam libere spatiari licet, ibi. Imo in domo recondi, hominem vero in publicum exire, ibi. dub. 119. At multæ cupiunt videre, & videri, etiamsi ex hoc illis damnum eueniat, fol. 83. dub. 71. 2. Resp.

Miserunt. Non Lazarus, sed sorores mittunt ad Christum, quasi ipse mitteret, cum sorores mitterent, quia per nos possumus, quod per amicos possumus, fol. 146. dub. 8.

Ecce quem amas infirmatur. Lazarus morbo affligebatur, quem patienter sustinebat, & à Christo amatus describitur, quia labores patienter tolerati magis augent Diuinum amorem, fol. 106. dub. 44. in fine.

Ecce quem amas infirmatur. Ecce notat admirationem, quasi aliquis admitteret, quod Lazarus, qui erat vir illustris infirmaretur, id est, cecidisset in peccatum, cum nobilitas à vitijs retrahat, ignobilitas ad vitia trahat, fol. 268. dub. 2. Et nobiles inter alios debent eminere virtute, fol. 269. dub. 5.

Ecce quem amas infirmatur. Martha, & Maria fratrem suum diligebant, & Christo infirmitatem fratris exponunt, quia verus amicus causam agit sui amici, fol. 137. dub. 5.

Ecce quem amas infirmatur. Sorores Lazari à Lazaro non rogatæ, mittunt ad Christum, & infirmitatem fratris, quem amabant Christo nuntiant, quia bonus amicus non rogatus, cura, & studio rebus amici non deest, fol. 144. dub. 1.

Ecce quem amas infirmatur. Vnde sciebant, quod Christus Lazarum amabat? Quia sorores agnouerant, quod Lazarus Christum diligebat. Mutuæ enim dilectioni debemus operam dare, fol. 32. dub. 3. Ideo amici mutuo inter se debent respondere, fol. 137. dub. 7. Vnde Deus expectat amorem nostrum, vt cum multo cumulo rependat amorem, fol. 141. dub. 7.

Ecce quam amas infirmatur. Dolebant sorores de infirmitate fratris, quem prosequebantur amore. Vnde quos maximè amamus, eorum mala, grauiora quam sint iudicamus, fol. 146. dub. 7.

Ecce quem amas. Christus Dominus apud Lazarum frequenter hospitabatur, ab eoque, & sororibus benigne excipiebatur, vnde eos amabat propter charitatis, pietatisque beneficia: vt ita loquamur secundum nostrum loquendi modum. Ideo amorem gignunt munera, fol. 136. dub. 3.

Infirmatur. Lazarus Christi amicus significat virtuosum, infirmitas vero peccatum, quid est ergo, quod Lazarus infirmatur, nisi quod vitia acerbum indicunt bellum virtutibus, vt virtuosum debellent, fol. 345. dub. 1. Vel Lazarus significat Prælatum, qui frequenter infirmatur in malo. Hugo Cardin. *Nota quod Lazarus infirmatur, & moritur, sic Prælati frequentius magis torpent in bono, & moriuntur in malo. Vnde Loth inebriatur. Genes. 19. Et Petrus negat. Matthæi 26. Et nota quod sorores eius rogant pro eo resuscitando, & resuscitatur. Sic debent plebes regare pro Prælato suo.* Prælati etiã iusti aliquando cadunt in peccatum, f. 243. dub. 5.

Ecce quem amas. Hugo Cardinalis: *Nota quod est triplex amor maximus, & quolibet eorum maior est amor, quem habet Deus ad peccatorem. Est enim amor Sponsi ad Sponsam, sed maior Dei ad nos. Vnde Ierem. 3. Vulgo dicitur si dimiserit vir, tamen reuertere ad me dicit Dominus, & ego suscipiam te. Isaiæ 30. Erunt aures tuæ audientes verbum post tergum monentis. Item est amor matris ad filium, quo etiam maior Dei ad nos peccatores. Vnde Isaiæ 49. Nunquid potest obliuisci mater. Psalm. 86. Memor ero Raab, & Babilonis scientium me, id est, illi qui me cognoscunt hoc sciant. Per Raab intelliguntur peccantes ex fragilitate, per Babylonem illi qui ex certa malitia. Item est amor corporis ad animam, quo maior est amor Dei ad peccatorem. Vnde Ieremiæ 12. Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum meorum. Item Ioann. 10. Animam meam pono pro ouibus meis. Roman. 5. Commendat Deus suam charitatem, quia cum adhuc peccatores essemus pro nobis mortuus est.* Igitur amor Dei ad peccatores (quos significat Lazarus infirmus) maior est amore Sponsi ad Sponsam, matris ad filium, corporis ad animam, quia Deus inclinatur ad amandam imaginem suam, fol. 27. dub. 85. Sed diabolus suadere nititur, minorem esse amorem Dei erga nos, fol. 68. dub. 14. 2. R.

Infirmitas hæc non est ad mortem. Videbat Dominus afflictas sorores, & misit eis per nuntios, quod illa infirmitas non erat ad mortem, quasi diceret vt ait D. Thomas: non enim morietur Lazarus ex hac infirmitate sicut solent alij homines ægritudine mori, citò tamen reuocatus erit ad vitam: afflictis enim solatium adferendum est, lætaque miscenda tristibus, fol. 93. dub. 10. 2. R. Nec Deus nemini molestiam, quin statim sequatur consolatio, fol. 98. dub. 9. Ne afflictis adiuuatur afflictio, fol. 112. dub. 69.

Et iterum vadis illuc. Caietanus: *Discipuli amore amicitiæ erga Magistrum moti auertere nituntur Magistrum à malo lapidationis, à malo mortis, à malo periculorum cauendo abire illuc.* Tamen Christus vadit ad suscitandum Lazarum, vt innuat, quod homo non debet omittere opus proficuum proximo propter timorem, fol. 333. dub. 1. 2. Resp.

Domine si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus. Recte Martha ex Christi absentia mortem fratris, id est, lapsum hominis in peccatum infert, quia Deum præsentem habere est efficacissimum remedium ad non peccandum, fol. 187. dub. 1.

Turbauit semetipsum Caietanus: *Tam fremitus quam turbatio nomen est Passionis, turbatio autem spectat ad tristitiam.* Turbatur Christus, & tristatur de Lazaro mortuo, id est, de homine in peccatum caso, quia iustus videns ruinam aliorum, affligitur in anima, fol. 335. dub. 6.

Lachrymatus. Caietanus: *Effectus turbationis internæ, sunt lachrymæ compassionis humanæ.* Lachrymatus est Iesus videns Lazarum mortuum, qui typum gerit peccatoris, quia dolendum est de misero statu peccantis, fol. 52. dub. 58. 2. Resp. Vel lachrimatus est Iesus, quia pro tribus fiere debemus pro peccatoribus, pro afflictis, pro miserijs nostris, fol. 246. dub. 5. Vel lachrimas fundit Christus ex magna eius charitate, qua dolebat de Lazaro mortuo, quia charitas perfecta plus dolet de malis alienis, quam de proprijs, fol. 168. dub. 5. Vel lachrimatur Iesus pro Lazaro mortuo, id est, pro peccatore mortuo per peccatum. Homo in dolore sit pro peccato alieno. f. 117. d. 94. Ve lachrimatus est Iesus innocens pro resuscitando Lazaro lachrimæ innocentum efficacius quam aliorum Deum ad misericordiam inclinant, fol. 245. dub. 1.

Erat autem spelunca. Hugo Card. *Spelunca est ipsum peccatum, quod in profundum deijcit.* Spelunca est rupis cauata, & profunda versus partem inferiorem, hoc est, sub terra, & benè significat peccatum: tam graue est enim peccatum, quod hominem deijcit ad inferiora, fol. 91. dub. 107.

Tollite lapidem. Hugo Cardin. *Spelunca est ipsum peccatum, quod obfirmatur per excusationem, quod est, quando lapis excusationis, & defensionis super ponitur. Threnor. 3. Lapsa est in lacum vita mea, posuerunt lapidem super me. Daniel 6. Adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum Leonum, id est, peccatorem in profunditatem peccatorum allatusque est lapis vnus, & positus est super os laci, & ait Iesus: tollite lapidem, id est, excusationem oris.* Lapis super positus speluncæ est excusatio peccati. Proprium est enim peccatoris peccatum defendere, vel occultare, vel excusare, fol. 75. dub. 47. Consueuitque peccator peccatum suum excusare, vt de illo non verecundetur, fol. 84. dub. 77. 2. Resp. Vel Lazarus significat peccatorem manifestum, lapis super positus, peccati absconsionem, vel defensionem: peccator enim manifestus, peccatum suum abscondit, vel defendit, fol. 106. dub. 46.

Tollite lapidem. Hugo Cardinalis. *A sepulchro, scilicet, per hoc ostendens, quoniam eum suscitauit veraciter. Ideo etiam subtus interrogat, vbi posuistis eum? Vt illi qui responderunt, veni, & vide, & dixerunt eum ad monumentum, non possent dicere quoniam alium suscitauit. Vox enim, & manus, auditus, & visus simul, & odoratus testantur miraculo. Vox quidem dicens: veni, & vide: manus autem tollentes lapidē, & fascias soluētes, auditus: auditus qui vocē audiuit, Lazare veni*

foras. Visus qui videt exeuntem de monumento odorem, qui sentit fœtorem quatr duan. His circumstantiis removentur calumniæ omnes à miraculo suscitationis Lazari, ne Iudæi falsi insimulent, & inculent, derogent, & miraculum falsis detrahentes, interpretentur. Detractor enim, maledicorumque conditio in tribus est. Vnde significatur per bestiam quæ tres ordines habebat in ore eius, fol. 265. dub. 3.

Iam fœtet. Lazarus nobilis fuit, & mortuus, id est, in peccatum lapsus malè olebat (quod fœtere vocamus) nobiles enim grauius peccant, quam priuatæ personæ, & peccatum eorum magis fœtet, fol. 268. dub. 1. Vel Lazarus mortuus in spelunca cum lapide super posito iacens absconditus, & occultus, aperto sepulchro grauem odorem emittebat: significabat enim peccatorem, qui vult occultare peccatum, sed post fœtorem manifestantur, quia peccata quo occultare vult peccator, ipsa se produnt. fol. 76. dub. 47. 3. Resp.

Lazare veni foras. Ex nomine vocat, quia amicus erat, & amicos proprio nomine inclamamus, fol. 78. dub. 53.

Veni foras. Hugo Cardinalis: *Veni foras peccata confitendo.* Dictum est, quod Lazarus in spelunca, & lapis super positus significat peccatorem, qui peccatum excusat, & Christus vocat eum, dicens *Veni foras* confitendo peccata. Cum enim peccator peccatum excusat, mouetur à Deo ad confessionem, fol. 106. dub. 45.

Veni foras. Richardus lib. de potest. cap. 7. *Quid est autem resuscitatum, inde vbi mortuus iacuerat exire, nisi peccatum suum penitus, & in perpetuum deserere.* Dicit Christus Lazaro, quod foras exeat à sepulchro, quod in peccatorum sepulchro nō immoretur, sed omnem peccati occasionem fugiat. Quia qui perfectioni vacare vult, omnia irritamenta peccati debet à se abijcere, ne redeat ad peccatum, fol. 290. dub. 2. Vel dicit veni foras exij è sepulchro, vbi iaces mortuus, fuge occasionem peccati, vt fugias peccatum, quia ad peccatum vitandum oportet etiam occasiones illius resecare, fol. 68. dub. 17. Quia peccata non possunt vitari nisi vitentur occasiones, fol. 346. dub. 4. Vel Christus dicit Lazaro, id est, peccatori *Veni foras*, è sepulchro, vt ab occasione peccati reuocet. Peccatori enim occasio peccati tollenda est, fol. 3. dub. 10. 2. Resp.

Statim prodijt, qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus institis. Rupertus lib. 13. de victoria verbi Dei, cap 18. *Opportune Euangelista hoc præscripsit, quia videlicet consequitur in illius vocantis voce vim facillimam extitisse, quæ illum pariter, & viuificauit & de monumento expulit, qui cum esset ligatus pedes, & manus institis, nec pedibus, nec manibus prærumpere potuit.* Christo vocante Lazarum, nullum adfuit impedimentum à quo posset retardari, vires contulit, vt veniret: cum enim Deus vocat peccatorem, vires dat, & animum veniendi, fol. 81. dub. 63.

Sinite abire. Petrus de Natalibus: *De cætero nunquam risit.* Quia peccatores venientes ad Christum in alios mutantur, fol. 57. dub. 99. Leues quoque culpas vitauit ne à Deo puniretur, quia leuiora peccata cum possint vitari, & non vitantur, grauissima pœna puniuntur, fol. 112. dub. 71. A peccatisque abstinuit propter peccati fœditatem, vnde deformitatem posuit Deus in peccato, vt homines à peccatis ab horrerent, fol. 64. dub. 130. Peccatum quoque adeo horribile est, vt peccator quantum ex se est, se ipsum odio habeat, fol. 64. dub. 4.

Dominica in Passione. Ioann. 8. Vers. 46.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Quasi dicat Christus: vos qui estis peccatores, non potestis me arguere de peccato, quia futus debet esse à peccato, qui alios est reprehensurus, fol. 89. dub. 99. 2. Resp. Et alios iudicaturus puritate vitæ niteat, fol. 242. dub. 3. Tantaque puritatis debet esse, vt de illo contra legem Dei nihil valeat præsumi, ibi.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Iudæi calumniabantur Christo, & Christus vult se ipsum iustificare, propriæ famæ consulens, ostendens, quod non est peccator, nec appareat, vt docear, quod ita consulendum est propriæ famæ, quod non solum homo non sit malus, verum nec malus appareat, fol. 201. dub. 2.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Agebat Christus optimum Prælatum, & puritatem vitæ suæ ostendit, vt doceat, quod qui indignitate est constitutus, debet esse sicut Stella luce virtutis nitidus, fol. 192. dub. 2. Inferiorque, & perfectior debet esse subditis, fol. 88. dub. 92. Vnde qui malus est in albo illustrium virorum non est referendus, fol. 307. dub. 7.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Iudæi crudeles erant inimici Christi, & detractores, non tamen eos timebat Christus, nam bona conscientia in omni casu secura est: at peccatorem sua conscientia accusat, & prodit. fol. 115. dub. 86. Vel suam immunitatem à culpa ostendit, vt innuat semper habuisse Deum præsentem. Cum Deo enim ambulat, qui immunis culpæ est, f. 114. dub. 22. 2. Resp.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Hugo Cardin. *Sic continua: quia possent dicere se non esse homicidas, neque mendaces, sed ideo eum*

persequi, quia peccator erat, & facinorosus, ideo dicit, quis ex vobis arguet me de peccato, quasi dicat: quare vultis me interficere, ex quo non potestis me de peccato arguere? Christus suam innocentiam proponit Iudæis volentibus eum de medio tollere, vt innuat, quod solus qui in culpa est puniendus est, non vero à culpa liber, & purus, fol. 302. dub. 4.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Caietanus: *Ne Iudæi se excusarent, dicendo quod ideo non crederent ei, quia peccator est, innocentiam suam ab omni peccato proponit dicendo, quis ex vobis arguit, hoc est habet rationem arguendi me de peccato? Quasi dicat nullus, quia nullum peccatum habeo* Et Hugo Cardinalis: *Cum nullus possit arguere vitam, quare non recipitis doctrinam?* Erudit Prædicatores, quod prius vitæ sanctæ vacent, deinde sanæ doctrinæ, vt recipiatur, fol. 195. dub. 8.

Si veritatem dico vobis. Iudæi assueti erant ad mendacia, & non credebant Christo: qui enim libenter, & assuete mendacia audit; ægre audit veritatem, fol. 337. dub. 3. Vel Iudæi excusam habebant veritatem, quia veritas, eorum mala manifestabat, ibi. Vel non credebant Christo veritatem dicenti in pœnam eorum: punit enim Deus hominem claudens oculos intellectus, ne intelligat auditam veritatem, ibi. dub. 4.

Si veritatem dico vobis. Christus veritatem aperte, & clare sine foco dicebat eis, at homo veritati mendacium intermiscet, fol. 337. dub. 2. 2. Respond. Et Ministri Regum Regibus occultant veritatem, fol. 318. dub. 7. Vel aperte veritatem dicebat eis Christus, at homines veritatem non nisi sub velamine rectam amplectuntur, cum hilariter audiant mendacium, fol. 257. dub. 5.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi. Quia alij videbantur Iudæis doctiores quam Christus, quia alij loquebantur eis iuxta voluntatem eorum, & qui docet, & loquitur iuxta voluntatem nostram doctior omnibus iudicatur, fol. 341. dub. 1. Et nota quod Christus loquebatur eis veritatem etiamsi Iudæi non crederent ei, & se opponerent Christo, quia veritas non est relinquenda licet multi se oponant, fol. 336. dub. 1.

Verba Dei audit. Caietanus: *Hinc apparet, quod non de auditione corporali, sed de auditione interna (hoc est, susceptione) Iesus loquitur: nam ad litteram illis loquebatur verba Diuina, qui audiebant.* Multoties Dominus loquebatur Iudæis verba Diuina, illi tamen interne non audiebant, quia homo tardus est ad audiendum interne vocem Dei, fol. 77. dub. 50. Ideo grauissimè puniti, quia magis audiebant creaturas quam Deum, fol. 82. dub. 70.

Nonne benedicimus nos, quod Samaritanus es tu. Dominus malitiam Iudæorum detegit arguens eos, & in vrbane loquuntur vocando Christum Samaritanum, & dæmoniacum. Peccator enim cum arguitur in vrbanus est in corrigientem, fol. 81. dub. 62. 2. Respond. Vel Samaritanum, & dæmoniacum Christum cuius vitam iudicant appellant, sed iniqui Iudices, qui quem putabant reum contumelijs afficiunt, fol. 106. dub. 43.

Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Hugo Cardinalis: *Samaritanus, id est, odiens nos tanquam Samaritanus, & ideo talia dicis nobis.* Iudæi videbant se à Christo minus diligi quam alij qui virtute pollebant, ideo putabant, quod odio haberet eos: ille enim qui minus amatur à Principe, credit se à Principe odio haberi, fol. 136. dub. 4.

Nonne benedicimus nos, quod Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Mentientes dicunt se vocauisse Dominum Samaritanum, & dæmoniacum, cum non legamus in Euangelio verba hæc iniuriosa. Mendaces erant Iudæi ex consuetudine, & ad mendacia inclinabantur: qui enim ex consuetudine mentitur, ex inclinatione mentitur, fol. 70. dub. 25. Vel audaces fuerunt in Christum, quia videbant eum summe patientem. Patientia enim alicuius causa est, quod aliquando audaces fiunt contra eum, fol. 284. dub. 1.

Nonne benedicimus nos, quod Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Molestè tulit Dominus iniurias has, quia quilibet ægre fert iniuriosè tractari coram æmulis suis, ne derideatur ab eis, fol. 234. dub. 1. Et quasi mortem iniuriam passus est, quia iniuria illata viro illustri æquiualet morti, f. 235. dub. 5.

Nonne benedicimus nos. Iudæi maximè iniurij fuerunt Christo, pessimeque tractauerunt eum conuitij afficiendo Christum, vt famam tolerent, & honorem: qui enim iniurijs suis, honorem qui vitę extimationi prętat, aufert maximè iniurius est, fol. 235. dub. 5. Vel valde iniurij fuerunt Christo Iudęi, non attendentes Christi dignitatem. Ex dignitate enim offensi accumulatur irrogata offensa, fol. 277. dub. 6.

Nonne benedicimus nos. Iudęi iudicabant de Christo Samaritanum esse, & demoniacum, falsè tamen, quia homines in iudicando falsum proferunt iudicium, Deus verò verum, fol. 8. dub. 24. in fine.

Dæmonium habes. Cum Iudæi essent dæmoniaci putabant Christum dæmoniacum esse. Peccator enim ex se de alijs iudicat, fol. 111. dub. 66.

Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Caietan. vers. 55. *Mendaces erant dicentes, nunc cognouimus quia dæmonium habes. quod enim non est, non potest sciri.* Iudæi filij erant diaboli non natura, sed imitatione, & mendacium ostendit hominem esse filium diaboli, sicut veritatem loqui, manifestat hominem esse filium Dei, fol. 257. dub. 6. Et nota, quod adeo impudentes erant, quod non pudebat eos de mendacio, cum in mendacio deprehensus debeat quocunque pergat, erubescere, fol. 256. dub. 2.

Ego dæmonium non habeo. Caietanus: *Non ad contumeliam propriam qua appellatus est Samaritanus, sed ad iniuriam Dei, qua dictum est dæmonium habes, quod erat directe contumelia Diuina, vt Filius Dei diceretur dæmoniacus.* Iniuriatur enim Deus cum iustis infertur iniuria, fol. 235. dub. 3. Et Deus se læsum quæritur, cum offenditur homo, fol. 276. dub 3.

Ego dæmonium non habeo. Hugo Cardinalis: *Humiliter, & patienter respondit Iesus dicens: ego dæmonium non habeo.* Patienter sustinuit iniurias, nec vindictam sumpsit de infamatoribus Iudæis. Patientia enim vindex est iniuriæ, fol. 104. dub. 35. in fine. Vel patienter tulit iniurias, quia plenus erat Dei amore, fol. 286. dub. 6. Vel non vlciscitur Dominus de Iudæis cum posset eos punire, quia iniuria erat personalis, & personalis iniuria non est vlciscenda, secus iniuria illata dignitati, & bono communi, fol. 235. dub. 3.

Ego dæmonium non habeo. Gistandis: *Cur non exasperauit sibi conuitiantes, sicut alias quando vocauit eos genimina viperarum? Respond. Chrisostom. Quod vbi oportebat eos docere, & eorum superbiam subtrahere, asper erat: vbi vero exprobrantes oportebat sufferre, multa mansuetudine vtebatur.* Mansuetus enim in iniurijs tacet, nec offenditur, nec vindictam petit, fol. 254. dub. 1.

Ego dæmonium non habeo. Hugo Cardinalis: *Ad primum* (scilicet, Samaritanus es tu) *non respondet, attendens interpretationem, & significationem nominis: quia Samaritanus interpretatur custos, & ipse custos est. Psalm. 120. Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel. Isaiæ 22. Custos qui de nocte.* Christus non negauit se esse Samaritanum, id est, custodem, quia gaudet, quod homo curæ, & protectioni tuæ se committat, fol. 187. dub. 1. 2. Resp.

Honorifico patrem. Caietanus: *Probat ab opere se non habere dæmonium, quia opus facit contrarium dæmonio, scilicet, honorifico patrem meum: dæmon enim contra honorem Dei pugnat: ego autem patrem meum honorifico verbo & opere.* Verbis, & operibus Christus honorabat patrem, quia in omnibus patris honorem curabat, ne aliquo modo honor patris minueretur, fol. 245. dub. 12. Ergo Zelemus Dei honorem in omnibus, vt Deus pro suis nos recognoscat: Deus enim pro suis habet, qui zelant eius honorem, fol. 188. dub. 7.

Et vos inhonoratis me. Conqueritur Christus de Iudæis, quod inhonorant eum, quia homo non tanti æstimat diuitias, & filios, & mundi gloriam, quam honorem, fol. 225. dub. 9.

Ego non quæro gloriam meam. Gistandis: *Cur dicit, non quæro gloriam meam? Respond. Lyra. Ne Iudæi possent dicere, quod talia diceret ad iactantiam.* Vere enim humilis fugit vanam gloriam, fol. 336. dub. 4. Et omnia opera nostra ad Deum dirigenda, nec in aliquo popularis gloria quærenda est, fol. 335. dub. 2. Iustus quoque inanem gloriam fugit, cum non vult propalari opera sua ad propriam ostentationem, sed ad Dei gloriam, fol. 336. dub. 3.

Est qui quærat, & iudicet. Hugo Cardinalis: *Pater, scilicet, qui vindicet suo tempore meam contumeliam, & hoc dicit prædicendo. Puniuit enim pater peccatum eorum in captiuitatem eos tradendo, & iustam pœnam excæcationis infligendo.* Deus enim vindex est iniuriarum quæ iustis inferuntur fol. 105. dub. 39. Imo mouet Deus ad puniendos contumeliosos in iustos, fol. 235. dub. 4. 2. Respondet. Vnde homo non vindicet per se iniuriam propriam, sed vindictam Deo remittat, fol. 338. dub. 3. Quia homo qui per se vindictam sumit, modum, & mensuram rationis excedit, ibi. dub. 3. Vide *Vindicta.*

Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. Iudæi non solum verbis, sed operibus iniuriam intulerunt Christo. Homo enim actionibus suis iniurius, & iniquus erat homini, fol. 234. dub. 2. Vel sustulerunt lapides, vt vindicarentur de Christo, qui arguebat opera, sed turbata fuit eorum ratio, fol. 339 dub. 5.

Iesus autem abscondit se. Quia laudabiliter fugit homo persecutionem, cum in magno periculo, & discrimine versatur, fol. 296. dub. 1. Nec homo omittat quæ tenetur facere ad eam vitandam, de Diuino auxilio confidens, ibi. dub. 3.

Exiuit de Templo. Relinquens eos propter peccatum. Peccator ob abominabile peccatum destituitur à Deo, fol. 113. dub. 75. Vnde obstinatos peccatores, & contumaces solet Deus ex toto derelinquere, fol. 292. d. 9.

Feria 4. Domin. in Passion. Ioann. 10. Vers. 22.

Facta sunt Encænia. D. Cyrillus: *Iudæi nouas fraudes, & insidias moliuntur, eo potissimum tempore, quo Diuinis Officijs magis intenti esse deberent, scilicet, die Encæniorum.* Celebritur festiuitas dedicationis Templi, eiusque solemnitas, vt maxima nequitia Iudæorum ostendatur, quæ in ipso die festiuitatis, à sua nequitia fraudibus, & insidijs non desistant, cum eo die deberent potissimum Dei cultui vacare. Diebus enim festis à malis operibus abstinendum est, & cultui Dei tantum vacandum, fol. 35 dub. 14.

Facta sunt Encænia. Hugo Cardinalis: *Primo fuit Templum ædificatum, & dedicatum à Salomone, sed hoc Templum destructum est à Nabucodonosor, scilicet, diabolo, & ideo debet reædificari per Esdram, id est, per pœnitentiam. Ezechiel 36. Ciuitates inhabitabuntur, & ruinosa instaurabuntur.* Qui enim vitam sine culpa duxit potest omittere pœnitentiam, qui vero deliquit debet eam arripere, vt renouetur, fol. 90. dub. 102. Vnde nomen peccatoris deletum per peccatum per pœnitentiam reuiuiscit, & renouatur, fol. 79. dub. 57.

Facta sunt Encænia. Gistandis: *Quæ dedicatio fuit illa Templi de qua solemnizabant? Resp. Lyranus post Alcuinum, & Bedam, quod non erat illa quæ facta fuit à Salomone, quæ facta fuit die 10. Septembris in autumno, vt habetur 3. Reg. 8. Nec quæ facta fuit sub Zorobabel, quæ facta fuit in Martio tempore vernali, sed illa quæ facta fuit sub Iuda Machabæo, quando Templum fuerat prophanatum ab Antiocho Epiphane. 1. Machab. 4. Quæ fuit facta die 25. noni mensis, qui in maiori parte communiter concurrit cum Decembri apud nos.* Antiochus Epiphanes polluit Templum sordibus idolorum, & prophanauit vtensilia eius, & significat eos qui Templum Dei polluunt verbis, vel operibus, quod magnum delictum est. Vnde turpia verba in Templo fari, magnum crimen, turpia operari in expiabile delictum est, fol. 330. dub. 1. Ideo damnabit Deus, qui Templo Dei facit iniuriam, ibi. dub. 4. Polluitur etiam Templum loquendo in eo: vnde Templi sanctitas petit silentium propter Deum ibi assistentem, fol. 330. dub. 3.

Facta sunt Encænia. Legimus Templum renouatum sub Iuda Machabæo, Iudamque mundasse Templum, & restituisse vtensilia eius in locis suis: vt sciamus quam gratum sit Deo Templa exornare. Templa enim curiose componere Dei cultum, & hominum augent deuotionem, fol. 330. dub. 1.

Et hyems erat. Optime hyemi comparatur Iudæorum peccatum, & peccatorum, in hyeme est gelicidium, & frigus, & peccator per peccatum calorem charitatis perdit, frigoreque peccati torpet, fol. 77. dub. 55. 5. Respond.

Et hyems erat. Hugo Cardinalis: *Benè comparatur.* Hyemi status peccatorum propter pigritiam, *hominum in hyeme. Proverb. 20. Propter frigas piger arare noluit.* Peccator enim ad virtutem piger, fol. 227. dub. 1.

Et hyems erat. Hugo Cardinalis: *Comparatur hyemi status peccatorum, quia in hyeme sunt inundationes aquarum, & torrentium fio abundantia iniquitatum. Psalm. 17. Torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Oseæ 4. Maledictum furtum, homicidium inundauerunt.* Optime Iudæi hyemi comparantur propter abundantiam iniquitatum in quas labebantur. Peccator enim à peccato in peccatum ruit, fol. 103. dub. 21, 22. Respondet. fol. 293. dub. 1.

Ambulabat Iesus in porticu Salomonis. Caietanus: *Non intelligas Iesum ambulare intus in domo Dei quæ propriissime Templum vocabatur (quoniam in illud soli Sacerdotes intrabant) sed appellatione Templi intelliguntur atria, & porticus, & reliqua quæ erant infra septa Templi.* Dominus Iesus non ambulabat intus in Templo forsan, vt doceret quantam veneration em debemus exhibere Templis, quod in eis non liceat, nec de ambulare. Locis enim sacris magna exhibenda reuerentia, fol. 97. dub. 2.

Ambulabat Iesus in porticu Salomonis. Iuxta Templum ambulabat ob amorem suum erga Ecclesiam: Christus enim inseparabiliter adhæsit Ecclesiæ præ amore eius, relinquens Patrem in cœlo, & Matrem Synagogam in terra fol. 63. dub. 127. 2. Resp.

Ambulabat Iesus. Non sedebat, non quiescebat, sed ambulabat, vt doceat quod continuum debemus habere processum in studio virtutis, fol. 124. dub. 21. Et in virtute incessanter ambulandum est, & operandum, fol. 16. dub. 46. in fine. Vnde iustus intendit perfectioni virtutis, ac si modo inchoasset, fol. 10. dub. 30. Nec in re virtutis est ita quærenda quies, vt vltra non progrediatur, fol. 33. dub. 5. Ideo exerce te in virtute, quia quanto in virtute exerceas te, tanto maiores progressus in virtute facies, fol. 344. dub. 6.

In porticu Salomonis. Hugo Cardinalis: *Porticus Salomonis dicitur in quo fuit porticus illa, in qua erexit columnam, & forte ibi erat aliquid post destructionem Babylonicam in reparatione Templi de nouo fabricatum.* In fine 4. Reg. habetur, quod totum fuit destructum, vnde cum illa porticus fuerit totaliter combusta per Chaldæos, videtur quod nõ debeat dici porticus Salomonis, tamen quia aliquid remansit post destructionem factam per Chaldæos, vel quia in ea porticu Salomon

erexit

erexit columnam, absolute ab Euangelista appellatur porticus Salomonis, quia Historiographi minima gesta Principum, magna faciunt. fol. 119. dub. 2.

Circundederunt ergo eum Iudæi. Illud *ergo* denotat, quod Iudæi nacti fuerunt opportunam occasionem ad circundandum eum, cum vidissent Iesum ambulantem coram multis. Peccatores enim opportunitatem malis operibus quærunt, fol. 104. dub. 34. 2. Respon.

Si tu es Christus, dic nobis palam. Gistandis: *Cur Iudæi dicunt, dic nobis palam, cum semper palam loqueretur? Resp. Lyra post Augustin. & S. Chrisost. Quia non veritatem desiderabant, cum ipse palam omnia loqueretur, sed calumniam præparabant.* Si diceret se esse Messiam statim caperent eum quasi contra Augustum facientem. Ideo calumniam parabant, vt eum interficerent: oderant enim Christum, & qui alterum odio habet, cogitat modos, vt intereat, fol. 274. dub. 4.

Si tu es Christus, dic nobis palam. Discendi desiderio hæc dicta videbantur, animus autem corruptus erat, & subdolus, quia cum intentione accusandi hæc dicebant: & à mala intentione qua interrogabant, interrogatio quæ apparebat bona, reddita fuit mala. Opera enim nostra ex appetitu, & ratione de ordinata, corruptoque affectu mala redduntur, fol. 2. dub. 34. Ideo ab intentione ad rectum finem, ordinantur, & illustrantur, fol. 6. d. 10. 2. Resp.

Si tu es Christus, dic nobis palam. Frandolenter, & subdole accesserunt ad Christum, quia oderant eum: vbi enim odium est fraus est, vbi amor est dolus non est, fol. 136. d. 1.

Dic nobis palam. Mentiuntur Iudæi, quod Christus palam non fuit locutus se esse Christum, vt patet Ioann. 8. vers. 25. & 42. Hoc ergo euidens est Iudæorum mendacium quæ ideo dixerunt, vt gratiam Principum Iudæorum venarentur. Mentitur sæpè homo ad gratiam Principum aucupandam, fol. 337. dub. 2. Ideo Iudæi, quia mendaces, non solum non sunt credendi, imo nec admittendi, fol. 256. dub. 4. Quapropter multis flagellis puniti fuerunt à Domino, quia mendax grauissime punitur à Deo, fol. 256. dub. 1. Nec dignus est, quod inter viuos permaneat, sed inter mortuos, qui in mendacio deprehensus est, fol. 256. dub. 2. 2. Resp.

Dic nobis palam. Innuunt Iudæi, si hactenus non credimus, id in causa est, quod tu non es locutus palam: iam enim credidissemus tibi, si locutus fuisses palam; sicque totam culpam suæ malitiæ in Christum refundere cogitant. Peccator enim, vt culpam excusat in Deum obiicit, fol. 82. dub. 69.

Loquor vobis, & non creditis. Caietanus: *Non solum non credidistis, sed nec creditis ver-*

bis meis, nec ergo nunc crederetis si dicerem me esse Christum, sed fingitis vsque quo animam nostram tollis. Christo non credebant Iudæi ex odio quo eum prosequebantur, odium ita excæcat hominem, quod eum quem odit, quasi non cognoscere faciat, fol. 274. dub. 5. Et cum veritatem multoties loquutus fuerit eis, à se tamen expellebant Christum, quia odium facit à nobis expellere, qui ad nostram vtilitatem idoneos esse iudicamus. fol. 274. dub 3.

Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me. Caietanus: *Miracula demonstrantur attestantia, quod ipse est Filius Dei.* Virtute propria patrabat miracula, & testimonium dabant suæ Diuinitati: in modo enim agendi dignoscitur quis homo est, fol. 279. dub. 7.

Et ego cognosco eas. Caietanus: *Ego intima eorum cognosco notitia practica: quoniam notitia speculativa tam ones, quam non ones intime cognoscit.* Vt doceat Prælatos, & Principes esse sapientes, moresque subditorum cognoscere, fol. 56. dub. 96. & 97.

Ego & Pater vnum sumus. Caietanus: *Dicendo vnum sine additione aliqua, vnitatem essentiæ significat.* Vult enim Deus vnitatem suam agnosci, fol. 10. dub. 31.

Sustulerunt ergo lapides. Furore agitati leuauerunt lapides forte ex pauimento porricus extractos, & prompte eos habuerunt. Ad damnum enim alteri inferendum arma ministrat furor, fol. 104. dub. 35. & fol. 181. dub. 3. Vel sustulerunt lapides, vt lapidarent eum, in quo suam malitiam ostendebant: per opera enim proditur bonitas, & malitia operantis, fol. 279. dub. 7.

Multa bona ostendi vobis propter quod eorum me lapidatis. Magna opera ostendit Iudæis Christus sanando, docendo, & de prauati contra eum insurgunt. Qui ingratus est ex conditione suæ naturæ, etiamsi multa illi conferantur beneficia, gratitudinem non rependet, fol. 60. dub. 114. Ingratusque est qui benefactorem lædit, fol. 217. dub. 5.

Propter quod eorum me lapidatis. Caietanus: *Quantum ex ipsis erat lapidabant Diuina autem virtute inuiti continebantur à lapidibus.* Lapidatio narratur, licet non lapidarent, quia erant in procinctu, & voluntate lapidandi, & voluntas aliquid faciendi pro opere reputatur, fol. 341. dub. 3.

Feria 5. Dominic. in Passione, Lucæ 7. v. 37.

Et ingressus Domum Pharisæi discubuit. Non legimus Dominum Iesum tunc ingressum in domum mulieris, quia lubrica erat, quia Deus mansionem non facit super lasciuos. fol. 253. dub. 5.

Ecce mulier. Hugo Cardinalis: *Vide quod non nominatur hic, quia in peccato erat adhuc,*

sicut

sicut Lucæ 16. Non nominatur dives, sed in statu gratiæ iam promota nominatur. Ioann. 11. & 12. Quia peccator ex peccatore iustus, ex malo bonus, aut in ordine eius commutatus non prioris & ignominioso nomine, sed illustriori appellandus est, fol. 14. dub. 36. 2. Resp.

Quæ erat in Ciuitate peccatrix. Hic loquendi modus, *erat in Ciuitate peccatrix*, denotat, quod diu in peccato perseuerauerat, & Deus sustinebat. Peccator enim patientia tacituma Dei abutitur ad peccandum, fol. 73. dub. 36. & 37.

In Ciuitate peccatrix. Hugo Cardinalis: *Intellige publica, & consueta peccatis.* Peccatrix erat publica, & cum scandalo, propter scandalum peccabat mulier, etiamsi non committeret culpam ex qua oriebatur, fol. 323. dub. 1. Ideo propter scandalum peccatum eius fuit graue, quia scandalum facit peccatum grauius altero licet sit eiusdem speciei cum illo, fol. 323. dub. 2.

In Ciuitate peccatrix. Gisiandis: *An hæc peccatrix corporaliter peccauerit? Resp. S. Thomas super Mathæum, quod peccauerat corporaliter, & spiritualiter.* Et Caietanus: *Genus peccati non explicatur, sed cum mulier absolute dicitur peccatrix, peccata carnis intelliguntur: vtpote mulieribus propria quo ad infamiam.* Ab ingluuie nascebatur eius luxuria, fol. 253. dub. 2. & fol. 74. dub. 42. 2. Resp. fol. 219. dub. 2. & 4. Ideo castitas necessariò petit abstinentiam, fol. 129. dub. 1. Vel eius luxuria causabatur à diuitijs quibus affluebat: libido enim generatur ex aquis diuitiarum, fol. 164. dub. 7. Et bonis temporalibus abundantes facile labuntur inuitia, fol. 160. dub. 6. Et nota quod mulier hæc luxuriosa multas patiebatur intus punctiones, quia vitia carnis cum exercentur afflerunt voluptatem, sed in fine pungunt, fol. 346. dub. 4.

In Ciuitate peccatrix. Remorsibus conscientiæ vexabatur hæc mulier lubrica in pœnam suorum peccatorum. Sæuit enim Deus in libidinosos, fol. 253. dub. 3 Et grauissimas pœnas sepetit Deus ab adultero, fol. 116. dub. 88. 2. Resp. Vnde grauissimum malum est peccare præcipue peccato luxuriæ, cum Deus punit, fol. 74. dub. 43.

Vt cognouit De Magdalena scribitur, Ioannis 11. Quod misit ad Iesum quando Lazarus infirmabatur, modo autem non mittit, sed vadit, quia negotium erat de salute animæ, & in re salutis non est super sedendum, sed festinandum, fol. 322. dub. 3.

Vt cognouit, quod Iesus accubuisset in domo Pharisæi. Hugo Cardinalis: *Post multas mulieres accessit post Samaritanam, post Chananeam, post Emorissam, & multas alias, & stans secus pedes propter confidentiam.* Accessit confidens de Dei misericordia, & veniam petens. Confidentia in Dei misericordia veniam consequitur, fol. 107. dub. 62. Vel cum Christus accumbit in domo Pharisæi mulier accessit ad eum, quia videbat Christum humanum, & leuem: Christus enim post assumptam humanitatem, ita lenis apparuit, quod peccatores poterant ad Deum accedere, fol. 60. dub. 61. in fine. Vnde asperitas facit hominem inaccessibilem, fol. 125. dub. 59. Vel accessit confidenter ad Christum, cum magni peccatores peccatorum memoria trahantur ad desperandum, fol. 109. dub. 60.

Et stans retro. Caietanus: *Corporalis situs significatur. Retro, ne in verecundam putares, & impudentis audaciæ. Idemque significatur ex eo quod non iuxta caput, aut latus, sed iuxta pedes Iesu se locauit.* Grauiter Deum offenderat mulier, & non audet coram Christo comparere, sed retro se locauit. Qui enim in alicuius offensione incurrit, non audet comparere coram offenso, fol. 276. dub. 4.

Stans retro. D. Gregorius Magnus: *Retro quidem stat pro verecundia peccati.* Verecundabatur inhonesta mulier. Inhonesti enim habent vnde pudefiant, casti non habent vnde rubescant, fol. 64. dub. 130. 2. Resp.

Lachrimis cœpit rigare. Proprijs lachrimis, vt Christum ad misericordiam traheret. Misericordia enim Dei magis trahitur lachrimis proprijs quam alienis, fol. 246. dub. 1. 2. Resp. Et primo hominis fletu cordis excitatur Deus ad miserendum, ibi. dub. 4.

Lachrimis cœpit rigare. Ad Deum dirigebantur lachrimæ, vt ad misericordiam inclinaret: lachrimæ enim, quæ non ad alium finem, sed ad Deum diriguntur, Deum mouent, fol. 246. dub. 1. 3. Resp.

Lachrimis cœpit rigare. Lachrimas perfundebat mulier, vt veniam consequeretur. Habent enim vim impetrandi, quod petitur, fol. 246. dub. 2. Vnde efficaciores sunt ad impetrandum quam orationes, ibi. dub. 2.

Lachrimis cœpit rigare. Mansuete, & leniter excepit eam Dominus, & ad dolorem mota est. Mansuetudo enim, & lenitas Iudicis reum ad dolorem excitat, fol. 30. dub. 59.

Lachrimis cœpit rigare pedes eius, & vnguento vngebat. Benè cum lachrimas fundit, vnguento vngit pedes. Vnguentum significat odorem orationis, congrue ergo lachrimas apposuit vnguento, vt innueret quam dulcis erat mulieri effusio lachrimarum simul cum oratione. Lachrimæ enim ab oratione egressæ in dulcedinem conuertuntur, fol. 43. dub. 46. Vel dulces fuerunt lachrimæ contritæ mulieris, cum peccatoribus sint amaræ: eadem enim exercitæ pœnitentiæ suauia sunt iusto, & pœnosa peccatori, fol. 47. dub. 62.

Lachrimis cœpit rigare pedes eius, capillis capiti sui tergebat. Caietanus: *Quatuor officia hic conspice abluere lachrimis pedes Iesu, capillis tergere, osculari eosdem, & demum vnguento vngere. Nouum, & inauditum genus oblationis, ac sacrificij pro peccatorum venia ad inuenit hæc mulier, procul dubio à Spiritu Sancto inspirata.* Inter multa obsequia quæ hæc mulier Christo præstitit lachrimas pedum, ablutionem, simulque illorum abstersionem, oscula vnguenta, lachrimæ tamen primo ponuntur, quia Deus valde desiderat lachrimas nostras tanquam iucundas sibi, sicut primitiæ iocundæ sunt Deo, fol. 246. dub. 3.

Lachrimis cœpit rigare pedes eius. Externa offert Christo, sed se ipsam interne obtulit, quia magis placet Deo oblatio hominis interni quam externi, fol. 277. dub. 2. Et cum dolore offert lachrimas, capillos, & vnguenta, quia cum dolore offerenda sunt Deo, quæ offeruntur, fol. 278. dub. 5.

Lachrimis cœpit rigare pedes eius. Externa offert Deo, lachrimas, oscula, capillos, vnguenta in Christi obsequium, sed principaliter obtulit meliora, mentem scilicet, cor, animam, & voluntatem, quia offerendum est Deo, quod melius est, fol. 99. dub. 15. fol. 278. dub. 4. Selectissima quoque Deo offerenda, ibi. dub. 16. Et Deo non mundo offerenda sunt meliora, fol. 102. dub. 26. Vnde signum probatæ fidei est offerre Deo optima, fol. 277. dub. 1. Et nota quod Christus non acceptaret hæc externa mulieris, si meliora, scilicet, interna sibi retineret, quia Deus reijcit munera eius, qui meliora sibi retinet, & peiora Deo offert, fol. 100. dub. 17. 8. Resp. Vel non acceptaret Christus ea, si meliora qualia erant interna diabolo offerret, quia Deus non acceptat munera eius, qui diabolo meliora offert, fol. 100. d. 7. 7. Resp. Vel acceptauit Dominus eius oblationem, & obsequia, quia pura per contritionem accessit, vnde qui pollutus est peccato, ineptus est ad offerendum Domino, nec accepta est eius oblatio, fol. 278. dub. 5. Vel acceptauit Christus lachrimas, oscula, & obsequia capillorum, & vnguenti, quia virtutibus comitabantur humilitate ipsius fide, & spe, & oblationes virtutibus comitatæ placent Deo, fol. 278. dub. 3.

Lachrimis cœpit rigare pedes eius. Multa commisit crimina, & multis satisfacit mulier. Plura enim peccata, multam, & magnam petunt satisfactionem, fol. 304. dub. 6.

Lachrimis cœpit rigare pedes eius. Beda apud Hugonem: *Oculos quibus terrena concupierat iam per pœnitentiam conuertens plorat.* Mulier oculis terrena concupiuit, capillos ad compositionem vultus exhibuit, ore superba dixit, vnguenta pro odore carnis adhibebat, omnia conuertit ad satisfaciendum pro culpa. Peccator enim assumat instrumenta peccati ad satisfaciendum, fol. 304. dub. 4.

Remittuntur tibi, peccata multa. Vidit Dominus mulierem pœnitentem, & misericordia vtens peccata remittit. Quia Iustitia Diuina pœnitentia nostra conuertitur in misericordiam, fol. 96. dub. 127. 4. Resp. Vel misericordia vsus est cum ea, quia omnia peccata, & occasiones peccatorum dimisit mulieri: Deus enim misericordiam suam non facit in peccatores, qui omnia peccata, & omnes occasiones eorum non tollunt, fol. 260. dub. 2. Vel fecit misericordiam cum illa, quia Deus pronus est ad remittendum, f. 110. dub. 62. Vel misericordiam fecit cum illa, quia multa opera, & obsequia exhibuit Christo. Per bona enim opera condonatur peccatum, fol. 103. dub. 30. Vel quia maximè peccauit hæc mulier, misericordiam magnam fecit ei Dominus, & vbi magna culpa est, necessaria est magna misericordia, fol. 110. dub. 61. Vel quia misericordia Dei veniam præbet absque vllo termino, fol. 110. dub. 62. Vel misericordiam fecit cum illa, eique peperc.t, quia confessa est peccatum suum, & veniabilis est culpa, quam sequitur vera confessio, fol. 107. dub. 50. Vel misericordiam fecit ei, quia in ea vidit imaginem suam, & Deus miseretur in peccatorem in quo Dei relucet imago, 27. dub. 86. Et nota quod hoc Euangelium legitur Dominica in Passione, cum Crucis Sanctissimæ memoriam agimus, ad denotandum, quod licet multa aggrauarent peccata mulieris, tamen posita in statera Sanctissimæ Crucis, minora apparent, fol. 110. dub. 62.

Remittuntur tibi peccata multa. Nec tamen pœnas expoſcit Christus ab ea, quia qui de culpis commissis veniam petit, pœnam pro illis debitam excusat, fol. 52. dub. 82. Et peccator per pœnitentiam, & confessionem peccati culpam delet, & Diuinam euadit sententiam, fol. 303. dub. 3. Vel quia Deus leuia peccata aliquando grauissime punit, & grauissima facile condonat, fol. 51. dub. 76. Vel quia qui de sua culpa se accusat, à sua se pœna excusat, fol. 84. dub. 75.

Remittuntur tibi peccata multa. Nec Christus recordatus est peccatorum mulieris pœnitentis, quia pœnitentia ita delet peccatum, quod eius non recordatur Deus, & pro non facto habetur, fol. 304. dub. 5.

Remittuntur tibi peccata multa. Vt Christus Iustitiam simul, & misericordiam oſten-

ostenderet: cum enim Deus parcit pœnitenti, simul in Deo splendet Iustitia, & misericordia, fol. 304. dub. 7. Vnde peccator qui laudat Dei misericordiam, laudare debet eius iustitiam, cum Iustitia, & misericordia in Deo associentur, fol. 259. dub. 1.

Vade in pace. Caietanus: *Non absolute dicit Vade, sed addidit in pace ad continuandum internam mulieris consolationem.* Mulier ex præsentia Christi magnam sentiebat intus consolationem, & vt continuaret, dicit ei Dominus, *Vade in pace*, quasi dicat, multas intus habebis consolationes, & lætitias. Peccator enim in conuersione, primo mœrore afficitur, deinde lætitia consolatur, fol. 178. dub. 7. Et tentatis tentationum pugnam interna pace consolatur, & tranquillat, ibi.

Vade in pace. Caietanus: *Non absolute dixit Vade, sed addidit in pace, ad futurum illius statum præsignando pacificum, quod postea rei probauit successus.* De cætero pacem habuit internam iam iustificata. Peccatores enim habent pacem huius mundi, iusti vero pacem conscientiæ, fol. 289. dub. 5. Et nota quod hæc mulier de cætero vitauit peccata, quia præteritorum recordata fuit cum dolore, & efficax remedium adulterandi peccata, est præteritorum cum dolore recordari, fol. 94. dub 120. Ab illicitis, & licitis se abstinuit, vt ageret pœnitentiam, fol. 97. dub. 1. Ideo peccatores agite pœnitentiam, quia peccator non semper habet fœlicem exitum, tandem in periculo peribit, fol. 295. dub. 3.

Vade in pace. Mulier quæ prius peccauerat cum scandalo, post conuersionem à collocutione hominum abstinuit, ne alios scandalizaret: iusti enim à licitis abstinent, ne exemplo suo vulnerent, fol. 323. dub. 3. Et vitauit scandalum non solum ortum, sed oriendum, fol 324. dub. 3. Nec solum à vere malo abstinuit, sed ad specie mali propter scandalum, ibi. dub. 4.

Feria 6. Dominica in Passione, Ioann. 11. Vers. 47.

Collegerunt ergo Concilium. Caietanus: *Pharisæi autem non soli, sed cum Principibus Sacerdotum, de congregando Concilio tractant, definiuntque congregandum, & congregant.* Pharisæi non audent soli nisi cum principibus Sacerdotum congregare Concilium, quia ordinabatur ad damnum Christo inferendum, & qui alteri damnum parat, si solus sit trepidat, in multitudine audet, fol. 182. dub. 8. 3. Resp. Vnde Caiphas, quia superbus erat non audet solus contra Christum, sed in Concilio congregato loquitur audacter. Vnde superbus, quia timidus, desinit malum alijs inferre, quia timet vinci, fol 97. dub. 12.

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi. Caietanus: *Quoniam non dicit Concilium inter se significat, quod Concilium Ciuitatis publicum congregauerunt, vocando Senatores, & breuiter eos qui de Concilio erant.* Senatores, & Primates Ciuitatis vocati sunt ad hoc Concilium aduersus Iesum, ex quo aggrauatur peccatum eorum: augetur enim peccatum ex dignitate peccantis, fol. 295. dub. 6. Ideo peccata illustrium virorum durius debent vindicari, fol. 268. dub. 3.

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi Concilium. Pontifices, & Phariſei Reipublicę Rectores congregati sunt aduersus Iesum in quo violauerunt dignitatem suam: violatur enim authoritas magni viri, si ad damna inferenda conueniat cum alijs, fol. 181. dub. 2.

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi. Qui erant de terra Christi aduersus Christum congregantur. Nostri enim sunt, de terra nostra, & patria, & cognatione, qui assumuntur ad perniciem nostram, fol. 182. dub. 6.

Aduersus Iesum. Non aduersus aliquem, à populo, sed aduersus Iesum virum magnum, & prę excellentem. In quo aggrauatur eorum peccatum. Ex dignitate enim offensi acumulatur irrogata offensa, fol. 277. dub. 6. Vel aduersus Iesum conspirant, quia dissimiles erant eis in moribus: coniurant enim se homines contra eum, qui in moribus dissimilis est, fol. 274. dub. 1. Vel aduersus Christum qui absens erat, non coram Christo congregantur, quia non audet homo alterum coram offendere, sed post tergum, fol. 276. dub. 5.

Quid facimus, quia hic homo multa signa facit. Gistandis: *Cur cum Dominus tanta miracula faciebat, consilium contra eum fecerunt? Resp. Lyra. Quia audita resurrectione Lazari extra, & inuidia moti sunt ad tractandum de eius morte.* Quia inuidus crudelis est, & immanis, fol. 239. dub. 5. Adeo vt res eius, cui inuidet dissipare intendat, ibi.

Multa signa facit. Verbis ostendunt inuidiam, et odium: signis enim manifestatur inuidia, & odium proximi, fol. 108. dub. 22. 3. Resp.

Multa signa facit. Laudabatur Christus à populis pro tot signis, & miraculis, et inuidebant ei. Laus enim alicuius boni gignet inuidiam, fol. 239. dub 6. Quia putat inuidus per alienam excellentiam, eius gloriam minui, ibi. dub. 8. Vnde congregantur Pontifices, & Pharisæi ad tractandum de morte eius, quia inuidus vexat eum cui inuidet, vsque ad extinctionem, ne habeat augmentum, fol 238. dub. 2.

Quid facimus. Caietanus: *Arguendo legendum*

dum est. Materia tractata in Concilio non nuda describitur, sed cum modo quo tractabatur, scilicet arguendo proprias moras ad occurrendum tanto periculo. Timebant Pontifices, & Pharisæi, quod venirent Romani, & tollerent locum, & gentem, ideo proprias moras arguunt in occurrendo imminenti periculo. Damnum enim communitati imminens, dum sub dubio est cito præcauendum est, & præsens obuiandum, fol. 181. dub. 4. Vel timebant Romanos, quia peccatores erant, & peccator timidus est, fol. 114. dub. 77.

Venient Romani. Caietanus: *Excæcauit illos malitia eorum, ac amor propriæ auctoritatis, quam sciebant se non habituros sub Messia Rege iustissimo, conscientia namque propria testificatur ipsis met, quod perdituri erant locum auctoritatis suæ si omnes crederent in Iesum iustum.* Timebant Pontifices non Rempublicam, non Romanos, sed se ipsos, quia sciebant Messiam esse Regem iustum, & iustitiæ, ac proinde non permitteret eos tam iniquos in suo munere, & officio. Malus enim cum alteri damnum vult inferre timet detrimentum proprium, fol. 105. dub. 39. Ideo qui proximo nocumentum adfert, timeat, & fugiat, ne damnum sibi inferatur, fol. 333. dub. 1. Vel quia peccatores erant timebant sibi auferri à Messia Dominum: per peccatum enim amittitur imperium. fol. 28. dub. 90. Vel timebant Romanos, quia mala conscientia præmebantur, & qui mala conscientia vexatur, de nulla re quam de timore cogitat, fol. 80. dub. 62. Vel timebant à Messia propter eorum iniquitates, ab officio priuari: qui enim indignitate positus male viuit, timeat ab officio remoueri, fol. 193. dub. 6. Vel timebant, quod venirent Romani, & tollerent ab eis locum, & gentem, non vero timebant damnum spirituale ex morte Christi sequendum, quia peccator, plus dolet de damno temporali, quam de spirituali, fol. 80. dub. 60. Magisque timet pœnas quas sensu percipit, quam eas quas fide cognoscit, fol. 52. dub. 80.

Venient Romani. Timent quod Romani venient, & tollant vrbem Ierusalem, Templum reliquasque vrbes, viculosque Iudææ, & tamen mortem volunt inferre Christo, quia malus multis malis se exponit, dummodo alijs infestus sit, fol. 87. dub. 38.

Venient Romani. D. Augustinus: *Post Domini Passionem tulerunt eis, & locum, & gentem expugnando transferendo.* Timebant ne venirent Romani ad eorum excidium, & inciderunt in Romanos qui eos expugnauerunt, & transtulerunt in alienum solum, quia grauissime peccauerunt occidendo Christum, & peccator secundum damnum, quod infert grauiter, vel leuiter punitur à Deo, fol. 112. dub. 71.

Venient Romani. Venerunt cum valida manu, tulerunt Sacerdotium, cultumque Templi Iudæorum, & transtulerunt eos. In pœnam sui peccati. Grauissimo enim peccato grauissima pœna respondet, fol. 109. dub. 58. Et grauiori culpæ, sæuior pœna respondet, fol. 107. dub. 50 2. Resp. Pœna quoque proportionata fuit culpæ, fol. 109. dub. 57.

Venient Romani. Concilium aduersus Iesum fuit publicum, vt notat Caietanus, & publice fuerunt à Deo puniti, quia peccato publico, publica debetur pœna, fol. 112. dub. 70.

Venient Romani. Omnes expugnati fuerunt, & puniti, quia similes fuerunt in culpa. Complices peccatorum castigantur à Deo, fol. 84. dub. 78. 2. Resp.

Venient Romani. Pontifices, & Pharisæi tractauerunt de morte inferenda Christo, & venerunt Romani vindices sceleris eorum. Qui enim alteri damnum adfert, sibi infert, fol. 104. dub. 35. Et qui alteri damnum inuehit, in se ipsum arma conuertit, sibique iniurius est, fol. 182. dub. 8.

Venient Romani. Venerunt Romani, & tulerunt locum, & gentem, quia mors iniuste illata Christo ad Deum clamauit. Quod libet enim damnum illatum proximo ad Deum clamat, fol. 106. dub. 47. 2. Resp. Et grauiora peccata clamant ad Deum, leuiora vero loquuntur, fol. 107. dub. 49. Et nota, quod ab omnibus derelicti fuerunt Iudæi, nec nullus auxilium tulerunt Christo: qui enim proximum lædit ab alijs destituitur, fol. 108. dub. 56.

Venient Romani & tollent locum nostrum, & gentem. Hugo Cardin. *Tollent nostrum locum, id est, Ciuitatem, & Templum destruent, & gentem, id est, populum occident.* Pontifices, & Pharisæi timebant, quod si dimitterent Christum sic inuentem & signa facientem, venirent Romani, & occiderent eos, vnde de morte Christi tractarunt, & in homicidium lapsi sunt. Peccator enim ob vitæ appetitum labitur in peccatum, fol. 95. dub. 124. 2. Resp. Et nota quod venia non fuerunt digni, quia ex inuidia conuenerunt à diuersus Iesum, & inuidia ita ob durat inuidum, vt eum reddat venia indignum, fol. 108. dub. 53. Vel quia ex malitia peccauerunt, venia non fuerunt digni. Vnde diabolus conatur homines ex malitia peccare, vt venia sint indigni, fol. 71. dub. 29.

Vnus autem ex ipsis Caiphàs nomine. Hugo Cardinalis: *Vnus ex ipsis Pontificibus, qui dicitur Vnus, quia in verecundior erat reliquis, & in malitia singularis.* Caiphàs principalis fuit in culpa, & pro omnibus supponebat. Principalis enim in culpa pro omnibus complicibus supponit, fol. 78. dub. 54. Vel dicitur

vnus,

vnus, ad innocendum; quod causa fuit conspirationis. & qui dat causam peccato, in causa est talis peccati, fol. 82. dub. 69. 2. R.

Vos nescitis quicquam. Caietanus: *Hæc verba insinuant, quod consiliarij ambigebant, & in varias declinabant opiniones, varia tractantes remedia citra mortem Iesu, & propterea reprehendit eos Caiphas imprudentiæ.* Superbus erat Caiphàs, & consiliarios suos inscios ignorantes, stupidos appellat, se vero scientem esse ostendit. Superbus enim se meliorem alijs iudicat, & alios contemnit fol. 328. dub. 1. Vel quia erat Pontifex anni illius superbiebat. Homines enim indignitate constituti superbiunt, fol. 48. dub. 68. 1. R. Vel ex odio dixit, vos nescitis quicquam cum alij essent ibi Pontifices, & consiliarij similes indignitate, & scientia. superbus similem sibi odit, fol. 25. dub. 79. 3. R.

Expedit, vt vnus moriatur homo. Quia ex morte Christi vita nostra processit, fol. 39. dub. 27. Et Crux eius restaurationis humanæ instrumentum, fol. 17. dub. 49. Et ab occidente salus venit humano generi, fol. 77. dub. 51.

Expedit, vt vnus moriatur homo. Caietanus: *Præstat, vt moriatur vnus, & saluetur tota gens, quam vt viuat vnus, & pereat tota gens.* Minus malum consulit, vt maius quale erat totius populi ruina vitetur, fol. 172. dub. 1.

Expedit, vt vnus moriatur homo. Caietanus: *Palliatum iudicium specie communis boni præponendi bono particulari.* Dolose loquebatur Caiphàs, vt omnes induceret ad mortem Christo inferendam, qui alteri damnum infligere vult, versute, & dissimulanter procedit, fol. 181. dub. 5. Vel simulat odium, & inuidiam sub Religionis zelo: iniqui enim Religione simulata, & pietate ficta infesti sunt homini, fol. 182. dub. 6. Vel dicit expedit, vt vnus moriatur homo, ne tota gens pereat, quia impij dum alteri nocent, non sibi, sed alis comparat vtilitatem fol. 82. dub. 8. 2. Resp.

Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum. Caietanus: *Conclusum fuisse secundum iudicium Caiphæ, Euangelista narrat à subsecuta executione.* Caiphàs cum esset Pontifex anni illius magnæ erat authoritatis, & eius dicto omnes concessere. Consilium enim hominis magnæ authoritatis tanquam Dei consilium habetur, ita vt omnes adhæreant ei, fol. 173. dub. 1. Vel omnes secuti sunt Caiphàm, quia putabant, quod amice eis loquebatur. Homo enim putat amicum esse, qui malum consiliatur, fol. 174. dub. 9. Vel omnes adhæserunt Chaiphæ, licet peccarent, ne eum contristarent. Solet enim homo propter amicum peccare, ne amicus amicum contristet, fol. 73. dub. 39. Vel quia honorabantur à Pontifice Caiphà loquente eis, assenserunt ei. Honoris causa inducti sunt ad malum, fol. 224. dub. 4.

Ab illo die cogitauerunt, vt interfecerent eum. Caietanus: *Prius enim deliberauerant Iudæi, & quæsierant Iesum interficere (vt Euangelista superius in capite septimo dixit) sed deliberationem illam fuisse aliquorum, & non communis consilij testatur tractatus nunc post Lazari resuscitationem congregati Concilij, nam tractatum fuit quid faciendum est, & inter varias opiniones Caiphàs censuit Iesum esse occidendum.* Et ex consilio Caiphæ executa fuit mors Christi, cum consilium hominis ex consilio Dei sit exequendum, fol. 173. dub. 4. At si Deus frangeret consilium hoc vtile nobis, puniret nos, fol. 173. dub. 6. Et consideta, quod grauiter peccauerunt consiliarij, quia ratione huius consilij executi destructa fuit Ciuitas, vt sciant Regum consiliarij, quod quando ob defectum regiminis destruitur Regnum, grauius peccant quam Reges, fol. 172. dub. 2.

Ab illo die cogitauerunt, vt eum interficerent. Depranatum fuit hoc Concilium, quia non deseruitur causa, nec aduocatur reus, nec locus defensioni datur, sed in audito reo res determinatur, & capitalis sententia fertur. Vnde Iudex non procedat incitato reo, fol. 80. dub. 58. Nec peccatum, quod non scitur iudicialiter, iudiciali ter non examinet, fol. 83. dub. 75. 2. Resp. Audiat à reo totam suam excusationem antequam sententiam contra illum proferat, fol. 89. dub. 96. Nam vt aliquem condemnet, opus est, vt reus prius confiteatur peccatum suum, si testibus non est conuictus, fol. 84. dub. 76. Vnde quia iniuste iudicarunt Pontifices, & Pharisæi, in bonis temporalibus puniti fuerunt à Deo auferendo ab eis pe Romanos locum, fol. 242. dub. 4.

Dominica in Ramis, Matth. 21. Vers. 1.

Ite in castellum, quod contra vos est. Suauibus verbis loquitur Dominus duobus Discipulis, præcipiens eis, quod eant in castellum, ingenui erant Discipuli, & cum ingenuis, & ratione præditis, non vi, & Imperio, sed suaui verbo, vt obediant agendum est, fol. 25. dub. 78. in fine.

Inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Per asinam, & pullum communiter intelligunt Sancti Patres peccatores, quia per malitiam suam in belluinam degenerant naturam. Peccator enim iumenti similitudinem refert, fol. 91. dub. 107. 2. R. Ideo non ducat belluinam vitam, sed Dei vita viuat, fol. 38. dub. 26. 2. Resp.

Dicite

Dicite, quia Dominus his opus habet. Præcipit Discipulis Dominus obstaculum futurum, & difficultatem, vt ostendatur Discipulorum vera obedientia; nam verus obediens omne tam facile, quàm difficile aggreditur ex obedientia, fol.48. dub.67. Veraque obedientia in difficilibus, quæ iubentur, manifestatur, fol.271.dub.1.

Dicite, quia Dominus his opus habet. Non præcipit Christus, vt violenter adducant asinum, & pullum, & renuente Domino domus, quia Deus non cogit voluntatem humanam etiam in sui obsequium, sed relinquit hominem in libertate sui arbitrij, fol.68. dub.16. Vel non vult Dominus, quod vim faciant Domino asinæ, & pulli, quia voluntas nostra non debet proximis velle, quod sibi non vult, fol.341.d.1. Nec detrahendum est ab aliquo, quod habet, vt alteri detur, fol.183.dub.2.

Dicite, quia Dominus his opus habet. Non erat Domino opus asello, cum volet super pennas ventorum, his autem opus habere dicit, vt maiora Domino largiatur. Vnde cum hominem priuat aliquo bono, loco eius melius subrogat, fol.117.dub.91.

Confestim dimittet eos. Dominus domus non fuit parcus in Christum, sed dimisit asinam, & pullum in obsequium Christi, at multi parci sunt in Deum, largi in homines, f.184.d.6. Cum Deo, quod plus est debeat dari, homini vero, quod minus est, ibi, dub.5.

Confestim dimittere eos. Dimisit Dominus asinam, & pullum hilariter, & benevolo vultu, vt placidus vultus suppleret defectum dati, fol.184.dub.7.

Confestim dimittere eos. Quia sine mora Deo iubenti est obediendum. Verus enim obediens expeditus est, & paratus ad obediendum sine mora præcipienti, f.271.d.8

Ecce Rex tuus venit tibi. Caietan. *Rex tuus, id est, Messias ille venit tibi, ad tuam salutem.* Regius enim honor datur Regi propter subditos, vt eos regat, & eis deseruiat, fol.318.dub.4.

Venit tibi mansuetus Mansuetus describitur Rex, vt instruat Prælatos, quod infirmis, compatiantur, fol.63. d.126. Ideo in tribus debent præpollere in potentia, sapientia, benignitate, quæ referuntur ad tres Diuinas Personas. f.26.d.8.3.R.

Venit tibi mansuetus. Dominus mansuetus describitur, quia non rigore, sed mansuetudine, & benignitate ad se trahere volait homines. Maior est enim virtus Prælati mansueti ad vincendos subditos, quã duri ad homines trahendos, fol.255.d.3.

Venit tibi mansuetus. Rex laudatur de mansuetudine, quia non est aptus Regno, qui lenitate, & mansuetudine subditos nõ gubernat, fol.255.dub.4. Vnde ad regendum mansueti præferendi sunt duris hominibus, ibi, dub.5.

Venit tibi mansuetus. Venit tibi, id est, ad vtilitatem tuam: non enim suam vtilitatem, sed subditorum Prælatus debet quærere, f.300.d.100. f.21.d.66. 2.R. At vero mali Prælati vtilitatem propriam potius curant, quam bonum commune subditorum, fol.165.dub.1.

Euntes autem Discipuli fecerunt sicut præcepit illis Iesus Obedientes Discipuli adduxerunt asinam, & pullum ad Iesum, sicut eis præcepit. Perfecti erant obedientes, & perfectus obediens prius eliget mortem, quàm inobedientiam, f.271.d.3. Veraque obedientia illa est, quæ nec facit, quod nõ præcipitur, nec quod præcipituro mittit, fol.271.dub.4.

Et eum desuper sedere fecerunt. Caietan. *Facere hoc ad sessionẽ terminatam, corporale officium Discipulorum ad locundũ Iesum super animal significat: more ministrorum adiuuantium aliquem ad equitãdum.* Subditi enim sensibilibus signis debent manifestare Prælatis subiectionem, & venerationem, f.99.d.14

Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua. D. Chrisost. *Ideo cum tanta gloria est ingressus, vt amplius eorum aduersus se excitaret inuidiam.* Nunquam Dauidi triumphanti, aut Salomoni talis honor exhibitus est, Christo vero defertur honor Regius, vt torqueãtur inuidi Iudæi. Inuidus enim torquetur de exaltatione eius cui inuidet, f.239.d.7. Quia putat per alienam excellentiam eius gloriam minui, ibi, d.8. Vel cum tanta gloria ingressus est Christus, vt intuidentes Iudæos puniret. Inuidos enim ipsa inuidia punit Deus, fol.238.dub.1.

Benedictus qui venit in nomine Domini Osanna in excelsis. Caiet. *Repetunt desiderium salutis. In excelsis profitentur à Spiritu Sancto acti, aduentum Messiæ salutiferum, non in infimis, qualia sunt mundana omnia, sed inexcelsis: qualia sunt sola spiritualia, ac celestia.* Opera quæ operaturus erat Dominus, scilicet, saluare: populum in fine vitæ suæ per Crucẽ, & ortem, laudantur à turbis, cum iam mors Christi erat in ianuis, quia opera alicuius non sunt laudanda in principio vitæ, sed in fine, f.14.d.38. Vel laudatur Christus, quod veniat ad saluandum, quod maximus laudibus extollendum erat. Laus enim debet dari ei, qui operatur per se opus laude dignum, fol.248. dub 6.

Osanna in excelsis. Hodie acclamatur Rex, & laudibus effertur, eras Cruci affigẽdus: gaudia enim huius vitæ acore quodã aduersæ fortunę temperantur, f.211.d.2. Vnde gaudere non debet homo in hac vita, cum ignoret infortuniũ, quod ei accidet,

ibi.2.R.Ideo in hac vita si simplex,& purũ esset gaudium noceret homini, vnde purum gaudium non habetur,f.212.dub.3.

Feria 5.In Cœna Domini,Ioann.13.Vers.1.

Sciens Iesus, quia venit hora eius. Caietan. *Euangelista narrando rem gestam, explicat charitatem Iesu respectu Paschalis mysterij.* De charitate,& amore Christi agit Euangelista; cum enim pati voluit, amor eius refertur, vt innuat, quod passionem suam suauem reddebat amor, fol.284.dub.6.fol.144.dub.10.Et nota, quod tempus passionis hora nominatur, cum per multas horas sit passionem subiturus. Christus enim præ amoris magnitudine erga hominem, multas horas passionis pro vna hora reputat,fol.143.dub.6.

Sciens Iesus, quia venit hora eius. Caietanus: *Res scita est venisse iam horam vere eius, vtpote ab ipso electam, & decretam.* Electa erat à Christo hora hæc, vt innuat, quod non coacte, sed voluntarie venerat pati fol.425.dub.4.

Quia venit hora eius. Gistandis: *An hæc hora cogeret Christum ex hoc mundo transire? Respond. Lyranus, quod non, quoniam non fatalis erat hæc hora, sed à patre determinata.* Hora à patre determinata, & secundum voluntatem Patris venit pati, vt se verum filium Patris ostendat: filius enim qui voluntatem Patris facit, filius patris est, & voluntatem Patris in ijs, quæ bona sunt debet exequi fol.341.dub.4.Ideo qui voluntatem Domini sciuit, plus punietur, quam ijs qui ignorauit,ibi.dub.6.

Cum dilexisset suos in finem dilexit eos. Caietanus: *Amorem erga illos continuauit, & consummauit. Continuationem enim amoris significat dicendo, cum dilexisset dilexit.* Quia amor primus erga amicos semper est firmior,& stabilis,fol.144.dub.2.

In finem dilexit eos. Apostolos,scilicet,qui vniti erant Christo per charitatem, & amorem, maximè dilexit, quia maior amor est, vbi maior vnitas est,fol.60.dub.112.

In finem dilexit eos. Hugo Cardin. *In finem dilexit, id est, maiora in fine signa dilectionis demonstrauit.* Amicis enim clariora signa amoris ostendenda, fol.15.dub.42. At diabolus suadere nititur minorem esse amorem Dei erga nos,fol.68.dub.142.Resp.

In finem dilexit eos. Hugo Card. *Id est, vehementiorem amorem ostendit, in ablutione pedum, & traditione sui corporis.* Vehementissimus fuit amor quem paucis verbis, operibus vero multis manifestauit. Verus enim amor pauca verba opera vero multa habet, fol.3.dub.110. Et verus amor non solum verbis,sed operibus ostenditur, fol.136.dub.2. Ideo hæc vltima signa maioris amoris Christi commendantur, quia inter laudabilia opera hominum,primum locum tenent,quæ in fine vitæ fecit, fol.10.dub.30. Vel maiora signa dilectionis ostendit,cum amor esset vehementissimus, amor enim occultari non potest, sed signis exterioribus manifestatur fol.138.dub.9.

In finem dilexit eos. Cum in fine ardentissimus esset amor, dicit Euangelista, quod in finem dilexit,amor vehemens occultari non potest, fol.5.dub.16.in fine.

In finem dilexit eos. Vt eos ad se alliceret: Deus enim amore trahit homines ad se, fol.141.d.8.Vel in finem dilexit eos,quia amici sui erat,& amor Dei magis eminet erga amicos suos,quam erga peccatores.ibi.2.R.

In finem dilexit eos. Multa signa amoris Discipulis ostenderat Dominus, sed in fine specialia signa ostendit, & multo maiora abluendo pedes,& tradens corpus suum,quasi præterita pro nihilo haberet: Deus enim quæ pro amicis suis facit, pro nihilo habet, respectu eorum quæ pro eis facturus est, fol.139.dub.4.

In finem dilexit eos. Sacram instituens Eucharistiam,vt amorem eorum in se alliceret. Amorem enim gignunt munera, f.130.dub.36

Et Cœna facta. Dominus simul cum Discipulis suis comedit agnum Paschalem, quia amor pares facit amicos,fol.146.dub.9.

Cœpit lauare pedes eius. Cum Pater omnia tradidisset in manus, humiliter se gessit lauando pedes Discipulorum,vt eos dignitate præibat,humilitate sequeretur, f.28.d.88.

Misit aquam in peluim. Gistandis: *Cur ipse misit aquam in peluim? Respond. Lyranus, vt propriis manibus omnia exequeretur, & non per ministerium aliorum.* Ipse misit aquam in peluim, ipse lauit, ipse tersit lintheo, nec alijs mandauit, vt suum erga Discipulos amorem ostenderet,cum non alijs mandat, sed ipse perficit ministerium. Amans enim omne ministerium in obsequium amati vult adimplere,fol.62.d.122.

Et extergere lintheo quo erat præcinctus. Gistandis: *Cur non permittebat eis pedes eorum extergere? R. Lyran. Quod ideo, vt implêret humilitatis officium.* Gaudebat enim Christus, quod Discipulis ministraret, fol.39.dub.30.

Cœpit lauare pedes. Christus cum diabolo pugnaturus mirum in modum se hodie humiliauit lauando pedes,extergendo. Humilitas enim est præcipuum genus armorum ad vincendum diabolum,fol.225.dub.1.

Cœpit lauare pedes. Gistandis: *An cœpit lauare pedes, & non perfecit? R. Chrisost. Quod omnium lauit pedes etiam Iudæ.* Bona enim opera ad perfectum perducenda.fol.32.dub.2.Peccatores vero opera sua non perficiunt, fol.114.dub.78.Perseuerantque boni in operibus suis non vero mali,fol.396.dub.2.

Cœpit

Cœpit lauare pedes. Tertulian. lib. de Trinit. cap. 26. *Abrahæ filiorum pedes abluit reddens in filijs ius hospitalitatis, quod aliquando illis fœnerauit Pater.* Abraham trium hospitum lauit pedes. Genes. 18. vers. 4. Et Christus hoc amoris obsequium rependit, lauando pedes Discipulorum, qui filij erant Abrahæ: Christus enim mutuæ dilectioni hodie operam dedit, fol. 32. dub. 3. Amici etiam mutuo inter se debent respondere, fol. 137. dub. 5.

Cœpit lauare pedes Hugo Cardin. *Incœpit à Iuda proditore, vt nobis ostenderet etiam inimicis officium humanitatis exhibendum.* Inimicus erat Iudas, amici vero Apostoli, & prius inimico quam amicis lauat pedes, quia charitas prius inimicis quam amicis benefacit, fol. 139. dub. 3.

Domine non tantum pedes meos sed & manus, & caput Gistandis: *Cur cum primo nollet ex reuerentia Petrus, quod sibi lauaret pedes, nunc nullam reuerentiam habendo, vult vt lauet manus, & caput? Resp. Lyra, quod hoc dixit, quia potius sustineret illa lauari, quam a Christo separari.* Amabat Petrus Christum, & ne separaretur ab eo sustinebat manus caput, & pedes lauari. Amici enim nisi amorem deponant, separari non possunt, fol. 145. dub. 3.

Pro Diciplina Pœnitentum, Psalm. 37. v. 18.

Quoniam ego in flagella paratus sum. Hugo Cardin. *Quoniam ego in flagella paratus sum, id est, quoniam paratus sum quam libet pœnitentiam facere.* Dauid sistebat se coram Deo, & peccatum suum ex animo confitebatur, paratus quam libet pœnitentiam suscipere.

Quoniam ego. Paratus sum ego ad pœnitentiam à te motus, nec agerem nisi à te moueret: Deus enim peccatorem mouet ad pœnitentiam, fol. 105. dub. 41.

Quoniam ego. Ad penitentiam paratus sum quoniam mihi Deus dedit locum pœnitentiæ. fol. 76. dub. 49.

Quoniam ego. Qui tot commissi crimina, pœnas suscipiam voluntarias pro sceleribus, quia pœnitentia voluntaria magis placet Deo quam coacta, fol. 303. dub. 1.

Quoniam ego. Maculas peccatorum meorum pœnitentia abstergam, & flebo, quia qui vitam sine culpa duxit, potest omittere pœnitentiam, qui vero deliquit debet eam arripere, fol. 90. dub. 102.

Quoniam ego. Pœnas pro peccatis meis subire paratus sum, quia peccator per pœnitentiam peccatum delet, & Diuinam euadit sententiam, fol. 303. dub. 3.

Quoniam ego. Voluntarie corpus castigabo, vt per pœnitentiam profitear me Dei esse non de hoc mundo, fol. 303. dub. 2.

Quoniam ego. Paratus sum quam libet pœnitentiam suscipere, vt Diuinam misericordiam consequar. Iustitia enim Diuina, pœnitentia nostra conuertitur in misericordiam, fol. 96. dub. 127. 4. Resp.

In flagella paratus sum. Hodie pœnitentes vsque ad plurimi sanguinis effusionem verberationibus acris corpus castigant, in suaque tergora sæuiunt, vt grati sint Deo, quia gratissima Deo est victima cruore susussa in typum Dominicæ Passionis, fol. 99. dub. 17.

In flagella paratus sum. Corporis membris Deum offendi, & flagellis corpus cædam ad satisfaciendum: assumam enim instrumenta peccati in instrumenta satisfactionis, fol. 304. dub. 4.

Et dolor meus inconspectu meo semper. Curabo per penitentiam, dolorem, & contritionem peccatorum iustificari, vt sanis sit mihi flagellatio, quia eadem exercitia pœnitentiæ suauia sunt iusto, & pœnosa peccatori, fol. 47. dub. 61.

Pro Compassione Beatæ Mariæ Virginis iuxta Crucem. Pro Diluculo Resurrectionis. Pro Feria 2. Pro Ascensione, Pentecoste, & pro Festo Corporis Christi. Vide infra in Indice. Pro Festis Sanctorum.

Feria 2. 3. 4 Rogationum. Lucæ 11. Vers. 4.

Propter improbitatem tamen eius dabit illi. Hugo Cardin. *Hic aperte ostendit Dominus, quod tantum debet homo instare orationi, vt impetret apud Deum, quod petit, & quod impetrabit si instet. Isaiæ 62. Qui reminiscimini Domini ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Ierusalem laudem in terra. 2. Paralip. 15. Si quæsieritis Dominum inuenietis si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. Ierem. 29. Ibitis & adorabitis me, & exaudiam vos, quæretis me, & inuenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro.* Perseuerantia enim in oratione necessaria est ad impetrandum, fol. 281. dub. 1. Et perseuerantia impetrat, quod alij non perseuerantes non obtinent, fol. 297. dub. 4. Ideo ab oratione non cessandum nisi obtineatur, quod petitur, fol. 281. dub. 2.

Petite Cum fueritis in gratia Dei: petiones enim, vt habeant effectum fiant in gratia, & amicitia Dei. fol. 297. dub. 2. Vnde peccatores propter peccata sua, non statim exaudiuntur, & differt Deus illis suam misericordiam, fol. 281. dub. 3.

Petite. Temporalia bona intervenientibus precibus Sanctorum. Vnde his diebus Letanias cantamus, cum pro bonis temporalibus

rogamus, vt precibus Sanctorum largiatur Dominus petita: Deus enim præter iusti virtutem terram facit copia fructuum affluere, fol. 127. dub. 32. 3. Resp.

Dabitur vobis. A Deo petenda iusti temporalia bona, quia non terræ, sed Deo tribuenda sunt, fol. 4. dub. 14. 2. Resp. Deo iusti à Deo expectant bona temporalia, peccatores vero à mundo, fol. 162. dub.

Dabitur vobis. Liberaliter dabitur vobis cum multa præstare possim: Deus enim cum potest dare multa ad vtilitatem nostram, non est parcus, fol. 16. dub. 48.

Dabitur vobis. Plusquam petatis: liberalis enim plus largitur quam ab eo petatur, fol. 251. dub. 7.

Quærite, & inuenietis. Caietanus: *Petere orantis est, quærere facientis, petere nam ad orationem spectat, quærere factorum est. quærimus enim factis, quando vere quærimus.* Non sufficit his diebus orare pro temporalibus, oportet quod facta, & bona opera comitentur orationem. Non enim valet oratio, quæ operibus non iuuatur, fol. 282. dub. 9. Vel bona opera quærit Dominus cum temporalia petimus, quia Deus bona temporalia dat illis, qui ei seruiunt, & aufert ab illis, qui eum offendunt, fol. 151. dub. 4. Vnde homo per peccatum amittit bonum temporale, perseuerando vero in obseruantia Diuinæ legis custodit, fol. 47. dub. 64.

Quis ex vobis patrem petet panem, nunquid lapidem dabit. Caietanus: *Intendit enim, quia sicut nullus vestrum carnalis pater existens, petenti filio panem piscem aut ouum, dat lapidem, serpentem, aut scorpionem. Ita Deus homini petenti quæ sibi videntur necessaria, vtilia haud delectabilia, non dat inutilia, aut nociua, aut contristantia. Vbi subaudit, quod ea quæ petimus quantumcumque nobis videantur bona, vt panis piscis, & oua, Deus tamen, qui videt quæ petimus si darentur fore nobis inutilia, vt lapides, aut nociua, aut contristantia, vt serpentes, & scorpiones, ideo paterno affectu negat quandoque ea quæ petimus, quæ si nos ipsi cognosceremus non peteremus. Cum ergo dictum est, petite, & dabitur, & omnis qui petit accipit, non intelligitur de omni petito, quia inutile, aut nociuum esset quandoque.* Deus enim exaudit hominem, cum quod petit vtile est, Ac perpediens petenti, fol. 300. dub. 6. Si autem negat petita ad maius meritum petentis est, ibi. dub. 5.

Panem piscem, aut ouum. Hugo Cardinalis: *Notandum ergo, quod supra docuit Dominus quibus verbis, & quomodo sit orandum, addidit etiam pro quibus sit orandum, scilicet, pro quatuor pertinentibus ad viam, & pro viis pertinentibus ad patriam. Adhuc eadem hic repetit, vt plenius, & perfectius nos instruat pro quibus bonis sit orandum. Nam bonorum alia sunt temporalia bona, alia bona æterna. Item bonorum temporalium, alia dicuntur bona tempore, alia bona in tempore. Bona temporum dicuntur, quæ secundum diuersus temporum nobis ministrantur, vt fructus terræ. Et hæc dicuntur bona non nostra, quia non faciunt nos bonos, nec proprie sunt nostra, cum sint boni, & malis communia. Hæc tamen possunt petere ad sustentationem: aliter enim non peteret Ecclesia pro fructibus terræ, & serenitate aeris, & huiusmodi. Bona in tempore dicuntur, vt per ea perueniamus ad bonum, quod erit sine tempore, vt virtutes, & hæc proprie dicuntur bona nostra, quia nos faciunt bonos, orandum est ergo pro bonis æternis, pro bonis temporum, pro bonis in tempore, nec non remotione malorum. Bona æterna dantur in præmium, bona temporalia in solatium, bona in tempore in meritum.* A Deo hæc beneficia petenda Deus excitat, fol. 57. dub. 98. Denegat tamen propter aliorum peccata, fol. 15. dub. 38. 2. Resp. Et propter peccatum, vnius dilatat Deus beneficia temporalia multis, fol. 272. dub. 5.

PRO CONCIONIBVS VESPERTINIS DOMINICIS diebus Quadragesimæ prædicare potest de Vitijs, & Virtutibus eis oppositis, verbi gratia, Dominica prima, De Superbia, & Humilitate. Dominica secunda, De Auaritia, & Liberalitate. Dominica tertia, De Gula, Abstinentia, & Ieiunio. Dominica quarta. De Luxuria, & Castitate Dominica quinta, De Ira, Mansuetudine, & Patientia, aut de Ira, Charitate, & amare proximi. Vel prædica de Quatuor Nouissimis. Dominica prima, de Morte. Vide In fine inter festiuos. Dominica secunda, de Iudicio finali. Vide Dominica prima Aduentus. Dominica tertia, de Gloria. Vide Beatitudo. Dominica quarta, de Inferno. Vide Infernus. Dominica quinta, de Pœnitentia. Require in suis locis

INDEX PRO CONCIONIBVS SANCTORVM.

Sanctus Andreas Apostolus.

SAnctus Andreas ad vnius iussionis vocem secutus est Christum, non vi, & imperio egit Dominus cum illo, vt obediret, quia ingenuus erat, & cum ingenuis, & ratione præditis, non vi, & imperio, sed suauiverbo, vt obediant agendum est, fol. 25. dub. 78. in fine.

Sanctus Andreas verè obediens fuit, quia in difficilibus, qualia erant sequi Christum, relinquere retia, obediuit Christo vocanti: vera enim obedientia in difficilibus quæ iubentur manifestatur fol. 271. d. 1. Vnde verus obediens omnia tam facile, quàm difficile aggreditur ex obedientia, fol. 48. dub. 67.

Sanctus Andreas iustus appellabatur à populo: obediuit enim Christo, & obedientia nominat hominem absolutè bonum, in obedientia vero affirmat eum absolutè malum, fol. 43. dub. 44.

Sanctus Andreas à Christo vocatus mundum cõtempsit, retia reliquit, vnde hoc opus valde acceptum fuit Christo: opus enim factum ex obedientia maximè acceptum est Deo, fol. 271. dub. 1.

Sanctus Andreas valde commendabilis est, & eius virtus extollenda maximè, quia reliquit temporalia, & secutus est Christum, nullo aliorum, ex Galilea viso exemplo; magna est virtus, & laudabilis valde, cum eam exercet homo nullo proposito sibi exemplo, quod imitetur. fol. 344. dub. 7. Ideo magna est dignitas Sancti Andreæ, quia fuit primus fructus Galileæ, & primus qui de illis credidit in Christum, fol. 349. dub. 1.

Sanctus Andreas alapa percussus, tacuit, nec vindictam deprecatus est, ideo à populo merito appellabatur mãsuetus. Mansuetus enim iniurijs tacet, nec Deum vindicem appellat, fol. 254. dub. 1.

Sancto Andreæ Crux Christi non fuit tormenti, & cruciatus, sed blandimenti, consolationis, & refrigerij, ibi. dub. 3.

Sanctus Andreas gloriatur quod per Crucem tendit in cœlum, sicut alij per lapides, vel per gladium, vel per ignem ibi. dub. 3.

S. Andreæ reseruatus hic honor præ cæteris, qui affixi fuerunt Cruci, vt pendens in Cruce doceret populum, fol. 350. dub. 4.

In S. Andrea maximè fuit honoratu Lex Euangelica, quam prædicabat, propter splendorem, qui circa eum apparuit cum doceret populum, ibi. d. 5.

Sancta Barbara.

Sancta Barbara ex patre nobili erat, sed vera nobilitas, non ex excellentia maiorum, sed ex virtute venanda est, fol. 60. dub. 113. Ideo Deus non extimabat claritatem sui generis, sed splendorem virtutis eius, fol. 37. dub. 22.

Sancta Barbara quia virgo, similis fuit Christo; virgines enim Christi figuram exprimunt, fol. 105. d. 37. f. 340. dub. 2. Ideo altius adhæsit Christo, quam Sancti Prædicatores, & Martyres, f. 339. d. 4.

Sancta Barbara occasione nacta, coram patre de Sacrosanctæ Trinitatis misterio multa diuine disseruit, virgo castissima erat, & casti capaces efficiuntur cœlestis doctrinæ, fol. 167. dub. 7. Vel quia in statu gratiæ erat Diuina Mysteria percepit, fol. 216. dub. 4.

Sancta Barbara videns patrem suum arrepto gladio eam insequentem, vt occideret, fugit, quod laudabiliter fecit: iustus enim laudabiliter fugit persecutionem, cum in magno periculo versatur, fol. 296. dub. 1.

Sancta Barbara consecrata fuit Deo per virginitatem, & ignem persecutionis paternæ tolerauit, fol. 296. dub. 2.

Sancta Barbara per fidem Trinitatis quam in tribus fenestris ostendit, & quam in turri inclusa docuit, meruit vt per martyrium Sponsa esset Christi, fol. 350. dub. 1.

Sancta Barbara ex speciali dispensatione se ipsam baptizauit, quia superiorem non habuit, ibi. dub. 2.

Sancta Barbara tanti meriti fuit apud Christum, quod tractauit eam ac se ipsum, cum inuenibilia cesserunt ei, ibi. dub. 3.

Sancta Barbara cum nuda circumduceretur per Ciuitatem, Angelus sibi apparens denudatum corpus eius candida stola contexit, quod faciebat ad conseruandam eius castitatem, fol. 53. dub. 114.

Cum Sancta Barbara omnia iura natura detuere, dum ab ipso patre fuit occisa, f. 351. dub. 4. Et pater qui futurus erat ad salutem, videbatur datus ad interitum, fol. 105. dub. 40.

Sancta Barbara post plurima tormenta inuicte superata, à patre capite truncata fuit: more enim nobilium fuit occisa, ibi. dub. 4.

Sanctus Nicolaus.

Sanctus Nicolaus à pueritia sub lege vixit, ieiunans vis in hebdomada, & perscribens sibi ieiunium tanquam legem, fol. 52. dub. 83.

Sanctus Nicolaus coæuam habuit abstinentiam cum naturalia aliquibus enim iuuorum eiusdem temporis fuerunt esse naturæ, & virtus, fol. 244. dub. 9. At malitia multis ingenita, et coæua, f. 345. d. 2.

Sanctus Nicolaus infans cum reliquos dies lac nutricis frequenter sugeret, quarta, & sexta Feria semel sugebat, quam ieunij consuetudinem in reliqua vita semper tenuit. Felix enim in virtute principium præclarum in virtute sinem denotat fol. 21. dub. 65. Ideo virtus à primis annis sectanda, vt in perfecta ætate progressus in virtute fiant, f. 32. dub. 83. Vnde virtutis principium bonum fuit in Sancto Nicolao: at sanctum propositum in reliqua vita tenere, & consumare, valde bonum fuit, fol. 31. dub. 102. 2. R. Quapropter non laudaretur Sanctus Nicolaus de ieiunio, quod in infantia inchoauit, si deinceps non perseueraret, quia non debet laudari homo de virtute, in qua non perseuerat, fol. 344. dub. 5.

Sanctus Nicolaus adolescens parentibus orbatus facultates suas pauperibus distribuit. Naturalis enim fuit Sancto Nicolao misericordia, fol. 17. dub. 51. Decitque illi diuitias, vt dimitteret pauperibus, fol. 196. dub. 1. Ideo pollebat in tribus, in potentia, sapientia, & benignitate quæ referuntur ad tres Diuinas Personas, fol. 26. dub. 8. 3. Respond. Compatiensque fuit erga subditos, fol. 61. dub. 117.

Sanctus Nicolaus noctu per fenestram tantum pecuniæ in domum cuiusdam ciuis egentis iniecit, quantum vnius filiæ virginis doti satis esset, iterum, & tertio fecit, vt alias duas filias virgines, honestis viris in matrimonium daret. Clam enim contulit beneficium, fol. 156. dub. 6. Cum eleemosyna aliquando datur ex vanitate, fol. 197. dub. 2. Tales tamen sciant, quod qui facit eleemosynam ob captandum plausum hominum, priuatur eleemosynæ mercede, fol. 197. dub. 8.

Sanctus Nicolaus summo omnium consensu Myræ Episcopus creatur à Prouincialibus Episcopis diuinitus admoniti. Deus enim constituit eum Prælatum, non humanus fauor, caro, & sanguis, fol. 27. dub. 87. Vnde Dei iudicio designatus fuit Episcopus, fol. 428. dub. 1.

Sanctus Nicolaus in Episcopatu castitatem quam semper coluerat, gratitatem, orationis assiduitatem, vigilias abstinentiam, liberalitatem, hospitalitatem perpetuo retinut. Multa enim sunt necessaria Prælatis in quantum tales sunt, quæ illis in quantum personæ particulares necessaria non sunt, fol. 60. dub. 111. Ideo iustior, & perfectior debet esse subditis, fol. 88. dub. 92.

Sanctus Nicolaus in Episcopatu castitatem maximè coluit. Prælatus enim castitati singulari cura debet incumbere, fol. 167. dub. 9.

Conceptio Beatæ Mariæ Virginis.

Beatæ Virginis prærogatiua fuit, quod fimilis esset Adæ quantum ad naturam, non vero imago quantum ad vitiositatem, fol. 351. dub. 1.

Deus in primo instanti Conceptionis Beatæ Virginis fuit cum ea, vt fructum alienum a sua natura ferret, scilicet, gratiam, ibi, dub. 2.

Beata Virgo obtinuit statum Adæ in gratia existentis, non vero statum Adæ in existentis in peccato, f. 352. d. 3.

Beatam Virginem sine peccato originali fuisse conceptam adstruitur ex eo quod eligebatur in Sponsam Spiritus Sancti, ibi, dub. 4.

Beata Virgo Maria per puritatem ab omni peccato distinguitur ab omnibus aliis, quæ sponsæ non sunt Spiritus Sancti, fol. 353 dub. 5.

Beata Virgo Maria in primo instanti fuit esse naturalis, debuit habere à peccato mundiciam, vt esset disposita, vt esset Mater Dei, ibi, dub. 6.

Si Beata Virgo concepta fuisset in peccato colligi poterat, & Filium in peccato conceptum, ibi, dub. 7.

Congruum fuit quod Beata Virgo in nullo instanti maledictione peccati originalis tangeretur, vt Christus de ea nasceretur, fol. 117. dub. 89. 2. Resp. & fol. 89. dub. 100. 2. Resp.

Sancta Lucia.

Sancta Lucia genere fuit nobilis, sed ab infantia Christiana Fide nobilior. Vera enim nobilitas sumenda est à virtute, potiusquam à generis claritate, fol. 269. dub. 6.

Sancta Lucia honesto, & nobili genere nata, inter cæteras Syracusanas virtutis fuit studiosa, Nobilis inter alios debet eminere virtute, fol. 269 dub. 5. Ideo nobilitas à vitiis retrahit, ignobilitas verò ad vitia trahit, fol. 268. dub. 2.

Sancta Lucia dixit matri suæ, quod non nominaret ei sponsum, sed quidquid daturа erat ei eunti ad corruptorem hominem, daret eunti ad Christum suæ integritatis Au-

ctorem, nuptias contempsit, quia commendabilior apud Deum virginitas, quam nuptiæ, f. 13. d. 38. f. 341. d. 6.

Sancta Lucia templum fuit Spiritus Sancti, quia pudice viuebat. Spiritus enim Sanctus vmbra virginei pudoris allicitur, fol. 6. dub. 19. Ideo delectabiliores sunt Spiritui Sancto virgines, quam alij Sancti, fol. 340. dub. 5. Vnde rutpes fugit, & castos inhabitat, fol. 167. dub. 2. Societatemque init cum castis, cum immundis non conflat consortium ibi. dub. 3.

Sancta Lucia grauiter tentata, tentationibus non cessit. Virgines enim fortiter impugnantur tentationibus, quædam succumbunt, quædam superant tentationem, fol. 339. dub. 1.

S. Luciæ iussit Paschasius ad Lupanar Duci, sed cum conuenirent Lenones, tanto pondere fixit eam Spiritus Sanctus, vt virgo Domini immobilis permaneret. Ita stabilis fuit in virginitate, quod eam dimouere non potuit Paschasius, f. 433. dub. 4.

Sancta Lucia multis tormentis exagitata maximam ostendit patientiam, quæ Deo fuit maximè delectabilis. Deus non delectatur in pœna iustorum, sed in patientia, quam habent in pœna, fol. 284. dub. 2.

Sancta Lucia patientia sua conseruauit virtutes, quia patientia præstat integritatem virtutum, fol. 285. dub. 3.

Sancta Lucia melior fuit sibi subijciens per patientiam, quam Paschasio prævalens, fol. 284. dub. 3.

Sancta Lucia rogauit Dominum, & impetrauit indicias martyrij sui, quod cum sapore, & dulcedine sustinuit patienter ferens picem resinam qua simul cum feruenti oleo fuit perfusa, quia sapor, & dulcedo patientiæ, non impetratur nisi per orationem, fol. 286. dub. 7.

Sanctam Luciam cum Paschasius dimouere non posset, Paschasius torquebatur; vnde dixit illi Sancta Lucia: Quid cruciaris? Tyrannus erubescebat quod tot tormentis non posset Sanctam Luciam à fide auertere, fol. 424. dub. 1.

Sancta Lucia ab igne liberata gladio fuit transfixa, vt fundens sanguinem suum super terram, magis assimilaretur Christo, fol. 425. dub. 3.

Sancta Lucia illustrem reddit Ciuitatem Syracusanam, quia virtus aliquorum bonorum splendidam facit Ciuitatem, f. 4. d. 13. & fol. 343. dub. 4.

Expectatio Beatæ Mariæ Virginis.

Beata Virgo Maria constanter, assidue, indesinenter expectabat Natiuitatem Filij, fol. 354. dub. 1.

Beata Virgo affligebatur desiderio suæ Expectationis, sed consolabatur certitudine spei, ibi, dub. 2.

Per septem dies continuos litteram O canrat Ecclesia, vt denoret perfectam peccatorum hominis per Christi aduentum expiationem, ibi. dub. 3.

Beata Virgo Maria multis respectibus expectabat Christi natiuitatem pro communi hominum vtilitate, fol. 355. dub. 4.

Beata Virgo Maria habuit excellentiam specialem super alias mulieres, quod pulchrior esset iuxta partum, ibi, dub. 5.

Beata Virgo expectat aduentum Filij, & possidet Filium, quia spes firma in Deo æquiualet possessioni, fol. 326. dub. 1. Vnde quia fideliter sperabat, bonum quod expectabat, quasi possidebat, fol. 327. dub. 2.

Natiuitas Domini nostri Iesu Christi.

Verbum Dei ita vtramque naturam conseruit, vt nec inferiorem consumeret superior, nec inferior minueret superiorem, fol. 356. dub. 1.

Maioris stuporis est Diuinitas humanitati coniuncta, quam sibi relicta, ibi dub. 1.

Christus Natiuitate sua pacem fecit inter Deum, & homines, homines, & Angelos, homines, & homines, ibi, dub. 2.

Nato Domino stabilita est pax inter Angelos, & homines, fol. 357. dub. 3. Et tanta est pax inter homines, & Angelos, quod Angeli hucvsque non erant benefactores hominum, at postquam Christus manifestatus est in Natiuitate descenduut, vt benefaciant, fol. 155. dub. 4.

Christo nato facta est pax inter homines, & homines, ibi, dub. 4. Ideo qui non habet pacem cum alijs, postquam Verbum Diuinum carne assumpta eam fecit inter homines, & homines, in pœnam nec secum habent pacem, imo à se ipso diuisus est, fol. 288 dub. 1.

Nato Domino facta est pax inter Deum, & homines, ibi. d. 5. Ideo homines facta pace Natiuitate Christi, fœlices sunt, omnia bona habent, fol. 288. d. 2. 2. Resp. Et sine pace bona, quasi bona non sunt, fol. 289. dub. 3.

Natura humana Natiuitate Christi honorata fuit, fol. 15. dub. 42. Imò ita exaltata quod homo factus prius habitauit cum homine quam cum Angelis, fol. 18. dub. 53. 2. Resp.

Cœlum splendorem, & elegantiam mutuatum fuit à terra in figuram Verbi incarnati, fol. 18. dub. 55.

Incarnationis gratia omnes creaturę vberius laudantur. fol. 31. dub. 103.

Terra propter Christum quem susceptura erat prius ornata fuit quam cœlum, f. 15. d. 43.

Hoc

Hoc beneficium Natiuitatis Christi, melius humilitate coram Deo, quam verbis persoluendum est, vnde audito hoc lætonuntio in Vigilia Natiuitatis postramus, fol. 216. dub. 1. Ideo homines tot beneficijs per Natiuitatem Christi comulati, cauere debent ab offensa, fol. 157. dub. 6.

Sanctus Stephanus Protomartyr.

Sanctus Stephanus maiorem habuit innocentiam quam Abel, fol. 358. dub. 1.

Sanctus Stephanus plenus erat fortitudine, sed tota fortitudo eius innitebatur Deo, & eius assistentiæ ad hostes, qui eum persequebantur debellandos, fol. 244. dub. 6.

Sanctus Stephanus in charitate maximè eminet inter Sanctos: non enim est iustus qui in aliqua virtute singulari inter alios non emineat, fol. 127. dub. 34.

Sanctus Stephanus inter lapides positus radices profundas virtutum agebat, fol. 358. dub. 2.

Sanctus Stephanus lapidibus obtutus, ignis tormenta sustinuit, ibi. dub. 3.

Sanctus Stephanus cum saxorum crepitantium turbine quateretur, iuxta Æthereos aulæ cœlestis sinus Diuina ei claritas fulsit, quia iusti in mundo videntur obscuri, sed in Christo lucent, fol. 19. dub. 59.

Dominus Iesus per se ipsum pugnauit pro Sancto Stephano, qui honor soli Sancto Stephano, seruabatur, fol. 358. dub. 4.

Sanctus Stephanus cum lapidaretur protectioni Dei se submisit, quia vult Deus quod homo curæ, & protectioni eius se committat, fol. 187. dub. 1. Vel Christus adiuuabat in tormentis Protomartyrem suum, quia causa Sancti Stephani causa erat Christi, & cum causam iusti agebat, causam suam gerebat Christus, fol. 244. dub. 8.

Sanctus Stephanus videbatur ab omnibus qui erant in Concilio, habens vultum tanquam si esset Angelus. Afflictio enim quam patiebatur meliorem reddidit Sanctum Stephanum, fol. 284. dub. 5.

Sancto Stephano lapides torrentis dulces fuerunt, quia plenus erat charitate, & amore: amor enim suauem reddidit passionem eius, fol. 284. dub. 5. fol. 144. dub. 10. Imò quia amore plenus, toleranter tulit passionem ibi. dub. 6. Præ amoris que magnitudine multos labores pro paucis habuit, f. 143. dub. 6.

Sanctus Stephanus lapidatus fuit, lapidatus & Acham, Iosue 7. vers. 25. Sed Sancto Stephano lapides fuerunt ad coronam, Achamo vero ad purgationem, fol. 282. dub. 1.

Sancti Stephani corpus in tormentis participauit dotem corporis glorioſi, fol. 358. dub. 5.

Sanctus Stephanus maximè laudandus qui pepercit inimicis, pius, & dulcis, & pro eis exorauit, ibi. dub. 6. Nouumque modum diligendi habuit; scilicet, diligere inimicos, fol. 170. dub. 11.

Sanctus Ioannes Euangelista.

Sancti Ioannis magna dignitas dignoscitur ex eo quod Christi dilectus appellatur, fol. 359. dub. 1.

Sancti Ioannis excellentia est, quod absolutè vocetur à Christo dilectus, quasi ipse solus dilectus à Christo, ibi. dub. 2.

Sancto Ioanni Christus multa signa dilectionis ostendit supra pectus suum eum ponens, Matrem in Cruce pendens commendans, quia cognatis clariora signa amoris ostendenda sunt, fol. 15. dub. 42. Vnde Christus amorem suum erga Sanctum Ioannem signis exterioribus manifestauit, fol. 138. d. 9. Et amor Christi magis eminuit erga Sanctum Ioannem, quam erga alios, fol. 141. d. 8. 2. Respond. Ideo non est credendum omni amico, nisi signis amicitiæ amicitiam ostendat, fol. 145. dub. 6.

Sanctum Ioannem posuit Christus super pectus suum, & omnes Sanctos in solo Ioanne, vt ostenderet Christus se esse Summum Pontificem Legis Gratiæ, fol. 359. dub. 3.

Sanctum Ioannem specialibus fauoribus honestauit Christus, non fuerunt communes, & vulgares, sed particulares cum supra pectus Domini Iesu recumbens, Euangelij fluenta de ipso Sacro Dominici pectoris fontem potauit, impensus fuit à Christo fauor hic Sancto Ioanni tanquam digniori, f. 203. d. 3. Ideo ex singularibus fauoribus impensis, dignoscitur præstantia Sancti Ioannis supra alios, ibi. dub. 4. & fol. 204. dub. 8.

Christus in morte sua habuit gaudium videns Sanctum Ioannem succedere sibi in suam dignitatem in Filium; scilicet, Matris suæ, fol. 360. dub. 4.

Christus in Cruce pendens loco sui substituit Sanctum Ioannem in Filium Beatæ Virginis, quia cum priuat aliquo bono, pro illo aliud substituit, fol. 117. dub. 01.

Amor Sancti Ioannis erga Christum, non satiaretur, si tertia die resurgens Sanctus Ioannes corpus eius non iuisset in cœlum, fol. 360. dub. 5. Ex inreque Christus honorauit Sanctum Ioannem hoc singulari honore eum in cœlum inferens ob præclara merita, quia Virgo, Doctor, Apostolus, Euangelista, Martyr, & alia, fol. 125. dub. 27.

Sanctus Thomas Episcopus Cantuariensis.

Sanctus Thomas in Episcopali officio fortis fuit, & inuictus, simulque subditis compatiens,

tiens, quia bonus Prælatus fortitudinis exemplum debet præbere, & infirmis compatiens esse, fol. 63. dub. 126.

Sanctus Thomas ab Henrico Secundo Angliæ Rege iniectatus patientiam non fregit, vnde dignus Episcopatu visus est, quia Prælatus patientiam frangens, indignus est prælatione, fol. 95. dub. 122.

Sanctus Thomas non respexit carnem, aut sanguinem, neque vllus in eo humanitatis sensus Pastoralis officij constantiam labefactauit, quia optimus Prælatus relinquere debet carnalem affectum, & ad hæreditatem Ecclesiæ per curam, & amorem, fol. 63. dub. 127. 3. Resp.

Sanctus Thomas cum Ecclesiæ immunitatem tueretur in exilium pulsus est. Bonus enim Prælatus, qui proprio cum dispendio consuluit vtilitati Ecclesiæ, fol. 59. dub. 108. 2. Resp.

Sanctus Thomas à Rege vexatus, vitauit persecutionem, quia fuit in persecutione de Diuino auxilio confidit, nec omittit quæ tenetur facere ad eam vitandam, fol. 296. dub. 3.

Sanctus Thomas exagitatus à Rege non decidit animo, sed firmus stetit, fol. 297. dub. 6. Vnde quia in persecutione perseuerauit in virtute, in persecutione non perijt, ibi. dub. 5. Ideo virtuosus vir in omni fortuna constans est, fol. 343, dub. 2.

Sanctus Thomas dignus præsulatu, quia valide restitit Regi ferenti leges Ecclesiasticæ dignitati repugnantes, fol. 428. dub. 2.

Sanctum Thomam nefarij Satelites vespertinis horis operam dantem aggrediuntur in Templo, & Clericis Templi aditus præcludere conantibus dixit. Non est Dei Ecclesia custodienda more castrorum, Sanctus Thomas Ecclesiam more castrorum non obseruauit, vt pro ea mortem subire, fol. 429. dub. 3.

Sanctus Thomas dixit militibus, vos Dei iudicium cauete, ne cui piam meorum noceatis, magna charitas, S. Thomæ, qui omnes ictus voluit recipere, vt suos liberaret, fol. 192. dub. 5.

Sanctus Thomas simul cum cognatione sua passus fuit aduersa, quia obstitit Regi, fol. 429. dub. 4.

Sanctus Thomas toto tempore quo persecutionem passus est, quasi non viuere reputatus fuit, fol. 297, dub. 4.

Circumcisio Domini.

Christus legem Circumcisionis à Deo datam impleuit, quia libenter homines legem amplectuntur, cum Legislatorem dignissimum esse agnoscunt, fol. 2. dub. 6.

Lex Circumcisionis difficilis obseruantiæ erat, & tamen eam obseruauit Christus, quia leges, vt sint iustæ debent habere difficultatem aliquam, vt sit locus merito, & non tantam, quod impleri non possint, fol. 54. dub. 88. Vnde præcepta negatiua propter meritum ex eorum obseruantia sunt stabilita, fol. 49. dub. 70. Et vera obedientia in difficilibus quæ iubentur manifestatur, fol. 271. dub. 1. At diabolus suadere nititur homini legem Dei esse duram, fol. 67. dub. 14. Sed lex Circumcisionis grauis non erat Christo, quia lex bona est iustis, & custodientibus eam, grauis tamen peccatoribus, fol. 249. dub. 6. Ideo studium bonorum est præcepta obseruare, malorum vero pertringere, fol. 120. dub. 4.

Christus legem obseruauit, vt homines allicere et ad obseruantiam legum, quia subditus faciliter obediet Prælato, si conspiciat obseruatum prius, id quod faciendum præcipit, fol. 6. dub. 20. Vel Circumcisionem in se suscepit, vt nos ab ea liberaret, fol. 192. dub. 5.

Christus non solum substantiam legis Circumcisionis, sed etiam circunstantiam illius obseruauit, fol. 361. dub. 3.

Sanguis effusus in Circumcisione Christi, oblatus fuit à B. Virgine in remissionem peccati totius generis humani, fol. 360. dub. 1.

Circumcisio Christi initiat annum propter effusum sanguinem in redemptionem peccatorum, fol. 361. dub. 2.

S. Nomen Iesu corde, & ore proferre est vnicum remedium pro obtinenda salute animæ, & corporis, ibi. dub. 4.

S. Nominis Iesu virtus, nec exprimi potest, nec explicari, fol. 362. dub. 5.

S. Nomen Iesu non solum falso, sed inuanum iurans, debet pœnam mortis subire, ibi. dub. 5.

S. Nomen Iesu qui de honorat magis peccat, quam qui dehonorat hoc nomen Deus, ibi. dub. 6.

S. Nomen Iesu magna animæ puritate nominandum, vnde non decuit ad humanas aures deferri nisi per B. Virginem, & Angelum, fol. 117. dub. 92.

Dominus Iesus ex nomine ad largienda hominibus beneficia excitatur, fol. 36. dub. 6.

Nomen Iesu, eo quod salutē importat, ei imponitur, quia ex beneficio, quod confert, nomen sibi assumit, fol. 155. dub. 1. Vel à salute in futurum danda Iesus denominatur, fol. 126. dub. 30. Et ab vtilitate quam secum affert, nomen accipit, fol. 269 dub. 1. Et ab opere illustri quale est saluare genus humanum nomen accepit, fol. 270. dub. 3. Christus varia nomina habet voca

tur

tur Iesus, Angelus consilij, Princeps pacis, propter diuersa opera quæ fecit, fol. 270. dub. 3. Vel ut varia nomina explicent suam dignitatem, ibi. dub. 4.

Epiphania Domini.

Christus hodie ostendit potentiam Diuinam, cum in Natiuitate manifestauerit infirmitatem humanam, fol. 362. dub. 1.

Christus ostendit mirabile suæ potentiæ in hoc, quod celeriter, & tam cito venatus fuit Gentilitatem, ibi. dub. 2.

Magna dignitas Sanctorum Regum, quod inter cultores fidei primas teneant, ibi. dub. 3.

Christus primo vocauit Iudæos, deinde Gentiles, ibi. dub. 4.

Christus, & Ecclesia duos populos desiderabant in fide germanos, ibi. dub. 5.

Christus desponsauit sibi per fidem duos populos, fol. 364. dub. 5.

Christus Ecclesiam gentium multiplicauit, non Sinagogam Iudæorum, fol. 22. dub. 70. Vnde ex Ecclesia non ex Sinagoga innumerabiles gentes processerunt, fol. 24. dub. 76.

SS. Reges Christum quæsierunt: & inuenerunt, quia Christus facile à quærentibus inuenitur, fol. 1. dub. 2. Vel quid Christus nisi gratiam significat, quærunt ergo SS. Reges Christum, id est, gratiam, quia gratia quærenda, fol. 215. dub. 2.

SS. Reges accesserunt ad Iesum puerum lenem, & mitem, quia post assumptam humanitatem, non terribilis sed ita lenis apparuit, quod possent homines ad eum accedere, fol. 80. dub. 61. Ideo asperitas facit hominem inaccessibilem, fol. 115. dub. 59.

Sancti Reges obtulerunt munera Christo, vt pax publicata nocte Natiuitatis, firmaretur inter Deum, & homines, fol. 364. dub. 6.

SS. Reges optima Deo obtulerunt aurum, scilicet, thus, & myrrham, vt suam fidem ostenderent, quia signum probatæ fidei est offerre Deo optima, fol. 277. dub. 1. Sed se ipsos interne Christo obtulerunt, quia magis placet Deo oblatio hominis interni, quam externi, ibi. dub. 2.

SS. Reges in donis se ipsos ostenderunt, quia vnusquisque manifestatur in donis quis est, fol. 184. dub 8. Animus quoque in munera penditur, fol. 100. dub. 173. Resp. Iocundaque fuerunt Christo hæc munera, quia voluntaria, ibi.

Sanctus Antonius Abbas.

Sanctus Antonius adolescens bona temporalia dimisit, quia iustus qui profitetur Apostolicam perfectionem, non solum voto, sed facto omnibus temporalibus renuntiat, fol. 163. dub. 7.

Sanctus Antonius impedimentis bonorum temporalium solutus, cœlestis vitæ genus cœpit in terris instituere, quia iusti bonorum temporalium obliuiscuntur, vt fructus bonorum operum producant, fol. 151. dub. 2. Ideo iustus bona temporalia abijcit, spiritualia quærit, fol. 162. dub. 6. Vnde cura temporalium oblita, totus virtuti incubuit, fol. 114. dub. 81.

Sanctus Antonius quemcumque videbat aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari studebat: aliorum enim Sanctorum virtutes imitandas sibi proposuit, fol. 23. dub. 72. Ideo proprie dicitur Dei, quia aliorum virtutes in se expressit, fol. 231. dub. 1.

S. Antonio nihil continentius, nihil vigilantius erat, patientia, mansuetudine, misericordia, humilitate, labore, ac studio Diuinarum Scripturarum superabat omnes, quia iustus non vnius, vel alterius, sed omnium virtutum studio incumbit, fol. 28. dub. 91.

S. Antonij abstinentia, mirabilis fuit: talem tantum modo à panem adhibebat, quia cibus necessarius sumendus est post culpam, superfluus vitandus, fol. 129. dub. 1. Et ita parcissimus fuit, quod quasi non comedere videbatur, fol. 130. dub. 4. Ideo in certamine cum dæmone auxilium flagitabat ex ieiunio ad victoriam, fol. 52. dub. 84. Et ex humilitate, fol. 225. dub. 1.

Sanctus Antonius sitim tantum quia extinguebat, sicut parcissimus in cibo, parcissimus fuit in potu, quia abstinentiæ potus cum abstinentia à cibo debet concordare, fol. 130. dub. 5.

Sanctus Antonius contulit se in solitudinem Ægypti, & magnam pœnam suscepit, quia solitudo grauis pœna est, fol. 55. dub. 92. Vitam solitariam exercuit, vt minus vacans humanis, magis vacaret Diuinis, fol. 35. dub. 15. Vnde iustorum voluptas est, Deum continuo contemplari, fol. 55. dub. 93. 2. R.

Sanctus Antonius quintum, & centesimum annum egit, forte quia miræ abstinentiæ, & abstinentia vitam facit longiorem, fol. 123. dub. 163. Resp. Et bonam valetidinem iuuat, fol. 230. dub. 8. Vel quia qui iuste, & pie viuit, diuturnam vitam haurit, fol. 125. dub. 25. Ideo peccatores cæci sunt, quia sibi post peccatum diuturnam vitam sibi promittunt, fol. 75. dub. 46.

Conuersio S. Pauli Apostoli.

Conuersio S. Pauli specialis Festiuitatis digna est: sicut enim Iudæi inter particularia festa quæ celebrabant, vnum erat de Conuersione ignis in aquam: ita Christici speciali solemnitate celebrant Conuersionem D. Pauli, quia ex furibundo, conuersus est in

in mitem, fol. 412. dub. 1.

Gratia Dei clarior reddita est, cum Saulum à tenebris in lucem vindicauit, fol. 364. dub. 1.

Gratiæ Dei efficacia cognoscitur in eo, quod conuersus fuit Saulus, quando ex parte sua maior erat resistentia, fol. 215. dub. 1.

Christus ex Saulo magno pectore pulchre Ecclesiam ædificauit, fol. 364. dub. 2.

Cum Saulus illustris vir conuersus fuit, ostium magnum apertum est ad aliorum Conuersionem, fol. 206. dub. 4. 2. R.

Prius vocabatur Saulus, postea Paulus appellatus est, qui interpretatur modicus, quia se ipsum agnoscebat hominem humile sibi imposuit, fol. 56. dub. 94. 2. Resp.

Sanctus Paulus absolute vocatur Apostolus, quod est nomen commune omnibus Apostolis, quia præstantissimis viris nomina communia ob eorum sup. r alios excellentiam attribuuntur, fol. 111. dub. 10 2. Resp.

Sanctus Paulus maior in scientia D. Petro, fol. 36< dub. 4.

Sanctus Paulus præcipuus Ecclesiæ Doctor, ibi. dub. 5.

Sanctus Paulus plures filios prædicatione sua genuit quam singuli Apostolorum, fol. 365. dub. 3.

Sanctus Paulus duplicem Coronam habet in cœlo, fol. 265. dub. 5. *Pro hac die Vide pro Apostolis fol. 422.*

Purificatio Beatæ Mariæ Virginis.

Beata Virgo Maria legi obediens suam nobilitatem ostendit, quia quo quis dignitate naturæ est nobilior, eo debet esse ad obediendum legi promptior, fol. 6. dub. 21.

Beata Virgo legem, qua non tenebatur implcuit, quia Cultor Diuinæ legis plusquam debet facere exequitur, fol. 69. dub. 18. & fol. 249. dub. 4.

Beata Virgo legem Purificationis seruauit, vt legum transgressores accuset, quia exemplaris obseruantia legis, legum transgressores confundit, fol. 199. dub. 4. Vel legem Purificationis ad quam non tenebatur, seruauit sicut filius legem Circumcisionis, cui non erat adstrictus implcuit, vt Mater filium imitaretur, quia Beata Virgo studuit quantum in se erat filium imitari fol. 25 dub. 79. Vnde imitandum Christum nobis proponere debemus in his quibus imitabilis est f. 231 dub. 5.

Beata Virgo ita humilis fuit, quod voluit reputari obligata cum aliis ad legem Purificationis, cum vere obligata non fuerit, fol. 366. dub. 1.

B. Virginis, & filij eius præsentia, maiori gloria impletum est Templum Ierusalem, quam sub Esdra, & Salomone, ibi. dub. 2.

Beata Virgo obtulit pauperum oblationem, vt Mater Filij Dei dignosceretur, ibi. dub. 3. Oblatio pauperum quam Beata Virgo obtulit, accepta fuit Deo, non ratione sui, sed Christi signati, ibi. dub. 4. Vel ex dignitate B. Virginis offerentis accepta fuit Deo oblatio, fol. 101. dub. 18. Vel placuit Deo hæc B. Virginis oblatio, quia cum humilitate accessit, & Christum significabat, quia oblationes virtutibus comitatæ simulque Christum significantes, placent Deo fol. 278. dub. 3.

B. Virginis puritas hodie manifestatur, cum luminaria portantur, fol. 367. dub. 5. Purificationis Festum præ cæteris B. Virginis excitat homines ad deuotionem, ibi. dub. 6.

S. Angelus Custos.

Sanctus Angelus Custos nos defendit ab inimicis sub alijs protectionis suæ, fol. 367. dub. 1. Specialiter castos quos in suam tutelam suscipit, tuetur ne polluantur, fol. 166. dub. 1.

Sanctus Angelus Custos propter Christum benefacit homini, cui benefacit Christus, fol. 155. dub. 4.

Sanctus Angelus Custos desiderat salutem nostram, & expectat nostram emmendam, fol. 367. dub. 2.

S. Angeli Custodis auxilium quærendum est in periculis, non humanum, f. 368. dub. 3.

S. Angelo Custodi debet qui saluatur ingressum in gloriam ibi. dub. 4.

Sanctus Angelus Custos præsens est nobis, vnde nec verbo, nec facto aliquem lædamus, ibi. dub. 5.

Sanctus Angelus Custos ex officio it ad Deum, vt interpellet crebro pro nobis, ibi. dub. 6.

Sanctus Angelus Custos ex iustitia retribuit obsequium ei præstitum fol. 157. dub. 5.

Sanctus Thomas Aquinas Ecclesiæ Doctor.

Ante Natiuitatem, & in ortu S. Thomæ multa visa sunt, vt eius Doctrinæ tribuatur fides, fol. 369. dub. 1.

Sanctus Thomas adhuc Infantulus cœlesti sapientia implenus, cum chartulam in qua scripta erat Angelica salutatio deglutiuit, ibi. dub. 2.

Sanctus Thomas Doctor Angelicus appellatur, quia Angelum expressit in puritate, & scientia ibi. dub. 3.

S. Thomæ sanctitatis splendor, mirabilis fuit, cum tantus vir pestiferæ superbiæ, nunquam senserit stimulum, fol. 343. dub. 2. 2. Respond.

Sanctus Thomas propter suam castitatem

capax

capax effectus est cœlestis Doctrinæ, f. 167. dub. 7.

Sanctus Thomas, quia valde humilis fuit, Diuina mysteria ei fuerunt patefacta, fol. 58. dub. 104. 2. Resp.

S. Thomæ Doctrina commendatur, quod sit firma sententia, quia habet firmitatem, & durabilitatem, fol. 11. dub. 33.

Sanctus Thomas, quia humilis fuit Sanctorum Doctorum terminos, & modos loquendi imitatus est, fol. 120. dub. 3. Vnde non recusauit Sanctorum Doctorum dictis suam Doctrinam confirmare, fol. 194. dub. 7. Et aliorum vtpote D. Augustini. D. Hieronymi. D. Ambrosij. D. Gregorij dictis suam Doctrinam stabiliuit, fol. 195. dub. 7. 3. Respond. Ideo magnam authoritatem Diuus Thomas conciliauit Doctrinæ suæ, ibi. dub. 7.

S. Thomæ excellentia, quod in sua Doctrina cum Sanctis Doctoribus conuenit, fol. 120. dub. 3. 2. Resp.

Sanctus Thomas dicere solebat, quidquid sciret, non tam studio, aut labore suo peperisse, quam Diuinitus traditum accepisse. Non enim humano studio, sed Diuino dono adeptus est sapientiam, fol. 194. dub. 3.

S. Thomæ ope Sanctorum Doctrina Doctorum, clara, & distincta est, & in claram lucem transmutatur, fol. 369. dub. 4.

Sanctus Thomas sic se habet ad Sacros Doctores, quod alij posuerunt materiam Diuus Thomas formam: format enim quæ Sancti Doctores in materia scripserunt. De S. Trinitate, Angelis, Incarnatione, Sacramentis, peccatis, & aliis, fol. 194. dub 4.

Sanctus Thomas summa in veneratione est apud Ecclesiam, Concilia, & Scholas cum per eum consulant Deum de dubijs fidei, fol. 370. dub. 5.

S. Thomæ Doctrina, à Christo qui in iudicando verax est, approbata fuit, ne homines in iudicio de Doctrinarum veritate falsitati obnoxij, falsum proferant iudicium, fol. 8. dub. 24. in fine. Ideo quia approbata à Christo, omnimoda fides infra Diuinam exhibenda est ei, fol. 370. dub. 6.

S. Thomæ Doctrina approbata à Christo, approbata manet Doctrina Sanctorum Doctorum, ibi. dub. 7.

S. Thomæ quatuor partes summæ Theologiæ Ecclesiam fœcundant, & defendunt, ibi. dub. 8.

Sanctus Thomas interpres fuit Diuinæ voluntatis, ideo valde curauit Deus exaltationem eius, quod sit Ecclesiæ Doctor, fol. 243. dub. 2.

Sanctus Thomas magnificatus à Christo, cum multa sapientiæ suæ præ cæteris ei reuelauit, fol. 205. dub. 10.

S. Thomæ Doctrina per patientiam, qua sustinet maledicos mensuratur, f. 285. dub. 4.

D. Gregorius Magnus Ecclesiæ Doctor.

Sanctus Gregorius Pontificatus honorem quantum potuit recusauit, quia fugiebat non solum honorem, verum voluntatem ad Pontificatum, fol. 147. dub. 9.

Sanctus Gregorius indicio igneæ columnæ Pontifex fuit consecratus, quia ad dignitatem noluit ascendere, quin à Deo in honoris gradu constitueretur, ibi. fol. 147 dub. 5.

Sanctus Gregorius dignus fuit Pontificatu, quia Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani audaciam fregit, & Mauritio Imperatori restitit, fol. 428. dub. 2.

Sanctus Gregorius cum multos libros dictaret, testatus est Petrus Diaconus, se Spiritum Sanctum columne specie in eius capitæ sæpè vidisse: insignum quod Spiritus Sanctus per eum loquebatur, fol. 430. dub. 1. Vnde Spiritu Sancto dictante scripsit quæ docuit, fol. 193. dub. 1. Et Deus per illum loquutus fuit vniuersæ Ecclesiæ, ibi. dub. 2.

Sanctus Gregorius datus Ecclesiæ non à casu, sed à Dei consilio, fol. 431. dub. 4. *Vide in fine pro Sanctis Doctoribus.*

S. Ioseph Sponsus B. M. Virg.

S. Ioseph absolute iustus appellatur, quia omnibus virtutibus fuit ornatus: non enim iustus absolute appellari posset, si vna tantum virtute careret, fol. 41. dub. 37. & fol. 28. dub. 91. Vnde non eget nominari, cum iustitia eius, & virtus per se ipsam fulgeant, & clament opera eius, fol. 21. dub. 67.

S. Ioseph dignitas nullo alio nomine explicatur nisi appellando illum Patrem Christi, & Sponsum B. Virginis Mariæ, fol. 371. dub. 1.

S. Ioseph cum laudatur sanctitas, & B. Virginis sanctitas collaudatur, ibi. dub. 2. Vnde S. Ioseph, & B. Virginis laudes communes sunt, ibi.

S. Ioseph digne nomine Patris Christi insignitur, quia Christum nutriuit, fol. 209. dub. 2. & fol. 372. dub. 5. Vnde S. Ioseph dignitas super omnes Sanctos colligitur ex hoc, quod nutrius fuit Christi, fol. 371. dub. 3.

Signum euidens est, quod Sanctus Ioseph fuit vir magnæ auctoritatis, cum Christus ab eo se plurimum appellet, ibi. dub. 4.

Christus debuit dare S. Ioseph maiorem glo-

gloriam, quia aluit eum, fol. 372. dub. 6.

S. Ioseph iure suæ virtutis, & iustitiæ, meruit obtinere terram illam B. scilicet, Virginem Mariam in Sponsam, fol. 258. dub. 2.

S. Ioseph, & Beata Virgo vnum fuerunt voluntate, licet duæ personæ, fol. 63. dub. 128. fol. 56. dub. 75. 2. Resp.

Sanctus Benedictus.

S. Benedicto dum quodam die ardentes ad libidinem faces à diabolo subijcerentur, se in vepribus tandiu volutauit, dum lacerato corpore, voluptatis sensus dolore opprimeretur: carnis enim rebellionem spinis compressit, fol. 426. dub. 1.

S. Benedicto omnem mundum Deus miraculose ostendit, quia Dux, & Pater omnium Monachorum, ibi. dub. 4.

Sanctus Benedictus gloriatur, quod sit Dux, & Pater Monachorum, fol. 121. dub. 10. *Vide infra in communi Confessorum.*

Annuntiatio Beatæ Mariæ Virginis.

Hoc mysterium ignorat ratio, & mens humana non capit, fol. 372. dub. 1.

Incarnatio magnum opus Dei, quia carnem assumens pro homine, hominem præstitit operibus suis, fol. 119. dub. 1. Ideo homo pretium magnificum sui faciat, cum Deus hominem in magna extimatione habeat, fol. 26. dub. 83.

Verbum carnem assumpsit, quia Deus magis vult manifestari per ea quæ nobis communicat, quam per illa quæ ipse solus possidet, fol. 37. dub. 21.

Verbum naturam humanam induit motum miseria hominis ex peccato: ex malis enim nostris bonum elicit, fol. 68. dub. 16. 3. Resp. Vnde non permittit malum fieri nisi ob aliquod bonum, fol. 117. dub. 91.

Conditio humana suscepta est à Patris Verbo in virgineo vtero, vt sicut per mulierem allatum fuit damnum, per B. Virginem adferret remedium, quia Deus quæ fuerunt nostræ perditionis media, fecit nostræ reparationis remedia, f. 76. dub. 48. Ideo adferat remedium, qui damnum intulit, fol. 180. dub. 1.

Per B. Virginem hodie assumptam in Sponsam Spiritus Sancti, genus humanum aliquo modo pertinet ad ordinem Diuinum, fol. 372. dub. 2.

B. Virgo Maria in Conceptione filijs, fuit complementum totius Trinitatis, ibi. dub. 3.

Beata Virgo Maria certa de facto, quod futura esset Mater Dei, quæsiuit ab Angelo modum quem nesciebat, ibi. dub. 4.

B. Virgo Maria per antonomasiam Sponsa appellatur Spiritus Sancti, ibi. dub. 5.

Beatam Mariam ancillam, esse Spiritus Sancti Sponsam fuit opus laudabile ex parte Spiritus Sancti, & dignum præmium humilitatis B. Virginis nominantis se ancillam, fol. 373. dub. 6.

Beata Virgo per solam humilitatem dicens: ecce ancilla Domini, concepit Deum, & Mater eius fuit effecta, ibi. dub. 6. in fine.

Hodie Diuinum Patris Verbum naturam humanam suscepit, quia maximè appendebat gloriam humanæ carnis assumendam, fol. 15. dub. 43.

Sanctus Franciscus de Paula.

Sanctus Franciscus humilitatem maximè coluit, humilitatemque semper conseruauit, fol. 37. dub. 22. Vnde omnibus se peiorem reputabat, fol. 225. dub. 2. Ideo quo contemni apperebat, eo gloriosior apparebat, fol. 226. dub. 3.

Sanctum Franciscum humilitas conseruabat, & sustentabat, fol. 226. dub. 5. Et virtutes suas super humilitate fundabat, ibi. dub. 5. 2. Resp. Vnde firmior erat in humilitate, quam alij ibi. 3. Resp.

Sanctus Franciscus vere fuit sapiens, quia alios ex humilitate sibi antepositi, & reliquos reputabat meliores, fol. 227. dub. 6.

S. Franciscus se omnium minimum dicebat, & quia omnium minimum se nominabat, perfectior omnibus videbatur, f. 426. dub. 3.

Sanctus Franciscus adeo humilis, quod Discipulis suis discumbentibus ministrabat, aliorumque fratrum etiam nouitiorum indumenta propijs ipse manibus abluebat: gaudebat enim, quod suis administraret, f. 39 d. 30.

Sanctus Franciscus in eremum secessit, sed fraternæ charitatis causa è solitudine egressus, Ecclesiam prope Paulam ædificauit, ibique prima sui Ordinis fundamenta iecit: vera enim charitas eius ordinata fuit, cum tendit in Deum, deinde in bonum proximi, fol. 170. dub. 8.

Sanctus Franciscus charitate excelluit, vnde quia charitate præeminet, insignior est alijs, fol. 168. dub. 7.

Sanctus Franciscus arripiens aliquando ardentes prunas illæsis manibus, dixt, qui perfecto corde Domino seruiunt, omnia creata illis obtemperant. Vnde quia Sanctus Franciscus obediuit legi Dei, creaturæ obedierunt ei, fol. 29. dub. 92. Et quia Deo obediuit, & præcepta eius seruauit, Imperium in creaturas obtinuit, vt patet ex eius legenda, fol. 49. dub. 68. 2. Resp.

Sanctus Vincentius Ferrer.

Sanctus Vincentius indutus habitum Ordinis Prædicatorum, ante omnia Patris sui

Dominici præclara gesta legit, in quibus tantum Patrem esset imitaturus, S. enim Patris Dominici virtutes sibi imitandas proposuit, fol. 23. dub. 72.

Sanctus Vincentius nocte contemplabatur Sacram Scripturam, die vero prædicabat: vitæ enim actiuę, & contemplatiuę vacabat, fol. 22. dub. 71. 2. R. fol. 59. dub. 107.

Sanctus Vincentius per diuersas mundi Regiones imminentem sæculi finem, & extremum iudicij diem denuntiauit: solatij enim fuit mundo, cum mala malis ad eorum pœnam, bona bonis ventura in die iudicij ad eorum consolationem annunciauit, fol. 127. dub. 32. 4. Resp.

Sanctus Vincentius supra centum millia perditorum hominum ad meliorem vitæ frugem traduxit, vt assimilaret sibi per virtutem, & iustitiam peccatores, fol. 7. dub. 23.

Sanctus Vincentius plusquam viginti quinque millia Iudæorum conuertit ad Christum, & supra octo millia Sarracenorum ad Ecclesiam addoxit, quia nihil sibi esse putabat, si per Euangelium filios non gigneret, fol. 99. dub. 104. Resp.

Sanctus Vincentius impetu, & spiritu salutis animarum rapiebatur, fol. 432. dub. 7.

Sanctus Vincentius super naturaliter audiebatur, à quibus naturaliter audiri non poterat, fol. 432. dub. 5.

Sanctus Vincentius vernacula lingua suæ gentis prædicans, ab omnibus clarissime intelligebatur, ibi. dub. 6.

Sanctus Vincentius delectus Iudex arbiter, Regnum Aragoniæ Ferdinando Infanti Castellæ adiudicauit, & cæteri ei adhæserunt, quia eius consilium tanquam Dei habebatur, fol. 173. dub. 5.

Compassio Beatæ Mariæ Virginis.

Miraculum fuit, quod Beata Virgo non moreretur mortuo filio, cum anima, & vita B. Virginis ex Christi vita penderet, fol. 374. dub. 1. Vnde B. Virginis vita miraculose conseruata fuit, ne si Filius, & Mater eodem die morerentur, Pater Æternus crudelitatis notaretur. ibi. dub. 2.

Beata Virgo nullum vitauit cruciatum in corde, sicut nec Filius nullum vitauit cruciatum in corpore, ibi. dub. 3.

Beata Virgo stabat iuxta Crucem videns mortem Filij, nec proprium timens periculum, ibi. dub. 4.

Beata Virgo tristabatur de mor Filij, quia erat Sanctus, fol. 98. dub. 12.

Beata Virgo Maria non minus iudicandum est meruisse Filium offerendo, & volendo mortem Filij, quam Filius moriendo considerata natura actuum vtriusque, ibi. dub. 5.

Beata Virgo gaudebat de Redemptione generis humani per mortem Filij, & simul tristabatur de morte eius, quia gaudium compatiebatur in ea simul cum dolore de eodem obiecto, fol. 212. dub. 2.

B. Virginem Mariam Iudæi non sunt ausi aprehendere in passione Filij, quia plus timebant Matrem quam Filium, fol. 375. dub. 6. Vel quia noluit Dominus, quod afflictæ Matri adderetur afflictio, fol. 112. dub. 69.

Iudæi multa verba iniuriosa dixerunt Christo in Passione, quibus Beata Virgo mærorem, & dolorem hausit, non tamen sunt hodie exprimenda, sed insinuanda: quia res tristes, & auditui in iocundæ insinuari possunt, non tamen exprimi, fol. 104. dub. 33.

Beata Virgo Maria iuxta Crucem magis dolebat de offensa Iudæorum erga Christum quam timeret, quodlibet damnum sibi imminens, quia amor verus plus timet offensam amati, quam damnum proprium, f. 138 dub. 1.

Beata Virgo Maria iniurias illatas Christo in Passione habuit proprias, quia verus amor Dei, proprias habet iniurias illatas Deo, fol. 142. dub. 2.

In Diluculo Resurrectionis.

Beata Virgo in Passione Filij fuit afflicta, sed in Resurrectione eius consolata, quia Deus nulli mærorem præstat, quin aliquam consolationem non exhibeat, fol. 175. dub. 4. & fol. 98. dub. 6. Mittitque consolationes inter labores, fol. 178. dub. 6. Priusque mærorem in Passione Filij hausit, deinde lætitiam in Resurrectione, quia Deus prius mærorem, quam consolationem suis infundit, ibi. dub. 7.

Beata Virgo non minus exultauit de Christo resurgente, quam tristata fuit de ipso mortuo, fol. 375. dub. 1.

Beata Virgo Maria anxiosa de Filio, quia tardabat ad eam venire redeuntes, consolabatur audiens prospera de Filio, fol. 370. dub. 2.

Beata Virgo Maria adeo gauisa est videns filium glorioſum, quod non recordabatur ad mæstitiam dolorum, quos sustinuit in morte illius. ibi. dub. 3.

Beata Virgo Maria habuit in Passione Filij multiplicem pœnam: at in Resurrectione suscepit geminatam lætitiam, ibi. dub. 4.

Resurrectio Domini N. Iesu Christi.

Christus in Passione non habuit decorem, nec speciem: at in Resurrectione decore, & specie præditus fuit, fol. 377. dub. 1.

In Resurrectionis mysterio fides Diuinitatis Christi enititur, ibi. dub. 2.

Impassibilitas, & immortalitas ad quam surrexit hodie, ostendunt Christum esse non hominis filium, sed altissimi, ibi. dub 3.

Christus resurgens ostendit potentiam quæ Dei est, ibi. dub. 4.

Resurrectioni Christi innititur spes nostræ immortalitatis secundum corpus, f. 378. dub. 5.

A tempore Resurrectionis homo nouum viuendi modum suscipiat, ibi. dub. 6.

Discipuli tristes fuerunt de nec sui Domini, sed viso Domino gauisi sunt, quia Deo præsente hilaritas est, Deo absente tristitia, fol. 4. dub. 13. 2. Resp. *Vide in diluculo Resurrectionis.*

Discipuli tarde crediderunt Christi Resurrectionem, quia quæ gloriosa sunt in homine tarde creduntur, quæ vero indecora cito, fol. 70. dub. 26.

Sanctus Petrus Martyr.

Sanctus Petrus Martyr, maximè commendabilis, quod inter tenebrosos hæreticos splenderet in fide, fol. 4. dub. 29. in fine.

Sanctus Petrus corpus, & animam ab omni impuritate, ita custodiuit, vt nullius mortiferi peccati labe se inquinatum vnquam senserit. Licet labilis naturæ esset, in peccatum mortale non fuit lapsus, ac si alterius esset naturæ, fol. 11. dub. 33. 2. Resp. Vnde tota vita cùm Deo ambulauit, ita vt immunis esset culpæ, fol. 124. dub. 22. Ideo quia pluribus donis comulatus fuit à Deo, plus à peccatis abstinuit, fol. 95. dub. 124.

Sanctus Petrus positus in Ecclesia à Deo, vt hæreticos propulsaret, fol. 379. d. 2. Ideo à pueritia timebatur ab hæreticis, in signum, quod in prouecta ætate futurus erat valde exitialis hæreticis, ibi. dub. 2.

Ex S. Patre Dominico consurgũt quasi duæ tribus, fidei cui præest Sanctus Petrus Martyr, sapientiæ cui præest Sanctus Thomas Aquinas, fol. 378. dub. 1.

Beata Virgo Maria rogauit Filium profide S. Petri Martyris, quia futurus erat caput Inquisitionis, fol. 379. dub. 3.

Sanctus Petrus obtemperauit Deo per fidem, & in præmium fidei suæ, obedierunt S. Petro creaturæ, fol. 380. dub. 4.

S. Petro concessum priuilegium, vt hora mortis scriberet digito sanguine suo intincto, fidem pro qua patiebatur, ibi. dub. 5.

Sanctus Petrus Christi figuram expressit, quia fuit Virgo, Sacerdos, & Martyr, f. 105. dub. 37.

Sanctus Petrus trinæ fulget corona gloriæ, alij Sancti habent vnam, vel duas coronas; at S. Petrus habet tres, vt pateat differentia inter istum, & illos, fol. 380. dub. 6.

Inquisitores Fidei.

Inquisitores continuam habent inimicitiam cum hæreticis, fol. 86. dub. 84.

Inquisitores fidei Deus pro suis habet, recognoscit, & honorat, quia zelant eius fidem, & honorem, fol. 188. dub. 7.

Inquisitores arcent ab Ecclesia hæreticos, qui malo exemplo alios intendunt trahere ad malum, fol. 200. dub. 9. Vide fol. 208.

Sancta Chatarina Senensis.

Sancta Chatarina continuum habebat processum in perfectionis studio, fol. 124. dub. 21. Vnde quanto se in virtute exercebat, tanto maiores progressos in virtute faciebat, fol 344. dub. 6. Ideo inchoatio virtutis eius placere non posset Deo sine perseuerantia. fol. 48. dub. 66. 2. R. Perfectionique virtutis intendebat in adulta ætate, ac si inchoasset, fol. 10. dub. 30. Et perfectioni incessanter operabatur, fol. 16. dub. 46. in fine. Ad culmenque virtutis non statim, sed suis gradibus conabatur, vt patet ex eius vita, fol. 18. d. 54.

Sancta Chatarina nullo penitus cibo, sola Sacra Eucharistia per multos dies non sine miraculo victitabat: gratia enim Dei effecit, quod ieiunaret sine sumptione cibi, & potus per multos dies, fol. 229. dub. 3. Vnde quantum de Deo fruebatur quasi à posteriori colligitur ex ieiunio à die Cinerum vsque ad Ascensionem, fol. 381. dub. 1.

Christus Dominus tanta eam dignatus est familiaritate, vt frequenter cum illa per cellam deambularet, propter suum mirabile ieiunium, quia ieiuni familiaritatem habent cum Deo, fol. 19. dub. 57. 2. Respond. Vel quia Deus societatem iniit cum castis, fol. 167. dub. 5.

Sancta Chatarina ex quo cor Christi accepit, non humanam, sed Christi vitam agebat, fol. 38. dub. 26. 2. Resp.

Sanctam Chatarinam Christus cum Virgine Matre aliisque Sanctis illi apparens, sibi eam Diuina quadam ratione desponsauit, ideo specialiter est Sponsa Christi, & filia, quia singulariter Christi zelauit honorem, vt videre est in eius legenda, fol. 381. dub. 2.

Sanctam Chatarinam Summus Pontifex, & Cardinales consultam sequebantur in grauissimis Ecclesiæ negotijs, tanquam Dei oraculum, & responsum, ibi. dub. 3. & f. 173. dub. 5.

Sancta Chatarina dixit Confessori suo, *ego sum, qui sum*, vt cognoscatur differentia, imo quod sit maior inter cæteras Virgiens, ibi. dub. 4.

S. Catarinæ corpori Christus pretiosa sua quinque vulnera mirabiliter impressit, quæ Deo placuerunt ex duplici capite, scilicet, Christi infligentis, & Catarinæ suscipientis, ibi. dub. 5.

S. Catherinæ verba librorum quos scripsit, verba sunt Dei, ibi. dub. 6.

S. Catherinæ multos fauores impendit Christus, coronam spineam dedit, vulnera impressit, cor commutauit cum ea, & alios multos vt ex fauoribus impensis dignoscatur præstantia S. Catarinæ supra alias Christi Sponsas, fol. 203. dub. 4.

Ascensio Domini N. Iesu Christi.

Pater dedit filium suum mundo: mundus vero retribuit Patri, cum de mundo regreditur Christus ad Patrem, vt munus acceptum, munere retributo compensetur, f. 158. dub. 5.

Christus in Ascensione antiquo decore præditus, fol. 381. dub. 2.

Christus in Ascensione ostendit illam gloriam, quæ Filium Dei decebat, ibi. dub. 3.

Dominus Iesus cum tanto splendere ascendit coruscus, quod Apostoli eguerunt edoceri ab Angelis, quod qui ascendit, est Dominus Iesus, ibi. dub. 4.

Christus assumptus est in Cœlum cum Gloria corporis, & animæ, quam habet merito iustitiæ, & innocentiæ, fol. 214. dub. 6.

Christus ascendit ad dexteram Patris, vt quo magis se depressit in præsenti, magis exaltaretur in futuro, fol. 227. dub. 7.

Christus ascendit, vt requiesceret, & nobis pararet locum, quia requiescit, cum nobis requiem parat, fol. 33. dub. 4.

Christus ascendens desiderium nostrum in eum accendit, fol. 381. dub. 1.

Christus ascendens in cœlum nostram spem illuc perueniendi sublleuauit, fol. 384. dub. 5. In cuius signum in loco de quo Christus ascendit, Templum rotundum in honorem Ascensionis erectum est à S. Elena, quod in se includebat Christi vestigia, cuius tectum ea parte qua Christus ascendit, nunquam contegi potuit, sed transitus eius è terra vsque ad cœlum semper mansit apertus. Non ergo clausus est transitus ad cœlum, vt homo spem habeat illuc ascendendi: cœlum enim non perpetuo clausum est homini, vt Deus in spem nos eriget, fol. 96. dub. 127. Ideo qui habet merita dignus est sperare æternam fœlicitatem, fol. 118. dub. 97. Spe tamen, & timore ad cœlum progrediatur, fol. 96. dub. 127. 2. Resp.

Christus ex Sanctis quos secum duxit cœlum ædificauit, fol. 384. dub. 5.

Christus ascendit in cœlum, vt contegens maiestatis splendorem, pulchrius irradiaret, fol. 12. dub. 36. Et nota, quod postquam Christus exprobrauit incredulitatem Discipulorum eis benedixit, vt Discipulis reprehensione castigatis, signa amoris ostenderet, benedicens eis, fol. 93. dub. 115.

Dies S. Pentecostes.

Spiritus S. hodie super Discipulos descendit, quia nescit se occultari, fol. 5. dub. 16. in fine. Quia requiem quærit in homine, fol. 5. dub. 19.

Spiritus S. deficeat vitia, & præparat pectora, vt in anima habitent Pater, & Filius, fol. 384. dub. 1.

Discipuli ex quo acceperunt Spiritum Sanctum non humanam, sed cœlestem vitam agebant, fol. 38. dub. 26. 2. Resp.

Spiritus S. Discipulos in nouos homines commutauit, ibi. dub. 2. Ideo gratia Spiritus Sancti homo ex informi formosissimus, ex inutili vtilis, ex vacuo virtutibus plenus redditur, fol. 5. dub. 16. Vnde habet vim, & facilitatem in operando quodcunque vult, ibi. dub. 17. Hac ratione incessanter satagit, vt homo melioretur, fol. 34. dub. 7. Nec nihil inconstans est, quod Dei spiritu non renouetur, fol. 38. dub. 26.

Spiritus S. clare docuit Apostolos veritatem circa mysteria Christi quantum ad determinatas circunstantias, fol. 385. dub. 3.

Festum Pentecostes cum maiori deuotione solita celebrandum in memoriam publicatæ legis gratiæ, ibi. dub. 4. Eiusque Festiuitas salubrior est mundo, quam aliæ Festiuitates, fol. 386. dub. 6. in fine.

Spiritus S. impulit Discipulos, vt molirentur, & ardua difficillima, in eisque prosperatus est, ibi. dub. 5.

Spiritum Sanctum mittens Christus donis ditauit Ecclesiam, fol. 386. dub. 6. Vnde in magna existimatione habenda sunt dona hæc, cum sint sufficientia, cum dentur à Patre, & per mediatorem magnæ auctoritatis, qualis est Christus, fol. 184. dub. 4.

Spiritus S. venit super Discipulos qui erant vnanimes, & concordes, quia cum sit pacis, & vnitatis amator, vnitos quærit, discordes detestatur, f. 193. dub. 3. Vnde schismatici aduersantur Spiritui Sancto, ibi.

Spiritus S. qui amor est, hodie descendet super Discipulos, vt amore traheret homines ad se, fol. 141. dub. 8. Vel misit Spiritum Sanctum, qui amor est, vt innuat, quod Deus vult solus diligi, fol. 143. dub. 8.

Spiritus Sanctus super Discipulos, qui erant puri hodie requieuit: anima enim pura, & sancta, centrum est in quo Deus alacriter quiescit, fol. 33. dub. 4. 2. Resp.

Corpus Christi.

Christus quasi ex iustitia dedit nobis suam carnem pro nostro pane, quem à nobis accepit, fol. 386. dub. 1.

Christus instituit Eucharistiam in pane, & vino, vt ex horum sumptione excitaret appetitum ad Eucharistiam, ibi. dub. 2.

Christus quia hominem creauerat, ad eum spectabat hominem cœlesti pane cibare, vt hoc cibo conseruaret, quem creauit, fol. 30. dub. 99. Vnde qui dedit esse, debuit dare conseruationem, fol. 17. dub. 49.

Christus in hoc Sacramento cibum dat omnem suauitatem habentem, vt multis deliciis obiectetur hominem, fol. 41. dub. 36. Vnde Eucharistia cibus est continens omnem delectationem, fol. 55. dub. 90.

Eucharistiæ Sacramentum salutem, & vitam corporalem digne sumentibus conseruat, & roborat, fol. 383. dub. Vnde munit aduersus mortem, fol. 42. dub. 41. Quia cibus salutaris qualis est Eucharistia in multos annos vitam prolongat, fol. 123. dub. 16.

Sacra Eucharistia vitam animæ, scilicet, gratiam auget, conseruat, & ab amissione præseruat, fol. 387. dub. 4.

Eucharistiæ Sacramentum vitam æternam animæ confert, non semel, aut raro sumptum, sed continue, ibi. dub. 5.

Eucharistiæ Sacramentum digne recipiens viuet in æternum, cum in eo contineatur Christus, qui in æternum viuit, f. 388. d. 6.

Ad Sacram Eucharistiam in peccato non accedendum, fol. 102. dub. 27.

Sacra Eucharistia maiorem, vel minorem gratiam causat iuxta dispositionem recipientis, fol. 388. dub. 7.

Sanctus Ioannes Baptista.

Natiuitas S. Ioannis lætitiam attulit mundo, fol. 98. dub. 6.

Sanctus Ioannes interpretatur in quo est gratia, & signum demonstrans in eo fuisse gratiam, fuit operario virtutum, quas habuit, fol. 38. dub. 23.

Sancti Ioannis Baptistæ excellentia est, quod audito nomine Ioannis, absolute intelligitur de illo, fol. 388. dub. 1.

Sanctus Ioannes Baptista perfectior est Apostolus, quia fuit Apostolus Dei, ibi. dub. 2.

Sanctus Ioannes Baptista recusauit dignitatem Messiæ quia iustus, ne honori Christi præiudicaret, ibi. dub. 3.

Sanctus Ioannes Baptista in tanta opinione, & auctoritate fuit, quod pro Christo fuit habitus, ibi. dub. 4.

S. Ioanne Baptista nullus Prophetarum fuit maior, fol. 392. dub. 5.

S. Ioanne Baptista inferior est, quisquis natus est de muliere, ibi. Et omnibus præponitur, quia natus in gratia, & amicitia Dei, fol. 128. dub. 35.

Sanctus Ioannes in Ecclesia militante non habet maiorem, solus Christus maior Ioanne, ibi. d. 6.

S. Petrus Apostolus.

Sanctus Petrus, quia eximius Apostolorum principalior fuit in operatione miraculorum, fol. 392. dub. 1.

Ad notitiam Christianam spectat nosse D. Petrum primum esse inter Apostolos, ibi. dub. 2.

S. Petrus, quia Apostolorum primus, non est conferendus cum aliis Apostolis, ibi. d. 2.

Sanctus Petrus, Apostolus absolute nominatur quasi alij non essent Apostoli, ibi. d. 3.

S. Petro collatum singulare hoc priuilegium, quod primus inter Apostolos cognouerit Diuinitatem Christi, fol. 391. dub. 4.

Quæ fidei sunt, ab ore S. Petri accipienda sunt, ibi. dub. 5.

S. Petro vtpote sapienti Dominus Ecclesiæ vniuersalis commisit dominium, quia scientia debuit pollere, alios recturus, fol. 27. dub 86. 3. Resp.

S. Petrus in se expressit Sanctam Trinitatem, Patrem in potentia, in sapientia Filium, in benignitate Spiritū Sanctum, f. 26. d. 8. 3. R.

S. Petri tanta est dignitas, quod ad eum pertinet præcipere, ad alios attinet ei obedire, fol. 391. dub. 6.

S. Petro collatum super omnes Imperium, ostendit eum esse quasi Christi primogenitum, f. 392. d. 6. *Pro hac die vide pro Apostolis, fol. 422.*

Visitatio B. Mariæ Virginis.

Beata Virgo Maria abiit cum festinatione in montana, vt Ioanni benefaceret, quia iusti veloces sunt, vt aliis benefaciant, fol. 45. dub. 52. Vnde Beata Virgo ad opera charitatis fuit velox, fol. 393. dub. 3.

Deus ita amabat Zachariam, & Elisabetham, quod gratia eorum, omissis precibus Ioannem à malo originalis peccati liberauit, fol. 129 dub. 1.

Christus mediante B. Virgine illuminauit Elisabetham, & Ioannem, fol. 392. dub. 1. Vnde Christus præest iustis, Beata Virgo peccatoribus, fol. 22. dub. 69.

Christus per B. Virginem voluit Ioannem purificare, fol. 392. dub. 2.

B. Virginis verbum virtute Filij Dei in ea existentis Ioannem à peccato purgauit, fol. 393. dub. 4.

Non Beata Virgo, sed verbum in ea existens, gratiam Ioanni infudit, quia gratia non est ex homine, sed à Deo, fol. 215. dub. 2.

Beata Virgo congrue Maria, id est, illuminatrix appellatur, quia Ioannem illuminauit, vnde ab operibus nominatur Maria, id est, illuminatrix. fol. 269. dub. 2. Vnde hoc nomine obtricta fuit Beata Virgo ad salubriter, & fructuose agenda negotia illustria, qualia fecerunt illuminatio Elisabethæ, & Ioannis, fol. 270. dub. 3. 2. Resp.

Elisabetha dixit ex humilitate, vnde hoc mihi, vt veniat Mater Dei ad me, & quia se humiliauit effecta est digna, quod Christus in vtero Virginis existens ad eam veniret, quia humilitatis præmium est eleuari ad id quo indignum se reputabat humilis, fol. 227. dub. 1. 3. Resp. in fine.

Ioannes in vtero matris ad præsentiam Christi exultauit præ lætitia, quia Deo præsente hilaritas est, fol. 4. dub. 13. 2. Resp. Vel exultauit infans in vtero, vt sensibilibus signis manifestaret Christo subiectionem, f. 99. dub. 14.

Ad ingressum Christi, & B. Virginis salutationem, exultauit infans in vtero, & Elisabetha repleta fuit Spiritu Sancto, multisque donis ornati fuerunt: cum enim inciperent Christus, & Beata Virgo benefacere Ioanni, & Elisabeth, non supersederunt à beneficijs in Ioannem, & Elisabetham congerendis, fol. 155. dub. 2.

S. Maria Magdalena.

Maria Magdalene in conuersione prius mœrore fuit affecta, deinde lætitia consolata, fol. 178. dub. 6.

Maria Magdalena illustris fœmina ianuam aperuit ad aliorum conuersionem, fol. 206. dub. 4. 2. Resp.

Maria Magdalene pœnitentia sua meruit esse Sponsa Christi, fo. 394. dub. 1.

Mariæ Magdalene reuelata fuit remissio suorum peccatorum, quia vere de illis doluit, ibi. dub. 2.

Maria Magdalene ex peccatrice in cœlestem mutata est, ibi. dub. 3.

Maria Magdalene fluida fuit per peccatum, sed in virtute stabilis per Dei sapientiam, ibi. dub. 4.

Maria Magdalene fortiter sustinuit pœnitentiam, ibi. dub. 4.

Maria Magdalene maiorem gratiam obtinuit quam alij qui non peccauerunt, f. 395. dub. 5.

Angeli gaudebant de reparatione Magdalene, ibi. *Pro hac die Vide Feriam 5 post Dominic. in Passione.*

Sanctus Ignatius Loyola.

Sanctus Ignatius in initio vitæ spiritualis pane emendicato, & aqua victitabat, aspera catena, cilicioque carnem domabat, humi cubabat, ferrisque flagellis se cruentabat. In principio enim vitæ spiritualis magnas mortificationes exercuit, fol. 53. dub. 85.

S. Ignatij gratia magna dignoscitur in eo, quod supra se aliena peccata suscepit, fol. 426. dub. 2. Vnde quamuis vbique locorum ærumnas, ludibria, asperrima vincula, & verbera pene ad mortem fuerit perpessus, tamen perfecta eius charitas, plus dolebat de malis alienis, quam de propijs, fol. 168. d. 5.

S. Ignatij mira charitas, quia irascebatur contra Dei offensas, ibi. dub. 6. Vnde verus eius amor plus timebat offensas Deo illatas, quam damnum proprium, fol 138. dub. 1.

Sanctum Ignatium vere charitatem ordinauit, quia tetendit in Deum, deinde in bonum proximi, vt ex eius vita constat, fol. 170. dub. 8.

S. Ignatij vultum cœlesti luce radiantem S. Philippus Nerius, alijque conspexere, quia licet in mundo videretur obscurus, in Christo tamen lucebat, fol. 19. dub. 59.

S. Ignatij cura templorum nitor incrementum accepit, vnde valde commendandi sunt S. Ignatius, & eius filij, quia Templa curiose componentes, Dei cultum, & hominum augent deuotionem, fol. 330. dub. 1.

Sanctus Ignatius, & eius filij ita charitate erga proximum feruent, quod sunt quasi vnus cum patre, fol. 170. dub. 9.

Iesuitæ per cultum specialem, quem Iesu impendunt vocantur Iesuitæ, & eorum Religio societas Iesu. fol. 427. dub. 5. Vel Iesuitæ vocantur propter amorem quo erga Iesum tenentur, & ratione huius specialis amoris in nomine sunt pares, fol. 146. dub. 8.

Iesuitæ iuste sic appellantur, & non Ignaciſtæ, vt qui iure non sunt filij Iesu, nomine, & officio Iesu, sint filij Iesu, ibi. Vel Iesuitæ appellantur, vt gaudeant nomine Filij Dei ob reuerentiam erga nomen Iesu in qua à patre fuerunt instituti, fol. 118. dub. 96. *Vide in communi Confessorum.*

S. Pater N. Dominicus.

S. Pater Dominicus prius notus fuit, quam natus, fol. 396. dub. 1.

S. Pater Dominicus adhuc puer futuram sanctitatem præmonstrauit, ibi. dub. 2.

S. Pater Dominicus fuit vnus, & singularis, qui in passionibus fuit Christo assimilatus, ibi. dub. 3. Vnde quia Christi similitudinem retulit, electus fuit in adiutorium Christi ad ministerium prædicationis, fol. 56. dub. 93. 3. Resp.

S. Pater Dominicus sic appellatur, vt audito eius nomine, officium reparatoris Ecclesiæ notaretur in nomine, fol. 397. d. 4.

Christus Ecclesiam fundauit, S. Pater Dominicus, perfecit, ornauit, per poliuit, ibi. dub. 5.

S. Patri Dominico tribuendum est opus reformationis mundi per Fratres Prædicatores operatum, tanquam principali agenti, ibi. dub. 6.

Spiritus Sanctus in similitudinem linguæ ignitæ apparuit super caput S. P. Dominici, vt approbaret ministerium prædicationis, quod ex officio suscepit, ibi. dub. 7.

S. Pater Dominicus nulla re æque lætabatur, ac sui contemptu, & quo contemni appetiuit, eo gloriosior apparuit, fol. 226. dub. 3. Habuit hoc excellentiorem gradum humilitatis, cum appetiuit se contemni, ibi. Et tam humilis fuit, quod totus voluit à Deo pendere, ibi. dub. 4. Quia vere humilis fuit, omnibus se peiorem reputabat, vnde quando locum aliquem ingrediebatur dicebat: Domine ne destruas hunc locum propter peccata mea, fol. 225 dub. 2.

S. Pater Dominicus omnia dicta, factaque sua ad omnem Apostolicæ perfectionis normam exactissime conformabat, vnde Apostolicam vitam imitatus est, fol. 424. dub. 6.

S. P. Dominicum Frater quidam in Diuina visione cernebat rescindi cœlum, indeque duas fulgentes scalas submitti: vnius cacumen Christus, alterius vero, Beata Virgo tenebat quas Christus cum Deipara sensim attrahebant, donec lætis vocibus Angelorum, scalæ cum S. P. Dominico in cœlum subductæ sunt, quod fecit Dominus, & Beata Virgo, vt manifestaret quanta erat dignitas tanti Patris apud Deum, fol. 241. dub. 10.

Ex loco natiuitatis S. P. Nostri Dominici puluis peremiret scarutiens, infirmis delatus, morbis medetur, fol. 428. dub. 6.

Ordo Prædicatorum præstat inter alios Ordines Mendicantes ratione maioris austeritatis, fol. 118. dub 98. 2. Resp.

Ordo S. Patris Dominici non cessat Sanctos propagare, fol. 34. dub. 8. 2. Resp.

Sanctus Laurentius Martyr.

Sanctus Laurentius temporalia bona contempsit, vt ab amore terrenorum homines reuocaret. Vnde Ecclesiastici mali, exemplo suo diuitias cogitantes, sæculares non ædificant, sed ad amorem terrenorum excitant, fol. 196. dub. 5. Vnde diuitias despiciens ostendit se habuisse Diuinam sapientiam, non diabolicam, ibi. Mali quoque Ecclesiastici cupiditati dediti, fol. 164. dub. 7.

S. Sixtus dixit Laurentio post triduum me sequeris Sacerdotem Leuita, vt mortem præuisam, prænuntiatumque martyrium minus Laurentius sentiret, fol. 282. dub. 3.

Sanctus Laurentius in tormentis nudus, non verecundabatur de nuditate, quia habebat innocentiam Adam in gratia, fol. 398. dub. 1. Vel quia casus erat, & casti non habent vnde rubescant, fol. 64. dub. 130. 2. R.

Sanctus Laurentius transiuit per flammam amoris, fol. 187. dub. 125.

Cruciatus ignis congruebat igneo animo S. Laurentij erga Deum, fol. 399. dub. 2.

Sanctus Laurentius corpus ex parte quasi glorificatum habebat, quia in sensibilis videbatur ad tormenta, ibi. dub. 3.

Sanctus Laurentius in tormentis cœlestem dulcedinem gustabat, ibi. dub. 4.

Sanctus Laurentius triplex gaudium habuit in tormentis, ibi. dub. 5. *Vide in communi Martyrum.*

Assumptio B. Mariæ Virginis.

Beata Virgo ægrotauit amore fruendi filio suo perfecte in gloria, fol. 399. dub. 1. Vnde ex infirmitate amoris erga Deum mortua est, ibi.

B. Virginis corpus oportuit, quod non videret corruptionem, nec cinerationem, fol. 400. dub. 2.

Beata Virgo ex iustitia in corpore, & anima assumpta est in cœlum, quia Christus ex iure honorauit eam ob præclarissima merita hoc singulari honore, fol. 125 dub. 27.

Beata Virgo in gloria amicta doribus glorificati corporis, fol. 214. dub. 6.

Beata Virgo Maria præ cæteris Beatis maiori gloria potitur, eo quod Mater Filij Dei, fol. 400. dub. 3. Vnde ad altiorem gradum gloriæ præ Angelis, & hominibus ascendit, ibi.

B. Mariæ Virginis gloria tanta est, quod sola illa ex vna parte tantam gloriam habet, quam omnes beati Angeli, & homines præter Christum, fol. 401. dub. 4.

Beati præmiantur præmio accidentali in visione B. Virginis, ibi. dub. 5.

Sanctus Hyacinthus.

Sanctus Hyacinthus maximè gloriatur, quod sit filius præcipuus, S. P. Dominici, fol. 401. dub. 1.

Sanctus Hyacinthus viuendi rationem à S. Dominico hausit, expressamque in se habuit eius imaginem, fol. 230. dub 1.

Sanctus Hyacinthus filius B. Virginis vocatur, quia ab ea maximis beneficiis tanquam filius fuit cumulatus, fol. 401. dub. 2.

Sanctus Hyacinthus proprio nomine nominabatur à B. Virgine, tanquam dilectus eius, vt quem diligebat proprio nomine in-

clama-

clamaret,fol.78.dub.53. Vnde quia singulariter eum amabat, singulariter eum tuebatur, vt patet in multis periculis à quibus eum liberauit,fol.140.dub.5.

Sanctus Hyacinthus plusquam hominem esse comprobauit, quando per ignem non timens ingressus est,fol.402.dub.3.

Sanctus Hyacinthus solus sufficiebat, vt toleret metum à socijs metuentibus eum sequi,cum Vandalum traiceret,ibi.dub.4.

S. Hyacinthi miracula insensibiles creaturę exclamant,ibi.dub.5.

Deus singulari miraculo declarauit dignitatem, & excellentiam S. Hyacinthi, quod esset Summus Sacerdos in lege gratię, ibi. dub.6. *Pro hac die vide in communi Confessorum.*

Sanctus Bernardus.

Sanctus Bernardus propheticè monstratus qualis futurus esset,fol.402.dub.1.

S. Bernardi castitas omni laude superior, ibi.dub.2.

Sanctus Bernardus plusquam viriliter,vrique diuinissimè restitit mulieribus, ibi. dub.2.

Sanctus Berdardus, vt oraret attente,cogitationes à se repellebat,ibi.dub.3.

Per S. Bernardum Sacrę Scripturę nobis dulcescunt,ibi.dub.4.

Sanctus Bernardus gustans lac ab vberibus B. Virginis,ostendit non esse de gente huius mundi,sed Superioris Ordinis,ibi.dub.5. *Pro hac die vide in Indice Doctor, & fol.430.*

Sancta Rosa.

Sancta Rosa fuit primus flos sanctitatis Indiarum Occidentalium,quam tanquam primitiam obtulit Deo S.P. Dominicus,f.405. dub.1.

Sancta Rosa veniens in mundum,maxima lętitia homines perfudit.ibi.dub.2.

Sancta Rosa pretiosa fuit apud Deum sicut moneta apud homines, imo maiori pretio quam coram hominibus moneta,ibi.dub.2.

S. Rosam vocabat Christus *Rosa cordis mei*, vt sibi gratissimam,& charissimam esse ostenderet,ibi.dub.3.

Sancta Rosa in teneris annis mirificos virtutum fructus Diuino amore accensa tulit, priusquam alij sancti,ibi.dub.4.

S. Rosę vultus coruscus,& splendidus cum Sacra Eucharistia reficiebatur, fol. 406. dub.5.

Sancta Rosa insigne,& monumentum,seu stemma Christi,ibi.dub.6.

Sancta Rosa pro fundamento solido omnium virtutum habuit prędstantissimam humilitatem, vnde humilitas eam conseruabat,& sustentabat,fol.226.dub.3. Et virtutes suas super humilitate fundabat,ibi. dub.5.2. Resp. Ideo firmior in virtute quam alij,ibi.3. Resp.

Sancta Rosa adeo humilis, quod sui contemptum perpetuo studio quęsiuit,vnde habuit prędstantiorem gradum humilitatis,quia se contemni appetebat,fol.226.dub.3.

Sancta Rosa se omnium infęlicissimam peccatricem intimo cordis affectu reputabat, & hoc ab alijs credi anxie desiderabat, quia alios ex humilitate sibi anteponebat,& reliquos reputabat meliores se, fol. 227. dub.6.

Sancta Rosa ne in alimento sumendo delectatione afficeretur,vel bubuli fellis haustu, vel amarissimis herbis palatum inficiebat, quia cruciatum gustus potius, quam delectamentum quærebat in cibo, fol. 130. dub. 8. Austeritateque in cibo delectabatur, ibi. dub.6.

S. Rosæ cibus adeo tenuis, vt panem frequenter sibi subtraheret, paucis seminum granis contenta. Ita parca erat, quod quasi non comedere reputabatur,fol.130.dub.3.

Sancta Rosa,in corpus suum à teneris annis sæua valde fuit,vt patet ex eius vita. In initio enim vitæ spiritualis multas mortificationes exercuit,fol.52.dub.85. Vnde tot austeritates sustinens, viriliter egit, vt de ea dicit officium, vltra quam homines soleant. Nullus enim hominum talia sibi tormenta inferret, nec in tolerandis ita constans. Viriliter enim egit, quia iustorum est viriliter agere, fol.120.dub.5,

S. Rosam Sponsus Christus mirificè recreabat, sæpius apparens ei. Societatem enim iniebat cum ea propter suam puritatem, quia societatem habet cum castis, fol. 167.dub.5.

Sancta Rosa tantæ pietatis erga parentes fuit, quod labore manuum suarum victum parentibus quærebat,fol.127.dub.32.2.R.

Natiuitas B. Mariæ Virginis.

Natiuitatis B. Virginis Festum, magnæ est solemnitatis inter omnia de eadem, B. Virgine, quia hodie paratur Tabernaculum Filio Dei,fol.406.dub.1.

Beata Virgo nata est, vt in ipsa Deus sua mirabilia, & potentiam demonstraret, fol. 407.dub.2.

Beata Virgo nascitur in mense Septembri, in quo damnum illatum est homini,vt in eodem mense incipiat reparari damnum, ibi. dub.3.

Beata Virgo nata est in mense Septembri, qui est mensis plenitudinis, propter plenitudinem bonorum,quæ sua Natiuitate nobis attulit,ibi.dub.4.

Beata

Beata Virgo Maria nata est sancta, ibi. dub. 5. Imo cum tanta perfectione gratiæ quanta nullus, ibi. Vnde exornata fuit gratia in Natiuitate, quia Christum susceptura erat, f. 15. dub. 43.

Imago S. Dominici P. N. in Soriano.

Imaginem S. Dominici P. N. Deus misit in mundum, vt eam homines intuicientes, continuo in hac pictura Deum contemplentur, fol. 55. dub. 93. 2. Resp.

Imaginem hanc Deus destinauit in mundum, vt in nobis tanquam in speculo forma virtutum eius resplendeat, fol. 25. dub. 79. 1. Resp.

